Pharmacopoea
Regia
Galenica
et
Chimica.

J. l. II.
12.

17379/B
XV
L XXVI 12
Ad
Bibliothec. Aulic.
Elvacenſem.
7 12
II

MOSIS CHARAS

MEDICINÆ DOCTORIS,
& Regiæ Majeſtatis Anglicæ Chymici,

PHARMACOPOEA REGIA, GALENICA ET CHIMICA,

GALLICE AB AUTHORE CONSCRIPTA,
jam verò Latinitate donata.

TOMUS PRIMUS.

GENEVÆ,
Sumptibus JOANNIS LUDOVICI DU-FOUR.
M. DC. LXXXIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

TYPOGRAPHUS LECTORI SALUTEM.

EXpeditiſſima exemplarium omnium *Pharmacopœæ Regiæ* Moſis Charas, *tum Lutetiæ tum Lugduni Gallorum iterato editæ, venditio, imo & diſtractio, non vulgaris præſtantiæ operis opinionem mihi intulit, quod non ſola, ut pleraque alia, novitate placeret. Eapropter Medicum mihi familiarem in conſilium adhibui, num forte idem Opus Latina lingua donatum, commeatum apud exteras nationes æque liberum & facilem ac in Patria obtineret? Annuit ille, & optare ſe ut aliquando eo habitu in publicum prodeat, nec dubium eſſe quin ubivis gratum & acceptum ſit, quippe quod non minus in receſſu quam in fronte gerat, nec inique Pharmacopœæ Regiæ titulo ſuperbiat: Proſpero videlicet ſucceſſu Authorem, quod plurimis in votis fuit, connubio Pharmacopœam Galenicam & Chymicam junxiſſe, quas divortio quaſi quodam inique nonnulli ab invicem dirimunt. Hunc vero neque* Galeni & Arabum *mancipium, eorum in verba juraſſe, ac traditionibus indivulſum adhæſiſſe, faceſſere juſſis Recentiorum inventis: Neque his adeo addictum fuiſſe, ut eorum quæ à Priſcis rite ſancita ſunt, deſertor eſſe voluerit, ſola Chymicorum placita amplexurus, ſolidam utrorumque doctrinam indefeſſo ſtudio & labore ſibi comparare adnixus: At vero ſi ſingula (ſubjunxit ille) Pharmacopœi munera expendantur, medicamentorum ſcilicet Electio, eorundem Præparatio, ac Miſtio & Compoſitio, utrobique votis omnium ſatisfeciſſe in aperto eſſe:* Electionem *quod*

attinet,

attinet, omnem Authorem navaſſe operam, ut genuina medicamina à ſuppoſititiis & adulterinis diſtinguerentur: Eapropter & exteras regiones (Galeno *duce, qui Lemnum inſulam, terram cognominem exploraturus adiit;) peragraſſe, ſimplicium rite dignoſcendorum deſiderio & ſtimulo laceſſitum: Et plurimos conventus in Horto Regio Pariſienſi inſtituiſſe, condicto loco, ac veluti alveo, in quem certatim quicunque rariora quædam & exotica nacti eſſent, deponebant, quorum Ipſe ſequeſter & cuſtos fuit, donec idoneo tempore publici juris faceret. Quinimo & ſtudium promovendæ Artis Pharmaceuticæ eouſque produxiſſe, ut in Anatomicorum caſtra tranſilierit, dexteraque manu plurima animalia, in uſus medicos venientia, quæ plurimorum animos tenebant dubios, diſſecuerit, atque in his Caſtorem & Viperam, ex quorum intima quam adſequutus eſt cognitione, duorum præſtantiſſimorum medicamentorum naturam penitus exploratam obtinuit, Caſtorei ſcilicet & Viperæ partium, unde præſtantiſſimæ omnium Antidoti, Theriacæ videlicet, perfectioni & viribus (clariſſimi Viri induſtria non parum acceſſit, de qua ante aliquot annos eruditiſſimum Tractatum Gallice edidit, in quo cuncta illius compoſitionem ſubeuntia medicamina ad amuſſim reſecat, diſquirit, explorat, ne quidpiam contra Antiquorum mentem in illam forte irrepat. Sin* Hippocrates *in futuro Medico præter alia locum ſtudiis idoneum requirit, omnia ad votum Clariſſimo viro acceſſiſſe conſpicuum eſſe, eo in loco conſtituto, qui totius Orbis quaſi compendium eſt, Lutetia ſcilicet Pariſiorum, atque illius centro, Horto Regio, adeo ut etſi ingenium defuiſſet, (quod in illo ſolers & acutum,) ex loci tamen opportunitate nonniſi præſtantiſſima expectanda eſſent.* Præparationem *porro medicamentorum ſi ſpectemus, majorem* ἀκρίβειαν, *& ſolertiam vix poſſe deſiderari, cum ad* ἐγχείρησιν *ubique provocet: nec ex libro nautam eſſe, ſed quæ propriæ manus obſervarunt, ſincere adferre: Ac quanquam minutias quaſdam plus nimio perſequi videatur, ipſum Pharmacopœum in præparatione velut manu*

ducendo,

ducendo, nec quid tamen nimis hic eſſe manifeſtum futurum illi, qui quot ſæpe errores ex levium circumſtantiarũ omiſſione emergant perpenderit, adeo ut toti compoſito corruptionis diſcrimen immineat, vel Pharmacopœo, præter ſumptus, temporis jactura. Porro, ſive præparatio vulgaris & Galenica fuerit, ſive Chymica, omne tuliſſe punctum, ac utramque paginam impleviſſe, obſervaturum, qui neque hic neque illic hoſpes fuerit, ſed Pharmaciæ utriq; animum adpulerit: Ipſa autem Medicamenta Compoſita *quod ſpectat, præter plurimorum quæ in Pharmacopolis proſtant emendationem, tum manu ducente Excellentiſſimo* Zvvelfero, *tum duce experientia propria, non pauca præterea ab Artis Primoribus ſuppeditata, Illuſtriſſimo præſertim D.D. D'Acquin, Primario Majeſtatis Regiæ Medico, operi inſeruiſſe : Hinc ut ſi gratiæ* Jouberto Rondeletio, Cordo *aliisque debeantur, ac* Bauderonio, *qui Pharmacopœorum omnium Gallorum manibus teritur, (quamquam & in hoc plurima deſiderentur, vel eo nomine, quod Pharmacopœam ſuam condiderit, cum ars Chymica adhuc in incunabilis erat, vix ipſi notis Pharmacopœum præterea inſtruat, quippe qui medicamenta componendi artem potius edoceat, quam præparandi rationem, quæ nempe in hoc compoſito ſit baſis, quid adjuvantis, quid dirigentis vices teneat : Nec demum ſemper manum operi ipſum admoviſſe, ſed ex traduce, aliorumque præceptis artem tradidiſſe conſtet, ubi res ad experimentum revocata fuerit:) Si* Zvvelfero *majores, quod in utriusq; Pharmacopœæ ſtudium & perfectionem nervos intenderit, ac candidus quæ plurimorum annorum curriculo in ejus exercitio à ſe deprehenſa impertierit : Ingentes* Charaſio *referendas eſſe, qui ſincere depromat, ac publici juris faciat, quicquid indefeſſo labore, ingentibus ſumptibus in utraque Pharmacia, potiſſimum Chymica ſibi comparavit, quicquid arcani vel experimentis obſervatũ, vel à ſummis viris concreditum communis juris eſſe velit. Quamquam porro de Republica Medica optime mereri pro virili adlaboraverit,*

ac revera benemeritus ſit, cujus operibus plurimi gratiſſime & utiliſſime fruuntur, communem tamen illum proborum ſortem experiri, nec maledicentiæ ſtimulos declinare potuiſſe. Tela in ipſum vibrat Medicus quidam Germanus, Vir magni alias nominis, qui œſtro neſcio quo percitus, (Morpheo per ſomnum ſe exhibente,) operis gloriam in alios transferre conatur, fieri non poſſe ratus, ut qui Pharmacopœi ſolum titulo gaudeat, adeo elaborata, & luce publica digna è ſinu proprio, vel Marte, ut Ipſus loquitur, deprompſerit: Neq; in Authorem ſolum ſtylum ſtringit, ſed & obiter concives illius perſtringit, levitatis inſimulans, atq; pro innata gravitate judicium ferens, Gallorum animum ad quævis capeſſenda & perficienda flèxilem, craſſo errore humanioribus diſciplinis ineptum cenſuit. Pharmaceuticam porro artem exercuiſſe ut concedamus, Medici tamen partes omnes explevisse in conſpectu eſſe, hinc ut Illius modeſtia omnes in admirationem pertrahere debeat, quod Medici titulo turgere non voluerit, priusquam artis culmen fere attigerit, nec ſplendidum Doctoris titulum adſumere, quam ſe laureæ Apollinari parem crediderit.

Hæc & alia prædictus Medicus in Excellentiſſimi Charaſii *laudes emiſit, futurum vero forte ratus ut ex iterata Operum lectione faſtidium illi non obreperet, anſam captans, exploravi utrum illorum ex Gallica lingua in Latinam conversionem ſuſcipere non detrectaret? Tergiverſari ille primo, ac ſeveriora negotia objicere, tum in ægrorum viſitationibus, tum ſcriptis quibusdam prelo propediem committendis; Sed tandem adſenſum præbuit, vel ea de cauſa, quod noviſſima oblata fuerit Editio ab authore ipſo recognita, plurimis rarioribus obſervationibus Chymicis locupletata; ac rem gratam plurimis in Germania, tum Doctoribus tum Pharmacopœis facturum aſſeruerim, ac negotium in ſe ſuſcepit, quod abſolutum Tibi offero B.L. eademq; Opera Tractatum utrumq; Clariſſimi Viri, de Theriaca ſcilicet & de Vipera, qui conjuncti tertium Operum volumen conſtituent. Vale & laboribus noſtris fave.*

PHAR-

PHARMACOPOEÆ REGIÆ GALENICÆ ET CHYMICÆ

PARS PRIMA.

De Pharmaciâ in genere.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione & Nominibus utriuſque Pharmaciæ.

PHARMACIA ſecunda pars eſt Artis Medicæ curatricis, quæ docet Electionem, Præparationem & Mixtionem Medicamentorum: alia definitio inutilis eſſet ſi nulla præter antiquorum, quam dicunt Galenicam, Pharmaceutica ars nobis innoteſceret; at vero cum Pharmacia Chymica neotericorum dotibus ſibi peculiaribus inſtructa ſit, eóque nomine Galenicæ antepo-nenda, jure merito peculiari definitione donanda eſt.

Hanc ergo, a definitione generica non deflectens, traditurus ſum, Pharmacopœam Chimicam artem eſſe quæ docet modum reſolvendi corpora mixta, ac inſimul rationem dividendi, & in apertum proferendi partes è quibus conſtant, ſeparandarum ergò inutilium, conſervandarum & ad puritatis majorem gradum probas evehendarum, necnon eaſdem, ſit opus fuerit, coniungendarum.

Dividit ut purget, purámque exaltet & arctet.

Pharmaciæ nomen, vtrique commune, à Græca voce φάρμακον deductum eſt, quod medicamentum ſignificat, vtraque enim in Pharmaca intendit: Vox φάρμακον compoſita eſt ex φέρω & ἄκος, ac ſi dixeris *fero remedium*; Pharmaciam Galenicam vocant eam quæ omnium antiquiſſima eſt, apud Græcos, Romanos & Arabes vſitatam, a Galeno eiuſque aſſeclis ſummo ſtudio excultam, nec minoris hodierna die famæ, Pharmaciæ Chymicæ nomine, deſignant eam quæ pauciſſimis tantum antiquis innotuit, at vero hoc ſeculo in pretio habetur, & a recentioribus quamplurimis, qui huic ſe devoverunt, excolitur, quorum induſtria & ſedula diligentia plurima in apricum, quæ ænigmatis involuta deliteſcebant, prodiere; quos imitati non pauci manum quoque ſimili operi admovere.

Etymologia vocis Chimiæ omnibus acceptiſſima, ea eſt quæ deducitur ἀπὸ τοῦ χυμοῦ hoc eſt ſucco; modum quippe docet mixtorum partes puriſſimas & maxime ſuculentas eliciendi, eaſdemque ab impurioribus & craſſioribus ſegregandi: Alii Chimiæ vocem derivant a χέω, quod ſignificat *liquefacio*, aut *in liquorem ſolvo*, atque ex eorum ſententia inde nomen traxit vox χύμεια, quam Lexicographi nonnulli explicant *Fuſionem*, aut *præparationem* auri vel argenti: hæ quippe materiæ ſexcentis operationibus Chymicis ſubjiciuntur: *Alchymiæ* vocabulum, Chymiæ a quibuſdam aſſignatum, a voce Arabica *Al* nomem ſortitum eſt, nonnunquam rei cuujſpiam præſtantiam deſignante, nonnunquam *Sal*; quo ſenſu indicare poteſt *fuſionem* aut *præparationem* aliquam ſalis, mixti partem maxime eſſentialem conſtituentis.

Alij Pharmaciam Chymicam indigitarunt nomine *Artis Hermeticæ*, ab Hermete, quem nonnulli ſed temere ejus inventorem crediderunt, eapropter Triſmegiſti, hoc eſt Ter maximi nomen illi imponentes: Quidam, nec inepte, *Artem Diſtillatoriam* nuncuparunt, quod ſcilicet pluri-mæ illius operationes Diſtillationis ope perficiantur; A Paracelſo & multis aliis vocata eſt Pharmacia Spagirica, quæ vox ex duabus græcis conjuncta eſt σπᾶν hoc eſt, *ſeparare*, *ſegregare*, *ſejungere*; & ἀγείρειν quod ſignificat colligere, eo quod purum ab impuro divellat; partes autem puriores, ab inquinamentis ſecretas, vna colligat & in vnum coaptet: Cætera nomina miſſa facio a nonnullis indita, cujuſmodi eſt vox *Pyrotechniæ*, idem ſonans ac Ars ab igne perfectionem adepta, Ars ſapientum & Philoſophorum, Ars arcana, aliáque quorum inquiſitio pauci eſt momenti.

CAPVT II.

De Subjecto, Objecto & Fine vtriuſque Pharmaciæ.

QVæcunque in rerum natura occurrunt, ſenſibus noſtris obvia, ad medicamenti vocabulum revocari queunt,atq; vtrique Pharmaciæ æque ſubjacent, vtriuſque ſcilicet & ſubiectum & objectum; Hoc ergo conſtitutum velim Medicamentum vocem eſſe genericam, a Pharmacopœo & perpendendam & quoad exteriorem faciem cognoſcendam, quod præterea præparare norit neceſſe ſit, & ſi opus fuerit in vſus medicos aliis commiſcere: Medicamenti quoad externam faciem cognitio omnium facillima eſt, ſuperficiaria quippe, vt ſic dicam, tantum eſt; quanquam & non paucis difficultatibus involuta eſt, ob vaſtitatem & mixtorum inſignem varietatem, ambitu vocis Medicamenti comprehenſorum: At vero intima cognitio particulas omnes e quibus conſtant Mixta, aut ſimplicia Medicamenta;evolvit & ſcrutatur: Hęc accuratiorem indaginem quam prior, multóque plus artificij requirit; neque aliter quam ex pręvia pręparatione comparari poteſt, exactáque earundem omnium partium analyſi,.id quod neutiquam conceſſum artis Pharmacię Chymicę rudi, ejuſque ſubſidio deſtituto.

Porro, etſi corpus humanum Galenicę & Chymicę pharmacię objectum ſit remotum, in cuius ſcilicet commodum & vtilitatem junctam ambę navant operam, illarum ſubjecti partem nihilominus conſtituit, eo quod quædam illius partes in medicamentorum cenſum revera veniant,cuiuſmodi ſunt cranium, ſanguis,axungia, vrina, capilli &c. quę Pharmacopoei cognitionem ſubterfugere non debent, earúmque præparationi illum intentum eſſe opus eſt.

Pharmacopœo finis duplex proponitur, internus ſcilicet, veram cognitionem ſpectans, ac perfectam Medicamenti præparationem: Externus alter, hominis ſcilicet ſanitas, cuius gratia Pharmacopœus eligit, præparat & commiſcet cuncta ſua medicamina: Prior dici quoque poteſt finis proximus, poſterior autem remotus.

CAPVT III.

De Principiis Pharmaciæ Chymicæ.

ANtiquorum Philoſophorũ repudiata ſententia, quatuor Elementa rerum omniũm Principia conſtituentium, quæ dixere eſſe Aërem,

Ignem, Aquam & Terram, Ego rationi innixus, a partibus authorum Chymicorum, priſcorum & neotericorum ſto, alia Principia, præter ea quæ adhibito artificio in mixtorum omnium analyſi occurrunt, abnuentium: Plantæ, Animalia & Mineralia, æque ex his principiis conflata ſunt, quæ admodum diſtincta ſe exhibent reſolutione facta illorum partium, eorum nominatim quorum ſubſtantia admodum compacta non eſt: Prædicta principia quinque diverſis conſtant ſubſtantiis, quarum præcipuæ vocantur Principia Activa reliqua duo minora, Principia Paſſiva; Tribus prioribus nomen inditum eſt Salis, Sulphuris & Mercurij, ob inſignem quæ illis intercedit cum Sale, Sulphure & Mercurio naturalibus affinitatem: Activa vocantur, quia in ſe concludunt omnem, e qua emergit actio virtutem: Sal Saporum omnium perhibetur fundamentum, Sulphur Odorum & Inflammabilitatis, Mercurius autem Colorum: Phlegma & Terra poſteriora ſunt Principia, Paſſiva dicta, tum diſtinctionis a prioribus gratia, tum quia nullum effectum memoratu dignum exſerere valent: Vocantur etiam Principia Elementaria, ob analogiam cum Aqua & Terra, quæ inter Elementa apud priſcos Philoſophos craſſiſſima ſunt.

In Mixtorum diſtillatione Phlegma inſipidum, Aquam referens, vt plurimum primum prodit; Spiritus, Mercurij nomine donatus, conſequitur: Oleum, quod Sulphur audit, tertium exſtillat; Sal proprio ſervato nomine Terræ commixtum adparet, quæ in filtro reſidua, Sale ſecreto, habetur pro poſtremo Principio.

Conſpicuum tamen eſt Salia Animalium, & quarundam plantarum, inter diſtillandum cum cæteris ſubſtantiis ſurſum efferri, imo, ſi eadem rectificentur, priora aſcenſum affectare, præ eximia ſcilicet volatilitate, pauciſſimum vero ſupereſſe Sal fixum in parte terreſtri, in fundo peracta diſtillatione reſiduum: Nec non id manifeſtum eſt vt plurimum Phlegma, Spiritū, Sal volatile & Oleum confuſa ſurſum evehi in diſtillatione; neceſſariámque eſſe rectificationem, ſi modo ab invicem ſejungenda ſint & pura extrahenda: at vero etiamſi Phlegma & Terra Principiorum Paſſivorum nomen gerant, & revera multo minori quam Sal, Sulphur & Mercurius polleant efficacia, quibus Principij Activi nomen inditum, nequaquam tamen contemptim habenda eſſe; nam præterquam quod Mixtorum compoſitionem neceſſario ſubeunt, proprias etiam dotes & ſingulares vſus obtinent, ſi ab aliis principiis diſtillationis ope aliúſve cujuſdam præparationis ſecreta fuerint: Quæ ratio me impulit vt aliorum ductum ſequendo, de iis juxta ordinem quem inter diſtillandum in exitu obſervant, verba faciam.

CAPUT

CAPUT IV.

De Phlegmate.

PHlegma eſt Principium inter paſſiva repoſitum, quod vt plurimum primum in Mixtorum diſtillatione prodit, eorum præſertim in quibus abunde ſcatet; Qui Elementa Principiorum nomine dignati ſunt, Phlegma Aquæ Elementum conſtituere, a qua non multum diſſidet ſi rite a cæteris principiis ſecretum fuerit.

Phlegma,etſi ſpecie tenus paucarum ſit virium,conſiſtentia fere deſtitutum, ſubſtantia eſt quæ in mixtorum compoſitione majorem cæteris molem obtinet, ac præſertim in Plantis & Animalibus, imo in eorundem ipſis partibus quæ nobis & duriſſimæ & ſicciſſimæ adparent, cujuſmodi ſunt ligna & radices Plantarum, oſſa & cornua in Animalibus.

Phlegma ſeorſim a cæteris Mixti ſubſtantiis exiſtenti ſuæ quoque ſunt dotes; Spirituum enim turgeſcentiam & mobilitatē nimiam compeſcit, Salium acrimoniam temperat ſi illis conjunctum fuerit; confert & illis diſſolvendis omnibúſque aliis ſubſtantiis aqueis: oleorum quoque commercium non reſpuit, interventu Salium: Idoneum eſt variis Tincturis eliciendis, iis præſertim quæ præfuere ſubſtantiis quibuſcum conjunctum fuerat: Fermentationes varias promovere aptum natum eſt, diſtillationes, humectationes,plurimáſque alias operationes: Oleorum calorem moderatur, Terram ſalibus conjungit & in vnum compingit, poſteriorum ſiccitatem & fragilitatem emendans: Solitarium refrigerat & humectat, at ſubſtantiarum impreſſionem, quæ illi remiſcentur, facillime amplectitur & ſinu ſuo admittit: corruptioni admodum obnoxium eſt,ſubſtantiis humidis extraneis commixtum, imo earum corruptionem promovet atque diſſolutionem, at vero purum & impermixtum a corruptione vindicari poteſt in lagena exacte obturata repoſitum: divo expoſitum facillime in auras abit, citius autem igni aut Soli admotum; Actionem Spirituum, Oleorum, vel Salium illi complicatorum vt plurimum inſequitur,a quorum conſortio facili negotio iterum ſejungi poteſt: Inter diſtillandum invapores ſat limpidos ſolvitur, in liquorem poſtmodum cito redeuntes: hoc nomine a Spiritibus & Oleis præſertim diſſidet, quorum vapores & craſſiores ſunt, difficiliúſque ſolubiles.

CAPVT V.

De Spiritu.

SPiritus, Mercurij nomine inſignitus, Subſtantia eſt acida, ætherea, ſubtilis & pervadendi vi prædita, in diſtillatione poſt Phlegmatis aſcenſum vtplurimum ſurſum evecta.

Spiritus maiori aut minori penetrandi vi pollet pro varia mixtorum natura e quibus elicitus fuerit: Spiritus enim Vitrioli, Salis, Nitri & Sulphuris, educti ex iis ſubſtantiis quarum Acidum præcipuam compoſitionis partem conſtituit, multo inſigniori penetrandi vi pollent quam ſpiritus Aceti, & hic iterum adhuc majori eo quem fundunt Gaiacum & Alumen: ac proinde inferendum Spiritum valida vi præditum inſigniorem effectum illo editurum qui minori polleat.

Spiritui proprium eſt & inditum penetrare, incidere, ac reſerare corpora compacta & ſolida; exedit, corrodit, frangit, diſſolvit, imo nonnulla mixta comburit: alia etiam coagulat, exempli gratia, ſanguinem & lac, idoneum ſeparandis ab invicem illorum partibus terreſtribus & aqueis: Nonnulli Spiritus, rite a phlegmate liberati, aquæ commixti, in hac inſignem adeo excitant ardorem vt manus immiſſa illi tolerando impar ſit, imo vix vaſa vitrea quibus concluduntur a fractura vindicari poſſint.

Spiritus cito oleorum flámam ſupprimit, Sali quoque citiſſime coniungitur, cui adeo ſtricte interdum adhæret vt nonniſi accedente vehementiſſimo igne ab eo liberari poſſit: Solus & impermixtus calefacit, ſed exigua etiam quantitate liquoribus refrigerandi vi præditis additur, refrigeratoriam vim illarũ adauget ac penetrandi vim impertit; ſolitarius exibitus ſi fuerit exſicat, Phlegmati vero commixus humectandi facultatem nanciſcitur; nec parum huius conſervationi confert, activitatem qua pollet illi conciliat, viréſque imprimit prout maiori aut minori copia remiſtus fuerit, Salium acrimoniam demulcet, a quibus viciſſim mitigatur, cum iiſdem coit & in vnum corpus tranſit; ſiſtit & fixa reddit volatilia, eliciendis tincturis prodeſt, colorumque varietatem inducit, quos immutat, imo nonnunquam perimit pro vario illius vſu: conducit & diſſolvendis mineralibus, illíſque præcipitandis quæ a ſalibus ſoluta fuere vſui etiamnum eſt alendis Plantis & Animalibus, motum poſterioribus concilians: lapides diſſolvit, ſanguinem a ſpurciebus liberat, inſtaurat & vigorem addit humido radicali: Vocem deperditam reſtituit, detergit & mundificat phlegmati proprio remiſtus; omne ſcabiei genus

delet,ac quoſcunque dolores vi ſalium excitatos ſopit; inſigniter tandem prodeſt extinguendis plurimis affectibus præter naturam, iis præſertim qui ſalium acrimoniæ ſoboles exiſtunt, dummodo legitimus acceſſerit vſus.

Spiritus vrinoſos volatiles remitto ad Caput de Sale, quibus cum major eſt ſocietas quam cum Spiritu acido.

CAPVT VI.

De Sulphure.

SVlphur, tertium Principium conſtitutum, ſubſtantia eſt homogenea, liquida, oleaginea, viſcida & flammæ rapax, forma olei inter diſtillandum poſt ſpiritum ſurſum evecta, quæ a partibus ſalinis & terreſtribus rite ſeiuncta, phlegmate levior adparet, ſpiritu, & quavis alia ſubſtantia, adeo vt tunc illis ſupernatet & emineat: at vero ſi prædictum ſulphur particulas adhuc ſalinas aut terreas intra ſe contineat, cæteris ſubſtantiis medium innatat, vel ad fundum ſecedit prout magis aut minus illis implicatum fuerit: imo nonnunquam contingit vt in vna eadémque diſtillatione pars olei phlegmati ſupernatet, pars altera media feratur, alia fundum petat,id quod obſervare eſt non raro in diſtillatione gravium lignorum: Nec illud rarum eſt vnum idémque mixtum olea colore diſtincta effundere,ſicuti id videre eſt inTerebinthinæ diſtillatione, in qua tres diverſos colores Oleorum, quorum alia aliis eminent, reperire eſt, vt miſſum faciam ſpiritum, aut potius oleum æthereum,cunctis aliis oleis ſupernatans.

Huius principij viſciditas in cauſa eſt vt facile adhæreat illis ſubſtantiis quæ inter diſtillandum vna cum illo in ſublime feruntur, ſpeciatim ſalibus, vel quibuſdam aliis partibus craſſioribus aut terreſtribus, quamobrem nonniſi accedente rectificatione ab illis rite ſejungi poteſt, cujus ope ſeparatur & ſupra alia principia effertur: Sulphur eiuſmodi, Olei forma præditum, ſubſtantiæ eſt mediæ inter Spiritum & Sal, adeo vt mediante circulatione illis conjungi queat, atque inde confici poſſint Elixiria, panaceæ ac cæteræ quæcunque præſtantiſſimæ pharmaciæ ſpagiricæ præparationes.

Sulphureum id principium a cæteris omnibus principiis egregie liberatum, non ſolum frigori obſiſtit, ſed & nunquam concreſcit, corruptionis incapax, imo ab hac corpora ſinu ſuo concluſa præſervat, niſi forte copioſiore phlegmate luxurient: Salium acrimoniam retundit, cum

iiſdem coit & concreſcit, Spiritibus obſiſtit, imo aquis regiis & fortibus, quæ nullum in id dominium obtinent; calorem naturalem fovet, nervis amicum eſt, motúmque muſculorum vegetiorem efficit: rebus omnibus vice balſami eſt, emollit, lenit, diſcutit, & paregoricam vim obtinet: Vegetabilium & Animalium ſpiritus multiplicat, Mineralium eſt quaſi anima: Odorum omnium materia eſt & fundamentum, medium conſiſtentiæ locum obtinens inter Salis ſiccitatem & Spiritus fluiditatem.

Levitas & inflammabilitas, in vini ſpiritu obſervabiles, cunctiſque aliis ſpiritibus ardentibus, per ſuccorum diſtillationem elicitis, vel aliorum liquorum aqueorum fermentatione ſubactorum; eorundem homogenea natura cum ſubſtantiis ſulphureis, quarum vtplurimum legitima ſunt diſſolventia, aciditatis minima portio illis inexiſtens, atque exigua analogia quæ intercedit inter illorum & ſpirituum acidorum effectus, me impellunt vt illos ad principium ſulphureum potius quam ſpirituoſum revocem.

CAPUT VII.

De Sale.

SAl principium eſt quod peracta diſtillatione terræ commiſtum ſuperſtes eſſe ſolet: ab ea autem ſecretum, depuratum & exiccatum colore albo ſe exhibet, conſiſtentia ſicca friabili; In humido Sal faciliime diſſolvitur, facta vero diſſolutione Oleum fert ſupernatans; Poteſt necnon oleo coniungi ope Spiritus, aut decoctionis aqua addita, ſicuti apparet in ſaponis præparatione.

Etſi Sal admodum aridum adpareat, humore tamen interno gaudet, cuius cauſa fuſionem, accedente intenſiori igne, non reſpuit: fruitur & ſucco oleagineo interno, quo fit vt lixivium exinde paratum manibus jnunctum oleaginoſum adparat: Sal igni obſiſtit, in illo purius evadit, incombuſtibile eſt, ac perenne, citra partium jacturam, citra vllam alterationem vel ſui immutationem, Guſtu eſt acre, ſalſum, nec amarore deſtitutum, quamobrem ab illo deductum eſt Saporum omnium fundamentum, etſi cætera Principia illis non careant, ratione ſcilicet particularum ſalinarum illic forte occurrentium; actu calet & penetrandi vi præditum eſt: metallorum, ac plurium aliorum fuſionem & liquefactionem promovet, ſubſtantiarum omnium conſervationem adjuvat, volatiles ſibi aſſumit, eaſdémque figit, Spiritui intime cohæret, adeo vt ſi Spiritus quantitate tripla vel quadrupla illud ſuperet in diſtillatione vna ſublime

ſublime feratur : Quoſdam liquores cogit, expurgat, mundificat, aperit, reſolvit, exſiccat, & abſumit exuperans humidum; Olei conſumptionem moratur; ſubſtantiarum omnium vita & anima; ſterilis illo deſtituta futura eſt terra; ſi redundet arida evadit: Animalium proſperam valetudinem tuetur, imo fœcunditatem illis largitur; Soliditatem ſubſtantiis omnibus conciliat, nominatim Mineralibus, & Spiritui conjunctum corporeitatem illi inducit.

Id tamen monitum volumus Sal Animalium, ac quorundam etiamnum Vegetabilium, peracta diſtillatione in fundo non reperiri Terrę commixtum, atque ratione ſuæ indolis volatilis ſurſum vna cum Oleo, vt pote Spiritus naturam fere redolens, ſurſum evehi, admixta nonuulla phlegmatis particula, a quo poſtea mediante rectificatione abſtrahi poteſt.

Sal eiuſmodi volatile quaſdam obtinet dotes cum illo communes dequo modo a me actum, at vero præ ſuæ volatilitatis efficacia eo pertingit quo alterum Sal ſponte evehi nequit, huius vehiculo deſtitutum: Summa præterea penetrandi vi pollet, adeo vt neque nares neque oculi pares ſint illius vehementiæ ſi abundaverit, Volatilitatis cauſa Ignis efficaciæ non obſiſtit, cuius impetum ferre non valet niſi ſpiritui cuipiam acido commiſtum fuerit, vel Sali alicui fixo quod copia illud ſuperet: Sal volatile primo quidem impetu ferit nares, linguam, oculos & cerebrum inſigni penetrandi vi, at in illo deprehendi non poteſt illa acrimonia, vti nec amaror qui eſt in Sale fixo, neque caloris veſtigium inſigne in ore aliiſve partibus relinquit.

CAPUT VIII.

De Terra.

TErra Principiorum poſtremum eſt, omnium viliſſimum: Vltima deprehenditur diſtillatione peracta & calcinatione, atque vbi filtrationis ope abſtractum Sal, cum illa ſuperſtes: Prædicta Terra, cæteris principiis omnibus ſemotis, Chymicis Caput mortuum nuncupatur, neque vllam qualitatem inſignem in illa deprehendere eſt præter adſtrictionem & ſiccitatem.

Id tamen Principium in compoſitione mixti admodum neceſſarium eſt: nam ſi hoc a ſulphure tenacitatem obtineat, viſciditatem ac lentorem, ſi a Sale duritiem & ſoliditatem; a Spiritu alimentum & motum; a Phlegmate incrementum & temperamentum cæterarum ſubſtantiarum, viciſſim a Terra conſiſtentiam conſervationi neceſſariam mix-

tum conſequitur, adeo vt in hoc nulla occurrat ſubſtantia cui deſit ſua functio & vſus.

Terra,in principia reſoluto Mixto, vt plurimum ſubſtantia eſt Principiis activis maxime obſiſtens, a qua illa liberanda ſunt : his enim ſi implicata fuerit, eorum actioni obſtaculo eſt, poros occludit, obſtructiones generat, Salibus ſe commiſcet, vt & Spiritibus, vnde ortus lapidum & calculorum in veſica & renibus, necnon præbere poteſt ſcaturiginem plurimorum morborum : Terra à cæteris ſubſtantiis ſegregata poris plurimis ſcatet, neque admodum eſt gravis : facillime coniungitur cum ſubſtantiis a quibus ſecreta fuit : gravitatem a cæteris Principiis mutuatur, ac præſertim Sale & Spiritu, omnium graviſſimis : Vſus Medicus externus fere tantum eſt, ſicubi ſcopus conſtringendi & roborandi partes ſe obtulerit.

CAPVT IX

De Medicamento in genere.

MEdicamentum definitur, Quicquid Naturam noſtram in melius alterare & immutare valet ; Dividitur medicamentum in Externum & Internum, vtrumque in ſimplex & compoſitum : Simplex dicitur id quod tale eſt quale a Natura productum eſt, etſi revera ex quinque principiis ſupra a me memoratis conſtet : Compoſitum id vocant quod pendet a collectione plurimorum ſimplicium facultatibus diſcrepantium, artificioſe conjunctorum : Nonnunquam Medicamento compoſito Simplicis nomen aſſignatur,ad diſtinctionem alterius ſimplicioris, eodem nomine ſignati.

Alimentum hoc ab Medicamento differt, quod illud interius adſumptum alit & auget Naturam noſtram,cum Medicamentum illam tantum alteret, ſive exterius corpori admotum fuerit ſive interius vſurpatum : Dantur medicamenta Alimentoſa dicta, ſicut & Medicamenta extant Medicamentoſa vocata.

Venenum revera differt à medicamento, eo quod Naturam noſtram deſtruat, attamen medicamenti naturam induere poteſt, quandoquidem ope Pharmaceuticæ artis emendari poteſt, imo domari quicquid vitii intra ſe id continet, ac ſalubre evadere ſive exterius adplicari debeat ſive intro corpus ſubire.

Medicamenta jnter ſe diſſident aut materia aut facultatibus : Materia illorum deſumitur ex Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus.

In genere Vegetabilium colloco, arbores, arbuſta,frutices,ſuffrutices, herbas, omnes illorum partes, quicquid adnatum eſt, aut adhæreſcit,

ac

ac in genere quicquid Anima vegetativa donatum eſt,atque ex terra alimentum ſuſcipiens beneficio radicum vel cuiuſpiam analogi,augmentum extérius capeſſit, aut verſus terræ ſuperficiem,quæ communi cum vegetabilibus nomine gaudent.

Sub Vegetabilium ergo voce continentur, radices, ſtolones,caules, cortices,ligna,rami,folia,flores,fructus,baccę,ſiliquę,ſemina, gũmata,reſinę,ſucci, lacrymæ, liquores, aquæ ſtillantes, pediculi, calices, fungi, tam qui ex terra erumpunt quam qui arboribus adnaſcuntur, aut alibi, tubera;extuberantiæ & nodi arborũ,viſcũ,muſcus goſſypium,gallæ,ſpinę, ſaccharum, imo mannæ illa ſpecies quæ ex arboribus ſtillat, ac plurimæ aliæ Plantarum partes quas huc omnes adferre operoſum eſſet.

Ad Animalium genus revoco volatilia, terreſtria ſeu reptilia,aquatica & amphibia; nec ſolum quæ integra in vſum veniunt, cuiuſmodi ſunt ſcorpiones, ranæ, lumbrici terreſtres, aſelli, catelli, formicæ, cantharides, lacertæ &c. ſed & partes omnes corporum animalium quæ in medicos vſus abire poſſunt, ne exceptis quidem illorum excrementis & rejectaneis; cuiuſmodi ſunt cranium, axungia; ſanguis,capilli, oletum & lotium hominis, cornua, priapus, teſticuli, ſebum, medulla & os cordis cervi, hepar, & inteſtina Lupi, lien, lapides e cyſtide fellea exẽpti,& os cordis bubuli; vngula Alces, pulmo vulpis, cerebrũ Paſſeris, dens Elephantis, Aprorum & Rhinocerotis : Epiphyſes oſſeæ ſeu verrucæ in tibiis Equorum, eorundem vngulæ, axungia & ſtercus, necnon Muli & Aſini,moſchus, lapis Bezoarticus, Margaritæ, Conchilia,Lucii mandibulæ, chelæ, lapides & ſuccus Aſtacorum; ſanguis & ſebum hircorum & ibicum: Cor Iecur, truncus, caput, cauda, axungia & pellis viperarum; Axungia & ſperma Ceti ſeu Balenæ jecur & axungia Anguillarum, oſſa Bufonum, Axungia Vrſi; Pinguedo & vẽtriculus Caponis,Plumæ Perdicis & Ruſticulę,Caſtoreum,renes Scincorum marinorum, axungia Porci, Taxi, Anſeris, Anatis, ac plurimorum aliorum animalium; Vaccæ ſtercus, Canis, Muris, Lacertæ & aliorum quorundam animalium, Eorundum oſſa, pellis, excreſcentiæ, pili vrina, ſudor, quicquid tandem ex animalium corpore educitur.

Sub mineralium nomine complector omnia Metalla, Semimetalla & & Metallica, Terrarum omnes ſpecies & Bolorum, Lapidum omne genus, marmora, ſilices, porphyritem, iaſpidem, cryſtallos, hyacinthos, ſmaragdos, ſapphyros, granatos,hæmatites, adamantes & gemmarum quaſvis ſpecies; Sulphuris quodlibet genus Vitrioli, Aluminis, Sal gemmeum, marinum, Aquam pluviam, nivem, glaciem, grandinem, lapidem fulmine emiſſum,rotem, mannæ omnes ſpecies, gypſum,calcem, lateres, oleum petræ, ambram griſeam, albam, flavam ſive ſuccinum,

gagatem, carbonem petræ, & bitumen quodvis, talcum, cretæ cunctas ſpecies, biſmuthum, zinckum, & marcaſitas quaſvis, terram vulgarem, arenam, argillam, quicquid tandem e viſceribus terræ eruitur ac maris ſinu, aut ex aëre demiſſum eſt, anima tamen carens: Addunt nonnulli corallia & ſpongias, alii hæc anima donata eſſe cenſent.

Anſa quidem hic loci mihi porrigitur fuſius enumerandi præcipua medicamenta ſimplicia ex Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus ſuppeditata in Pharmaciæ vſum; atvero cum intricatum ordinem in eorundem enumeratione animadverterim ex lectione plurimorũ librorum, Pharmaceuticorum, ab inſtituto revocatus ſum, eorum tantum meminiſſe ſatis eſſe ratus quæ in libri ſerie forte occurrent dilucidationis alicuius indigentai.

Caput X.

De Facultatibus Medicamentorum.

Medicamentorum Facultatis hæc definitio poteſt aſſignari, quod ſit Accidens proprium & inſeparabile a quo pendet illorum actio; adeo vt aſſerere liceat Medicamentum facultatum notitiam ex illorum actionibus ſolum licere conſequi.

In Medicamento tres facultates deprehenduntur, ſcilicet Alterans, Purgans & Roborans; Alterans in notitiam venit ex manifeſta alteratione corporibus noſtris impreſſa; Purgans vio peccantes humores e corpore expellit, vel lubricando meatus, quo facilem exitum nanciſcantur, vel illos attrahendo, ac per vias ordinarias eliminando: Sub facultate Purgante Diaphoreticam complecti licet, quæ cacochymiam corporis exhaurit per poros cutaneos, & Diureticam, quæ eandem per vias lotii abigit; Facultas Roborans toti corpori vim & robur addit, ídque conſervat, vel quaſdam illius partes, vi innata & ſpecifica.

Medicamento tres Facultates aſſignantur, Prima eſt quam antiqui Elementarem cenſuere, ſolis principiis ex quibus conſtant; adſcribendam: Illa calefacit, refrigerat, humectat & exſiccat, ac juxta eorundem ſententiam modo obſcure, primo nempe gradu, modo manifeſte, ſecundo ſcilicet; modo intenſe, videlicet in tertio, modo vehementiſſime, id eſt in quarto: Vnicuique iterum gradui aſſignatur principium, medium & finis; per quæ deſignatur calor, vel frigus, humiditas vel ſiccitas, intenſius vel remiſſius agentia.

Qualitates ſecundæ primarum progenies ſunt, Caloris enim proprium aperire, rarefacere attenuare, attrahere: Frigori inſitum eſt incraſſare

craſſare, denſare, obſtruere, repellere, &c. Humido innatum eſt humectare,emollire &c. Sicci vero facultates ſunt compingere, indurare, humidum abſorbere, &c.

Qualitates Tertiæ Occultæ ſunt, experientia tantum duce in notitiam noſtram venientes. Sicuti exempli gratia, cum jaſpis vulneri admotus ſanguinis effluvium cohibet; bufo exſiccatus manu detentus hæmorrhagiam narium ſiſtit,& dolores dentium ſedat, quod & præſtat os brachii eiuſdem bufonis: Ramus fraxini conſtellatione quadam ex arbore deciſus, hæmorrhagiam omnem coercet: Ramus corylinus idoneo tempore decerptus contuſionem quamvis ſanat: Lapis Aëtites collo appenſus abortum prohibet, partum autem promouet femori adalligatus; Paleę fragmentum, aut feſtuca, ſponte in ſuccinum involat aut ceram Hiſpanicam,vti ferrum ad adamantem: ſic plantæ quædam caudæ equi alligatæ a ſcabie (farcin) illum liberant. Plurimi ſimiles in rerum natura occurrunt effectus, quorum rerum naturalium curioſi cauſas naturales tradere adniſtuntur.

CAPVT XI.

De Electione.

EGregium omnem artificem noſſe decet materiam ſibi ſubiectam antequam operi ſe accingat; Nec inique Pharmacopœum initium operis ducere ab Electione præcipiunt artis Magiſtri.

Electio, diſcretio eſt probi medicamenti ab improbo;liceat etiam definire Diſcrimen cujuſque ſingularis medicamenti, cum plurima eiuſdem indolis ſimul commiſcentur.

Antiqui Electionis vocabulo non intimam notitiam intellexere,cujuſmodi exhibet Pharmacia Chymica, quæ ope idoneorum diſſolventium corpora ad principia ex quibus conflata ſunt deducit & reſolvit, inte-rioremque omnium eorum partium cognitionem præbet, a præparationibus Galenicis non expectandam:at ſolum ſuperficiariam veri cujuſque medicamenti characteris ideam intellexerunt: Vtraque autem cognitio ſenſuum tantum exteriorum beneficio comparatur, Viſus ſilicet, Odoratus, Guſtus, Tactus & Auditus,quos non omnes ſimul concurrere ad cujuſvis mixti ſeorſim notitiam neceſſe eſt, quandoquidem nonnulla oculorum beneficio dignoſcuntur, alia narium, quædam linguæ; quædam etiam plurium ſenſuum examen ſimul ad electionem perfectam requirunt.

Porro etſi non accedente examine per ignem,ſenſus omnes conjunctim accuratam notitiam partium eſſentialium, e quibus miſta conflata

ſunt præbere nequeant, ſufficere tamen valent ad mixti cujuſpiam ab altero diſcrimen, probi ab improbo, & quantum ſatis eſt vt ejuſmodi habeamus qualia in vſum optantur, vel ad eorum analyſin mediante arte Chymica inſtituendam.

Electio petitur ab Eſſentia, a Subſtantia, vel a Facultatibus mixti, Ad Eſſentiæ cognitionem plurimum confert ſubſtantia, Facultates ad vtriuſque notitiam deducunt, addito examine diſpoſitionis mixti exterioris: Subſtantiæ vocabulo intelligo quandam compagem, & certam materiæ conſiſtentiam, noſcendam ex mixtione & proportione ad invicem quinque Principiorum, quam propter occurrunt quædam mixta gravia, alia levia, nonnulla compacta quædam rara, alia craſſa, alia ſubtilia, alia friabilia, lenta &c.

Viſus vſum præbet in dignoſcendis coloribus, ac variis miſti diſpoſitionibus externis, ſed & interiores etiamnum detegit, ſi reſerata fuerint frangendo, incidendo aut alio quovis modo.

Odoratus, mediantibus naribus, ſubſtantiam quandam vaporoſam ſuſcipit, e mixto exſurgentem & ad cerebrum evectam: Odorum diverſitas adeo inſignis eſt vt ſigillatim attingi nequeat, ſed comparative tantum, ſcilicet ex affinitate vel diſcrepantia odoris inter hoc vel illud mixtum; Nec potis eſt rite, præter duas ſpecies, differentias deſignare, Gratum ſcilicet vel Ingratum etſi vnaquæque ſeorſim à ſimilibus differre queat gradibus, quoad magis aut minus.

Tactus vtilitas quidem apparet in dignotione aſperitatis vel lævitatis mixti; at vero præcipua eſt ad diſcrimen gravitatis aut levitatis, duritiei aut mollitiei: Conducit & aliquando ſi mixti, quoad partem externam, perfectam notitiam conſequi non liceat, ſed illud dividere aut frangere neceſſe ſit vt pateant partes interiores: Nec inutilis eſt cognoſcendi cauſa lentoris aut friabilitatis mixti.

Senſus Guſtus non minus quam cæteri imo magis neceſſarius eſt, ratione varietatis ſaporum qui in mixtis occurrunt, oriundorum ex varia indole ſalium quæ eorum ſubſtantiæ compoſitionem ſubeunt, Tum quia ſaporum non difficile eſt diſcrimen nec deſcriptio arduę.

Vnanimi authorũ conſenſu novem Saporum ſimplicium conſtituuntur differentiæ, quorum tres calidos eſſe volunt, tres frigidos, tres temperatos; In calidorum genere reponunt Saporem Acrem, Amarum, & Salſum, Ad frigidos Stypticum vel Auſterum, Acerbum & Acidum: Pinguem vel Oleoſum, Dulcem & Inſipidum in genere Temperatorum collocarunt.

Auditus minime omnium confert ad mixtorum Electionem, vtilis enim tantummodo eſt ad diſcrimen partium illorum quando integu-

mentis

mentis quibuſdam involvuntur, ſicuti lapis Aetites; vel corticibus conclufa ſunt, vti Caſſia cum humida eſt vel exſiccata; vel in ſiliquis delitefcunt, ſicuti varia ſemina. Niſi quis adjunctum velit metallorum ſonitum, cujus rei cognitio ad vitæ civilis vſum potius quam Pharmaciæ neceſſaria eſt.

Dictorum ſenſuum exercitatio regulas quaſdam generales produxit, admodum, experientia teſte, vtiles, non ſolum ad mixtorum cognitionem, ſed & eorundem exhibitionem, quas ignorare nefas eſt.

Levitas probanda in medicamentis quæ elective purgant, cujuſmodi ſunt Agaricus, Colocynthis, Scammonium, Mechoacanna: Exceptiones tamen quaſdam fert hæc regula, quandoquidem Gialapa, Hermodactyli & Turbith probantur & cenſentur ſucco prægnantiora cum exſiccata pendoroſa ſunt.

Gravitas in iis medicamentis laudanda quæ comprimendo purgant, emolliendo & leniendo, cujuſmodi ſunt Rhabarbarum, Caſſia, Myrobolani, Tamarindi &c.

Superficies lævis & mollis medicamenti duræ & aſperæ præponenda eſt: Medicamenta modice calida frigidis prevalent, humida ſiccis, calidar, quorum comeseſt humiditas, frigidis, quibus ſiccitas copulata potiora ſunt: Odores ſuaves quantum licet admittendi, ingrati reſpuendi: etſi contrarium obſervandũ in pluribus affectibus hyſtericis mulierum, quæ gratos odores averſantur, ſuaves enim inferioribus partibus ſubdendi.

Sapores ſumma acrimonia præditi improbi, ij quorum acrimonia comitem habet ſtypticitatem, e ternario illo genere, cæteris præſtantiores ſunt: Dulcis omnium præſtantiſſimus Saporum; hos ſequitur inſipidus tertium bonitatis gradum obtinet dulcoacidus; quarto loco venit dulc amarus; dulcis & ſtypticus vltimo.

CAPUT XII.

De Loco, Numero, Magnitudine aut Craſsitie, Vicinia & Tempore quæ conducunt Electioni Medicamentorum.

QVoad Locum, obſervandum eſt Plantas ſponte obortas, loco libero & indoli illarum non diſſono, alio tranſlatis anteponendas eſſe, & iis quas artificium educavit: Plantas montibus innaſcentes, iis præſertim qui Soli orienti aut meridies obverſi ſunt, cæteris ejuſdem ſpeciei quæ in vallibus oriuntur meliores eſſe: Plantam calidam & acrem, loco humido enatam, multo minus calidam eſſe, & minori acrimonia illa pollere quæ loco ſicco increvit: Eam quæ humore ſuperfluo redundat me-

liorem ſortem adepturam in loco ſicco quam humido.

Regularum maxima pars quæ locum natalem plantarum ſpectant,valet etiamnum in electione Animalium vſui medico deſtinatorum, imo eorum quæ in alimentum noſtrum veniunt.

Mineralia quod ſpectat, non aliæ cautiones ſervandæ quam vt ijs ex locis depromantur in quibus & elegantiora & puriora deprehenduntur.

Quoad Numerum, Magnitudinem aut Amplitudinem, id obſervatum eſt Plantas, in cenſu bonarum repoſitas, ac præſertim fructus, potiores eſſe exiguo numero ſi producantur quam ſi majori:Ex opoſito Plantas, & Fructus improbos, minus malignitatis obtinere cum vbertim proveniunt:Fructum,propria natura probum,eo meliorem cenſendũ quo major fuerit:Contrarium obſervandum venit in Fructibus, & aliis plantarum partibus, necnon in Animalibus malignis: Miſſa hic facio mineralia.

Quoad viciniam, commendantur viſcum & Polypodium quæ quercubus innaſcuntur; Epithymum Thymo adnatum,Cuſcutam herbis hepaticis: Improbantur Fungi in arboribus putridis increſcentes, repudiandæ vero Plantæ quæ juxta cloacas aut loca vliginoſa producuntur, vel a Sole remota: Exceptas tamen velim Plantas quæ locorum ſolum vmbroſorum & nemorum ſoboles ſunt, cujuſmodi ſunt capillares, hepatica, phyllitis, &c.

Collectioni plantarum Tempus idoneum ab illarum diverſitate pendet, ac illarum partium, nec non vſus cui deſtinantur: Aër ſerenus generatim eam in rem obſervandus eſt: Fructus vltimam maturitatem adepti colliguntur, nec non Baccæ & Semina:Herbæ vna cum cacuminibus legendæ, cum maximo vigore pollent, atque, quantum conceſſum erit, in plenilunio: Flores ante expanſionem; cum calyx admodum turget, priuſquam obſoleti ſint, & a Sole tabeſcant: Radices vere ineunte evellendæ, cum erumpere incipiunt: Ligna a plenilunio cedi debent, Lacrymæ, Gummata, Reſinæ & ſucci fluidi, antequam a Solis radiis aut imbribus diſſipati fuerint:Cortices ab arboribus demendi cum vernus humor turget.

Conſervationem quod attinet, ad Temporis conſiderationem referendam, Partium plantarum, & Animalium quam cito licet exſiccatio procuranda: Soli exponendę quæ ſubſtantiæ ſunt compactioris aut humidioris: Sub divo autem ponendæ,& in vmbra, quæ ſubſtantia præditæ ſunt tenuiori: quæ aridæ quantum ſatis factæ ſunt, eæ reponendæ, & pyxidibus optime clauſis recondendæ; pyxides loco ſicco collocando, neque Soli,neque imbribus aut vento expoſito.

Pluvia, quam in mineralium numero repoſuimus, circa æquinoctium vernum

vernum colligenda : Nix & Glacies cum præſto ſunt : Ranarum ſperma menſe martio ; Ros & Manna majo ex, plantis ſalutaribus collecta, Anbra griſea, Succinum , Gagates, petroleum, & Bituminis omne genus antequam alteratio ab aquis marinis illis inducta ſit, Fluminibus, Sole, aut reliquis Aëris injuriis.

Animalia eligantur integra valetudine gaudentia & vivida, ſive integra in vſum veniant, ſive tantum illorum partes : De illorum conſervatione verba facturus non ſum , quandoquidem à Præparatione pendet, de qua mox verba facturus ſum.

CAPUT XIII.

De Præparatione.

ANimalia á Deo hominis imperio ſubmiſſa privilegiis gaudent huic non conceſſis ; nam præterquam quod non diu poſt ortum innata vi pollent qua ſibi ipſis comparare poſſunt quæ ad ſui ſubſtſientiam neceſſaria ſunt, imo ad morborum curationem ſi invaſerint ; Idoneum etiam alimentum perpetuo illis in parato eſt , nulla indigens præparatione : Neque coctio neque lotio requiruntur ante ciborum ingeſtionem , neque ad remediorum apparatum a Natura ipſis deſtinatorum & ab eadem præparatorum , At vero homines ſexcentas præparationes & apparatus ad proprios vſus ducere neceſſe habent : Etiamſi enim plurimis privilegiis a Summo Deo conceſſis gaudeant , imo Angelis non multo inferiores creati ſint , Intellectu & Ratione fruantur , imminentibus tamen & obortis malis opem ferre nequeunt , imo neque nutrimento frui, niſi acceſſerit remediorum & alimentorum præparatio : Quot enim laboribus & præparationibus fatiganda tellus priuſquam triticum maturitatem adeptumſit ? quantum temporis inſumendum antequam in panem tranſeat ? quantum ad confectionem Vini, Aceti, Cereviſiæ, Pomacei ? quantum in ciborum conditaram rerumque omnium ad hominis alimentum productarum ? mirum ergo non ſit ſi medicamenta, illi neceſſaria præparatione etiamnum egeant, ac ad eorum opem confugiendum ſit qui artem callent ea eligendi,præparandi, ac pro re nata adminiſtrandi.

Ex vbertate materiæ medicamentorum facile eſt colligere non exiguum eſſe Præparationum numerum , eóque amplius quod Pharmacia Chimica non parum auxerit eas quas Galenica jampridem cognitas habuit : Cum porro opus hoc complecti debeat vtramque Pharmaciam, mutuâſque invicem tradere neceſſe habeant operas ; e re futurum cre-

didi ſi vtraſque conjunxerim ac in eundem ordinem coëgerim,quandoquidem ad vnum eundémque ſcopum collineant, hominis ſcilicet probam valetudinem.

Præparatio artificioſus labor eſt, cujus ope medicamentum ad eum deducitur ſtatum qui idoneus fiat vſui medico.

Medicamentũ Præparationem varios ob ſcopos ſubit, modo ad virtutis incrementũ,modo ad ejus imminutionem, modo ad vitioſæ cujuſdam & improbæ qualitatis ſecretionem, vel malignitatis correctionem,modo ad conjunctionem cum altera,nonnunquã ad prioris naturæ immutationem vel virtutis communicationem, alias vt ægri viribus & indoli ſatisfiat: quo fit vt vnum idemque remedium,variis dicatum individuis,ſæpe varias præparationes ſubire debeat, præſertim exhibitionis gratia.

Medicamenti Præparatio tribus modis generalibus perficitur,Addendo,Detrahendo, vel Immutando medicamenti conditionem & ſtatum: Oleum ceræ additur, quo mollities huic concilietur: Maceratur medicamentum in quopiam liquore,vt illius facultas in hunc transfundatur, Pulveribus ſaccharum vel mel commiſcetur, vt compoſitiones ex illis fiant, Sulphur nitro additur, nitrum antimonio, Aqua fortis Mercurio &c. Myrobalanis detrahuntur nuclei; Eo quod terreſtre eſt liberatur Scammonium, humiditas demitur Sali,medulla radicibus,pars candicans roſis rubris, pars flaveſcens,croco &c.

Immutatio quæ medicamento conciliatur plurimis fit modis,cujus varia exempla in ſubſequentibus exemplis demonſtranda ſunt.

CAPUT XIV.

De Lotione

MEſue, & plurima antiquorum pars, præparationes omnes ad quatuor revocavere præcipuas,ſcilicet Lotionem, Triturationem,Infuſionem, & Coctionem, cujus plurimas tradidere ſpecies; Duæ priores minoris ſunt latitudinis, ambæ autem poſteriores, quæ multo maioris inſignem numerum Præparationum ſuppeditaturæ ſunt,in gratiam præſertim Pharmaciæ Chymicæ, quarum explicatio, me iudice,admodum neceſſaria eſt.

Lotio perficitur immergendo & eluendo medicamentum in aqua vel alio quopiam liquore; Eſt autem vel levior & ſuperficiaria, ad ſordes tantum auferendas, ſicuti cum Lotioni exponuntur radices & herbæ; vel interior, ac medicamentum intime & profunde ſubiens, ſive vt vna cum ea medicamenti tenuiſſimæ partes auferantur, ſicuti cum eluitur lithar-

lithargyrum, antimonium diaphoreticum &c. Sive ad detractionem cujuſpiam Salis aut ſpiritus corrodendi vi prædit, exempli gratia in prima lotione prædicti Antimonij, Præcipitatorum, Magiſteriorum, &c. Sive ad auferendam vitioſam qualitatem, vti cum lavantur olea, pinguedines, terebinthina; Sive ad imbuendum medicamentum, quod eluitur portione aliqua liquoris lotioni deſtinati, ſicuti in Cerato Galeni; Sive communicandæ gratiæ cujuſpiam vtilis qualitatis, vt cum lavatur tuthia aqua roſarum; cera ad dealbationem, vnguentum Pom aceum aquis aromaticis, quo grato illarum odore afficiantur: Sive ad ſeparationem cujuſdã partis internæ, ſicuti cum eluitur lapis Lazuli poſtquam in igne incanduit, ad ſeparationem partis terreſtris & ſaxeæ, ſuperſtite ſola puriori.

Ad Lotiones ſæpenumero in vſum venit operatio quam vocant Decantationem, cum per inclinationem vaſis liquor effunditur, quæ peragitur leniter effundendo liquorem materijs ſupernatantem: Nec ſolum in Lotionibus vſurpàtur, ſed etiam in Tincturis aliiſque operationibus.

Aloë Lotio improprie aſſignatur, cum ſit diſſolutio tantum partium puriſſimarum Aloës ad ſegregandas impuras, Plurimæ in lotione medicamentorum obſervãdæ veniunt circũſtantiæ, pro diverſitate ſubſtantiarum, quarum rationem facilius erit percipere ad praxim revocando Lotiones a me deinceps demonſtrandas.

CAPUT XV.

De Purgatione medicamenti.

PVrgare, aut Mundare, apud Pharmacopoeos, vocabula ſynonyma ſunt, ejuſdem ſignificationis: de Purgatione autem medicamenti poſt lotionem verba facio, quia Purgatio ſuperflua aufert, quæ Lotio detrahere non valet; Colocynthidi detrahuntur grana vel ſemina; Dactylis, Prunis, malis Armeniacis, Tamarindis nonnulliſque aliis fructibus Nuclei demuntur: Racemis acini; Seminibus frigidis, Carthamo, citrio malo & plurimis aliis cortices, ſub quibus deliteſcunt, Radicibus Eryngii, Feniculi, Cichorij, Aſparagorum, & nonnullis eiuſmodi medulla & ſuperflua: Cortex nucibus iuglandibus viridibus, ſiccis vero putamen, vt & amygdalis ac avellanis, quibus & cuticula ſæpius aufertur; ſuperflua reſecantur e radicibus ſpicæ Celticæ & taraxaci; Elegans tantum coma ſpicæ nardi commendatur: Summitates floridę plurium herbarum vſurpantur rejectis reliquis partibus, Abſtrahuntur membranæ

& fibrę Caſtorei ad vnguentorum confectionem, E vipera exſiccata ſolum in vſum veniunt truncus, cor & hepar, in pulverem reducenda: ſola illius axungia vſurpatur pro vuguento e Ranis, Integra tamen nonnunquam aſſumitur Vipera, ſicuti cum ſuffocatur, poſtmodum in vini ſpiritu aſſervatur; Cantharidum alę & pedes abiiciuntur, In vſum veniunt renes Scincorum marinorum, cæteris dimiſſis: Adſumuntur ſucci acidi Granatorum malorum, Citriorum & Oxyacanthę, ad ſyruporum compoſitionem, vel quorundam mineralium diſſolutionem; Exſiccantur cortices Granatorum, Condiuntur, exſiccantur, diſtillantur, & ſyrupus conficitur ex corticibus Citriorum, quorum ſemina in varios vſus aſſervantur; vt & Berberorum, rejectis cęteris vt pote inutilibus. Detrahuntur pars lignea & grana Caſſię: ſeorſim aſſumitur pars interior fuſca Rabarbari, Calices & cortices Glandium, qui & in alios vſus venire poſſunt; Spoliantur grana Amomi racemoſi ſuis ſiliquis, non ſecus ac Cardamomi: Demitur cortex & pars lignea Agarico, partéſque terreſtres in Scamonio occurrentes, Aloë, plurimiſque aliis ſuccis inſpiſſatis: Tolluntur & ſordes frequenter inquinantes plurima Gummata, ad Succorum claſſem revocanda, Aurum ab Argento ſejungitur per inquartium, purgantur; purificantur ambo catino expurgatorio vtrumque imponendo; alijſve medijs; Mercurij ſordes detrahuntur, vt & metallorum, ſemimetallorũ & metallicorum; necnon ſalium ſulphurúmque: Pauciſſima tandem occurrunt medicamenta, imo & alimenta, quæ partibus careant inutilibus & abiiciendis.

Caput XVI.

De Trituratione.

Trituratio innuit diviſionem medicamenti in minimas particulas: In genere duplex poteſt ſtatui, prima, illo nomine præcipue digna, competit medicamentis ſiccis & duris; ſecunda medicamentis humidis & mollibus: Vtraque congruit plurimis præparationibus vtriuſque Pharmaciæ, Varios & ad ſcopos in vſum veniunt, quorum præcipui ſunt vt medicamentum eam conditionem adquirat qua cæteris commiſceri & rite coadunari queat; vel vt commodius & aptius intro corpus ſubeat, aut exterius adplicari facilius poſſit.

Rerum ſiccarum Trituratio non vno modo peragitur, pro varia Medicamenti natura; ligna enim prius ſerrâ dividi debent, ſecari, comminui, imo aliquando limâ atteri, demum grandi mortario æneo, in quo Trituratio peragitur, excipi: Cornua, Vngulæ & Oſſa Serrâ quoque egent,

egent, quo in minores partes abeant, vel lima, ſive eo modo in vſum venire debeant,ſive vt deinceps facilius cum aliis medicamentis communi queant: Metalla & Mineralia, obſtante eorum duritie, limam vt plurimum experiri neceſſe eſt, quo in pollinem deduci valeant.

At vero Chymia referandi modos in vſum ducit multo aptiores, atque in partes dividendi;proculdubio multo tenuiores & ſubtiliores,comparatione inſtituta cum illis quę Pharmacię Galenicę familiares ſunt;Radices arborum ad lignorum naturam multum accedunt, atque iiſdem propemodum mediis indigent quo in pulverem abeant.

Partes Plantarum ſiccę, quas Herbas vocant, cujuſmodi ſunt radices,caules,folia,flores,fructus ſicci,baccę,ſemina,adnata,excreſcentię,imo eę quas arbores emitunt, ac cortices, pleraque in grandi mortario conteri queunt,nulla alia prævia diſpoſitione quam vt prius leviter incidantur aut frangantur :Idem obſervari poteſt erga partes tenuiores Animalium quæ exſiccationem paſſę ſunt,cujuſmodi ſunt caro;ſanguis, imo oſſa teneriora juniorum animalium & grandiorum nonnulla, nominatim Cor Cervi & Bovis.

Opus nonnunquam tamen eſt vt confugiamus ad quaſdam additiones, ſubjecti ratione, & quibuſdam in caſibus, nam,exempli gratia, ſi ſolitarię triturandę veniant radices Ariſtolochię, Gentianę aut ſimiles,ſubſtantiam tenaciorem nactę, etſi vltimam exſiccationem adeptę videantur, proculdubio futurum vt tum piſtillo, tum mortarij fundo adhæreant, niſi adiiciantur aliquot amygdala, vel ſemina quędam frigida mundata, vel alia quępiam materia oleaginea, quę idoneas illas reddat ſubeundę partium diviſioni, in mortarium conjectas, abſque quo ſubſidio vix optatum finem conſequuturus es; Eboris raſura & cornu Cervini mixtim cum Saccharo cautio triturari poſſunt, ſolo & impermixto: Camphora ſolitaria triturationem non admittit, optime vero ſi guttę aliquot ſpiritus vini inter triturandum fuerint affuſę;vel quodpiam e ſeminibus frigidis mundatis, vel guttula vna aut altera cujuſpiam olei: Conducunt necnon eadem ſemina frigida dividendis partibus ſubſtantiarum tenacium, ac nominatim partium ſiccarum, nequaquam adipoſarum Animalium; Iuvant quoque Pulveriſatione, Ambrę gryſeę,bituminis cujuſvis generis, ac cunctorum ſuccorum reſinoſorum exſiccatorum;ejuſmodi ſunt Scammonium, Benzoinum, Balſamus albus exſiccatus & ſimilia.

Si prius incaluerit mortarium æneum, ejuſque piſtillum; multo felicius ſuccedet tritura & pulveriſatio Gummarum Tragahanti & Arabici,ſicut & Talci Veneti, quod iterum commodius trituram ſubiturum eſt, ſi prius ad exiguum temporis ſpatium igni ardenti expoſitum fuerit.

Plurima mineralia,ac multę Animalium partes, in pulverem ſubtilem tranſire nequeunt, niſi prius vſtionem, aut calcinationem, experta fuerint: Gemmę, Lapides, Boli, Terrę, Succinum, Magnes, ac nonnullę Animalium partes, in pulverem impalpabilem, quem vocant Alkohol, abeunt, ſi porphyriti lapidi impoſita fuerint, vel ſquamę marinę, addita quapiam aqua cardiaca, tum vt cohęreant materiæ, tum ad pręcavendam quæ inter triturandum accidere poſſet exhalationem: Poſtquam ad ſummam tenuitatem deducta ſunt, papyro mundæ trochiſcorum forma committuntur, in vmbra exſiccandorum atque hic proceſſus apud Pharmacopoeos Galenicos ſpeciatim Præparatio vocatur.

Medicamenta ſolidam ſubſtantiam nacta, qualia ſunt Ligna, plurimæque Plantarum aut Animalium partes compactæ, aut fibris donatæ, piſtilli validam vim in mortario ferreo aut æneo ſubire debent: Illa autem medicamenta quorum partes rariores ſunt & fibrarum expertes, leviſſima trituratione diſſolvuntur & in pulverem citiſſime ſecedunt: Ejuſmodi ſunt Aloë, Agaricum, Myrrha, Amylum, Maſtiche, Crocus, Scammonium aliáque id genus.

Interim ſi plurima medicamina congeſta, compoſitioni alicui deſtinata, conterere opus ſit, proprię cujuſque ſubſtantię ratio habenda eſt, quo ſeorſim terantur quę ſeparatã triturationem requirunt,aut quæ commodiorem;Simul autem mortario cõmittantur quæ vna comminui poſſunt: Tunc triturationis initium ducendum eſt ab iis quę ſubſtantię ſunt compactioris & durioris, ſervato deinceps ordine juxta duritiei gradum: Id quod ſpeciatim oſtenſurus ſum vbi ſermo mihi futurus eſt de Pręparationibus ſingularibus Pulverum quos compoſitiones admiſſuræ ſunt.

Altera Triturationis ſpecies, Humidis ſolum materiebus dicata, plerumque in mortario marmoreo aut porphyritico perficitur; vel alio lapide ſolidiſſimo, ope piſtilli lignei, vitrei, aut eburnei; etiamſi ad nonnullos vſus commodius ſit ęneum aut ferreum mortarium.

Ejuſmodi Trituræ ſpecies nonnunquam vſurpatur ad materias quaſdam ſiccas & triturationi non obſiſtentes; præcipuus vero illius vſus eſt medicamentorum cauſa, imo alimentorum viſcidorum, humidorum aut vnctuoſorum: Ejuſmodi ſunt radices, herbæ & fructus recentiores, baccæ aquoſę, ſemina, & fructus vnctuoſi; imo partes cunctę animalium molles: Ex quibus omnibus conficiuntur modo Conſervę, modo Cataplaſmata, Pulpę, Vnguenta Pomacea: Alias conteruntur ante Infuſionem, decoctionem aut diſtillationem, ad extractionem ſuccorum, expreſſionem Oleorum, ad Emulſiones eliciendas, conficiendas Paſtas ore adſumendas & exterius admovendas;parandas Tabellas,Eclegmata, aliaſve remediorum formulas.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Cribratione.

CRibratio eſt ſeparatio partium tenuiſſimarum medicamentorum, tam ſiccorum quam humidorum vel oleagineorum, a craſſioribus & terreſtrioribus, Inſtituitur facta tranſmiſſione per idonea inſtrumenta, quæ vocant Cribra aut Incernicula, ex duobus circulis ligneis ſibi invicem commiſſis & conjunctis conſtructa, in quorum medio affigitur & obtenditur tela ſericea vel ſetacea, ſi Incerniculum ſit pollinarium (*Tamis*) vel charta Pergamena foraminibus ad æqualem diſtantiam inflictis pervia, ſi Cribrum.

Cribra ex crinibus facta ſimplicia, qualia modo deſcripſi, non modo vtilia ſunt traiiciendis pulveribus craſſioribus, ſed etiam pulpis medicamentorum humidorum, viſcidorum & oleagineorum tranſmittendis, poſtquam iterum atque iterum contuſę fuerint: Cribra ejuſmodi vſum pręſtant ſecernendę Cerue, affricando hanc telę obtenſę, quę ſetacea eſſe debet, pulverem trajectum excipiendo charta cribro ſubjecta: Cribra vſui ſolummodo ſunt materiis ſiccis craſſioribus ſecernendis.

Vſurpantur etiamnum Incernicula, (*Tamis*) quę Cooperta vocant, tam tranſmittendorum gratia Pulverum Aromaticorum, cephalicorum aut cordialium, quam Digeſtivorum, Laxativorum & aliorum pretioſorum, aut eorum ſaltem qui tenuitatem expoſcunt & ſubtilitatem: Ejuſmodi Incernicula, Cooperta dicta, ex tribus partibus conſtant, ab invicem ſeparabilibus, ſe mutuo excipientibus; quarum vnaquęque iterum componitur ex duobus circulis ligneis commiſſis invicem, pyxidis in modum, ſicuti dictum de Incerniculis ſetaceis: Pars media ab Incerniculis vulgaribus non diſcrepat, cui adnexa eſt tela, per cujus foramina tranſmittendi ſunt Pulveres; Pars hęc a ſubjecta inferiori excipitur, deſtinata colligendo pulveri trajecto, qui decidens a membrana ſubjecta cohibetur, fundi vicem pręſtante eidem parti inferiori: Pars illa media cooperitur quoque a ſuperiori parte, quę hanc complectitur, cui quoque membrana obtenta, in eum vſum ne pulveres cribrandi in auras abeant inter cribrandum: Tres hę partes ſimul committendę dum tranſmittuntur Pulveres, ſed vbi libet ab invicem diſiungere eas facile eſt, ſive volueris imponere materias traiiciendas, ſive pulveres tranſmiſſos eximere.

CAPUT

CAPVT XVIII.

De Infuſione.

INfuſio ſub ſe complectitur ſat inſignem numerum Præparationum Galenicarum & Chimicarum; quarum inferius explicatio tradenda eſt: Infuſionis nomen generice ſumptum Præparationis genus eſt, per quam Medicamenta integra, eorumve partes, inciſæ aut contuſæ, immerguntur & infrunduntur liquori cuipiam convenienti: Nonnunquam igne opus eſt ad eam perficiendam, nonnunquam abſque igne perficitur, pro tenuitate aut ſoliditate ſubſtantiarum infundendarum: Id quod etiamnum normæ vicem obtinet ad diuturnitatem, aut brevitatem temporis ad Infuſionem perficiendam requiſiti.

Medicamentorum diverſitas, ac varij Medicorum ſcopi, artificem jubent hos vel illos liquores Infuſionis gratia vſurpare, cujuſmodi ſunt Aqua communis, pluvia, & nivea, marina, mineralis, Ros, Vinum, Omphacium, Hydromel, Muſtum, Acetum, Cereviſia, Lac, Serum lactis, Varij Plantarum Succi, Oleum, Iuſculum carnium, Aquæ ſtillatitiæ, Spiritus vini &c.

Infuſio vt plurimum inſtituitur vt tranſeat & transfundatur vis vnius aut plurium medicamentorum in liquorem cui committuntur: fit & nonnunquam emendationis cauſa improbæ medicamenti qualitatis, vel augendarum virium gratia: necnon ad conjunctionem in vno eodémque liquore virium diverſarum plurium medicamentorum ſimul infuſorum, ſcopi cujuſdam ſingularis cauſa: Fit & nonnunquam ſeparationis ergò peculiaris virtutis medicamenti cujuſpiam a cæteris quæ illi inſunt: ſicuti exempli gratia, cum extemporanea infuſione Rhei facultas purgans, aut Myrobalanorum ſecernitur, vt adſtrictoriam vim majorem nanciſcantur.

Infuſio foliorum ſennæ in aqua fontana inſtituta, in exemplum venire poteſt Infuſionis ſimplicis, quæ & cum, & abſque igne perfici poteſt, ad demonſtrationem transfuſionis virtutis illius catharticæ in aquam factæ: Infuſio radicis Eſulæ in aceto, obtundendæ gratia facultatis purgatoriæ, ad exemplum correctionis; Infuſio Rhabarbari aut Sennæ in ſucco roſarum pallidarum, vt veniat in exemplum augmenti virium: Infuſio plurium medicamentorum, viribus diſcrepantium, quæ ſolet inſtitui ad confectionem Hamech, exemplum præbet virium collectionis in liquore: Quorum omnium non exiguus numerus exemplorum occurret in hujus Pharmacopœæ ſerie.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Humectatione & Immerſione.

HVmectatio nonnunquam antecedit Infuſionem, at vero in alios vſus ſæpenumero accerſitur; Humectatur medicamentum vt molleſcat ſi ſiccius fuerit, ſicuti cum humectatur Spica Celtica; Aut humiditas illi conciliatur reponendo in loco humili vel ſubterraneo, quo facilius mundati poſſit; Aut cum humectantur Caſſia & Tamarindi, ad pulpæ illorum eductionem: Humectantur quoque nonnulla medicamenta ſicciora, ne dum contunduntur exhalent, ſicuti Agaricus, Santala, Colocynthis &c. imo ad colorem conciliandum, ſicuti eadem Santala: Alia humectantur dum ſuper marmore lævigantur, præcavendæ gratia diſſipationis ſubtiliorum partium, ſicuti Corallia, Margaritæ & Gemmæ; Quædam medicamenta humectantur vt retundatur illorum acrimonia aut acerbitas, veluti cum humectatur Colocynthis guttis aliquot olei amygdalini dulcis: Alia irrigantur juvandæ ergo penetrationis virium, vti cum irrorantur Rhabarbarum aut Senna guttis aliquot ſucci limonum, aut quando medicamenta ſtomachica, cardiaca, aut cephalica aliquot guttis olei garyophillorum, cinnamomi, lavendulæ ſtillatiorum aut ſimilium: Alia quædam humore imbuuntur vt requiſitam aliquam qualitatem induant, ſicuti cum medicamentum humectatur aquis quibuſdam diſtillatis, aut decocto aliquo idoneo, aut cum hujus excipit vaporem. Irroratio, Aſperſio & Imbibitio ab Humectatione quam minimum diſcrepant.

Immerſio, vel Maceratio, ſubſequitur Humectationem, eáque aut Levis eſt, modo ad ablationem ſuperfluitatis cujuſpiam medicamenti, ſicuti cum immerguntur amygdalæ dulces in aquam ferventem vt corticem exuant, alias pro virium parte retundenda, ſicuti cum leviſſime immergitur Rhabarbarum in quempiam liquorem ad virtutis purgatorię imminutionem; Aut diuturnior eſt Immerſio, & iteratis vicibus facta, demendi cauſa medicamento viroſi aut ingrati ſaporis, ſicuti cum nuces juglandes virides aquæ immittuntur, imo pluries & repetitis vicibus, per plures dies, fugandi ergo amaroris; aut cum diutius immacerantur Olivę in muria, vel quopiam lixivio eundem in finem; Aut cum Calx viva aquę infunditur ad parandam Aquam calcis, exuendo ipſo momento calcem ſuo Sale ac præcipua facultate; Aut vbi macerantur cortices Citriorum, variique alij fructus in muria, quo firmitudinem adquirant, diaphani fiant & ad condituram idonei.

CAPUT XX.

De Nutritione.

NVtritio perfici ſolet liquorum interventu; Nonnihil etiam accedit ad Humectationem; hoc nomen gerit eo quod medicamento molem addat, alimenti quandam ſpeciem illi adferendo; Duobus fit modis, vel miſcendo ſimul, & diverſa medicamenta in vnicum cogendo, ſicuti cum paulatim, iteratíſque vicibus ſimul commiſcentur oleum, acetum & lithargyrum, & diutius vna in mortario ſubiguntur, vt inde exſurgat Nutritum;aut idem purificetur cum Sale Saturni,oleo & aceto; Vel Tinctura Saturni cum aceto extracta,oleo cōmixta,vt ex his componatur Linimentum Saturni; Vel ſucco addendo aquam, aut decoctum aliquod cuipiam medicamento,quo exinde augeatur & nutriatur; ſicuti cum additur ſuccus roſarum, aut cichorij, vel decoctum aliquod hepaticum aut catharticum, Aloë,ad ipſius nutritionem; curando deinceps vt lento igne fiat evaporatio humidi ſuperflui eorundem ſuccorum aut decocti, donec omnia abeant in Extracti conſiſtentiam, eandem affuſionem ſuccorum aut decoctorum reiterando, eandémque humiditatis in vapores ſolutionem,quovſque ſufficiens alimentum & augmentum ſuſceperit: Sicuti itidem quando nutritur Sarcocolla lacte muliebri, aut cum ad præparationem Sperniolæ, a Crollio tantopere decantatæ, nutriuntur myrrha, olibanum, crocus & camphora, in pulverem redacta, aqua diſtillationis ſpermatis ranarum infuſa, in paſtæ ſpeciem reducendo,quæ ſponte exſiccari permittitur; eandem nutritionem, eandémque exſiccationem vicies imo tricies repetendo.

CAPUT XXI.

De Diſſolutione, vbi obiter de Solutione Chymica.

DIſſolutio apud Pharmacopœos Galenicos humectationis pediſſequa eſt: In vſum venit liquidis reddendis, aut fluidis, ſubſtantiis compactioribus aut craſſis, additione facta cujuſpiam liquoris: Neceſſitate vrgente diſſolvuntur Electuaria, Opiatæ, Confectiones, Pulveres, Extracta, Salia, Sirupi, ac plurimæ aliæ præparationes,vt potionis forma adſumi queant: Diſſolvuntur necnon Manna, Saccharum, Mel, Gummata nonnulla, Lacrymæ & Reſinę in liquoribus idoneis: Diſſolvitur Cera, variáque Emplaſtra, in oleis quo moleſcant: Aurum in aqua Regia diſſolvitur, vel ſpiritu ſalis: Aurum, Cuprum, Mercurius, &c.

Aqua forti: Marguaritæ, Corallia, oculi Cancrorum, ac plurima alia ejus generis in aceto ſtillatitio, ſpiritu nitri, vel quopiam ſucco acido: Mars in aqua diſſolvitur interventu Tartari; in aquis fortibus ac ſpiritibus corroſivis: Scammonij pars reſinoſa, Ialapæ, Turbith, Agarici &c. Ambra griſea, Succinum, gummi Lacca in Spiritu vini diſolvuntur: gummi Sandaracha in vero oleo ſpicæ ſtillatitio ſolvitur; Plurima denique alia medicamenta poſſunt diſſolvi in liquoribus quando ſimilitudo intercedit cum illorum ſubſtantia.

Solutio in Pharmacopoea Chymica, diviſio eſt & reſolutio ſubſtantiarum omnium quæ mixtum aliquod componunt: Fundamentum hæc eſt totius Chymiæ, & principium ſexcentarum egregiarum operationum illi arti familiarium.

Ad Diſſolutionem poſſent referri plurimæ aliæ Præparationes, rectius ſub Coctione collocandæ, de qua acturus ſum deſcriptione tradita illarum quæ præcedaneæ eſſe debent.

CAPUT XXII.

De Calefactione.

Calefactio principium eſt omnium operationum quæ caloris ope perficiuntur: A Coctione differt, eo quod quicquid coctum eſt calefactionem paſſum eſt, at vice verſa quicquid calefactum fuit ad coctionem perductum non fuit: Calefactioni tamen iterum ſubiiciuntur materiæ quæ coctionem ſunt expertæ: Calefiunt infuſiones, tincturæ & decoctiones ſi refrixerint, quo facilius tranſcolari queant: Calefiunt Balnea & Semicupia, ſi in vſum veniant: Calefiunt & Olea, Vnguenta, Fomentationes, Epithemata, Cataplaſmata, Emplaſtra, antequam admoveantur; Vt incaleſcant curamus; Nux moſchata pulveriſata, ſemina lini, aniſi, aliàque multa ſimilia ſi ex illis eliciendum ſit oleum, Aqua ad teporem deducitur ſi provocandus vomitus; Calefiunt mortaria ferrea & ænea ſicut & illorum piſtilla, modo vt colliqueſcant nonnulla gummata, ſicuti Tacamahaca, Maſtiche, Ammoniacum; Galbanum aliàque ejuſmodi; modo vt alia commodius terantur, ſicuti Tragacantha & Arabicum; modo vt pulveriſari queant mineralia, ſicuti Talcum; Vel ad diſſipationem humiditatis ſuperfluæ alicujus medicamenti, & vt idoneum triturationi evadat, ſicuti Crocus, Tabacum &c. Vel ad abſumendam humiditatem aliquam extraneam in medicamentis compoſitis, ac priorem conſiſtentiam & ſiccitatem reſtituendam, ſicuti in Extractis & Salibus ac quamplurimis alijs præparationibus; Cale fiunt Dactyli infuſi, Caſſia, Tamarindi, quo facilius ex illis edu-

catur pulpa ; Calefit Iuſculum ad Mannæ in eo diſſolutionem ; etſi diſſolvi etiam queat in liquoribus frigidis ; Igni traditur tubulus ferreus, aut ex alio metallo conflatus, quando Antimonium fuſum in illum infundendum eſt ad Reguli ſeparationem ; Calefiunt vaſa terrea aut vitrea, ſi liquor calidus quiſpiam infundendus ne diſſilian ; Calefit, præſertim hyeme, Retorta, excipiens Antimonium & Sublimatum in diſtillatione olei Antimonij, quo colliqueſcat ſi inibi concreverit, & vt in Recipiens extillare poſſit ; Calefiunt Cera, Reſina, Sebum, Axungię, quo molleſcant ; Calefiunt etiamnum Scylla, Portulaca, Borrago, Bugloſſum, plurimęque alię plantę ad prolectandum illarum ſuccum.

CAPUT XXIII.

De Inſolatione, & Calore Fimi.

INſolatio eſt excalefactio materierum calori radiorum ſolarium expoſitarum : Vſitatum eſt hoc excalefactionis genus ad macerationem Conſervarum liquidarum, florum, aut herbarum in oleo commiſſarum, vel Axungijs, pro tincturis conficiendis, balſamis ; Ad exſiccationem partium plantarum aut animalium, quæ aſſervari debent, aut in vſum protinus venire : Ad deſiccanda Salia, vt evaporent Extracta, ſucci & liquores, vel ad horum puritatem comparandam, Ad Vini in acetum converſionem, Hydromelitis fermentationem promovendam, nigrum Piperis corticem detrahendum, ſicuti apud Indos in more eſt, poſtquam prius aqua marina irroratum fuit, vt exinde paretur Piper album ; ad exſiccationem ficuum, vvarum, malorum Perſicorum, prunorum, pluriúmque aliorum Fructuum, in regionibus calidioribus, alióſque in vſus.

Fimus Equinus, ſemiputrefactus, bene conculcatus, majorem aut minorem profert calorem pro quantitatis proportione, ac prout materiæ plus aut minus profunde immittuntur : Calor enim adeo inſigne incrementum concipere poteſt, vt manus ferendo par eſſe nequeat.

Nullus calor melius regi, aut æqualior reddi poteſt quam Fimi, neque vllus ad calorem naturalem proximius accedit : Admodum idoneus eſt digeſtioni materierum liquidarum perficiendæ, ac illarum fermentationi, ſi modo idoneæ ſunt, promovendæ : Variæ materiæ beneficio eius ope circulari queunt, tincturæ educi, ova eius beneficio excludi, imo diſtillationes perfici.

CAPVT

CAPUT XXIV.

De Coctione & Maturatione.

PRiſci,imo & Neoterici,hanc Coctionis tradidere definitionem,vt ſit Alteratio rei coquendæ: Meo tamen judicio definitio hæc, non Satis accurata ἀκριβείαν niſi ſêſu admodũ generico ſumpta fuerit,vt omnibus ſine diſcrimine alterationibus competat, quandoquidem Alteratio accidit in omnibus præparationibus quæ cum vel abſque Coctione contingunt; præterea varietas earum quæ accedente coctione fiunt adeo eſt inſignis, vt difficile ſit aſſignare definitionem ſatis accuratam quæ ad omnes ſigillatim quadráre queat: adeo vt dimiſſa diſquiſitione accuratioris, ſatis eſſe exiſtimem ſi dixero,ejus diviſione facta, varias eſſe Coctionis differentias & ſpecies; Varios iterum cujuſque ſpeciei gradus pro diverſitate medicamentorum ſubſtantiæ, ac varietate ſcoporum illius qui Coctioni promovendæ intendit.

Antiqui nonnullas Coctionis ſpecies deſcripſere, ac inter cæteras Maturationem, Elixationem, Frixionem, Aſſationem, Torrefactionem, & Vſtionem: Sed cum præter has ſint & aliæ plurimæ quæ notitiam effugere non debent, & in vſum revocandę ſunt, præſertim in Pharmacia Chymica, e re futurum eſſe credidi ſingulatim de iis agere, ſicuti in ſerie apparebit.

Maturatio Coctionis ſpecies eſt, modo ſicca, modo humida; Coctio poteſt fieri vel juxta ignem, vel cineribus calidis imponendo Fructus immaturos, vt quomodocumque eorum maturatio promoveatur, eſuique apti fiant: poſſunt & in furno coqui, aut in aqua calente elixari, in muſto,ſucco quopiam, alióve liquore: Nonnulli etiam fructus nondum maturitatem adepti mora hanc conſequuntur, id quod in meſpilis obſervare eſt, quæ medio molleſcunt ſtramine.

CAPUT XXV.

De Fermentatione.

FErmentatio inter Coctionis ſpecies habenda, cum in ea contingat quædam ebullitio, excitata a confuſa miſtione duarum ſubſtantiarum ſpecie contrariarum quoad actionem; Chymici vocant *Acidum* & *Alkali*: Operatio hæc modo naturalis eſt, modo artificialis, contingens in ſubſtantiis liquidis, aut ſaltem humidis, accedente calore quopiam

externo, ſive is fuerit naturalis, excitatus in materiis ob pugnam ſubſtantiarum quæ fermentationi ſubjiciuntur, in quibus manifeſtum eſt quoddam acidum, quod, etſi in ſui primordiis exiguum ſit, ſat roboris tamen adquirit ad commovendas & concutiendas partes ſingulas totius materiæ volatiles, vt ſe iis conjungat, eaſque diſponat ad extricationem partium terreſtrium & craſſiorum a quibus obvolutæ erant, atque excuſſionem earundem partis, ſpumæ forma abeuntis, mediantibus ebullitionibus; altera parte ad imum præcipitationis quadam ſpecie deturbanda; ſi ſcilicet materiæ ſint liquidæ: Idem Acidum præterea ſatis validum eſt vt ad ſtatum conſervationis illas producere valeat ad aliquod temporis ſpatium; expulſis partibus illis terreſtrioribus, imo etiam vt adipiſcantur puritatem majorem, accedente diſtillatione quę ſegregat & in ſublime evehit partem ſpirituoſam ſupra phlegma grave & inutile; à quo etiam irretiebantur, ac tandem vltimum puritatis gradum mediantibus iteratis rectificationibus conſequantur.

Vix ſubjectum quodpiam occurrit in quo hæc operatio manifeſtius adpareat quam in Vvarum ſucco, qui proculdubio vt in conſiderationem veniat dignus eſt, ob varias immutationes in illo contingentes diverſarum fermentationum beneficio: Experientia apertum facit, fieri nequaquam poſſe vt partes impuræ & volatiles ab illo ſecedant niſi præeſſa Fermentatione; Id quod in Defruto obſervare licet, variis in locis hujus Regni parari ſolito, imo & in exteris; Si enim accipiatur Vvarum ſuccus recens expreſſus, atque is in aheno ebulliat ad partis vſque tertiæ conſumptionem, quæ meta eſt vſitata, exſurgit tantum phlegma inſipidum & inutile: Etiamſi autem per ebullitiones ſecedant terreſtres quædam portiones, partim in ſpumam abeuntes, partim in materiam terreſtrem lateribus adhærentem, & fundo cacabi fæcum ſpecie, ſubtiles nihilominus & volatiles partes ſali fixo & tartareo ejuſdem ſucci complexæ adhuc hærent, ac ſuperſtite phlegmate, neque ſeparationi idoneæ fiunt aliter quã mediante Fermentatione, quæ ſponte tamen ſuccedit, nullo concurrente prȩterea calore externo, coniiciendo eundem ſuccum, ex parte puritatem adeptum, in dolium conveniens, ſicuti de more eſt ratione vini recens defœcati; ibidem ſpatio ſex heddomadarum, aut toto bimeſtri detinendo, per quod temporis ſpatium Acidum, in propria prȩdicti ſucci ſubſtantia deliteſcens, iuvantibus aëris partibus nitroſis, inſenſibiliter ab illo attractis, attenuat & ſejungit Defruti partes craſſiores a purioribus, priores, mediante ebullitione quam excitat, expellens partim in ſpumam, per dolij foramen ſuperius, partim ad latera & fundum ejuſdem dolij, ac poſtremis ſe adjungit, vi omnino inſita, reſiduum nihilominus phlegma exinde ſecernere non valens,

valens ac difficulter admodum ſecedit.

Cum Defrutum ea ratione fermentationem expertum eſt, & rite defœcatũ, ſi in vas diſtillatorium conjectum fuerit, illico ſpiritum ſuum priorem effundit, imo majori copia quam quæ a vino vulgari expectari poſſet, eadem quantitate, in quo reperire dabitur tertiá illa parem phlegmatis quod abſumptum fuit in Defruti præparatione: Si vero vlterius in diſtillatione perrexeris, poſt ſpiritus aſcenſum, phlegma in defruto reſiduum eodem modo ſurſum aſcenſurum eſt quo ex vino ordinario in hujus diſtillatione evehi ſolet.

Vinum hoc ordinarium multo facilioris eſt præparationis quam Defrutum, neque enim illi opus eſt igne vel calore externo, ſed inſito ſolum, eo ſcilicet qui deliteſcens excitatur à partibus ex quibus compoſitum eſt, per quos in illo exoritur fermentatio quæ plerumque initium ducens in Cupa continente vvarum ſuccum retrimentis commixtum, in qua ad aliquot dies moram trahere poteſt, complementum in dolijs accipiens, etſi magma, vel retrimenta addita non fuerint: Atque hæc obſervantur in præparatione vinorum alborum, aut eorum quæ ruboris ſunt dilutiſſimi (*Vins pailleti.*).

Super his quid ſentirem efferre volui, Exiſtimo enim Vinum, cum conſtet ex ſubſtantia, vna quidem Sulphurea, altera Acida Tartarea, quibus permixtum eſt multum phlegma, tantillum ſalis fixi cum terreſtribus quibuſdam portionibus, plurimis obnoxium eſſe immutationibus, ortis ex ſubſtantiarum illius ab invicem diſiunctione, vel a prædominio cujuſdam illarum partium: quamobrem poſt crebriores imbres, vindemias præcedentes aut ſubſequentes, Vinum phlegmate plus nimis abundat, adeo vt in corruptionem admodum pronum ſit: Eandem & facile ſubit, evaditque quaſi oleoſum & vnctuoſum, ſi pars ſulphurea volatilis præ acido tartareo redundarit, id quod evidenter apparet, ſi pintas aliquot optimi omphacij in dolium vinum continens, ad oleoſitatem vergens, imo jam pinguefactum conjeceris & commiſcueris, priſtino enim ſtatui Vinum reſtituitur. Id quoque obſervabile eſt, Vinum maturitaté nondum adeptum, hoc eſt in quo Acidum dominium obtinet, in corruptioné non æque cito abire ac id quod eo non ſufficiéter pollet, cum ſucceſſu temporis acidum id in vigorem tranſire provecto anno animadvertere liceat inferre decet corruptionem in Vino obortam ex Acidi defectu, partem ſulphuream Volatilem non attigiſſe, quandoquidem id vini genus tantundem fere ſpiritus inflammabilis ac id quod corruptionem non ſubiit effundit.

Me quoque judice, veriſſima & nativa vini in Acetum tranſmutatio tunc tantum accidit ſi acidum incrementum ſuſceperit, ac volatili

parti ſupereminet; Vel ſi ſpiritus volatiles ex parte diſſipati ſint, Acidum manifeſtius ſe exhibeat, atque ſolum in palato & lingua ſui ſenſum imprimat: Id quod facillime contingit in vinis quæ propria natura Tartaro multo redundant, cujuſmodi ſunt Galliæ Narbonenſis, ſi præſertim dolij foramem ſuperius hiet, ac vinum aëris partes nitroſas in ſe allicere queat, ad multiplicationem Acidorum, quæ partem compoſiti conſtituunt.

Eſt & aliud Fermentationis naturalis genus, quod familiare eſt ſubſtantiis, aut materiis, ex Acido & Volatili conſtantibus, conſiſtentiæ mollioris, non tamen liquidæ, quæ contingit ex concurſu vel conjunctione Acidorum cum Alkalibus, Ejuſmodi eſt quę adparet in Theriaca, diversíſque compoſitionibus, circa quam immorari nolo nę caput hoc in immenſum excreſcat.

Fermentatio artificialis perficitur addendo Acida materiis quas fermentationem ſubire volumus, ſicuti cum Fermentum vulgare, cujus vſus eſt ad panificium, aut flos cereviſiæ, quibuſdam plantis adjiciuntur, aut baccis contritis,ac in aquâ tepidam immiſſis,ad earum promovēdam fermentationem, ac demum ex iiſdem eliciendos Spiritus & Olea volatilia: Id quod in more eſt ad fermentationem Naſturtij, Cochleariæ Centaurij minoris,ac plurimarum aliarum plantarum partium: Id quod & vſu venit in Paſta, vel farinæ maſſa, vt fermenteſcat ad panis confectionem.

At vero poſtrema hæc Fermentatio actu non valet partes terreſtres ſpumæ forma abiicere, aut ad fundum præcipites dare, ſicuti id contingit in ſubſtantiis liquidis; nihil enim aliud præſtat quam vt referet & dilatet materias, ac ſtrictius compingat & conjungat ſubſtantias acidas cum volatilibus, adeo vt ideo attenuentur, eámque ſubtilitatem adquirant, vt ad ſingulas corporis partes pro harum alimento deferri queant, prætermiſſis craſſioribus & terreſtribus, vt pote excrementiis & procul ablegandis.

CAPUT XXVI.

De Digeſtione & Maceratione.

DIgeſtio & Maceratio vix diſcrepant, Temporis ſpatio illis opus eſt, & calore rite temperato vt perficiantur: Digeruntur, Macerantur Scorpiones integri in oleo amygdalarum amararum, vt ſenſim illorum virtus in hoc transfundatur: Roſæ recentes, ſale addito,contuſæ, vaſi immittuntur exacte obturando: In cella vinaria reconduntur per

plures

plures menſes macerandæ, vt demum ex iis Aqua, Spiritus & Oleum odorata eliciantur: Eædem Roſæ diutinæ macerationi committuntur, modo in oleo, modo in axungia porci, ad confectionem Olei & Vnguenti Roſacei.

Digeſtionem ſubeunt Dactyli inciſi in Hydromelite, vt exinde extrahatur pulpa ad confectionem Electuarij Diaphœnici: Digeruntur & Capita papaverina in aqua,quo ſenſim molleſcant, antequam decoquantur pro conficiendo Syrupo;Plūbum leviter calcinatum digeſtionem experitur, Minium, Ceruſſa & Lithargyrum in aceto ſtillatitio vt paulatim in eo diſſolvantur; aſſervata illorum diſſolutione, aut ad confectionem Magiſterij, vel id quod improprie vocant Sal Saturni.

Exponuntur & digeſtioni Margaritæ & Corallia in eodem aceto diſtillato, in ſpiritu nitri, vel ſpiritibus quibuſdam acidis, quo in ijs diſſolvantur,pro conficiendis vel ſyrupis vel magiſteriis,necnon quandoque Salibus,ſed admodum inepte id nomen gerentibus,quandoquidē reapſe aliud non ſunt ,quam Sal aceti diſtillati.

Digeſtioni committitur Chalybis limatura in ſpiritu vitrioli ad parandum Vitriolum Martis :Spiritus vini & vitrioli ſimul commiſcentur æquali pondere inſartagine ferrea, vna concreſcant, ac in ſubſtantiam candicantem abeant,quam vocant Sal Martis.

Digeſtionem ſubit radix Gialapa, vt & Scammonium, Agaricus &c. in ſpiritu vini,ad diſſolutionem partis illorum reſinoſæ;ac ſecretionem a terreſtri.

Opium & in digeſtionem venit, primo in aqua, vt diſſolvatur pars illius aquea, ac demum in ſpiritu vini, ad dilutionem reſinoſæ quæ in aqua illam ſubire nequit: Eadem ratione in variis liquoribus plurimæ aliæ ſubſtantiæ digeruntur,quarum enumeratio Lectori tædio foret.

CAPUT XXVI.

De Tinctura & Circulatione.

Tinctura vt plurimum in ſui ſubſidium advocat Digeſtionem; Eodem propemodum ſcopo quo Infuſio inſtituitur, præſertim ad tranſmittendum in aliquem liquorem facultatem, aut præcipuam ſubſtantiam cujuſpiam medicamenti: Tincturæ nomine deſignatur, quia liquor colorem inducere ſolet rei ſibi commiſſæ in hac operatione: Pars purior & reſinoſa Benzoini in ſpiritu vini diſſolvitur, colorémque illi conciliat purpurei æmulum; Colocynthis a ſeminibus liberata, inciſa & in ſpiritu vini digeſta, flaventem Tincturam prodit, a Martino Rulan-

do *Spiritus Vitæ aurei* nomine inſignatam : Aloë, Myrrha & Crocus trita, & in ſpiritu vini digeſta, Tincturam ſuppeditant fuſcorubeam ad Elixirij Proprietatis Paracelſi præparationem : Roſa, Violæ, Rhabarbarum, Senna, Caſſia, plurimáque alia medicamenta, Tincturam quoque ſuam liquoribus aqueis impertiuntur, quam non parum juvat additio alicujus ſpiritus aut ſucci acidi, vel cujuſpiam ſalis fixi, tum ad exaltandum Tincturæ colorem, tum vt melius vi materierum illarum ſinu conceptarum imbuatur.

Circulatio, vti nec Tinctura, Digeſtionis beneficio poteſt carere, In vſum venit ad liquores ſubſtantia medicamentorum imprægnatos, aut ad eos qui medicamenti ſubſtantiam ſinu ſuo continent : Perficitur immittendo liquores in vas circulatorium, continuum, nec ex pluribus partibus conſtructum, ſuperna parte obturatum ; Vel ex duabus partibus conſtans, hoc eſt compoſitum ex duobus vaſis ſimul conjunctis & luto obductis, invicem commiſſis, quorum inferior liquorem excipiat.

Circulatio peragitur igne lampadis, aut Balneo cinerum vel arenæ modice calente. Vel in fimo, aut ad Solem : Vt plurimum requirit calorem plurium dierum, imo nonnunquã ad hebdomadas plures vel menſes integros protractum;

Circulationis beneficio materiæ ſubtiliſſima pars evehitur in ſummam vaſis partem, ideoque cum careat exitu ad inferiora recidit, iterum materiæ conjungenda in vaſis fundo contentæ, e quo ſurſum irrepſerat; eáque ratione ob alternos aſcenſus & deſcenſus per vices reperitas in illo vaſe, Circulationis quandam ſpeciem exhibet, cujus & nomen gerit : accedentibúſque variis penetrationibus, ſubactionibúſque partium ſpirituoſarum cum craſſioribus, priores ſubtilitatem majorem adquirunt, ideóque aptiores evadunt actioni exſerendæ ſi a poſterioribus liberatæ fuerint.

Operatio hæc maxime in vſu eſt apud Pharmacopœos Chymicos : Liquores omnino habiles & idoneos reddit, vt ſecerni queant partes impuræ a puris, matnrationem & perfectionem inducendo principiis activis, eáque volatiliſationi apta efficiendo, quo deinceps cum aliis ſubſtantiis depuratis, ſi opus ſit, conjungi queant.

CAPVT XXVIII.

De Cohobatione.

COhobatio eſt repetita affuſio liquoris diſtillati ſupra materiam e qua diſtillationis ope prolectus fuerat, vt iterum illi ſubiiciatur :

Sæpius

Sæpius aut rarius iteratur pro diverſitate ſubſtantiarum diſtillandarum, atque ſcopo artificis : In vſum venire ſolet ad faciliorem partium mixti ſeparationem, diſtillationi deſtinati ; cui fini non parum repetita ſpirituum eductorum affuſio confert.

Operatio hæc vices quodammodo Circulationis ſupplere poteſt, ac tandem liquorem partem mixti maxime eſſentialem continentem offerre : Idémque liquor ad extremum puritatis gradum perduci poteſt, ſi deinceps ſufficiens Rectificatio in auxilium venerit : Cohobatio vſitata præcipue eſt in diſtillatione aquarum ſpirituoſarum, Aromatum, vt & oleorum, quo & defæcatiora reddantur & majore copia prodeant.

CAPUT XXIX.

De Elixatione.

ELixatio eſt coctio medicamenti in liquore quopiam extraneo facta, qui pro varietate medicamenti varius eſſe debet, aut pro artificis ſcopo : Plus aut minus diuturna eſt, pro majori aut minori medicamentorum ſoliditate : In vſum venit vt plurimum aqua fontana aut fluviatilis ad Elixationes, ſed & nonnunquam admittuntur Aquæ Minerales, lixivioſæ, pluvia, nivalis, marina, Ros &c. Vſurpatur & Lac, Serum lactis, Hydromel, Vinum, Acetum, Cerevifia, varij plantarum Succi, Aquæ Stillatitiæ, Olea, Axungiæ, imo & Lotium quorundam animalium.

Vſitatiſſima Elixatio inſtituitur infundendæ gratia in liquorem facultatis medicamenti, ſicuti contingit in plurimis decoctionibus parari ſolitis ad Apozemata, Potiones, Clyſteres, Fotus, Balnea, necnon ad Syrupos, Electuaria, Olea, Vnguenta &c. Celebratur & tollendæ ergò cruditatis partium animalium, aut plantarum, ad illarum emollitionem, & vt non ſolum in vſum cedant res elixationem paſſæ ſed & ipſum Iuſculum, ſicuti in elixatione carnium, radicum, herbarum & radicum eſui deſtinatarum.

Peragitur etiam ad demendum alimento, aut medicamento ingratum ſaporem, aut improbam aliquam qualitatem, ſicut in caulibus floridis dictis, fungis, qui iterata elixatione indigent, rejecta priori aqua, cui adhæſit id quod viroſum in caulibus & fungis præfuit.

Ad eam quoque nonnunquam deveniendum terreſtrium partium ac maxime craſſarum medicamenti detractionis cauſa, ſicuti in Salium elixatione, ſacchari & mellis ad ſpumæ & impuriorum partium excluſionem.

Vtilis etiam eſt ad medicamentorum conſervationem, ſicuti ſyruporum, mellium, ſaparum vel Roob &c.

Elixatio operationes ſequentes aſſeclas habet.

CAPUT XXX.

De Ebullitione, Deſpumatione, Colatura & Filtratione.

PEractam Infuſionem neceſſario ſæpe ſequitur Ebullitio, ſed perpetua fere comes eſt Elixationum & multarum Clarificationum: Elixationi committuntur Decocta partium plantarum & animalium, Syrupi, Vnguenta, Electuaria, ac ſexcentæ aliæ compoſitiones, quæ illa majori vel minori indigent.

Deſpumatio peragitur in plurimis Elixationibus, præſertim carnium & aliorum alimentorum, ſaccharorum & mellium: hanc ſemper præcedit Ebullitio, cujus ope ſegregantur, & ad ſuperiora liquoris efferuntur craſſiora excrementa, terreſtria & viſcida, ſpumæ forma.

Colatura Ebullitionem & Deſpumationem ſemper inſequitur, at verò eadem aliis temporibus & occaſionibus exerceri poteſt, non ſecùs ac Filtratio: Vtriuſque vſus creberrimus eſt in vtraque Pharmacia ad ſexcentas materias liquidas, quarum fæces ſeparationi idoneæ redditæ ſunt & expulſioni, aut mediante quiete, aut digeſtione, aut circulatione, aut fermentatione, vel alia quapiam ratione: Ducitur & in vſum ad ſeparationem ſordium aliorumque extraneorum, quorum cõmiſtione liquores inquinari poſſunt: vſitata eſt necnon ſeparandi cauſa humoris qui impedimento eſt quibuſdam materiis exſiccandis: Nec prætermittitur ſecernendarum gratia partium aquearum ab oleaginoſis.

Tranſmittuntur liquores per Incernicula Setacea vel telam, vel cilinum laneum, nonnunquam per pannum extenſum & attenſum ligneo firmamento, quandoque in formam tibialis conſtructum, quod vocant, *chauſſe d'hipocras.*

Liquores diverſimode filtrantur, ad quoſdam enim vſus vſurpantur funiculi goſſipini, aut ex filo, aut panni Segmina manus longitudine, pollicis vnius vel alterius latitudine, immerſa prius aquâ communi, deinde expreſſa, poſt inclinato vaſe liquorem continente, immerſa tertia circiter illorũ parte longitudinis in liquorem filtrandum, reliquum extra vas inferne producendo, ac quod maxime liquidum eſt in liquore per filtrum tranſiens in vas priori paulo humilius effundendo; aſſervando, ſi momenti alicujus fuerit, vel abiiciendo, ſi pura puta fuerit aqua vel alius liquor nullius vtilitatis: hac enim ratione liquor paulatim ſequutus

ſequutus

ſequutus funiculi longitudinem & ductum effluit, vel ſegmentorum panni, a tergo relinquens materias a liquore liberatas, ſi is inutilis fuerit, vel etiam olea ſupernatantia ſeorſim abeunt ab humido eorum vehiculo, dummodo cautio adſit vt ex temporis intervallis liquori inclinandi & deorſum vergendi commoditas non deſit, vt decurſum filorum aut panni ſequi poſſit.

Ejuſmodi Filtrationis genus ſæpiſſime in vſum accerſitur ad ſeparationem aquarum lotioni mineralium deſtinatarum: Particulariter vſurpatur funiculus, vel ellychnium, ad ſeparationem oleorum ſtillatitiorum poſt diſtillationem, ſpiritibus vel aquis ſupernatantium.

Filtrantur quoque liquores per chartam emporeticam griſeam, linteo cuipiam mundo ſuperextenſam, impoſitam ligneo firmamento quadrato; Vel in formam cuculli convolutam, infundibulo vitreo aut ex ferro albo parato impoſitam: Quandoque etiam filtrantur quidam liquores tranſmiſſi per acervum vitri pulveriſati, in ima parte infundibuli vitrei poſiti; eóque pacto filtrantur ſpiritus Vitrioli, Salis, Nitri, Sulphuris &c. Si commixti fuerint terreſtri cuipiam materiæ, illis advenientis cum luto obducuntur vaſa, aut ab eodem nudantur: Similis Filtratio omnino e re eſt ad ejuſmodi ſpiritus corroſivos, quod citiſſime corrodant & perterebrent chartam, & quodvis panni vel lintei; genus ſi his ad tranſcolationem vti volueris.

Filtratio per chartam emporeticam, infundibulo vitreo impoſitam: admodum quoque familiaris eſt ad trajectionẽ ſubſtantiarum aquearum & earundem ab oleagineis ſeparationem, quæ cum chartam nequeant pertranſire, in filtro hærent, e quo educuntur, & ſecedunt impoſito extremo infundibulo collo alicujus lagenæ idoneæ, & foramine facto in extremitate cuculli chartacei a ſubula argentea aut ferrea, in oleum immiſſa: Et hæ ſunt colandi & filtrandi rationes maxime familiares.

CAPUT XXXI.

De Clarificatione & Expreſsione.

NOn raro Clarificatio ſponte in liquoribus quibuſdam ſuccedit ſola conceſſa quiete, præſertim præmiſſa Digeſtione, Circulatione & Fermentatione: At vero vſitatiſſima Clarificatio, & omnium citiſſima, præſertim in Pharmacia Galenica, perficitur Ebullitione, Deſpumatione, & Colatura vel Filtratione: Peragitur & eadem aliquando per ovorum albumina, quæ commiſcentur, & cum materiis liquidis

conquaſſantur; antequam ebullitioni tradantur clarificatione egentia, præſertim ſaccharum, mel & gelatinæ, quibus ad exactam clarificationem adiicitur quoque vinum album: Nonnunquam & liquoribus tantillum aceti infunditur,ſucci limonum,berberorum, omphacij, vel guttæ aliquot ſpiritibus vt Vitrioli aut Sulphuris,aut etiã Cremor Tartari, Cryſtallum minerale aut Nitrum depuratum,vt præcipitationis quædam ſpecies accidat, aut ſaltem ſeparatio partium craſſiorum a liquidis, puris, & vt priores intra filtrum cohibeantur.

Expreſſio nonnunquam Clarificationi præit, præſertim in decoctionibus, quas a magmate prius liberare animus eſt: Plus aut minus ea valida eſt pro conditione rerum exprimendarum, aut natura ſubſtantiarum tum craſſarum tum liquidarum: Expreſſio decoctionis partium plantarum in quopiam liquore, vt plurimum omnium debiliſſima eſt, niſi forte permixta ſint quædam laxativa, aut aromata, quorum virtus commendabilis ſit.

Expreſſio plantarum, ad proliciendum ſuccum, paulo validior eſſe debet,imo quædam plantæ,præſertim viſcoſæ, incaleſcere prius debent; Fructuum aqueo ſucco præditorum expreſſio ejuſdem fere conditionis eſt;Oleorum infuſorum, Vnguentorum & Gummatum aqueorum diſſolutorum,vtcunque validior eſſe debet; Fructuum & ſeminum oleagineorum, qualiſmodi ſunt amygdala, nuces juglandes,moſchatæ, avellanæ, Behen, ſemina frigida majora, aniſi & papaveris &c. validiſſima eſſe debet.

Caput XXXII.

De Aromatizatione & Coloratione.

A Romatizatio & Coloratio cum Filtratione & Clarificatione ſæpe concurrunt; In vſum etiam ſæpe veniunt ad plurimas alias præparationes: Aromatizatio non minus in vſum ducitur ad virium medicamentorum incrementum quam ad ſaporis & odoris gratiam.

Pulveribus ipſa Aromatum ſubſtantia admiſcetur, qualia ſunt Macis, Cinnamomum,Caryophylli, Crocus, Moſchum, Ambra griſea, & plurima alia: Commiſcentur Opiatis, Electuariis, Confectionibus, Pilulis, Trochiſcis, necnon Vnguentis & Emplaſtris; Commiſcentur Infuſionibus, Tincturis, Elixiriis, imo ipſis Decoctionibus & Syrupis.

Illud vero memoriã tenendum, cum præcipuæ Aromatum partes ſingulari tenuitate & volatili præditæ ſint, ignis diutius vim ea perferre non poſſe, quinin auras abeant ejuſmodi particulæ,adeo vt ſub decoctio-

nis

nis demum finem addi debeant; quinimo ſedulum debere eſſe Pharmacopœum eodem tempore in vaſis, quibus immiſſa ſunt, cooperiendis, præcavendæ ergò diſſipationis: quod cum antiqui animadvertiſſent, in more illud habuerunt vt pulveres aromaticos cordiales colatorio excipi vellent, aut cucullo panneo, per quæ illis tranſmittenda erant Apozemata aut Decocta ſi aromatum vi imbui illa vellent, non ignari decoctionis calorem ſat validum eſſe qui in tranſitu alliceret, & vim illam aromatum adſumeret, neque opus eſſe vt vehementiorem ignis gradum tolerarent.

Hodierna vero die media & faciliora & magis idonea ad Aromatum vim omni medicamentorum generi cóncilliandam nobis ſuppetunt; quandoquidem eum in finem advocari poſſunt Olea diverſorum aromatum, quæ ars Chymica diſtillationis ope parare nos docet, Veriſſimam partem ſulphuream aromaticam & eſſentialem parte eorum continentia: Ejuſmodi Olea guttatim cum ſacchari puri pulveriſati quadragies aut quinquagies tantum cócorporata, facillimo negotio quibuſvis liquoribus & medicamentis commiſceri poſſunt, eadémque felicius Aromatum facultate imbuere, gratiora reddere, & viribus potentiora reddere ipſa aromatum ſubſtantia, antiquorum more vſurpata, ac iuxta Pharmaciæ Galenicæ præcepta.

Coloratio Medicamentorum naturalis eſt vel adſcititia: Naturalis duplex, nam aut omnino naturæ ſoboles eſt, ſicuti albedo in nive & lacte, rubedo in ſanguine, flavedo in auro, fuſcus color in antimonio & plumbo &c. Aut cujuſmodi ætatis decurſu accidit, vel ab aliquo caſu, ſicuti color albus capillorum in ſenectute, pallidus in vultu a morbo &c. Artificialis contingit, aut vi fermentationis, ſicuti in plurimis ſuccis: aut digeſtionis, ſicuti in tincturis tartari & corallorum; Aut mediante agitatione, ſicuti color albus vnguenti Pomacei, aut Cerati Galeni; Aut ab admixtione variarum ſubſtantiarum, quarum quædam alterare valent, aut intendere colorem medicamenti vi ſua acida, id quod præſtare præſtant diverſi ſpiritus; Aliæ proprium colorem communicare valent, ſicuti adpatet in Santalo rubro, Sanguine draconis, Indigo, Viridi æris, granis Kermes, terra Melitæa, Croco & plurimis aliis, Vel ope Lotionis, poſtmodum expoſitionis ad Solem, vel ſub divo, ſic Cera colorem album contrahit, ſic oleum ovorum & nonnulla alia: Vel per Coctionem aut Calcinationem, ſicuti contingit in Mercurio, Plumbo & Antimonio, &c. Immutatio denique colorum medicamentis accidere poteſt ſexcentis modis, notis & ignotis, quorum deſcriptio immenſi & tædioſi foret operis ſi diutius inſiſterem.

CAPUT XXXIII.

De Frixione, Aſſatione, & Torrefactione.

FRixio ſpecies eſt Elixationis, quæ perfici ſolet in ſartagine addito quopiam liquore, præſertim oleo aut pinguedine: Pro more minus imponitur liquoris quam ad ordinariam elixationem, ad ignem luculentum & flammeum alimentorum gratia, medicamentorum vero cauſa pauciſſimus admittitur liquor, fitque igne moderato, ad vitandum effluvium præſtantiſſimarum partium.

Ova primo aquæ incoquuntur, quæ vbi duritiem adepta ſunt, eximuntur vitelli, hi igne modico friguntur, vſque quo illorum Oleum in ſartagine ſe exſerere incipiat, tunc tantiſper ſpiritus vini affunditur, atque illico in ſaccum è linteo craſſiore confectum excipiuntur, validéque comprimuntur ad expreſſionem olei.

Myrobalani triti in pulverem leviſſime friguntur, illos irrorando tantillo olei amygdalarum dulcium ad aſperitatem leniendam.

Aſſatio eſt Coctio medicamentorum, vel alimentorum in proprio ſucco, nulla additione facta humidi aut pinguis extranei: Eo modo aſſantur carnes veru transfixæ, aut craticulæ impoſitæ: Aſſantur Tubera, Caſtaneæ, Poma, Pyra, Cepæ, plurimæque aliæ radices & fructus in proprio ſucco ſub prunis, iuxta ignem, vel aliter: In furno quoque coquuntur ſcyllæ, cepæ, betæ radices ac quamplures radices & fructus nullo accedente alio humore: In eodem coquuntur cibi, exſiccanturque partes animalium, ſicuti ſanguis, ſecundinæ &c. imo animalia integra, exempli gratia Talpæ &c. Igne quoque torretur Caphe; quod alij vaſe ferreo incluſum nec tamen omnino repleto, veru transfixo, aſſant ad ignem: quæ omnes coctionis ſpecies ſub Aſſatione comprehendi debent.

Torrefactio diminuta eſt Aſſatio; in vſu eſt ad medicamenta ſicca, quorum vis in ſuperficie fere hæret: præcipue adhibetur in Rhabarbaro & Myrobalanis ſubtiliter tritis, diſco argenteo impoſitis aut laminæ ferreæ, ignitabulo ſuppoſito, ignéque moderatiſſimo adhibito, ſpatula frequenter agitando, vſque quo pulvis paulatim obſcurum contrahat colorem, qui indicium eſt vis purgantis abſumptæ, foliúſque ſuperſtitis adſtringentis.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

De Vſtione, Incineratione & Extinctione.

VStio, aut Combuſtio, ſuas habet differentias & gradus, pro diverſitate medicamentorum ſubſtantiæ & variis artificis ſcopis; Antiqui hoc præparationis genere vſi ſunt pro plantarum, animalium & mineralium combuſtione: Vſſerunt cornua animalium vngulas, oſſa, carnes, plumas, pilos, omnéſque partes, ignari id quod in toto illorum corpore maxime eſſentiale obtinent in ſale & oleo volatili latere, quæ in auras abeant & evaneſcant adhibita vſtione.

Lectorem rogo adire velit præparationem meam Viperarum, atque ad examen revocare rationum momenta quæ me impellunt ad improbandum antiquorum procedendi modum, nec non vſtionem Cornu Cervini & Eboris, quam hodie etiamnum plurimi inepte amplectuntur, etſi decipi ſe percipiant.

Varia dignorum genera vtiliter comburimus, tum vt ab ijs incaleſcamus, tam coctionis alimentorum gratia, quam vt eliciamus ex ijs Sal in varios vſus idoneum.

Comburimus etiam varias plantas earúmque partes, harum ſalis obtinendi cauſa: ſed neque hoc, neque lignorum, ſimplici vſtione adquiri poſſunt, quæ tantummodo valet plantas in carbonem convertere, vt omnino deinceps neceſſe ſit carboné, illum in cineres deducere, quo Sal educatur, Id vero vocamus Incinerationem, quæ perficitur diutina vſtione & prorogata, præſertim lignorum aut aliarum partium plantarum.

Ligna quod attinet, illud tenendum circa illam immutationem quam infert vſtio ligni in carbones, phlegma, ſpiritum & oleum in ligno contenta proculdubio in nihilum abire ſi lignum plane combuſtum fuerit; Paucum humidum quod ſupereſt a diſtilatione carbonis vulgaris ex terra depromptum fuiſſe, vel materijs quibus vtuntur Carbonarij, carbonem accenſum extincturi aut ſuffocaturi; Moleſtos autem vapores & noxios e carbone elatos quamdiu ignem ſuſtinet, ortum ducere ex partibus terreæ ſulphureis & nitroſis, ac aliarum materiarum à quibus ſuffocatus fuit: Nitroſæ partes & ſulphureæ in dicto humore contentæ, innoteſcere poſſunt ex præcipitatione earum facili, ſi affuſus fuerit ſpiritus vitrioli.

Et hoc quoque apertum facit pravos vapores e carbone vulgari elevatos, aliunde quam ex propria illius ſubſtantia educi, quandoquidem

carbo prunarum, ſponte in aere extinctarum, nullum incommodum inferre. valet ſi iterato accenſus fuerit; neque id mirum eſſe debet, quandoquidem prædictus carbo nihil in ſe obſervabile continet præter partem terreſtrem & ſalinam in cineribus, ſuperſtitem poſtquam carbo conſumptus fuerit.

Et hoc quoque obſervare licuerit poſtquam ex Retorta, igne diuturno, imo ſub finem vehementi ſpiritus & Olea e Lignis educta fuerint, in dicta Retorta ligna in carbones abiiſſe reperiétur, deſtillationis vi phlegmate omnino deſtituta, ſpiritu & oleo; Etiamſi porro carbones illi eadem Retorta concluſi, adiuncto illi recipiente, vt decet luto obducto, violentiori igne plurimorum dierum decurſu vexarentur, nequaquam tamen in cineres abituri ſunt, carbonis formam in perpetuum conſervaturi; nec enim in cineres, præſentia aëris deſtituti, converti queunt; qui coadjuvante ignis virtute, eam carbonis partem, cui Helmontius *Gas* nomen aſſignavit, diſſipando, carbonem ſuâ figurâ exuit, ac in cineres faceſſere facit.

Vltima hujus Pharmacopoeæ pars oſtendet modum ſeparandi partem ſalinam a terreſtri, ambo principia cineres componentia, in carbone reſidua, duobus aliis principiis excluſis.

Vſtio vehemens Mineralium ad Calcinationem referenda eſt: Minor illorum Vſtio, quæ deſtructiva non eſt, quodam modo ad illam referri poteſt, etſi ſi ſincere loqui libeat, Ignitionis tantum vocabulo donanda ſit: Tuthia, exempli gratia, crucibulo impoſita in igne ter incandeſcit, poſtea toties in aqua roſacea extinguitur, retundendæ gratia illius acrimoniæ: Chalybea ſudes in igne pluries incandeſcit, toties in aqua extinguenda, quo vim adſtringentem nanciſcatur &c.

Extinctio in Mineralibus prȩſertim locum habet, in igne candefactis, poſtmodum in liquore quopiam extinguendis: Inſtituitur Extinctio vel ad mulcendam illorum acrimoniam, ſicuti id modo a me de Tuthia dictum; Vel communicandȩ gratia virtutis liquori in quo extincta fuere, ſicut chalybis aquæ, laterum oleo, ad parandum Oleum Philoſophorum dictum: In vſum quoque venit vt quædam mineralia friabilia evadant, ſicuti cum candentes ſilices aquæ immittuntur.

Donatur & Extinctionis nomine, ſed ἀκυρολόγως, Mercurij currentis fixatio, cum illi fluiditas ope terebinthinæ, vel alterius materiæ vnctuoſæ adimitur: At vero hujuſmodi Extinctio ad illam de qua modo verba feci, quam prægredi debet Ignitio materierum extinguendarum, revocanda non eſt.

CAPUT XXXV.

De Calcinatione.

CAlcinatio eſt converſio medicamenti alicujus in calcem ab igne vehementiſſimo: Apud Pharmacopœos Chymicos frequentiſſimo in vſu eſt præſertim quoad Mineralia, quorum pars maxima ſubſtantiam ſolidiorem quam Plantæ & Animalia nacta ſunt.

Dividitur Calcinatio in Actualem & Potentialem, Actualis ope ignis perficitur; Potentialis per ſpiritus corroſivos: Mineralia fortiori aut debiliori igne indigent quo in calcem abeant, pro diverſitate illorum ſubſtantiæ & variis artificis ſcopis: Calcinatio Plumbi in pulverem cinerei coloris ad flavum vergentis, mitiorem ignem poſtulat quam aliæ ejuſdem calcinationes: Calcinatio conchyliorum multo celerius perficitur quam calcis quæ ad ædificia paratur: Multo minor ignis requiritur ad calcinationem Antimonij in pulverem griſeum, quam ad eam parandam quæ pulverem album exhibet; Ceruſſam Antimonij dictam, vel Antimonium Diaphoreticum, vel ad converſionem in Crocum, Regulum, aut Vitrum.

Calcinatio actualis Mineralium nonnunquam inſtituitur nulla facta additione, ſicuti ſimplex Plumbi calcinatio, Antimonij, Chalybis &c. quãdóque accedit additio Nitri, Sulphuris, Tartari &c. Calcinatio Potentialis Mineralium dicitur quoque Immerſiva; Perficitur beneficio ſpirituum corroſivorum, illa penitus ſubeuntium & diſſolventium, Sic Aurum calcinatur per Aquam Regiam, vel ſpiritum Salis rite dephlegmatum: Argentum, Cuprum, Mercurius, Saturnus, Mars, &c. per ſpiritum Nitri vel Aquam fortem, alioſve ejuſmodi ſpiritus corroſivos, & ſic de cæteris.

Immerſivæ illi nomen inditum, quia demerguntur Mineralia in ſpiritus corroſivos, vt ab illis in calcem diſſolvantur.

CAPUT XXXVI.

De Amalgamatione, Fumigatione, Cæmentatione & Stratificatione.

AMalgamatio quædam ſpecies eſt Calcinationis potentialis Auri & Argenti, beneficio Mercurij, qui alterutri prædictorum metallorum perfectorum commixtus, cum fuſionem adepta ſunt illorum partes ab invicem tam exacte divellit, ac ad tempus adeo arcte illis conjungi-

F 2

tur, vt cunctahæc in paſtam & maſſam vnctuoſam, ſupraque manum extenſilem abeant: Maſſa illa demum crucibulo ad ignem impoſita, figuram & conſiſtentiam ſuam dimittit; poſtquam enim Mercurius valedixit perfectioribus illis metallis, in auras ſolutus, in fundo crucibuli forma calcis multo ſubtilioris quam ab vlla alia præparatione fieri poſſet reperitur.

Fumigatio Calcinationis quoque potentialis ſpecies eſt, per quam Mercurius crucibulo, igni commiſſo inditus, cujus orificium anguſtius ſit; corrodit & in calcem deducit metalli laminas,ſuperius appenſas quo Mercurij Vaporem ſuſcipiant: Saturnus laminatus ſuſpenſus, adeo vt aceti vaporem, igne ſubdito, excipere poſſit, corroſionem quoque experitur, ejuſque ſuperficies in calcem albam tranſit, quæ legitima eſt Cerua; Ejuſmodi Fumigatio Calcinationis vaporoſæ nomen gerit.

Fumigatio ope Sulphuris accenſi peracta vtilis eſt ad retundendam Scammonij vim purgantem, ob penetrabilem vim Acidi quod Sulphuri ineſt, cunctas dicti Scammonij ſubſtantiæ partes pervadentis, atque ab immutatione inducta dum illi ſecomitem adjungit: At vero Fumigatio hæc Calcinatoria non eſt, cujuſmodi a Mercurio & Aceto perficitur.

Prætermiſſæ Fumigationes quæ ex Aromatis accenſis ſuſcitantur, hæ exhalationes ſolummodo ſunt partium odoratiſſimarum eiuſmodi ſubſtantiarum, nequaquam rerum has excipientium naturam immutantiũ vti neque figuram,odorem ſolũmodo aromatum illis impertientium.

Cæmentatio,præterea eſt Calcinatio,cujus ope metalla imperfectiora, auro & argento commixta, in lamellas tenuiſſimas deducta,calcinantur & deſtruuntur, adeo vt perfecta hæc metalla, ab aliis liberata puriſſima evadant.

Cæmentatio dicitur,ob Cæmenti pulverem, quo laminę vndi quaque circumdantur, facta in crucibulo eorum ſtratificatione, quod cooperitur ac (quod potiſſimum) exactiſſime luto obducitur, circumjecto igne rotę per aliquot horas, gradatim accenſo, ac vſque quo perfecta metalla fuſioni idonea fiant, quę vltima eſt Cęmentationis periodus.

Stratificatio fit Crucibili fundo immitendo pulverem Cęmentationi dicatum, cui aliquot laminæ auri vel argenti ſuperimponuntur;iterum eodem pulvere cooperendę,adjectis rurſus huic alijs laminis, deinceps alio pulvere deſuper laminas, alternatim ſic pergendo, tandem pulvere impoſito; a quo initium ductum fuerat: poſtmodum operculum crucibulo imponitur, accurate luto obducitur, atque igni rotæ exponitur, ſicuti modo de Cæmentatione expoſui: Venit & in vſum Stratificatio quibuſdam in caſibus vbi Cæmentatio neceſſaria non eſt.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

De Fuſione, Granulatione, Projectione, Detonatione, & Fulminatione.

FVſio ſolummodo Metallorum eſt, & ſubſtantiarum mineralium Crucibulo immiſſarum, igni vehementiſſimo expoſitarum vſquequo ſubſtantie colliquefactæ fuerint; Eodē quoque ignis gradu indigent Salia plantarum,vt liqueſcant ad vitrificationem.

Granulatio abſque Fuſione perfici nequit, hujuſque eſt aſſecla; Venit præſertim in vſum quoad aurum & argentum, ſimul aut ſeorſim liquefacta, Leniter infunduntur hæc metalla in vas quodpiam ſatis capax & profundum, aqua frigida non omnino oppletum, cum plane fuſionem adepta ſunt, & poſtmodum in fundo vaſis granulata reperiuntur.

Poſſunt & hujus aquæ ſuperficiei ſcoparum diſſolutarum virgulta injici, vt metallum liquefactum in plures partes dividatur, & grana minutiora fiant: Quidam etiam eadem tranſcolant per chartam ſtilo perforatam & auripigmento affricatam.

Projectio ſequentem in modum peragitur, Collocatur crucibulum, vel Aludel,(*i.e.Vitrum ſublimatorium*)ſupra globum terra cocta fictū, vnū vel alterum tranſverſum digitum ſpiſſum, latitudinis convenientis, Chymiſtæ vocant *Culotte*, ad excipiendum crucibulum vel Aludel, maſſa illa rotunda plana collocari debet baſi (id eſt, pedamentum) ſupra medium craticulæ Fornacis anemiæ: accendendus ignis carbonum, circa dictum globum terreum & crucibulum, vel aludel, illi impoſitum: Crucibulum proprio operculo munitum eſſe debet, non ſecus ac aludel ſuo obturamento: Vrgendus ignis donec vas probe ignitum ſit; tunc intus illi immittitur circiter vncia vna materiæ proiiciendæ, eum in finem cochleare aut ſpathulam ferream vſurpando,vel cupream oblongo manubrio donatam, ejus latitudinis quæ continere valeat tantum materiæ quantum vna vice projiciendum eſt, quæ tamen non excedat crucibuli aut aludel orificium; Eodem modo cooperiendum eſt Crucibulum, aut Aludel orificium obturandum, ſtatim vero peracta detonatione, diſcooperienda ſunt, tantundem in eadem novæ materiæ proiiciendo quantum prima vice immiſſum eſt, atque iterum operculo claudenda, iterata eadem projectione quoad vniverſa materia projecta ſit, aut vas majoris quantitatis capax non ſit.

Detonatio Projectionem perpetuo ſequitur; Nitrum illam excitat, inter materias proiiciendas omnium efficaciſſimæ activitatis: Illam quo-

que ſequitur Fuſio, quam ignis vehementia, & nitri vis, conciliant materiis fuſioni deſtinatis: Omnium vſitatiſſima contingit in præparatione Antimonij Diaphoretici, factæ cum antimonio & nitro, ac in præparatione Salis Polychreſti, paratæ cum nitro & croco; Item in ea quæ fit ex Floribus Antimonij cum eodem nitro: Projectionis non magna debet eſſe quantitas, ſed vicibus iteratis, ſi enim excedens quantitas materiæ vna vice iniiceretur, Nitri vis inſignis vt diſſilirent vaſa efficeret, vel materiæ in ignem effunderentur.

Per Detonationem materierum ſulphur impurum & volatile abſumitur, partim in auras abiens, partim immediate ſupra maſſam puriorem elevatum: terreſtres partes frequentiſſime volatilibus commiſtæ hærent, illas impuras reddendo: at præcipuum ſulphur internum maſſæ puriori adhæret, quæ gravitate ſua ad fundum vaſis ſecedit, ab impurioribus partibus ſegregata.

Fulminatio, *Fulguratio* quoque dicta, Detonatione multo vehementior eſt, ea præſertim quæ obſervatur in quadam auri præparatione: Id nominis illi inditum, quia non ſecus ac fulmen impetuoſe agit, effectum a ſummo ad imum promens, ſi vel minima ſuperiori parte occurrat reſiſtentia.

Fulminatio Auri contingit ob conjunctionem Aquæ Regiæ cum Auro in hujus diſſolutione, & ſimul partium Salis Tartari, quæ coadunatæ fuere cum aurum in calcem præcipitatum fuit: quo fit vt non obſtante lotione, Calx auri præcipitata non paucas ſalium particulas intra ſe contineat, præſertim Ammoniaci in aqua Regia contenti, adeo vt Fulminatio ſequatur ad minimam calcis auri incaleſcentiam: quæ accidit tantum a coacta & violenta divulſione ſalium ab auro caloris interventu.

Eſt & alia Fulminatio minus vehemens, orta ex Salibus Tartari, Nitri & Sulphuris, certa proportione commixtis; quæ mixtio auro vilior eſt, paratúque facillima, cuius deſcriptio tradenda eſt tertia huius Pharmacopœæ parte.

CAPUT XXXVIII.

De Reverberatione, Lapidificatione & Vitrificatione.

Reverberatio vtilis eſt reſerandis, ſeiungendis & calcinandis mixti ſubſtantiis, ope ignis flammei, qui ambit & ſupra materiam reflectitur: prodeſt & vi pellendis ſpiritibus corroſis Nitri, Salis & Vitrioli, imo & expellendis per Retortam quarundam Plantarum, & omnium

Animalium partes volatiles.

Ea duplex eſt, altera quæ fit igne patente, cujuſmodi eſt calcinationum; Altera igne clauſo, vt in diſtillationibus.

Lapidificatio, aut *Petrificatio*, eſt converſio vnius aut plurium medicamentorum in Lapidis formam: Id quod contingit diſſolvendo quodpiam metallum in corroſivo ſpiritu, poſtmodum diſſolutionem ad conſiſtentiam lapidis coquendo; Sicuti cum diſſolvitur argentum in Aqua Forti, excoquitur autem illa diſſolutio in lapidis formam, quem vocant Infernalem:

Varia quoque Salium fixorum genera in lapides cauſticos tranſeunt; In lapidem necnon indurantur Vitriolum, Alumen, Sal vitri, plurimáque plantarum ſalia bolo commixta, ex quibus paratur Lapis medicamentoſus nominatus. Præparantur eodem modo Marmora ac lapides artificiales.

Vitrificatio ope Ignis vehementiſſimi certam materiam in Vitrum commutat; vſus illius eſt in metallis, metallicis, plurimíſque aliis Mineralibus, nominatim in lapidibus, ſilicibus & arena, imo variarum plantarum cineribus.

CAPUT XXXIX.

De Præcipitatione.

PRæcipitatio fit cum medicamentum, prius aliquo ſale fixo corroſivo diſſolutum, alióve quopiam ſpiritu acerrima vi prædito, aut quopiam ſpiritu volatili homogeneo, a diſſolvente divortium facit, & ad vaſis fundum deturbatur.

Vt res e voto ſuccedat, Præcipitantia in vſum ducenda ſunt, quæ ſpecie ſaltem contrariæ ſint naturæ diſſolventibus, atque iis aut ſ. conjungere apta nata, vel eadem involvere & intricare, aut vim frangere, vel alio quopiam modo vt corpus quod vinctum & diſſolutum tenebant dimittere cogant.

Cum diſſoluti ſunt vniones, aut corallia, in ſpiritu Nitri, aut Aceti, vt plurimum in vſum venit Sal quodpiam fixum, exempli gratia, Tartari, cuius liquor diſſolutioni affuſus coniungitur ſpiritui acido qui diſſolutionem præſtiterat, illúmque impellit vt miſſum faciat, & ac ad imum vaſis, dimittat ſubſtantiam Vnionum aut Coralliorum quæ diſſolutionem ab eo paſſa erant: quando flores ſulphuris cum ſale Tartari diſſoluti fuere, ad ſpiritum acidum confugiendum eſt, verbi gratia nitri vel aceti, aut quodpiam Sal acidum, ſicuti alumen in aceto diſ-

ſolutum ad procurandam Præcipitationem.

Mercurius in Aqua forti diſſolutus, vel ſpiritu Nitri, ab aqua mari-na præcipitatur; at vero cum Sal marinum in ſui compoſitione admittat partem acidam, quæ quodam modo contranititur parti fixæ, non adeo valide ad præcipitationem Mercurij concurrit ac Sal Tartari, ab omni omnino acido ſpiritu exolutum, atque aptiſſimum complexui ſpiritus acidi per quem diſſolutus fuerat Mercurius, & vt ad divortium impellat: Cum vero majori efficacia quam aqua marina effectum exſerat, ideo Mercurio colorem rufum imprimit, quo fit vt aqua marina, tan modo admittatur cum Mercurius Præcipitatus albus expetitur: Poteſt & nihil-ominus alter Præcipitatus albus ex Mercurio parari, hunc præcipi-tem, dando ope ſalis Tartari, ſi in vſum ducatur Mercurius ſublimatus, in aqua Salis Ammoniaci diſſolutus, per quam emendatis impreſſionibus a Sole & Vitriolo Mercurio inductis, ſublimandi hujus gratia inſtitutis, efficit vt Sali Tartari conjũgatur Sal volatile Ammoniacũ, quod vtcũque illi homogeneum eſt: Sicuti vero diſſolutio Mercurij ſublimati in aqua Salis Ammoniaci citra vim peragitur, non ſecus ac conjunctio illius cum Sale Tartari diſſoluto, Sic candor vtrique Sali communis nulli alterationi obnoxius eſt, Salium vero acrimonia per lotiones pro-culdubio abſtrahitur.

Idoneum etiamnum eſt Sal Tartari diſſolutionibus omnibus vitriolicis præcipitandis: Biſmuthum cum ſpiritu nitri diſſolutum commodiſſime per aquam marinam præcipitatur, ſed & pręcipitari non recuſat per ſolam aquam communem, copioſe illius diſſolutioni affuſam, cujus effi-catia diſſolventis viribus fractis, abſcedit & ad fundum vaſis pręcipitatur Biſmuthum diſſolutum,

Diſſolutio partis reſinoſæ Scammonij, Ialapæ, Agarici, & ſimilium, in ſpiritu vini facta, vti & Succini, ac plurium aliarum ſubſtantiarum bi-tuminoſarum, optime pręcipitatur infractis vi ſpiritus vini ab aqua; ſed & idem conſequi licet abſtracto mediante leni diſtillatione inſenſibiliter ſpiritu vini, vel vt idem in auras faceſſat procurando: ad fundum enim vaſis deturbatur materia reſinoſa aut bituminoſa: cujus comes eſt hu-mor quidam extraneus, ac proinde rejiciendus.

In hunc cenſum non adduco illam præcipitationis Mercurij ſpeciem, quę revera aliud nihil eſt quam calcinatio potentialis Mercurij per aquam fortem aut nitri ſpiritum, quem demum aurę permittimus, nullo illi affuſo ſale pręcipitatorio.

CAPVT

CAPUT XL.

De Sublimatione.

SVblimationis vſus eſt in ſubſtantiis ſiccioribus, quarum nonnullę, aut omnino, aut ex parte, in ſuperiorem vaſorum ſublimationi idoneorum partem evehuntur, ídque ope ignis per gradus adhibiti.

Sublimantur aliquando medicamenta nulla additione facta rei extraneę, atque partes puriſſimę forma florum ſurſum efferuntur, craſſioribus in fundo derelictis: quo pacto præparantur flores Benzoini, Storacis, Arſenici &c. Poteſt & ſublimari Sulphur citra vllam alterius rei commiſtionem; idque obſervandum fere totum id in flores reſolvi, niſi admodum impuris partibus ſcateat.

Vſurpatur & Sublimatio ad ſegregationem ſubſtantiarum volatilium a fixioribus, ſicuti cum in flores ſublimantur partes volatiles ſalis Ammoniaci, eius autem pars ſalina fixior acido commixta in fundo aſſervatur.

Mercurio ad ſublimationem inſignis aptitudo ineſt, imo ad varias induendum figuras pro diverſitate materiarum illi adiunctarum, per quarum præſentiam edere valet actiones admodum inter ſe diſſimiles: in ſublime evehi nequit niſi commixtus fuerit ſubſtantijs corrodendi facultate præditis, aut ijs ſaltem quæ frænum ejus mobilitati iniiciant, imo quin ſibi quaſdam ejuſmodi ſubſtantiarum extranearum particulas ſibi adſciſcat, quibuſcum ſurſum feratur & coadunetur: tum temporis totus in ſuperiora fertur, dummodo ijs intime conjunctus fuerit, proportiones rite obſervatæ fuerint, & gradus ignis accurate adhibiti.

Mercurius currens concorporatur cum deſignata quantitate ſalis decrepitati, & vitrioli ad albedinem calcinati; quem ſublimari curamus igne per gradus adhibito ad conſiſtentiam albam & cryſtalliformam, vnde exſurgit Sublimatus, Corroſivus dictus, eam naturam adeptus ratione particularum Salis & Vitrioli vna cum illo per ſublimationem evectarum, ex quorum concurſu in pernitioſum venenum tranſit.

Idem Mercurius ſublimatus corroſivus commixtus, & intime copulatus tribus quadrantibus ponderis Mercurij vivi, & iterum vna cum illo ſublimatus eodem igne, præcipuam corrodendi vim exuit, quia Mercurius currens particulas acidas Salis & Vitrioli amplectitur, a quibus corrodendi vim nactus fuerat: poſtmodum exigua acrimonia ſuperſtes in recenti hoc Mercurio ſublimato omnino abſtrahitur, ſublima-

tione bis aut ter (nulla facta adjectione) iterata : Mercurius hac ratione ſublimatus Dulcis nomen conſequitur , cuius vſus internus admodum frequens eſt in curatione variorum affectuum, luis imprimis Venereæ.

Sublimatur etiam Mercurius in conſiſtentiam ſiccam , rubram admodum & pellucidam, prius ipſum rite coadunando certæ ſulphuris quantitati : Cinabrium vocant Mercurium ea ratione ſublimatum , cujus vſus frequentiſſimus eſt ad ſuffumigia in affectibus Venereis: In vſum necnon venit ad picturas & colorem inducendum ceræ Hiſpanicæ : Prætereo præparationem florum Antimonij , plurimorumque aliorum Mineralium , alio Lectorem remittens.

CAPUT XLI.

De Diſtillatione.

DIſtillatio eſt elatio,quam conſequitur deſcenſus partium aquearum, ſpirituoſarum , oleaginearum vel Salinarum mixtorum , a craſſioribus & terre ſtribus ſejunctarum, vi ignis peracta.

Diſtillatio alia naturalis eſt, alia artificialis : Naturalis eſt imbrium , roris , nebularum , quæ vaporum forma tolluntur in altum , demum congeſtione facta proprio pondere dilabuntur, vel in fila aquea diviſa , aut guttas , aut minutiores particulas, pro vaporum majori aut minori copia , vehementiori aut debiliori ventorum agitatione, qui decidui diſtillationis quandam ſpeciem exhibent.

Artificialis Diſtillatio peragi ſolet tribus modis generalibus , quorum primus Rectus eſt, ſecundus Obliquus aut Lateralis, tertius per Deſcenſum : Hæ & illæ variis perficiuntur vaſis , ſive argenteis , ſive ſtanneis ſive cupreis , ſive ferreis , ſive terreis, ſive vitreis , atque hæc omnia beneficio ignis aut caloris alicujus adſcititij.

Diſtillatio Recta dicta ſurſum vapores evehit, in vas illis excipiendis, idoneum, ſuperponendum illi (& luto obducendum) quod materias continet : Vapores eo modo elati in liquorem convertuntur , ac diſtillant per roſtrum vaſis ſuperioris in aliud vas ſubditum , vocatum Recipiens.

Diſtillatio Obliqua , aut ad Latus , peragitur in vaſis incurvis , quæ vocant Cornuta aut Retortas, his ad commodando Recipientia , majora aut minora pro indole ſpirituum quos effundere debent materiæ.

Excogitata ſunt ejuſmodi vaſa ad diſtillationem ſpirituum gravium, exempli gratia , Nitri, Salis , Vitrioli , &c. imo in gratiam quorundam minus grauium , quin etiam Oleorum & Salium volatilium, quibus non

ita

ita commodus eſt aſcenſus per diſtillationem rectam, cujuſmodi ſunt ſpiritus & Olea Lignorum, ſpiritus, olea, & ſalia volatilia Viperarum, Cornuum Cervinorum, Eboris & plurimarum aliarum partium animalium, imo quarumdam plantarum quæ ſale & oleis volatilibus ſcatent; ſalium & oleorum volatilium Tartari, Ceræ, Succini, & aliorum.

Diſtillatio per Deſcenſum fit igne accenſo in ambitu, ſupra & infra vas materias diſtillandas concludens, cuius orificium inferiori parte collocatum eſt: Ignis iſte agens in materias illi ſubiectas, paulatim liquidas a craſſioribus & terreſtribus divellit, eáſque ad deſcenſum impellit, ac ſtillare in vas immediate ſubditum; ſuperiori coniunctum & luto obductum: Interim orificia vtriuſque vaſis ſeiungit exigua lamina pluribus foraminibus pertuſa, ibi loci collocata ad materias ſuſtinendas, prohihens; quominus in vas Excipiendo deſtinatum decidant, ac liquoribus diſtillandis tranſitum intercipiant: Huius vſus præcipuus ſpectat materias craſſiores, ſingulatim ligna; etiamſi Diſtillatio hæc vſui quoque eſſe queat pro ſubſtantiis tenuioribus, ſicuti exempla proſtabunt inter Præparationes meas Chymicas.

Datur & ſpecies quædam Diſtillationis per deſcenſum, quam vocant *per Deliquium*, quę nihil aliud eſt quam reſolutio ſalium in liquorem, in loco quopiam humido; Sed hîs plus Natura confert quam Ars.

Accenſeri etiam poteſt Diſtillationi aquæ e vite cęla tempore verno eruptio: Olei petrolei e rupibus quibuſdam, ſtillatio, & ſimilia: Poſſet & his addi Balſamus Naturalis, aliique liquores qui e plantis ſponte guttatim effunduntur, aut inciſione facta, cujuſmodi ſunt Terebinthina, quæ e variis arboribus ſtillat, Opium e papavere, Scammonium e planta cognomine &c.

CAPUT XLII.

De Rectificatione.

R*Ectificatio* nova eſt & repetita depuratio, aut, vt melius dicam, exaltatio partis maxime eſſentialis mixti, quæ iam ante Diſtillationis ope ſeparata fuerat, aut alia ratione.

In vſum venit ad Aquas, Olea, ad ſpiritus, ad ſalia, tum fixa, tum volatilia, diſtillata aut ſublimata: In vſum quoque ducitur ad ſubſtantias ſiccas, imo etiam ad Tincturas.

Rectificatio proprie eſt Diſtillatio, aut repetita Sublimatio eius quod iam diſtillationem aut ſublimationem perpeſſum eſt, ideoque nova ſeparatio ſubſtantiarum aquearum, terreſtrium, aut aliarum impuriorum

quæ coniuncta & mixta inerant in priore diſtillatione, aut ſublimatio-tione: Repeti illa poteſt vſque quo res rectificanda vltimum puritatis gradum conſequuta ſit.

Salia volatilia primo ſe exſerere ſolent in Salium Rectificatione, hæc conſequuntur Spiritus & Olea volatilia, poſtmodum Phlegma, quod nonnunquam in vaſis fundo cum oleo craſſo & terreſtribus re-trimentis ſubſidet: Spiritus ætherei Vini & Terebinthinæ primí eve-huntur cum hæc Rectificationi committuntur, vt & plurimæ ſpirituoſæ Aquæ: Spiritum Vini ſubſequitur Phlegma ſi ignis vlterius propellatur, alias fundum vaſis petit: Spiritus æthereus Terebinthinæ ſuccedaneas habet ſubſtantias oleagineas, quarum priores minus craſſæ ſunt, minus a que quam poſteriores tinctæ: Pars reſinoſa craſſa & terreſtris ad vaſis fundum ſecedit: Pars aquea Spirituum Salis, Vitrioli, & Sulphuris prima conſcendit cum iſti rectificantur: Spiritus ſubſequuntur, ſi ignis actio producatur & augeatur, alias ſpiritus in fundo vaſis rema-nent. Olea ſpiritibus permiſta, aut liquoribus qui forte permiſti fue-re prohibendi cauſa empyreumatis dum Rectificatio peragitur, ſurſum evehuntur. Tincturæ mediante circulatione, vt & Filtratione, recti-ficantur. Salia fixa per calcinationem rectificationem obtinent, diſſo-lutionem, filtrationem & coagulationem: Illis etiamnum portionem quampiam Sulphuris commiſcere licet, hócque dum illa calcinantur comburere, ſi curæ eſt vt aëris humiditati obſiſtant, a quo diſſolvuntur, & in cauſa eſt, vt dum conſervare ſtudemus in liquorem tranſeant, ſi-cuti id plantarum Salibus familiare eſt, quæ ſulphuris additionem inter calcinandum comitem non habuerunt. Reguli rectificantur per fu-ſiones repetitas & nitri portiunculæ adjectionem: Perfecta metalla rec-tificantur indita obryſæ catillo, per Antimonium, per Sublimatum, per Aquas Regias aliàque media.

Caput XLIII.

De Extractione, Evaporatione & Exhalatione.

E*Xtractio* eſt ſeparatio partium puriſſimarum & maxime eſſentialium medicamenti a craſſioribus & terreſtribus, mediante idoneo aliquo menſtruo: Diſſolutio, aut ſaltem additio liquoris cujuſpiam, Digeſtio & Filtratio, Extractionis indivulſæ fere comites ſunt: In vſum quidem venit hæc Operatio ad Tincturas, Eſſentias, Balſama plurimaſque alias præparationes liquidas, ſed præcipue deſtinata eſt illis quæ vocantur Extracta, & quæ ſubſtantiam ſatis ſolidam conſequutæ ſunt, vt ex iis concin-

concinnari poſſint Boli vel Pilulæ. Ejuſmodi ſunt Extracta Rhabarbari, Sennæ, Colocynthidis, Hellebori, Aloës, ac ſimilium, quæ initium ducunt ab Extractione illorum Tincturæ; perficiuntur vero aut abſtractione facta partis volatilis menſtrui per diſtillationem, ſi modo alicujus fuerit momenti, aut procurando evaporationem ſuperfluæ humiditatis per moderatiſſimum ignem, Solis calorem aut fimi.

Parantur & Extracta e ſuccis Plantarum recentium, nulla additione facta liquoris extranei; Satis enim fuerit ſuccis puritatem conciliaſſe ope filtrationis aut alia ratione, demum igne miti in vaporem ſolvere ad debitam conſiſtentiam: Talia ſunt Extracta Abſinthij, Cardui benedicti, Centaurij, Eſulæ, & ejuſmodi.

Evaporatio eſt Elevatio, vel ad ſuperiora eductio, diſſipatio humiditatis ſuperfluæ in medicamento aliquo occurrentis: Vt plurimum peragitur ignis ope, etſi Solis calor nonnunquam illam perficiat: Sæpiſſime in vſum venit ad plurimas præparationes Galenicas & Chymicas.

Exhalatio in vſum tantummodo venit propter materias ſiccas, ad partium illarum maxime volatilium eductionem & ablationem: Ope caloris hæc peragitur, levioris aut intenſioris pro diverſitate ſubſtantiæ medicamenti: Ex vſu eſt in plurimis præparationibus Galenicis & Chymicis.

CAPUT XLIV.

De Liquefactione, & Coagulatione.

Liquefactio locum habet in Cera, Sebo, Axungiis, Reſinis, Gummatis, Butyro, Vnguentis, Emplaſtris, Glacie, ac in genere omnibus ſubſtantiis quæ a frigore concreſcere poſſunt & a calore diſſolvi & colliqueſcere, A frigore quidem Coagulantur Metalla, Metallica plurimáque Mineralia, eadem in liquorem ignis beneficio abire poſſunt, at vero cum id nonniſi ope ignis vehementiſſimi fieri queat, ejuſmodi Operationis ſpeciei *Fuſionis* nomen inditum, non Liquefactionis.

Coagulatio Liquefactioni opponitur, ſicut & Fuſioni, Definitur mutatio ſubſtantiæ liquidæ in ſolidam, per privationem caloris aut abſtractionem humiditatis; Sicuti cum Salia fixa in quopiam liquore diſſoluta fuere, eorùmque humiditas ad ignem in vaporem ſoluta fuit, ſicca & coagulata remanent, id quod & iiſdem accidere poteſt cum fuſionem experta ſunt: Id quoque contingit in Metallis & aliis Mineralibus quæ liquefacta fuere, cujuſmodi ſunt Sulphur, Antimonium, Nitrum, Alumen, Vitriolum, plurimáque alia quæ ad ignis præſentiam liquida

evadunt & frigore coagulantur.

Occurrunt & Salia, vocata Eſſentialia, quæ in calidis liquoribus liquefacta, a frigore concreſcunt, cujuſmodi eſt Sal Cardui benedicti: Plurimas etiam metallorum, variorúmque aliorum mineralium diſſolutiones videre eſt ab aquis fortibus factas, quæ prius, etſi admodum liquidæ fuerint; quandiu ignis calori exponebantur, ſuperveniente frigore facile concreſcunt, etiamſi plurima humiditas comes ſit.

Prætermitto Lactis coagulationem, necnon eam quæ ſequitur ſpirituum acidorum cum volatilibus conjunctionem quarum exempla in Præparationibus meis Chymicis exhibiturus ſum.

CAPUT XLV.

De Fixatione, Congelatione & Cryſtalliſatione.

F*Ixatio* Volatiliſationi contraria eſt,eo quod figat & ſiſtat id quod propria indole erat volatile; idque efficiat aut omnino ignis actioni obſiſtens, aut ſaltem ad eum pertinaciſſimum.

Eapropter animadvertendum eſt Acida præcipua eſſe media quæ ad volatilium fixationem in vſum veniunt; id quod antipathiæ cuidam, aut ſubſtantiarum cuipiam inter ſe diſſidio adſcribendum non cenſeo, quæ plurimorum Philoſophorum fuit ſententia; id enim ſi foret procul-dubio mutuo ſibi forent exitio, attamen id non contingit: Mea vero opinio eſt inſignem ſympathiam & inclinationem mutuam partium ad arctiſſimam conjunctionem, in cauſa eſſe vt celerrime & quaſi per vim ſimul coeant; quam conjunctionem vbi adeptæ ſunt, difficillime poſtmodum ab invicem abſcedant, atque tunc ſolum cum occurrit quæpiam ſubſtantia magis analoga: Difficultatem vero ob quam vix ſimul coeunt, pendere a quadam diſpoſitione figurarum partium illarum, ob quam ineptæ ſunt vt in vnum corpus coaleſcant, ac maſſam ſolidam vnita conſtituant, niſi conatus quidam vtrinque acceſſerit.

Porro, etſi Acida & volatilia quoad qualitates alterationem perpeſſa eſſe videantur, ob mutuam quæ accidit illorum confuſionem, neque actio eorum eadem ſit, atque omnino a priori diverſa adpareat, quando ſeorſim actiones proprias edere poterant, indolem tamen propriam ſervant, priſtinámque facultatem iterum exſerunt ſi divulſio & ſeparatio contigerit: id quod experiri licuerit ſi commixtum illi fuerit Sal Tartari,aut quodpiam aliud Sal fixum,neque enim Acida exuunt diſpoſitionem quandam qua cum ſalibus fixis potius cohærent quam volatilibus, adeo vt cum firmius Fixa amplectantur, Volatilibus autem ſuperficiarie cohæ-

cohæreant hæc permittunt: hæc vero ignis actioni volatilia nihilominus eadem penetrabili vi pollent iiſdemque facultatibus quas ante conjunctionem & cum acidis commiſtionem obtinuerant.

Poſſunt poſtmodum eadem Acida exui Salibus Fixis,ſi horum quantitas aucta fuerit, priora autem huius male obruantur; Cum enim Salia Fixa innata vi ignis vehementiæ obſiſtere valeant, etiam non concurrentibus Acidis, cohibere nequeunt horum diſceſſum, cum ignis vehementiæ imparia ſunt, quin vna cum Acido diſcedant, ſimul orbata vi illis conceſſa antequam Fixis conjuncta fuiſſent.

Congelatio proxime ad Coagulationem accedit;plurimi huic obnoxij liquores,ac non paucæ ſubſtátiæ a calore liquefactæ,quæ accedéte frigore concreſcunt: Ejuſmodi ſunt decoctiones multarum carnium & piſcium, imo ſerpentũ,præſertim vero Viperarũ Decocta raſuræ cornuũ Cervi & dentium Elephantinorũ,plurimáque alia,ſicuti & ſucci & decocta quamplurimorum fructuum acidorum, miſtorum & coctorum cum ſaccharo, nominatim Ribium, Omphacii,Ceraſorum illiſque ſimilium,quibus omnibus vulgo Gelatinæ nomen imponitur:Ad Congelationes quoque licet referre Aquam frigore concretam, ſebum & axungias quaſvis, ad ignem liquata, demum concreta; Sicuti & ceram, reſinas, oleum nucis moſchatæ,ac alia quamplura; ad ignem colliquabilia, ſed protinus ad frigoris occurſum congelabilia, etiamſi hæc ad Coagulationem poſſint referri.

Cryſtalliſatio ſpecies eſt congelationis familiaris Salibus tam Eſſentialibus quam fixis & volatilibus, imo illis quæ acidis commixta ſunt, quando maxima parte humiditatis redundantis; privata, in loco frigido ad Cryſtalliſandum collocantur, vnde educenda & exſiccanda poſtquam decantatus eſt liquor illis ſupernatans, qui in cryſtallos coire non potuit.

Ejuſmodi Cryſtalliſatio accidit Cryſtallis aut Cremori Tartari,Salibus Eſſentialibus variarum plantarum, Nitro diverſimode præparato, Vitrioli omni ſpeciei, diſſolutis,filtratis, &in vaporem ſolutis quovſque emergat pellicula, plurimiſque Mineralibus per corroſiva diſſolutis, Pelliculam vocamus cuticulę tenuis quandam ſpeciem Salium ſuperficiebus innaſcentem, in aqua diſſolutorum, cum eorum humiditas in auras ad ignem abierit, maximáque illius pars abſumpta fuerit.

CAPUT XLVI.

De Spiritualiſatione & Corporificatione.

SPiritualiſatio eſt partium corporis compacti in ſpiritum converſio: Salibus hęc nominatim aſſignatur, quorum fere omnes partes in ſpiritum per diſtillationem abeunt: Ejuſmodi ſunt Sal marinum, Nitrum, Vitriolum, Alumen &c. Plurima alia medicamenta ad Spiritus naturam deducuntur, præſertim ſucci & liquores fermentationem paſſi, e quibus emittuntur ſpiritus volatiles & φλογιστοὶ, at non Acidi, cujuſmodi ſunt illi quos ex Salibus extrahimus.

Corporificatio ſpiritus priſtino corpori proprio reſtituit, aut ſaltem corpori illi non abſimili quod ante ſpiritualiſationem obtinuerant Exempli gratia ſpiritus Nitri Sali Tartari conjunctus, vel proprio Sali fixo, ad cryſtalliſandum repoſitus priſtinum corpus reaſſumit: Spiritus Vitrioli, poſtquam Martem abſumpſit, in aqua diſſolutus, filtratus & ad evaporationem deductus, figuram & conſiſtentiam Vitrioli reſumit.

Eſt & alia *Corporificationis* ſpecies, per quam dum corporificantur ſpiritus, illi figuram priſtinæ omnino diſſimilem aſſumunt: Exempli gratia ſpiritus Aceti, poſtquam ab illo diſſoluta ſunt Corallia, Margaritæ, Saturnus &c. Corpus adſumere poteſt; figurámque Salis induere, ſi comes humiditas redundans in vapores ſoluta fuerit: Idémque Sal aceti ſpiritus formam aſſumere valet diſtillationis ope, dimiſſa ad fundum vaſis materia quæ vna cum illo corpus conſtituebat.

CAPUT XLVII.

De Reductione & Mortificatione.

REductio eſt miſtorum, aut partium illorum, in priſtino ſtatu repoſitio & reſtitutio; Sicuti poſtquam ſpiritus cum quibuſdam materiis conjuncti & concorporati ſunt, mediante diſtillatione ab illis abſtrahuntur & in priorem conditionem adducuntur.

Reductio in re metallica maxime locum habet; illius enim beneficio metalla, quæ ſpecie tenus per varias corroſiones, calcinationes, ſublimationes & diſſolutiones deſtructa erant, ad eundem ſtatum quem priuſquam vlla alteratio illis adveniret perveniunt; Iterata Mercurij vivificatio legitima quoque eſt Reductio.

Mortificatio eſt mutatio exterioris figuræ, imo quandoque ipſius ſubſ-

tantiæ mixti: Mercurio illa poteſt aſſignari, non modo cum is mixtus, & cum terebinthina concorporatus, aliiſve ſubſtantiis vnguinoſis, mobilitate & fluida ſua vi ſpoliatur;ſed & id illi accidit cū per plurimas præparationes Chymicas ſubigitur.

Poteſt & eadem Saturno aliiſque Metallis aſſignari, dum varias præparationes ſubeunt: Poſſunt & eandem experiri Animalia & Plantæ, non modo cum motu & augmento vna cum vita orbantur, ſed etiam cum eorundem partes ab invicem ſejunguntur, priſtinámque conditionem & figuram depoſuerunt.

In vtraque Pharmacia plurimi alij præparationis modi in vſu ſunt, quorum notitia comparabitur in huius Pharmacopœæ decurſu, adeo vt neceſſe non ſit earum deſcriptiones per ſingularia capita adferre, eorúmque numerum augere.

CAPUT XLVIII.

De Mixtione.

NVllius Medicamenti præparatio recte mente percipi poteſt priuſquam illud in cognitionem devenerit: Neque itidem Mixtionis ratio ad praxin deduci poteſt ignorata præparatione. Neque enim omnia medicamenta eadem ſimplicitate qua aqua & vinum gaudent, neque adeo facile innoteſcunt, vel vſitata ſunt ac ſicuti dicta commiſcentur.

Mixtio tertium eſt cognoſcendorum a Pharmacopœo, & ad vſum deducendorum: Sic definitur, Confuſio artificialis diverſorum medicamentorum, electorum, & accedente præparatione alteratorum, ſimul conjunctorum vt inde exſurgat medicamentum compoſitum.

Revera qaando antiqui de mixtione verba fecerunt, illo nomine præſertim intellexerunt confuſionem plurium medicamentorum præparatorum, vt ex iis exſurgeret compoſitio quædam: Sicuti cum ad compoſitionem cujuſpiam Electuarij artifex eligit, ponderat & vnumquodque medicamentum diſpenſat, conterit ea quæ pulverabilia ſunt, tranſmittit pulpas, parat decoctiones, vna cum illis ſaccharum & mel decoquit ad convenientem conſiſtentiam, ac deinceps illis commiſcet pulpas & pulveres,ex omnibus conficit Electuariū,& ſic de cæteris compoſitionibus.

At vero ego in vtraque Pharmacia mixtiones perpetuas eſſe ſtatuo, quandoquidem pauciſſimæ præparationes abſque mixtione perfici queunt: Etſi vero in Mixtionis ratione difficultatis minimum ſubeſſe

videatur, ac revera apud peritos omnium præparationum facilitas adſit, ſuis nihilominus illa non caret difficultatibus, acuratáque ſedulitate opus habet in ſexcentis rebus quas obſervare neceſſe eſt: Cujuſmodi ſunt Diſpenſatio medicamentorum quæ compoſitum quoddam ingrediuntur, Conſideratio varietatis illorum ſubſtantiæ, Præparatio debita quo Mixtioni idonea fiant; Requiſita ingredientium proportio, quo ad votum ſuccedat conſiſtentia & figura qua medicamentum compoſitum donandum eſt, Gradus ignis adhibendi & coctionis, Vaſa & Organa quæ in vſum advocanda ſunt ad decoctiones & mixtionem, Tempus & momentum neceſſaria, Vaſa & Locus Compoſitionibus recondendis & aſſervandis idonea.

Morborum varietas, illorum complicatio, ſymptomata ex inſperato accidentia, & neceſſitas citiſſimi auxilij nullo non tempore impulere Medicos ad ſexcentas compoſitiones excogitandas: Aegrorum indoli & captui aliquid concedendum erat, & impellente neceſſitate Medicamentorum tum ſimplicium tum compoſitorum varietati ſtudendum; quorundam ſegnities & debilitas aculeo indigebat, aliorum vis retundenda, Variis donanda erant figuris, alia atque alia conſiſtentia; Sapor alius conciliandus, ac de Conſervatione ſollicitudo eſſe debuit.

At cuncta hæc citra Mixtionis opem ſperare non licebat, quo fit vt ab vtraque Pharmacia divelli nequaquam queat; Etiamſi enim Chymica Ars neque in præparatione neque in vſu remediorum perpetuo indigeat medicamentorum tam inſigni adparatu qualis, ſæpe in Galenica obſervatur, diviſio tamen & depuratio partium Medicamentorum ab ipſa inſtituta normas omnino ſingulares, peculiarémque ſolertiam requirit ad ritam illorum Mixtionem & conjunctionem; Subſtantiarum diſſimilitudines notæ eſſe debent, & ratio tenenda per quam ad quandam homogeneitatis ſpeciem deducantur, quo ex illis Elixiria & Panacææ inſignes viribus exſurgant; quæ ſane notitiam Pharmaciæ Galenicæ ſuperant, cui etiamnum in more non eſt poſitum Mixtione vti præterquam in medicamentis, quorum partes hæc conſtituentes invicem intricatæ ſunt & involutæ.

Liceret hic excurrere, plurimáſque animadverſiones inducere circa rectam rationem miſcendi & conjungendi omne medicamentorum genus; at cum in iſtius Pharmacopoeæ ſerie verba mihi facienda ſint de Mixtione ſingulari cujuſque Compoſiti, ſicuti & de ſingulo quoque inſigni Præparato, tum Galenico tum Chymico, ſatius eſſe duxi illuc Lectorem remittere quam Caput hoc ejuſmodi cautionibus adaugere.

CAPUT

CAPUT XLIX.

De Compoſitione Medicamentorum.

Compoſitio Medicamentorum abſque Mixtione eorundem perfici nequit ; at Compoſitionis vocabulum ſecum importat rem rite conſtitutam, proportionatam & diſpoſitam, quo neceſſitate vrgente emineant effectus expectandi a conjunctione diverſorum medicamentorum,in vnum vel plures fines tendentium.

Huc non adducturus ſum rationes propter quas medicamentorum compoſitio in vſum venerit, ſatis mihi fuerit oſtendiſſe præter compoſitionum ingentem numerum quæ hactenus in medium prodiere, Medicis jus quotidie recentium excogitandarum conceſſum eſſe , nonnullas maiorum medicamentorum numerum admittere, alias minorem.

Id quoque allaturus ſum, etſi conſervationis medicamentorum ratio, princeps fuerit cauſa eorundem componendorum, proſtare nihilominus plurima remedia compoſita, quotidie in vſum venientia, quæ diutinam conſervationem reſpuunt, imo cito in corruptionem abeunt,eapropter nonniſi neceſſitatis & vſurpationis tempore præparanda.

In animum non intuli in genere medicamenta omnia quibus Aures vſi ſunt attingere, ſatis fuerit attigiſſe in genere remedia omnia compoſita quæ hodie familiari in vſu ſunt, vel vſurpari queunt, Compoſita omnia remedia diſtinguens in Interna & Externa.

Interna ſunt Iulapia, Apozemata, Emulſiones, Amydalata, Inſtaurantia, Potiones Purguantes & Alterantes, Mixturæ, Gargariſmi, Ptiſanæ, Decocta varia; Boli, Clyſteres, Suppoſitoria, Peſſaria, Noduli, Iniectiones, Vina, Aceta, Succíque varij (quæ & exterius admoveri poſſunt) Roob, Mella Compoſita, Oxymelita, Syrupi, Eclegmata,Morſuli bechici, Condita, Gelatinæ, Conſervæ, Electuaria, Hieræ, Opiatæ, Confectiones, Antidoti, Tabellæ, Pilulæ, Pulveres, Aquæ ſtillatitiæ ſimplices & compoſitæ, Feculæ, Extructa; Reſinæ,Salia Fixa, Volatilia & Eſſentialia, Cryſtalla, Flores, Magiſteria, Croci, Olea Diſtillata, Expreſſa, Tincturæ, Elixiria, Eſſentiæ, Balſami; Panaceæ, Calces, Lapides, Vitra, Reguli, Sulphura, Sublimata, Præcipitata &c.

Remedia Compoſita Externa ſunt, Balnea, Semicupia (vel Encathiſmata) tum humida tum vaporoſa, Lotiones, Embrocationes, Fotus, Sacculi, Cucuphæ,pulveribus cephalicis inſtructæ; Frontalia, Sinapiſ-

mi, Veſicatoria, Depilatoria, vel Pſilothra, Cataplaſmata, Epithemata liquida & ſolida, Suffitus, Poma, Grana & Candelæ odorata, Lapides cauſtici, Mucilagines, Balſamorum varia genera, Olea plurima tum iufuſa tum expreſſa, imo diſtillata, Linimenta, Pomatæ, Vnguenta, Cerata, Emplaſtra, Paſtæ pro manibus, Telæ inceratæ, Sparadrapi aut Telæ Gualteri, Flores quidam, Magiſteria quædam, Calces quædam, & Lapides quidam compoſiti, de quibus omnibus loco idoneo dicturus ſum.

Caput L.

De Igne, Ejuſque Gradibus.

NOn iniuria Ignis ab omni ævo Elementorum omnium nobiliſſimus iudicatus eſt, quandoquidem Naturæ & Artis in omnium rerum productione princeps inſtrumentum eſt, illas fovet, nutrit & incrementum addit; lumine recreat, ac eximia ſubtilitate ſubſtantias etiam compactiſſimas pervadit & penetrat.

Quo vero jure nonnulli, qui celebritatem nominis ſibi ſcriptis Chymicis & laboribus compararunt, quibus nunquam Ignis vtilitatem in dubium revocare debuit, ex numero Elementorum expungere voluerunt, productionis alicuius momenti cauſam eſſe poſſe negantes, corruptoris & Deſtructoris titulo illum nuncupantes, non video; Etſi enim nullus dubité Ignem ſi quando in lignis, vel alia quapiam materia combuſtibili accenſus fuerit, illique materiæ continuitas, in quam activitatem ſuam exſecrere queat, occurrat, quin eandem abſumat & deſtruat, donec nullum amplius præſto ſit objectum in quod agere queat; Id omnibus in confeſſo eſſe debet, præter ſummam illius neceſſitatem, adeo ne vnica die illo carere nobis liceat in vtraque Pharmacia, imo ad vitæ noſtræ fomentum, nobis conceſſum eſſe pro libitu ejus actionem moderari, augere vel imminuere, ſive aucta ſive imminuta copia pabuli, ligni aut carbonum, ſive reſeratis aut clauſis oſtiis & canalibus aërem admittentibus & Ignem accendentibus.

Me quod attinet, non modo probo, & in vſum advoco Ignis auxilium in arte quam profiteor, imo aſſero me illo deſtitutum nullam vnquam ſolidam cognitionem rei alicujus comparaturum fuiſſe; quicquid vero hactenus mea induſtria adeptus ſum, id ipſum in plurimis operationibus inutile futurum niſi copia Ignis mihi fieret, ad illas inchoandas, continuandas & perficiendas.

Ignis nomine non modo audio Ignem culinarem accenſum & ligna abſu-

abſumentem, carbonem aliaſque materias combuſtibiles, ſed in genere quemcunque Calorem e quo emanant actiones Ignis naturam reſipientes: Quapropter Ignem diviſurus ſum, aut Calorem, in Naturalem & Artificialem.

Ignis Naturalis is cenſetur quem radij Solares producunt, Artificialis qui arte hominum exciatur, pendétque ex varietate & quantitate materiæ combuſtibilis illi ſubjectæ; Pharmacia vtraque varios in vſus Solis calorem naturalem trahit, ſed vt plurimum Artificialem adhibet, à quo plura quam ex poteſtate caloris Solaris & potiora expectanda ſunt.

Nulla neceſſitas impellit vt hoc loco diffuſe de Solis calore agam; quem & inquirere & nanciſci intenſiorem & remiſſiorem licuerit pro Climatum aut anni tempeſtatum diverſitate, vſuum varietate, quem & licet augere & extraordinarie multiplicem facere per reflexiones, refractiones aut repercuſſiones ſi ad ſpeculum ardens confugiendum ſit: Specialius vero attinguam Calorem Artificialem varioſque illius gradus, cujus duo generales conſtitui queunt, Digeſtionis vnus, alter Separationis.

Digeſtio diverſos adhibet Ignes, quorum maxime ſimplex, & ad naturalem proxime accedens, eſt Fimi Equini, qui etiamnum intenſior aut remiſſior fieri poteſt pro Fimi copia, ejuſdem congeſtionis tempore, & loci ratione, profundioris aut ſuperficiarij, cui vas calefaciendum immerſum fuerit: Illud enim compertum eſt nemini licere, vel momento temporis, manum alte demerſam in fimi ingentis congerie continere ſi illi calorem concipiendi temporis conceſſum fuerit ſpatium, ac ne quidem virgam ferream illi immiſſam & aliquantiſper detentam in eadem fimi maſſa, manu amplecti: Fimi calor, Calor ventris equini etiam vocatur.

Ignis Aëris excalefacti mediante Igne culinari, ſubdito vaſi fictili, aut ferreo, quod ignis actioni obſiſtere valeat, & fornace incluſus clauſa, eáque proportione comparata vt ſuperna parte excipere poſſit Vas materias comprehendens, pro Igne moderato habetur.

Ignis *Lampadis* moderatiſſimus & maxime æqualis cenſetur, etiamſi intendi aut remitti poſſit pro magnitudine & numero ellychniorũ accenſorum, próque varia lampadum, & Vaſorum quæ ab his accendi debent magnitudine: Ignis Lampadis admodum illis frequenti in vſu eſt qui Medicinæ vniverſalis diſquiſitioni incumbunt, vtilis ad plurimas alias Operationes quæ diuturnitate egent, & igne admodum æquali, ſive ad digeſtiones, ſive fixationes.

Ignis *Vaporis* aquæ calentis, moderatiſſimus quoque ignis eſt, ſed ea-

dem æqualitate regi nequit quam Ignis Fimi, Aëris aut Lampadis: Hujus autem augeri poteſt calor procurato aquæ balnei fervore: In vſum ſolummodo venit propter operationes quæ non egent igne diutius producto.

Ignis *Balnei Mariæ*, qui & *Balneum Maris* dicitur,hoc eſt regimen, Immergitur vas materias continens in aquam calentem, tanquam in Balneum: Vſurpatur ad Tincturas, ad Circulationes, Digeſtiones, & Diſtillationes: Paulo valentior eſt Ignē vaporis de quo modo actum: Poteſt & is intendi aquam ad fervorem deducendo.

Ignis *Cinerum*, improprie Balneum Cinerum dictus,prioribus calentior eſt ſi ad vltimum caliditatis gradum perductus fuerit: Eum in finem aſſumantur vulgo cineres lignorum, per incerniculum raræ texturæ tranſmiſſi, Capſulæ ferreæ immittuntur, aut fictili, ignis vehementiæ obſiſtere idoneæ: Capſula fornaci eum in finem conſtructæ imponitur, immergitúrque vas materias continens, adeo vt ad minimum pollicis craſſities fundum capſulæ & vaſis intercedat,ambiántque vndiquaque vas cineres quantum extat materia: Vas poteſt eſſe argenteū, cupreū,interna facie ſtanno obductū,fictile aut vitreum:Infra capſulam accenditur ignis quo paulatim cineres incaleſcant,qui in eodē gradu detinetur, aut augetur,pro conditione materiarum,ſive ad digeſtionē,ſive ad diſtillationem.

Ignis *Arenæ*, cui & Arenæ Balnei vocabulum aſſignatur, multo magis intenſionis capax eſt quam cinerum, quo fit vt nomen gerat Ignis Separatorij: Poteſt nihilominus plus aut minus calere prout adhibetur major aut minor ignis,aut pro varia craſſitie vel gravitate granorum arenæ illum conſtituentium, adeo vt ſuccedaneus eſſe queat ignis Cinerum ſi moderatio adhibita fuerit: Ejuſmodi Ignis idoneus eſſe poteſt parandis Digeſtionibus, Diſtillationibus, Sublimationibus ac plurimis aliis operationibus: Omnium vſitatiſſimus eſt Ignis hic in Chymia, & ad multas Operationes, imo vt plurimum in vſum accerſitur.

Ignis *Limaturæ ferri*, aut *chalybis*, Balnei quoque voce inepte indigitatur; Illius Calor multo intenſioris gradus quam ignis Arenæ capax eſt, ſed non admodum frequens eſt.

Ignis *Nudus*, Patens aut *Immediatus*, multo plus caloris quam præcedentes impertire poteſt: Id nominis gerit, quia ignis immediate attingit vas materias continens, imo ipſas materias,ſi ejuſmodi ſint quæ ignis viciniam non recuſent, neque vaſe aliquo concludi poſtulent: Ignis hic frequentiſſimi vſus eſt in Pharmacia vtraque, præſertim ad plurimas decoctiones & diſtillationes,ſicuti & ad vſum culinarium,coquendorum ergo alimentorum, quos in vſus omnium familiariſſimus eſt & communiſſimus.

Secun-

Secundus Ignis vocatur *Ignis Rotæ*, cum ſcilicet materia crucibulo immittitur, vel alicui cuipiam vaſi idoneo, igniſque circumcina,vas accenditur, Rotæ ignitæ in ſpeciem, cujus ideo nomen gerit: Ignis ille Rotæ a vaſe ab initio aliquantulum diſſitus eſſe debet, quo id ſenſim incaleſcat, paulatim proximius admovendus,ſed perpetuo in ambitu æqualiter; poſtremo, ſi vis, juxta vas omnino adplicari debet, in eodem gradu conſervandus,aut pro re nata augendus.

Datur & alter Ignis patens,*Suppreſsionis* dictus, caloris gradu ab igne Rotæ non multum diſſimilis, qui in vſum adducitur modo ad meliorem materierum fixationem, modo ad cujuſpiam ſubſtantiæ ab illis abſtractionem; exitum illi vel ad latera vel ad inferiora procurando: Paulatim vas calefit, in ambitu poſitis carbonibus accenſis, quibus tandem omnino operitur; augendo, atque vrgendo ignem tantum & tamdiu quantum requirit operationis perfectio.

Adhibetur & Supreſſionis Ignis nonnunquam ſub diſtillationis per Retortam factæ finem, illius præſertim ad quam vſurpatus eſt Ignis Arenæ: Venit & nonnunquam idem in vſum medio diſtillationis tempore, ad faciliorem exitum ſubſtantiarum ſpirituoſarum aut oleaginearum, obſiſtentium igni vaſi ſubſtrato.

Quartus Ignis Patens eſt *Reverberij clauſus*, Inſtituitur is imponendo Retortam, materias continentem, fornaci idoneæ, ſupra ignem initio mitem, demum paulatim & per gradus adauctiorem ad ſummam vſque vehementiam: Ignis ille Reverberij clauſi creberrimo in vſu eſt ad diſtillationem plurimorum ſpirituum, illorum præſertim qui corrodendi vim nacti ſunt: Idoneus & eſt ad diſtillationem multorum Oleorum & Salium volatilium, ad quæ neque adeo productus ignis, neque tam intenſus requiritur: Dicitur Ignis hic *Reverberij*, quia non ſolum vas immediate attingit, ſed prætерea reflectitur & reſilit ſuperius & ad latera: Datur & Ignis *Reverberij* Patens, ad quem opus eſt Fornace tegmine deſtituta.

Quintus Ignis is eſt quem vocant *Ignem Flammæ* aut *Fuſionis*; præcedentes omnes vehementia hic ſuperat, idoneus tam fuſioni plurimorum metallorum, ſemimetallorum & metallicorum, quam ad illorum Calcinationem, necnon variorum lapidum.

Eſt & ſextus Ignis, ſcilicet majorũ *Vitrariarum fornacum*, dicatus vitrificãdis plantarũ cineribus, ſilicibus & materiis arenoſis: Ignis hic prænominatis omnibus multo vehementior eſt, tam ratione vaſtitatis & craſſitiei Fornacis, quam lignorum copiæ continuo ſuggeſtæ & accenſæ: Poteſt in vſum duci ad Reverberium & Calcinationem diverſarum materiarum.

Omnes prædicti Ignes, etſi a ſe invicem multum diſſideant, poſſunt ſigillatim præterea diverſos obtinere gradus,adeo vt vnus idemque Ignis intéſior evadere queat ſervata eadé ſpecie:Imo Ignibus vehementiſſimis, nominatim Reverberij, quatuor aſſignati ſunt gradus, quorum primus in vſum venire debeat vt paulatim incaleſcant vaſa, & materiæ iis comprehenſæ; ſecundus ad vlteriorem incaleſcentiam & vt prope incandeſcant: Tertius ad perfectam incandeſcentiam; Quartus vt vaſa eo in ſtatu permaneant, & materiæ, & vt ignis vehementium per debitum temporis ſpatium, quantum reverberij ratio requirit, ſuſtinere queant.

Actio diverſorum Ignium quos Chymia ad Operationum perfectionem adhibet, abſque aëris ſubſidio fere inefficax foret, quem Ignis Animam appellare liceat, atque primum mobile variorum effectuum quos aſſequi intendimus; quandoquidem poſita eadem carbonum, aut alterius materiæ combuſtibilis quantitate, ignis aut intenſior aut remiſſior fiet pro aëris copia admiſſa quæ illi animam afflaverit: Quo fit vt in ſtructuras Furnorum cautiones neceſſariæ obſervandæ ſint, ratióque habenda proportionum quoad diſtantias in altitudine & latitudine; Neque prætermittenda conſideratio oſtiorum & ſpiraculorum per quæ aëri introitus concedendus eſt & exitus procurandus, vt pro re nata aut intendatur calor, illa reſerando; aut remittat is de vehementia, eadem occludendo, quæ omnia capite ſubſequenti apertiora fient.

Caput LI.

De Furnis aut Fornacibus.

VOcatur Furnus, locus anguſtus in quo Pharmacopœus accendit & moderatur ignem ad omnes compoſitiones, aut præparationes tum Galenicas tum Chymicas: Excogitati ſunt Furni in commodum artificis, quo ſupra ignem dominium obtinens, intendere illum queat, minuere, atque ex voto eundem in omnibus materiis dirigere pro re nata.

Structura Furnorum omnino varia eſt, quia partim pendet ex conditione materiæ, & operationum ſuſcipiendarum varietate, quam ex genio & induſtria Artificis, cujus eſt illos excogitare non minus quam conſtruere.

Materia ex qua Furni conſtruuntur & componuntur admodum varia eſt, eúmque in finem non minus illorum magnitudinis ratio habenda eſt quam loci & vſus cui deſtinantur; Ingentes Fornaces Vitriariorum conſtrui ſolent ex magnis lapidibus, ignis vehementiæ obſiſtere aptis,

tum

tum ob magnitudinem inſolitam, tum ad perennitatem'; Cæduntur quinetiam, & accommodantur, vnus vel alter, vel plures majores lapides, ejuſdem naturæ, ad conſtructionem minorum Furnorum, aliis vſibus dicatorum.

Furni omnium vſitatiſſimi lateritij ſunt vtplurimum:lateres alias quadrati ſunt, alias oblongi, modo effic̃ti quaſi circuli ſegmenta, quorum vnumquodque quartam, aut ſextam, aut octavam partem compleat.

In vſum nonnunquam veniunt dicti lateres invicem coaptati & ſuperimpoſiti, nullo cemento interveniente, ſi præſertim conſtruendus Furnus in extemporaneum vſum & operationem vrgentem, vel quæ præcautionibus momenti alicujus non indigeat: Ejuſmodi Furni eadem facilitate pro re nata conſtrui & deſtrui poſſunt, ſed vtplurimum ſtructuram obtinent ex lateribus contiguis & luto diverſimode præparato conjunctis, pro terrarum diverſitate aut vehementia &, diuturnitate ignis in Furno accendendi.

Sunt & alij *Furni*, quos *Portatiles* vocant, quia hinc inde, quocumque libuerit, transferri queunt, aut collocari, aliquando ex vnico lapide conſtructi, at vt plurimum duobus, tribus aut quatuor ſimul conjunctis & ſibi ſuperimpoſitis, quos ab invicem ſejungere licet pro lubitu: Omnes illi Furni portatiles, tum qui ex pluribus compoſiti ſunt partibus, tum qui ex vnica, ſuo gaudent Cinerario, Craticula, Foco, Oſtiis, Tegmine concamerato, Spiraculis, aliiſque partibus, quibus & itidem donantur Furni lateritij.

Horum Furnorum materia vt plurimum argilla eſt, vel terra pinguis, ſubacta cum pulvere antiquarum teſtarum, & arena, æquali proportione mixtis & aquæ quantum ſufficit, vt ex his paſta confiat: Coquuntur poſtmodum in furno Figulino, cum cæteris vaſis figulinis.

Furni omnes Aperti ſunt aut Cooperti: Aperti operculum non habent, cooperti autem Tegmen habent concameratum, ipſos contegens ſimul cum materiis concluſis, a quo, concentrato calore, illarum prohibetur diſſipatio.

Maxima Præparationum & Compoſitionum Galenicarum pars in Furnis apertis perficitur, etſi iidẽ Furni plurimis operationibus Chymicis vtiles eſſe queant; Figura rotunda quadratæ præpollere non debet ratione figuræ exterioris Furnorum, cum exiguum inter vtrumque adſit diſcrimen, ratione habita actionis ignis, at vero, quantum conceſſum erit, figura circularis quoad furni interiorem faciem præferenda eſt, quippe cùm calori liberior ibi ſit commeatus, majorique æqualitate quam ſub quacunque alia figura diffundatur: Adhæc vero obſervandum Furnorum craſſitiem & ſpiſſitudinem non exigui eſſe momenti ad diuturnita-

tem caloris ignis,& ambientis frigus reprimendum, a quo vt plurimum maxima pars caloris Furnorum diſſipatur & in auras abit ſi debitam craſſitiem non obtinuerint.

Aëris quoque regimini non minus attendendum quam Ligni aut Carbonum in caloris adminiſtratione, quia, ſicuti capite præcedenti a me dictum, major aut minor aëris admiſſi copia proculdubio illius adauget aut imminuit efficaciam: quo fit vt reſpectu habito diſtantiarum & proportionum,in ſtructura Furnorum obſervandarum,ad conciliandum igni aëré perpetuo neceſſarium,paratis oſtiis & ſpiraculis requiſitis in illis Furnorum locis per quæ aëri introitus & exitus facilis concedendus eſt, obturamenta adæquata & paranda ſunt,ad claudenda prædicta ſpiracula ſicubi moderari ignis actioné neceſſe eſt;vel reſeranda ſi ille vrgendus;id quod percipere facilius dabitur ab exéplis ſuſequétibus,ac prefertim deſcriptione Furni Aperti,admodú cómodi in vſum quotidianú,cujus ſtructura ejuſmodi eſt vt tria ſpatia diſtincta adſint,ſcilicet pro Cinerario,pro Foco,& Loco in quo collocandum vas materiebus continendis dicatum.

Furnus hic conſtrui debet ex lateribus, mediante luto ſimul conjunctis, quod parare ſolent ex argilla, arena, ſcorijs ferri, pilis & fimo equino ſimul cum aqua ſubactis;Donatus hic eſſe debet Cinerario, Craticula, Foco; Ferramentis, Loco excipiendo vaſi idoneo, Oſtiis & Spiraculis; Imo, ſi lubet, Tegmen concameratum imponi poteſt, ſicque quarta regio adſtrui, ad ignem Reverberij accommodata.

Furnus hic plerumque quadratus eſt cujus altitudo debet eſſe viginti ſepté pollicum,ſi latitudo viginti pollicum fuerit in vnaquaq; facie exteriori, adeo vt interius ſpatium ſit duodecim pollicum in quadratura.

Regio Cinerario deſtinata obtinet octo pollices altitudinis, cui Craticula tranſverſim incúbat,pollicis circiter in furni capacitate craſſitiem obtinens

Craticula ex ſudibus ferreis,decem aut duodecim linearum in quadrato, conſtare debet:Sudibus dictis longitudo proportione reſpondens aſſignáda;in extremitatibus cópreſſe ſint qua parte Fornaci innituntur:at vero depreſſio illa inæqualis ſit, & tantum quoad duos angulos,adeo vt cú collocatæ fuerint illæ ſudes,angulorum alter directe ſurſum ſpectet, angulus auté oppoſitus,linea recta inferius vergat;cæteri vero duo anguli vicinos angulos ſpectent aliarum ſudium ipſis collaterales, A ſude vna ad alteram diſtantia tantum adſit quatuor aut quinque linearum, cum ſufficiat prędicti ſpatij amplitudo aeri neceſſario admittédo ad carbonis accenſionem, ſatíſque anguſtum ſit ad carbonem continendum, eundémque prohibendum ne per craticulæ intervalla excidat.

Cinerario concedendú, eſt oſtium latitudine lateri vſitato reſpondens, altitudine

altitudine Cinerarij, media in facie Fornacis: Supra dictum & Oſtium adponenda eſt lamina ferrea, quinque aut ſex lineas craſſa; lata tres circiter pollices, octo autem longa, quæ vices liminis teneat cui ſolidus later imponendus eſt.

In Furni ſtructura per ambitum pergendum, relicto oſtio ad Focum ejuſdem magnitudinis quod Cinerarij: Prædicta oſtia e directo ſibi reſpondere debent, vnum alteri ſuperimponendo: Id quod foco dicatum eſt ſex vel ſeptem pollices obtineat in altitudine, ſupra quod quoque lamina ferrea imponenda eſt,illi ſimilis quæ Cinerario adpoſita fuit; atque hæc lamina ſolidum laterem ſuperpoſitum habere debet: Circa iſtam altitudinem excavanda ſunt duo foramina quorum quodque nucem juglandem majorem admittere valeat, Dicta foramina e directo ſibi oppoſita ſint, atque vnumquodque medium vnius laterum furni excipare debet, Pervia ſint illa foramina, adeo vt, ſi neceſſitas poſtulet, tranſitus concedi poſſit ſudi ferreæ, ſuſtinendi gratia vaſis: Poſtmodum ſtructura Fornacis altius perducenda, ad quatuor ſcilicet pollices ſupra dicta foramina; quæ altitudo ſufficiens futura eſt pro Fornace ordinaria, quibuſvis decoctionibus parandis idonea.

Sin inſignioribus vſibus dicatam velis Fornacem, ſtructura perducatur quoad obtinuerit octodecim pollices ſupra craticulam, adeo vt interſint octo aut novem pollices altitudinis pro Foco, reliquum ſpatium collocando vaſi materias continenti dicatum ſit.

Poſtmodum optimo cemento, fragmentis lateritiis commixto,muniendi ſunt & implendi anguli Furni interni, adeo vt figura interna circularem aſſequatur figuram,at vero in cujuſque anguli parte interna ſinendum foramen apertum cui digitum immittere liceat: Foramina illa ad Focum vſque pervia ſint,quo aër igni neceſſarius introire poſſit: Spiracula Regiſtrorum nomen gerunt, quia regimini ignis inſervunt: Vnicuique ſuum aſſignandum obturamentum, ex materia Furnorum portatilium confectum,in vſum venientia ſi reprimenda ignis vehementia, foramina claudendo.

Foci etiam regio eo modo ſit conſtructa vt verſus fundum progrediendo paululum anguſtior ſit,idémque fundum ſeptem tantùm aut octo pedum diametrum obtineat, tum vt carbonum minor ſit conſumptio, tum vt ignis ſponte ad medium focum feratur: Neceſſe quoque eſt vt interior Fornax inſenſibiliter verſus ſuperiora lateſcat, ad commodam inſertionem vaſorum latiorum, quæ ſæpenumero vſurpanda veniunt.

Poteſt & hæc Fornax ad Diſtillationes vtilis eſſe, quæ igne reverberij perficiendæ ſunt; in latere marginem incidendo, vt tranſitus concedi queat proboſcidi Retortæ, Fornaci adponendo Tegmen concamera-

tum iuſta proportione reſpondens, foramine in medio pervium, non minus vſui futurum ac quatuor ſpiracula, quæ tunc delitefcunt ſub baſi Tegminis concamerati.

Hoc pacto comparare licuerit Furnum, qui & vſum præſtare poterit ad varias fuſiones & calcinationes, ſi præterea duo aut tria oſtia in cinerario pararentur; aër quipe per illa admiſſus magnum ignis actioni incrementum præberet.

Inventum hoc anſam mihi præbet tradendi deſcriptionem trium *Furnorum Anemiorum*, Curioſis rem gratam me facturum ratus, quod idonei ſint Fuſionibus, quibus Pharmacia Chymica aliquando indulgere neceſſe habet: Primi hæc ſit ſtructura.

Delineabitur & ſtruetur quadratum diametrum obtinens viginti pollicum: In medio cujuſque faciei dicti quadrati relinquatur Oſtium quatuor pollices latum; quatuor illa Oſtia, quatuor conſtituent Portas: Quatuor illarum quadrati facierum materia ſit lateritia, ſervato tamen ſpatio Oſtiis aſſignato; Murorum ſpiſſitudo habeat latitudinem Laterum, hoc eſt quatuor circiter pollices: Ædificium ad bipedalem altitudinem deducatur, ſed inter ſtruendum in vnoquoque angulo furni foramen declive relinquatur, ab inferiori parte verſus ſuperiorem tendens, ac verſus angulum directe illi oppoſitum: Foramen illud initium ducere debet circa quintum pollicem altitudinis ædificij, in quo pergendum, procedendo verſus craticulæ medium ad duorum digitorum diſtantiam; Foramina illa quatuor inſtructa ſint Tubis ferreis, ſuum cuique aſſignando, duarum linearum ſpiſſitudinis, trium pedum longitudinis, in tubæ rectæ formam efficitis, quorum orificium exterius quatuor circiter pollices latum ſit, deorſum verſus ſpectans, in anguſtum deſinens parte ſuperna, adeo vt acutum extremum digitum tantum admittere valeat: Quatuor illi Tubi cupro ferruminari debent, & proprio loco collocari ædificando furnum: Huic ædificio ad duorum pedum altitudinem perducto, quatuor trabeculæ ferreæ depreſſæ imponentur, ſex vel octo lineæ craſſæ, & quatuor circiter pollices latæ, quatuor Oſtia cooperientes, quatuor furni muros colligantes; Craticula imponatur duabus trabeculis directe oppoſitis: Craticulæ ſudes (vel bacilli) ſimiles ſint craſſitie & figura, (itidem in extremitatibus depreſſæ) iis quæ a me in ſuperioris fornacis delineatione deſcriptæ ſunt, eundem ſitum, eandémque collocationem obtineant: In Structura pergendum innixa trabeculai craticulæ & laminis ferreis, ſimul & reliquis partibus nullo alio oſtio parato; Perducendo adhuc ſtructuram ad altitudinem decem circiter pollicum, quæ altitudo ſufficiens futura eſt pro Foci regione & collocandis vaſis continendis materiebus calcinandis aut liquandis dicatis: Anguli interni iſtius

foci

foci implendi & muniendi erunt luto & fragmentis lateritiis,ad id attendẽdo vt ſuperficies interna rotunditatẽ adquirat,vtque ſenſim in anguſtũ definat ad craticulam vergens, ſicuti de fornace præcedente admonui.

Interim procurandum vt Figulus concinnet operculum fornicatum, non diſcretum, cujus baſis æquipolleat limbis internis partis ſuperioris furni, quibus imponendum eſt; Craſſities iſtius operculi fornicati ſit ſeſquipollicaris circiter: Furni iſtius oſtium à baſi initium ducere debet, quinque pollices latum, quatuor pollices & ſemis altum, Obturamentum vero ex eadem materia qua operculum fornicatum, ejuſdem craſſitiei & circa ſui medium perforatum duobus foraminibus æqualibus, longiuſculis, e regione ſibi oppoſitis, ea ratione comparatis vt tenaculis apprehendi poſſit Operculum,vbi detrahendi vel imponendi neceſſitas adfuerit: Operculum fornicatum apertum ſit in media parte ſua ſuperiore, apertio vero circularis ſit,duos circiter pollices diametrales obtinens in Regiſtri vel ſpiraculi vſum; Operculi faſtigiati apertioni imponi poſſunt vnus vel alter Tubus, ſibi incumbentes, ſurſum ſpectantes, craſſitiei quatuor aut quinque linearum; Tubus vero proportione reſpondeat apertioni operculi, vt ſimul ſurſum perducantur ad trium pedum aut circiter altitudinem: Accenſi carbones in Fornace ejuſmodi ſtructuræ, intenſi caloris authores erunt, qui & calcinare & fundere Mineralia,quæ igni non obſiſtunt,potens erit.

At vero manifeſtior effectus eluceſcet ſi Fornax in modum ſequentem conſtruatur; Paretur Fornax Anemia, quæ puteum habeat vicinum tribus pedibus diſſitum, quoad dimenſiones illi ſimilis quam modo deſcripſi, quæ tamen careat tubis in quatuor angulis poſitis; qui abeſſe poſſunt: Accipe Tubum ex ferro albo paratum, qui circiter duorum pollicum diametrum obtineat, cuius baſis quinquies aut ſexies quam reliquum amplior ſit, vt aëri facilior introitus concedatur: Tubus ille admodum productus ſit, cuius extremum ſemi pedali longitudine aquæ putei immerſus ſit, hinc exporrigatur vſque ad pavimenti locum in quo conſtructa Fornax: Tubi ſumma extremitas recurva eſſe debet & paulo anguſtior, quo poſſit committi & ſubire alium tubum, parandum ex ferro vulgari ſolidiſſimo, qui procedendo verſus cuſpidem extenuetur, & orificium extremum digitum tantum admittere valeat. Vltimus hic tubus inferendus foramini,data opera excavato in puteimargine & ad pavimenti ſuperficiem, qui maximo ſui orificio arcte amplectatur minus orificium majoris tubi ex ferro albo confecti: Sufficientem obtineat longitudinem, & incurvam, adeo vt ſenſim conſcendat, ejuſque pars acuminata vergat in foramen per quod tranſmittatur, cujus initium ſit ſupra alterutram trabeculam ferream, ex iis quæ Oſtio

Fornacis incumbunt, feratúrque ad crucibuli fundum materias continentis; quod inniti debet maſſæ terreæ figulinæ rotundæ figuræ, mediæ craticulæ impoſitæ, Excavandum quoque foramen aliquantiſper majus in muro Fornacis,illi oppoſito per quem intromittitur tubulus qui priori elatior eſſe debet, eáque in parte occurrat per quam ventus tubi deferendus eſt: Ab hac machina effectus omnino extraordinarius expectandus eſt; nam ipſo in ſtrepitu, edito ab aëre incluſo, per tubos vltro citróque commeante, citiſſimè, citra carbonum ingens diſpendium, celerrime conſequi licet quod alias citra majorem apparatum, intenſioremque ignem non expectandum, citra hujuſcemodi artificium, vel aliud ſimile.

Tertius Furnus, Anemius dictus,non adeo ac priores intricatam ſtructuram expoſcit, qui eo acceptior eſſe debet,quod in decurſu demonſtrationum Chymicarum anni vltimi, in poſterum etiam exhibendarum, manifeſtus fuit ſuceſſus Fornacis a me conſtructæ in Elaboratorio Chymico Horti Regij, cujus jam deſcriptionem dare adgredior.

Fornax quadrilatera ſit, bipedalis,ejus altitudinis, & totidem pedum diametralium: Exſtruatur oſtium Cinerario dicatum, in medio muro anteriore, proxime pavimentum quod baſin Fornaci præbere debet: Oſtium hoc diametrũ habeat tum in altitudine,tum in latitudine octo pedum: Muri Fornacis ſeptem pollices & ſemis craſſitiei concedantur, adeo vt in medio ſuperſit ſpatium quadratum, novém circiter pollitum diametrum,muri lateritij ſint, addito optimo cemento; At vero vndique & æqualiter ad oſtij vſque altitudiné cum perducti fuerint,pars sũma cooperiatur duabus laminis ferreis ſolidis,dimenſis: Demum in parte interiore Fornacis,ac juxta muros,conſtituantur quatuor lateres quadrati, convenientis ſinguli magnitudinis, adeo vt vnum latus omnino ab his cooperiatur, ac pollicis craſſitie, erecti adhereant muro, mediante cemento ſtructuræ Fornacis deſtinato, in id elaborando vt pars Fornacis interna exacte quadrata ſit; quatuor vero hi lateres dicto modo erecti ſuperimpoſitum chlatrum ferreum ſufferre valeant,neceſſarium ſuſtinendis materiis igni intra furnum exponendis:Clathrus ille pollicis craſſitiem obtineat, pollicum circiter novem diametrum habeat, quadrilaterus ſit, cujus partes per ferraminationem aut aliter conjunctæ ſint, vnaquæque autem trabecula pollicaris ſit latitudinis,& ſpiſſitudinis: Quadrato huic interſit crux ferrea ejuſdem latitudinis & ſpiſſitudinis ac trabeculæ, eomodo fabricata, vt poſſit quadrato inniti ex parte,adeo vt eius ſpiſſitudinem non excedat: Quadratum hoc quatuor lateribus erectis inniti debet, antequam vero imponatur, in parato habere opus eſt Tubum rotundum æneum, rite ferruminatum, quindecim circiter linearum dia-

metrum

metrum obtinens in rotunditate, exceptis tamen binis extremitatibus quæ incurvæ eſſe debent, e quibus illa quæ prior colloeanda eſt, amplianda, adeo vt arcte amplecti poſſit follium collum ſupra collocandorum, paululum ad Fornacis latus; Altera autem, quæ & inferior, coarctanda, circa apicem infimum incurvanda, adeo vt tantum digiti extremitas illi immiti poſſit: Extremitas illa inferior circiter pollicis longitudine craſſitiē muri fornacis excedat, eo modo vero inflexa vt directe, ſed tranſverſim pervadere poſſit furni murum lateralem, apex vero ad pollicis tantum craſſitiem extra partem interiorem Fornacis emineat, vnum vero e quatuor lateribus quadratis erectis penetrans, vnico pollice humilior ſit quadrato ferreo de quo ſuperius: Tubi pars præcipua perpendiculariter ſitua ſit ſecundum longitudinem medij lateris fornacis, imo illi mediante luto affigatur quantum concedet altitudo ejuſdem Fornacis; Id quod ſupra extabit nudum relinquatur, vel idonea re quapiam, quę materias ab injurijs vindicet obtegatur: Tubi extremitas inferior intra murum Fornacis inter ædificandum concludi debet, adeo vt aër externus neutiquam ea parte furnum ſubingredi valeat.

Poſtquam rite conſtituta fuerit hæc Tubi extremitas; Quadratum item ferreū, quatuor lateribus erectis vt decet impoſitum, æqualiter producendum ædificium quatuor murorum Fornacis: Interim accurate interna facies munienda lateribus quadratis erectis adpoſitis, pollicaris craſſitiei, quæ inferioribus æquales ſint, adeo vt præterea adſint duo ordines, quorum vnuſquiſque ex quatuor lateribus, ſibi mutuo ſuperimpoſitis conſtet; Fornacis quadratum inane vbique ſeptem pollicū diametrū obtineat altitudinis circiter quindecim pollices ſupra quadratum ferreum.

Interim in parato ſit Quadratum ex ferro fuſo paratum, octo aut decem linearum ſpiſſitudinis, proportione reſpondens latitudini inanis ſpatij Fornacis, quod emarginatum ſit in vnoquoque angulo ad latitudinem circiter pollicis: Quadratum id dicatum eſt gerendis crucibulis, aliiſve vaſis, emarginatio autem vſui eſt ad introductionem aëris e follibus manantis, foci ignem excitandi gratia.

Quadrato huic ferreo imponi ſolet maſſa terrea fornacaria, in globum efficta, pollicaris ſpiſſitudinis, ad ſuſtinendum crucibulum, aliudve vas materias cōtinens: Apparandus etiamnū maſſa quadrata e terra figulina conſtans, paulo craſſitior & latior quam eſt ferreum, in angulis integra nec emarginata, cujus vſus erit ad cooperiendam ſummam partem orificij fornacis, poſtquam inditum fuerit crucibulum, atque quando vrgendus erit ignis.

Præſto quoque ſint folles duplices grandiores, cujuſmodi ſunt auri-

fabrorum, collocandi ad altitudinem tubo æqualem, adeo vt eorum collum tam exacte intromitti queat, vt ne minimus hiatus interſit perquem ventus, qui tubum ſubire debet, evadere poſſit: Eum ſitum obtineant folles, vt mediante fune, extremitate vna appenſo anſæ ſuperiori vniuſcujuſque follis, altera extremitati canterij ſuperius collocati, pronum ſit adducto fune, alteri extremo adalligato, attollere vel deprimere anſas, quarum ope alternatim elevatis & depreſſis follibus perpetuo ventus excitetur: Ventus ab his follibus emiſſus, & hujus Furni ſtructura, ſi modo oſtium exacte luto obductum ſit, etſi pauciſſimi adſint carbones, multo vehementiorem ignem excitat quam furni vſitati inſigniori copia carbonum adiecta: Quibus egregij hujus Furni effectus perſpecti fuerint, & quam pauci carbones in hoc abſumantur, protinus judicaturi ſunt me non abs re hujus exhibuiſſe delineationem.

Athanor, aut *Athannor*, Fornax eſt inſufficientem exhibens calorem perficiendis operationibus quæ ignis vehementia opus habent, at vero pervtilem illis in quibus ignis moderatus ſufficit: Nomen hoc ab Arabibus deductus eſt, qui furnum aut fornacem per vocem *Tannaron* indigitant: Græci hoc Furni genus vocant, ἀκηδῶ, quaſi dixeris, *nulla cura egens*, quapropter ab aliis nominatus eſt *Piger Henricus*, Sunt & qui *Furni Philoſophici* nomen impoſuerint, & *Furni Arcanorum*; Non minus frequentis eſt vſus hic Furnus quam diverſa eſt illius ſtructura, non modo quoad altitudinem, latitudinem, & turris figuram, carboni continendo dicatam, ſed etiam figuram, numerum, & vſum fornacum quæ juxta turrim adſtrui debent, & ignem ab ea excitatum excipere, nec non rationem in illas derivandi caloris.

Primus ſcopus eorum qui Athanorem excogitaverunt hic fuit, vt vno eodémque igni, nullóque ferè labore plures Furni ſimul incaleſcere poſſent: Res ad votum ſucceſſit exſtructa Turri non admodum humili, in qua impoſita craticula & ſtructo cinerario, cum oſtiis & ſpiraculis neceſſariis ad caloris communicationem, accenſoque igne craticulæ impoſito, turrem carbonibus ad faſtigium impleverunt, Operculum impoſuerunt, atque ope ignitorum carbonum paulatim inflámatorum; qui per ſpatium viginti quatuor & amplius horarum æqualiter deflagrare poterant, ignis ejuſdem tenoris accenſus fuit & communicatus eodem tempore pluribus fornacibus turri adjunctis, mediantibus orificiis factis in lateribus foci turris, & locis fornaces ſpectantibus.

At vero ejuſmodi commentum, etiamſi non exiguam commoditatem præbeat, poſtmodum tamen nova turris fabrica excogitata eſt, e qua carbo in ipſum focum fornacum adpoſitarum, & materias continentium incidit, quæ eo pacto multò vehementiorem calorem concit

piun-

piunt quam a calore e lateribus tantum adveniente, ac ſolum e turris fo-co: Horum Athanorum figuras quantum mihi licet accuratas exhibeo, poſtremi autem ſingularem deſcriptionem, vt pote minus noti etſi om-nium maxime vtilis: Quo vero res melius in conceptum veniat, hunc exſtructurus ſum ex turri inter duas tantum fornaces ſitum habente, quarum vna Maris Balneo inſervire poterit, altera autem Arenæ.

Turris & Furni vtriuſque baſis innitentur æquato ſolo, inſtratis la-teribus & luto juxta aliquem murum: Concedantur illo loco æquato quinque pedes cum duobus pollicibus longitudinis, aut ſpatii, decem & novem pollices cum dimidio latitudinis, octo autem pollices altitudinis: Turris huic fundamento vna cum duabus Fornacibus ſuperædificetur, inter quas media iacebit: Altitudo Turris ſit trium pedum & ſeptem pollicum; latitudo pollicum viginti ſex, longitudo qualis loci æquati: Altitudo vniuſcujuſque Fornacis ſit viginti pollicum, longitudo octo-decim, latitudo qualem obtinet turris: In loco hoc æquato murus ſo-lidus ſuperſtruatur ad altitudinem octo pollicum & ſemis, pro Turri tantum obſervatis longitudine & latitudine a me traditis eum in finem: Quo muro ſolido ita educto, initium ducendum eſt murorum externo-rum cum interno Turris, relicto ſpatio continendis carbonibus neceſſa-rio: Conveniet eodem tempore vtrumque Furnum conſtruxiſſe, qui Turri adnecti debent, ac ædificij ejuſdem appendices eſſe: Turris ante-riori facie quovis oſtio deſtituta erit; vti etiam ad latera in ſua altitudi-ne ſupra oſtia Fornacum: donata tantummodo erit duobus canalibus continendis carbonibus dicatis, per parietem intergerinum diſtinctis, cujus introitus ſitum obtinebunt ſupra turrim, exitus autem ad focos Fornacum pertingent: Muri Turris exteriores ſeptem ſint pollicum, ip-ſa vero ſex obtineat longitudinis: Demum muri anteriores & poſteriores perducendi ſunt ad altitudinem quatuor pollicum, eodémque tempore intergerinus, cui latitudo tantum lateris vnius ineſſe debet cum lon-gitudine ſex pollicum.

Tunc præſto eſſe debet lamina ferrea cuſa, duarum circiter linearum craſſitudinis, longitudinis bipedalis & quatuor pollicum, quæ eo modo incidenda eſt vt in ſui media ſex tantum pollices lata ſit, intra ſpatium quatuor pollices, a quibus cooperiri debet latitudo parietis mediani; id vero quod vtraque ex parte eminebit, vltra quatuor pollices, cum præ-terea pedalem amplitudinem habeat, obtinere debet octo pollices lati-tudinis in ſui extremitate, vtraque autem ex parte in anguſtum deſinere, ad eum vſque locum in quo lamina ſex ſolum pollices lata eſt.

Lamina illa eaquoque ratione complicanda eſt vt pars illius quæ ſex pollices tantum latitudinis obtinet, protenſa ad longitudinem quatuor

pollicum, plana ſuperficie impoſita muro mediano, hunc præciſe cooperiendo, ambis alis declivis ſit ſeoundum altitudinem qnatuor pollicum quæ muro mediano conceſſa eſt, hæ autem pertinant ad ædificium quod adverſum eſſe debet foco Fornacis contiguæ, vt carboni facilis pateat deſcenſus ſecundum longitudinem iſtius laminæ in focum.

Interim adhibita dexteritate interior horum parietum facies emarginanda eſt, ad concedendum ſpatium expanſis his alis, cementóque & fragmentis lateritiis pars inferior declivium iſtarum alarum munienda eſt ad earum fulcimentum & præcavendam plicaturam: Pergendum deinceps in ædificio murorum reliquorum Turris, relicto ſemper canalibus ſpatio neceſſario, quorum vnicuique tantundem longitudinis & latitudinis largiendum erit quantum murus medianus illos diſtinguens obtinuerit: In parato quoque eſſe debent ſudes ferreæ, depreſſæ & ſolidæ, quæ laminis correſpondeant, at muris innixæ qui fornacibus ſunt contigui, ſufficienter validæ ſint, eóque modo complicatæ vt vtrinque relicto æqualiter ſpatio inani quatuor pollicum, ſupra totam ſuperficiem declivem laminarum pares ſint ferendo ædificio neceſſario ad Turris perfectionem, quæ in totum obtinebit tres pedes & ſeptem pollices ſupra baſin.

In omnium horum ſtructura ſtudendum vt canalium pars interior lævis ſit & polita, ac tantiſper infra procedendo lateſcant, quo carbones ſuperiore loco poſiti facili deſcenſu ferantur, ſuccedántque prioribus prout ab igne conſumpti fuerint: Parandi etiam duo coni lutei æquales, ad claudenda canalium orificia in ſumma Turre, vbi carbonibus fuerint oppleti.

Vtrique Fornaci ſuum adeſſe debet cinerarium, ſua craticula, focus, ſufficiénſque ſpatium procurandum ad collocanda Balnea Mariæ & Arenæ: Vnicuique & ſuum Oſtium aſſignandum, pro Cinerario & pro Foco, vtroque opus habent, juxta turrim: Cinerarium baſi inniti debet, ſuperius deſcriptæ: Oſtio quinque pollices altitudinis dandi, quatuor latitudinis; Superpoſitam habeat laminam ferream ſolidiorem, huic imponendo laterem integrum, fundamentum futurum Oſtii foci, quæ e directo ſupra Oſtium Cinerarij ſita ſit, itidem cooperienda lamina ferrea & Latere integro: Craticula eodem tempore collocanda eſt eadem altitudine qua lamina Oſtio cinerarij impoſita: Foci pars interna habeat diametrum novem pollicum, ſpatium vero quod ſuperius eſt, dicatum excipiendis Balneis, duodecim obtineat: Perducendum quoque, & perficiendum ædificium vtriuſque Fornacis, ad altitudinem vſque ſuperius deſignatam.

Neque hoc prætereundum, furni angulos internos cemento & frag-

mentis

mentis lateritiis incruſtanda eſſe, ac ſenſim anguſtius ſpatium proxime fundum foci reddendum eſſe, ſicuti id a me præſcriptum in delineatione prioris Fornacis: Aſſignanda & his Turris Ventilia aut ſpiracula in quatuor ſuperioribus angulis, obturamenta vero parata in incrementum aut decrementum caloris ignis: Adparandi etiamnum erunt Coni vel Obturamenta æqualia, ad claudenda Oſtia Cinerariorum & Focorum.

Si adhibita cura fuerit, & ad amuſſim obſervatæ fuerint proportiones omnes, a me eapropter traditæ ad conſtructionem huius Athanoris; Si poſt accenſum ignem in focis furnorum, impleatur canalis Turris carbonibus, neque juſto majoribus, neque minoribus; ſi deinceps ſpiracula ſuperiora turris obturata fuerint, ac Oſtia cinerariorum & focorum occluſa, proculdubio ignis ſibi ſemper ſimilis futurus eſt, ad minimum vigintiquatuor horas durabilis: Ignis iſte accenſus intenſior poſſet effici conceſſo aëre fornacibus per cinerarium & ſpiracula.

Cæteri Athanores tanta circumſpectione non indigent ac poſtremus hic, eo quod carbones turre non egrediantur, atque exinde proprium calorē furnis adſitis impertiri debent: Turris hæc figura quadrilatera donari poſſet, at vt plurimum rotunda parari ſolet, quo majori furnorum numero calorem elargiri poſſit: Athanores hi in medio Elaboratorio quoque conſtitui ſolent: Turris hæc vnico canali gaudet, ſed ſuum illi aſſignatum eſt cinerarium, ſuum oſtium, craticula & oſtium pro foco: Vſurpantur laminæ ferreæ æquales ad obſtruenda tuſſis ſpiracula, ſi impediendum fuerit ne calor turris in fornaces, ad quas non requiritur, transfundatur: Exiſtimo vero a tradita accurata hac Athanoris præcedentis deſcriptione, futurum vt iſtius ſtructura & vſus facili negotio percipiantur, ſatis autem eſſe ſi exhibita fuerit illius figura.

Primus Furnus, cuius deſcriptionem exhibui, ſufficiens foret exemplar ad ſtructuram Furni Reverberatorij, at vero cum ſæpe neceſſarius incidat vſus inſignis copiæ ſpirituum Acidorum & erodendi vi præditorum; vnica porro Retorta tantundem curæ & ignis expoſcat quantum plures ſimul, neceſſarium eſſe exiſtimavi publici juris facere Furnum Reverberij, mihi familiarem, cuius ope vna vice quatuor Retortæ vſurpantur ad diſtillationem, æque regularem ac commodum & tutum.

Furnus hic ſit bipedalis & octo pollicum longitudinis; duorum pedum & ſex pollicum latitudinis: figura quadrilatera donetur, Cinerarium habeat octo pollices altitudinis, Oſtium anteriori facie in medio ſtatuendum, ſex pollicum latitudinis, totidem altitudinis; Muri laterales ambo ſiat craſſitiei decem pollicum ad altitudinem vſque cinerarij; altitudo vero anteriorum & poſteriorum quatuor tantum pollices in craſſitie obtineat, vtique in ambobus lateribus a Craticula aſcendendo:

In parato ſint trabeculæ ferreæ pedalis longitudinis, ejus figuræ & magnitudinis quæ in primo furno, itidem in extremis depreſſæ: Collocandæ itidem invicem ad quinque linearum diſtantiam: Innitantur hæ trabeculæ parti interiori vtriuſque muri lateralis, conſtituturæ craticulam quæ protendi debet a muro antico ad poſticum vſque: Supra præfurnium Cinerarij adponenda eſt lamina ferrea dimenſa, ſeptem aut octo lineas craſſa, cui inſideat later integer; Oſtium pro Foco relinquendum eſt, ſuperpoſitum Oſtio Cinerarij; Vtrumque æqualis ſit magnitudinis, vtrumque etiam ſuperpoſitam habeat laminam ferream & laterem:Murorum omnium æqualis debet eſſe ſtructura, ad altitudinem vſque ſeptem pollicum ſupra Craticulam; Tunc paratæ ſint duæ ſudes ferreæ quadratæ, quindecim vel ſexdecim diametri lineas habentes, ejuſdem fere longitudinis ac eſt ipſa Fornacis: Sudes illæ ferreæ parte plana inſidere debent, adeo vt internam Fornacis latitudinem in tres æquales diſtantias dirimant; Dicata ſuſtinendis eſt vnaquæque earum ſuſtinendis duabus Retortis ſi Diſtillandum.

Pergendum præterea æqualiter in muris Furni elevandis intra magnas ſudes ferreas ad altitudinem quatuor pollicum: poſtmodum duo orificia relinquenda in vtroque muro collaterali ſupra ſudes ferreas ſibi invicem oppoſitas; Orificia hæc ſint quatuor pollicum latitudinis, ad muri vſque altitudinem producenda; dicata tranſmittendis collis Retortarum, quarum corpus inſiſtat trabeculis ferreis, eæque ſibi invicem adverſæ ſint: Cemento prætcrea & fragmentis laterum furni interior facies incruſtabitur, vt propemodum rotunditatem adquirat, adeo vt Focus quodammodo accedat ad figuram focorum præcedentium Furnorum, neque ignis incidat in angulos, ſed ſemper ſecundum longitudinem verſus mediam craticulam deferatur; Æqualiter circumcirca muri ambitus ſurſum perducendus, ad altitudinem vſque Furni completam; Tunc in parato ſit lamina ex ferro fuſo conflata, craſſitiei vt minimum ſemi pollicis, bipedalis longitudinis, & duorum aut trium pollicum, circiter viginti pollicum latitudinis; ſecundum longitudinem ſupra furnum ponatur, vt vacuum cooperiatur, cum repoſitæ fuerint quatuor Retortæ: Tria ſpiracula paranda ſunt ad vtrumque laminæ latus, vnum e regione cujuſque Retortæ, Luto obducendus laminæ ambitus, & adparanda obturamenta pro ſingulis ſpiraculis & Oſtiis, cum opus fuerit in vſum ducenda, præſertim diſtillatione inchoata; Intellectum & hoc volo quo tempore ſudibus ferreis imponuntur Retortæ, atque earum collum per furni orificia tranſmiſſum eſt, eum in finem excavata, cemento & latera fragmentis obduci & claudi debere ſpatia vacua quæ a Retortarum collo compleri nequeunt, adeo vt dictis in locis nullus alius

hiatus

hiatus ſuperſtes ſit quam ſpiraculis dicatus: In ejuſcemodi Furno quatuor ſimul & ſemel Retortæ cunctos neceſſarij caloris gradus admittere poterunt; cuius ſucceſſus ad votum futurus eſt, obſervatis regulis a me tradendis vbi de ſingularibus præparationibus agendum fuerit.

Licet & eodem tempore in alium trahere vſum Ignem diſtillationis gratia accenſum, & paratum habere quadratum ex laminis ferreis conſtructum, in muri formam ſurſum perductis, quæ intervallum efficiant ſex circiter pollicum altitudinis, proportione reſpondens magnitudini laminæ ferreæ, cooperientis quicquid in furno inane eſt: Quadratum illud collocandum & firmandum ope cementi in laminæ extremitatibus, ejuſque tota capacitas arena complenda, fere ad ſummam altitudinem: Huic arenæ varia vaſa imponi poterunt, materiam digerendam, diſſolvendam, diſtillandam continentia, vel in alias præparationes deſtinatam, quam artis peritus gradibus & diuturnitati ignis iuxta præcipuæ deſtillationis exigentiam adcommodaturus eſt.

In priore Furno a me deſcripto non vnum Diſtillationis genus peragi poterit, tum Rectæ tum Obliquæ, ſed plane inutilis eſt ad eam quæ per Deſcenſum fit, niſi Fornacis diſpoſitio omnimodo immutanda ſit: Quapropter ſingularem aliam deſcriptionem traditurus ſum eiuſmodi diſtillationibus accommodam, cuius tamen magnitudo ampliari aut imminui poterit, quinimo figura immutari juxta qualitatem aut quantitatem materierum diſtillandarum.

Delineandus erit Furnus, rotundus aut quadratus, quatuor pollices craſſus, viginti pollices diametri habens: Inferiori parte donatus ſit oſtio, vndecim pollices alto, octo autem lato, huic innitatur valida lamina ferrea, eodem modo ac in oſtiis præcedentis Furni: Præſto quoque adſit trabecula ferrea ſat valida, quatuor pollices lata, in cujus medio adſit foramen rotundum, quæ diametri habeat tres pollices: Lamina hæc tranſverſim collocari debet in medio Furno; Paratæ etiam adeſunt ſudes ferreæ, decentis longitudinis, ex quibus craticula concinnabitur denſiſſima, ad vtrumque latus trabeculæ ferreæ perforatæ ponenda: Deinceps in ædificij ſtructura pergendum, ad altitudinem pedis ſupra craticulā producendi: Tunc adſumatur Vas figulinum quod ignis actioni obſiſtere valeat, intus vitreatū, in modū cucurbitæ anguſtioris colli fabrefactum, in quod coniiciendum lignum, aut materia diſtillanda; Operculum quoque argenteum, aut cupreum, aut ex ferro albo, procurandū erit, dimenſum, cooperiendi cauſa vaſis orificij, eiuſque collum cingendi, eadē ratione qua operculū pyxidem occludit, cuius fundum plurimis foraminibus pervium eſſe debet, cribri in morē: Præſto & eſſe debet aliud vas figulinū vitreatum, aut vitreum, cuius orificium eo modo diſpoſitum ſit vt

K 3

extremitas colli cucurbitæ, materias continentis, operculo ſuo perfo-rato muniti, in id immitti poſſit, nec vlterius illius capacitatem perva-dere queat; Tunc inclinandum eſt vas materias continens in illud ori-ficium, introducendum collum, operculo ſuo inſtructum, in foramen ſudis ferreæ, atque inde in vas excipientis vices ſubiturum, inferius col-locandum; Cucurbitam impoſitam geſtabit ſudes ferrea perforata, cir-cumcirca accendendus ignis, primo mitiſſimus, ſufficiens leniter exca-lefaciendo vaſi & materiis incluſis, demum ſenſim augendus, ac ex in-tervallis, imo adeo vt cooperiatur omnino cucurbita, ſi materiæ ſint compactæ; Si indeſinenter vrgeatur ignis in ſubdito vaſe reperietur Li-quor continens partes maxime eſſentiales materiæ diſtillationi expoſitæ: Eo pacto elicere facile eſſet ſpiritum Vitrioli, ſi hoc ad flavedinem vſque calcinatum fuerit, immiſſumque cucurbitæ fruſtillatim, nequaquam pul-veriſatum, imo non exigua illius comparari copia; at vero ſpiritus hic viribus multo illo inferior eſt qui per diſtillationem lateralem exſtil-latur.

Id autem aſſerere non verebor ambos Furnos Reverberatorios a me deſcriptos, admodum idoneos eſſe diſtillationi ſpirituum Acidorum & corroſivorum: At vero nihilominus publici quoque iuris facturus ſum Furni ſequentis deſcriptionem & vſum.

Furnus hic viginti ſolum & duos pollices latitudinis quadratæ habeat, muri quatuor pollices craſſitudinis, adeo vt ſpatium interius diametri habeat quatuordecim pollices: Furnus hic inferiore parte, media in fa-cie antica, Oſtium Cinerario deſtinatum obtineat quatuor pollicum in quadraturam, cooperiendum ſolida lamina ferrea juſtæ proportionis: circumcirca ædificium exſtruendum eſt ad ſex pollicum altitudinem; Tum craticula imponenda Lateribus dimenſis, erectis, muro, mediante cemento, interna furni faciei cōtiguis, vtraque ex patte; Craticula conſtet trabeculis ab iis quæ ad alios furnos Reverberatorios vſurpantur non diſſimilibus, Æqualiter omnes muri Furni ſurſum perducentur ad no-vem pollicum altitudinem ſupra craticulam; Tum in altero muro late-rali relinquetur foramen ſufficiens tranſmittendo collo Retortæ, quod ad ſummam vſque partem apertum tenendum eſt: Poſtea iterum eleva-buntur æqualiter muri ad altitudinem vſque pedalem ſupra relicta fora-mina; Anguli Furni interni opplebuntur luto & fragmentis laterum, ſi-cuti in præcedentibus dictum eſt: Idem præſtandum ratione angulo-rum qui occurrent in longitudine ſupra ambo craticulæ latera: Paran-dum erit Tegmen leniter fornicatum, dimenſum, ad cooperien-dum Furnum, innixum marginibus muri interni, in cujus medio exca-vatum ſit foramen quod ſolam digiti extremitatem admittere poſſit:

Collo-

Collocanda eſt Retorta materias continens ſupra exiguum tripodem, eo modo conſtructum vt inferior Retortæ pars elatior ſit, & craticula quatuor aut quinque pollicibus: deinceps cemento & fragmentis laterum opplenda foramina furni, quæ a collo Retortæ occupari non potuerunt, adeo vt totum orificium obſtructum ſit ad ſummam vſque furni partem: Accendendus ignis ſupra craticulam circumcirca inferiorem Retortæ partem, coniiciantur carbones ſupra ignem accenſum, ac omnino adimpleatur quicquid vacui ſupra craticulam fuerit ad ſummum vſque furnum: Eodem tempore cooperiatur Furnus impoſito proprio Tegmine concamerato, luto rite omnes commiſſuræ obducantur, adeo vt aëri nullus pateat introitus quam per Oſtium Cinerarij, ac exiguum foramen in Tegmine concamerato factum: Tum adaptandum erit Recipiens collo Retortæ, ignis ſui ſinatur eſſe juris, Recipiens, ſoluto cemento, eximatur demum poſt viginti quatuor horas; Tum nanciſci licebit Spiritum ex voto, in Retorta autem ſubſidentiam ſpiritibus omnino deſtitutam.

Hoc loco Furnos Portatiles ſtrictius perſtringam, quorum figura ſemper rotunda eſt & circularis, quia nihil in illis reperire eſt quod non conveniat cum Furnis a me deſcriptis, præſertim primo: Sufficiat vtcunque obſervaſſe regulas a me traditas, tam ratione Cinerarij, Craticulæ, Foci, & Loci excipiendis vaſis dicati, quam Oſtiorum, orificiorum, ſpiraculorum & Tegminis fornicati.

Prætermitto præterea Furnos (vel Balnea) per Lucernam aut Lampada; plurimoſque alios, varios in vſus exſtruendos & vſurpandos, quorum variæ deſcriptiones proſtant apud plurimos authores: Sat multos, vt exiſtimo, tradidi, quæ ſatis eſſe queant ſuſcipiendis & perficiendis omnibus præparationibus Galenicis & Chymicis, in vſum venientibus, aut ſaltem qui norma ſint aliis excogitandis, ratione habita loci, temporis, & materierum præparandarum.

CAPUT LII.

De Cemento, vel Luto.

SVbſtantiarum diverſitas ex quibus conſtant Mixta & Furnorum varietas, ac vaſorum quæ neceſſario in vſum veniunt ad illorum præparationem, ad Luta invenienda invitarunt curioſos, quo facilius ſcopos ſibi propoſitos aſſequerentur, faciliuſque operationes quas intendunt perficerent: Plurima excogitata ſunt ad Furnorum ſtructuram ordinariam, alia ad incruſtanda vndique vaſa vitrea & fictilia materias continentia,

eáque loricanda, quo melius ignis violentiæ obniterentur; alia ad conne- nexionem & conjunctionem mutuam vaſorum; alia ad conſolidandas, rimas & fiſſuras in vaſis vitreis aut terreis contingentes, eáque, ſi poſſibi- le, æque idonea efficienda vſibus quibus deſtinantur ac ſi integra forent.

Me non latet plurimas proſtare Lutorum deſcriptiones apud multos authores qui de Chymicis rebus agunt, at cum eo Lectorem remittere iniquum foret, & Pharmacopœum hic loci ea quibus illi opus eſt nanciſci intendam, expromam Luta mihi familiaria, quæ tuto & com- mode in vſum venient.

Si Furnos durabiles ſtruere in animo fuerit, ideóque lapides ſolidi, qui igni reſiſtere habiles ſint, in vſum adducantur, non alio luto opus erit quam cemento ex calce viva & arena parato; Sin Lateres adhibendi ſint, more ſolito, Lutum ſequens vſurpetur.

Accipe tres partes terræ illius pinguis qua piſtores vtuntur ad furno- rum ſuorum ſtructuram, partem vnam arenæ fluviatilis, fimi equini partem itidem vnam; ſubigantur accurate omnia ſimul, aqua addita, ac ex his cementi ſpeciem confice, vtilis ad laterum mutuam cohæſio- nem, cum Fornaces ſtruere animus fuerit: Lutum hoc fortius evaderet adiecta ferri ſcoria & vitro ſimul tritis, imo aqua ſalita aliíſque quibuſ- dam materiis, ſi tenax lutum & durabilius optaveris; ſed ejuſmodi addi- tionibus carere licet ſi furnum ſtruere vis vſitatum.

Sin Furnus ex vnica aut pluribus partibus ſtruendus veniat, abſque lapidibus aut lateribus; aut vaſa conficere quæ ignis vim eludere va- leant, cujuſmodi ſunt capſulæ, retortæ, aludel, &c. paretur paſta ex partibus duabus terræ figulinæ rite exſiccatæ, partibus duabus teſtarum figulinarum in quibus butyrum reconditur, cuncta in tenuiſſimum pul- verem abeant; adde his arenæ fluviatilis ſubtiliſſimæ partem vnam, cun- cta ſimul affuſa aqua ſubigantur: Furni & vaſa ex hac paſta confecta optima erunt & durabilia, ſi primo cura fuerit vt eadem ſub dio rite ex- ſiccentur ſtatim ac perfecta ſunt, demum excoquenda in furno figu- lino.

Poterit & vtilis eſſe eadem maſſa obducendis & incruſtandis qui- buſcunque vaſis, tum vitreis tum terreis; ſola enim hæc valet, ad ignem violentum, continere commiſſas materias, ſi vas illa concludens ſindatur aut colliqueſcat.

Confici etiam poterit maſſa bonitate præcedenti proxima, iiſdemque vſibus idonea: Accipe ſex libras optimæ terræ figulinæ exſiccatæ, li- bras duas capitis mortui poſt aquam Fortem eductam reſidui, libras duas teſtarum vaſorum in quibus reconditur butyrum; ſcoriæ ferri li-

bram

bram vnam; vitri libram vnam, laterum libram vnam, rite cuncta in pulverem deducantur; fimi equini axſiccati & triti libras duas, tomenti optime percuſſi & diſcerpti manipulos quinque aut ſex, cuncta ſimul cum aqua ſubigantur,& maſſa vtcunque ſolida conficiatur,iiſdem vſibus dicata.

In eundem quoque finem poſſunt adſumi laterum libræ duæ, terræ figulinæ libræ quatuor, cum libra vna calcis, omnia ſubtiliter contrita ſimúlque ſubacta cum partibus æqualibus ſanguinis bubuli, ac diſſolutione capitis mortui aquæ fortis,eodem modo ac præcedẽtia Luta vſurpanda.

Si coaptanda veniant & arctius conjungenda recipientia cum retortis, ad diſtillationem ſpirituum corrodentium, prius Lutum a me deſcriptum, ſtructuræ Fornacum lateritiarum dicatum, idoneum eſſe poſſet, ſi vis adderetur illud inducendo faſciæ latæ lineæ ex filo denſiori contextæ, at vero ſolidius futurum eſt lutum ſi adjectum fuerit tomentum rite diſcerptum, ac vice aquę communis ſubactum fuerit lutum cum ſanguine bubulo, aut diſſolutio addita capitis mortui poſt diſtillatam aquam fortem reſtibilis: Poſſent & commode vſurpari ambo luta poſtrema a me deſcripta, ſed difficiliori negotio ab invicem diduceren-tur vaſa, peracta diſtillatione.

Amylum coctum, aut farina aquæ incocta, chartæ ſuperinducta, & adplicata, ſufficere queunt vbi coaptanda & committenda capitella cum cucurbitis, aut recipientia capitellis conjungenda, vel retortis, aut luto addito vaſa mutuo ſe excipientia committenda, cum vaſa materias ſpirituoſas continent, corroſionis expertes.

At ſi exactius eadem conjungenda ſint mediante luto,ad veſicam confugiendum erit, vel ad animalium recens cæſorum inteſtina, aut madefacta, ſi exſiccata fuerint: In vſum venire ſolent propter materias ſpiritibus turgentes & volatiles: Commiſſuris horum vaſorum admoventur veſicæ illæ, aut inteſtina explicata, circumcirca ſtricte adalligantur per filum denſius ac rite exſiccari permittuntur priuſquam in vſum ducantur & ignis infra vaſa accendatur: Nec inutilis erit icthiocolla in ſpiritu vini diſſoluta, aut aceto, faſciis linteis inducta, admotis & ſtricte ſuper commiſſuras adalligatis.

Eſt & aliud Lutum admodum idoneum obducendis & incruſtandis vndique Retortis, iiſque idoneis efficiendis vt valentiſſimo etiam igni obſiſtant, imo continendis materiis ſi Retortas findi forte contigerit, Accipe terram figulinam optimam, puriſſimam & probe contritam,boli tantundem, tantundem & teſtarum vaſorum in quibus aſſervatur butyrum ſubtiliter pulveriſatarum, cum calce viva concorporentur re-

cens in lactis ſero extincta, addito liquore albuminum ovorum, & to-
mento minutim diſcerpto quantum ſatis eſt vt probe invicem cohæ-
reant, conficiatur ex his lutum paulo mollius, adeo vt Retortis illiniri
poſſit; ter aut quater nova illitione ſuperaddita, permittendo vt vna-
quaque vice lutum exſiccetur antequam iterata illitio fiat: Solidius futu-
rum eſt illud lutum ſi portio aliqua ſanguinis taurini calentis adiiceretur,
cum cæteris probe malaxando.

Probatiſſima Crucibula ex luto, aut compoſitione ſequenti confici
queunt, Accipe partes æquales optimæ terræ figulinæ exſiccatæ, alu-
minis plumei & talci illegitimi, quod vulgo vocant Lapidem glacialem;
ſubtiliſſime terantur, & vna cum ſero lactis ſubigantur, reducantúrque
ad conſiſtentiam idoneam conficiendis crucibulis; quæ perfecte exco-
quantur in furno figulino cùm cæteris vaſis figulinis.

Si fiſſuræ accidentes vaſis terreis aut vitreis reparandæ ſint, atque ite-
rum idoneæ vſui efficiendæ non ſecus ac ſi fiſſa non forent, accipienda
ſunt ovorum recentium albumina, in vaſe terreo virgulis concutienda
donec in ſpumam omnino faceſſant: Subſidere permitte hanc ſpumam,
quovſque in liquorem abeat, huic commiſceatur calx viva recens in ſe-
ro lactis extincta, ex his conficiatur maſſa mollis & vbique æqualis, faſ-
ciæ exiguæ lineæ & tenui inducenda, quæ accurate obducat fiſſuræ va-
ſis locum; illico hæc fiſſuræ admoveatur; poſtea leviter & æqualiter inſ-
pergendus pulvis faſciæ parti exteriori ex calce viva ſubtiliter trita, eo-
dem tempore adplicanda alia faſcia ejuſdem magnitudinis, cui eadem
maſſa inducta ſit ſupra calcis pulverem; inſpergendus iterum pulvis cal-
cis vivæ ſecundæ huic faſciæ; ac iterum tertia ſuperinducenda cui ea-
dem maſſa obducta ſit, obtegendæ gratia partis ſupernæ & marginum
poſtremę huius faſciæ quæ cuncta ſenſim exſiccari permittantur: Lu-
tum ejuſmodi hoc modo adplicatum admodum tenax eſt, atque vlte-
riorem rimarum progreſſum inhibet: Nonnulli huic maſſæ addunt vitrũ
ſubtiliter contritum, alij pulverem laterum, aut terram ſigillatam, quæ
proculdubio luti vim adaugent, neque ſunt reſpuenda.

Convenientiſſima eſt ad fiſſuras vaſorum ichtyocolla in ſpiritu vini
diſſoluta, inducta portiunculis veſicæ bubulæ aut ſuillæ, quæ ibi exſic-
cari permittuntur.

Licet & Lutum ſolidiſſimum, & in igne conſtantiſſimum pro fiſſu-
ris vaſorum, imo ad eadem obducenda & loricanda parare, accipien-
do minij ſubtiliter triti partes duas & partem vnam lactium halecum
(*gallice lactances de harans*) cuncta hæc tite concorporari debent, indu-
ci tenuibus faſciis lineis, atque adplicari fiſſuris vaſorum.

Ad rite obſervandas lagenas, adeo vt nullus effluat vapor, diſſolven-
da,

da eſt ichtiocolla in vini ſpiritu, paranda ex his quaſi mucilago, admiſcenda florum ſulphuris & maſtichis ſubtiliter pulveriſatorum quædam portio; quibus addi poteſt calx viva in ſero lactis extincta; accurate cuncta hæc miſceantur; optime obturamentum illinatur, imo interior pars colli lagenæ; cunctis his rite exſiccatis nihil in auras abiturum eſt.

Circumfertur Lutum ſatis vulgare, ídque probatum, paratum ex minil, ceruſæ Venetæ, boli veri & gummi, ſandaracæ ſubtiliter tritorum partibus æquis, cum oleo lini concorporatis & in maſſam redactis: vſus idem eſt qui præcedentium.

Sigillum Hermeticum, aut Philoſophicum, improprie Luti nomen gerens, in vſum venit ad vaſa vitrea materiam aliquam continentia, cuius partes omnes conſervandæ ſunt: Vaſorum horum collum oblongum eſſe debet, ita conſtitutum vt fuſionem omnino non reſpuat, abſque materierum contentarum alteratione: Res ſuccedet ſi foramen fiat in fundo ollæ teſtaceæ quæ ignis vim perferre queat, per partem infimam intromittitur collum vaſis; accenditur carbo intra ollam circa collum, cum vero collum hoc fuſioni proximum fuerit, tenaculis candentibus apprehenditur, comprimitur, contorquetur quo vſque rite conniveat, adeo vt nullus vapori pateat exitus.

Poſſunt & optime claudi lagenæ anguſtioris colli, craſſioris & æqualis, non obliqui, ope obturamenti vitrei dimenſi, cui circumcirca affricta fuerit ſmyris pulveriſata, in tantum vt omnino & exacte claudat orificium colli veſicæ, adeo vt vaporibus, forte inde exiturientibus, nullus exitus pateat.

Simile quid poteſt adparari ſi poſtquam obturamentum in collum lagenæ, ex ſubere confectum, breve & adæquatum colli cavitati, depreſſumque, adeo vt duarum linearum ſpatium vacuum ſuperſtes ſit in ſumma parte colli, repleatur id ſpatium ſulphure fuſo, aut quopiam luto, ex iis quæ deſcripſi, ac demum cooperiatur lutum duplici veſica bubula madefacta, & firmiſſime circa lagenæ collum adſtricta.

Maſtiche, bolus orientalis & borax ſubtiliter trita, cum liquore albuminis ovi ſubacta, in idoneum ad illum ſcopum Lutum abire poſſunt, & plures alios vſus.

CAPUT LIII.

De Inſtrumentis, aut Vaſis vtrique Pharmaciæ communibus.

ETſi Furnos capite de Inſtrumentis comprehendere potuiſſem, artificium tamen ſingularē ad eorum ſtructuram neceſſarium, eorùm-

que magnitudo proculdubio peculiari capite concludi debuerunt,in quo fuſe de iis a nobis actum eſt.

Inſtrumentorum nomlne audienda, non ſolum cuncta organa quæ in vtraque Pharmacia admittuntur, ſed & etiam omnia vaſa dicata continendis quibuſvis materiis præparandis, præparatis, aut abſque vlla præparatione aſſervandis.

Materia inſtrumentorum diverſimode accipitur pro varietate vſuum quibus deſtinantur; Aurum & argentum pluribus inepta non forent,ſed rariora illud efficit pretium; Cætera metalla familiarius vſurpantur, ſicuti Cuprum rubrum & flavum, ſtannum, plumbum, chalybs, ferrum commune tuſum & elaboratum, ferrum album, imo varia metalla & metallica, ſimplicia aut aliis confuſa.

Veniunt & in vſum marmor, porphyrites, conchæ marinæ, varij lapides & gemmæ, nonnulla cornua, plurima oſſa, varia conchylia, imo ova & pelles quorundam animalium: Admittuntur & ligna, & radices arborum,quorundam fructuum putamina,panni & telæ tum laneę, tum ſericeæ,tum cannabinæ,lineæ,corticum arborum,ſetaceę,funes,fila craſſiora,charta: Vſurpantur & varia terrarum genera, arenæ, vitra varia,cryſtalli, imo & nonnulla bitumina & ſexcenta alia quorum longior foret enumeratio, inſtrumenti conditionem induere apta.

Varia & conciunantur Vaſa aut Inſtrumenta ex Cupro tum rubro tum flavo; ea vero quibus committenda ſunt ore ingerenda, ſtanno interiori parte obduci debent, ne metalla viroſum quid aut vitioſum illis inſpirent: Vſitatiſſima ſunt pelves, ahena, veſicæ pro capite mortuo, pro Refrigeratorio, & pro Roſariis, aut aliis Alembicis, Veſicæ pro vini ſpiritu cum eorundem ſerpente & capitello, vaſa pro Balneo maris & Vaporoſo, Furni pro igne Lampadis vel ellychnij cum appendicibus, Cucurbitæ, Cucumæ, Catini, Lances, Capedunculæ, Lampades, Infundibula, Capſulæ, cylindracea metallorum proplaſmata, vel Coni fuſorij, Cochlearia perforata & non perforata, Spathulæ: Accerſuntur etiam in vſum vaſa varia ſtannea, cujuſmodi ſunt Pelves, Lances, Diſci, Scutellæ, Cucurbitæ, Vaſa digeſtoria, Capitella, Laminæ, Serpentina vaſa, Pocula, Siphones, Cochlearia, Menſuræ, Aquaria vaſa, Pyxides, Ollæ, Lagenæ, Vrnæ, Fontes &c.

Plumbum raro admodum in vſum ducitur ad inſtrumentorum fabricam, ac fere tantum ad pondera aut pyxides, quibus tamen abſtinendum eſſet.

Varia & vſurpantur metalla & metallica, vna per fuſionem conjuncta, Ex his conflantur Mortaria majora & minora metallica, eorundémque piſtilla, Ollæ, Vaſa cucullata pro Regulo conficiendo, pro proplaſmatis

proplaſmatis cylindraceis ad excipienda fuſa metalla, pro Canaliculis, Speculis ardentibus &c.

Vſurpantur etiam varia inſtrumenta, ferrea, & ænea, tum continendis materiis, tum in alios vſus; cujuſmodi ſunt Ollæ ferreæ, Caldaria, Capſulæ, Mortaria, Vaſa cuculliformia ad Reguli confectionem, Ollæ, Crucibula, Variæ laminæ ex ferro liquefacto, aut cuſo ad incudem, Sartagines, Vatilla, Tenacula majora & minora, Volſellæ, Rutabula, Cochlearia, Vnci, Sudes ferreæ, Craticulæ, Tripodes, Cultri, Forfices, Mallei, Limæ, Scobinæ, Serræ, Spathulæ, Piſtilla, Infundibula, Pyxides, Lampades, Canales, Siphones, Annuli, Ferrum in circulum incurvatum ad ſcindendum collum Recipientium, Tenaculæ, Circini.

Materiam præbent Iaſpis, Porphyrites, Marmor, Conchæ marinæ, variiſque lapides duriores, ex quibus fiunt Menſæ vtiles terendis & levigandis variis mineralibus, imo quibuſdam animalium partibus: Conficiuntur & ex iis exiguę Molę, Mortaria, Piſtilla, Paterę, & plurima alia vaſa in varios vſus.

Vaſa Fictilia infinita effinguntur, exempli gratia Crucibula, Cucurbitę, Capſulę, Camiones, Ollę, Cacabi, Cortinę, Aludella, Opercula, Scutrę, Lances, Scutellę, Paterę, Aquaria, Lagenę, Vrnę, Retortę, Cucumę, ſimiliáque alia vaſa.

Cryſtallina etiam plurima fiunt ſicuti Pelves, Diſci, Lances, Aquaria, Paterę, Lagenæ, Pyxides, &c. Sed Vitrea multo plura conflantur, nam pręter jam a me enumerata Cryſtallina, quę ex vitro etiam effingi poſſunt, parantur Campanę, Pelicani, plurimáque alia vaſa Circulationi idonea, Diſtillatoria ex pluribus partibus non conſtructa, Matratia oblongiore collo donata, varię magnitudinis & figurę, Retortę, Recipientia, majora, minora, mediocria, Quędam vnico canali donata; quędam duplici, quędam etiam triplici, Cucurbitę vſitatę, quędam collo inſtructę anguſto, quędam tubulo: Alembici nonnulli parte ſumma Cocci dicti, aperti, alij donati; Quidam roſtram ſimplici, quidam duplici, Fiunt & Mortaria cum piſtillis, Infundibula, Ova philoſophica, Vaſa liquorum ſeparatoria, Tubi, Laminę, Pocula roſtrata, Ollę, Scutellę, ſexcenta tandem vaſa varię figurę & magnitudinis.

In vſum adducuntur Conchylia ad Pateras & continenda varia remediorum genera; Parantur pyxides, ſpathulę, ligna cylindracea, & Piſtilla eburnea, Paterę, Lagenę & Pyxides ex ovis ſtrutio camelorum: Parantur & eadem ex cornubus; In vſum veniunt & Sacci, Situlę, & lagenę coriaceę: Variæ Pyxides ex teſtudinum putaminibus: Concinnantur Paterę, Cymbia, Cochlearia, Furculę, Pyxides, Arculę ex ſuccino, gagate, matre perlarum.

Vſurpantur Ligna & Radices arborum pro conficiendis Doliis, Cupis varię magnitudinis, Situlis, Mortariis, Piſtillis, Cylindris, Pateris, Spathulis, Pyxidibus, Torcularibus, Quadratis, Diſpenſariis, &c.

In vſum veniunt panni Lanei ad Colatoria, Sacci cucullacei hiſpocratici, & laciniæ pro filtratione: Vſurpantur & ad mundandos flores ſcœnanthi: Fiunt ſacci & colatoria ex tela vſitata; inſtruuntur Incernicula ex tela ſericea, crinibus equinis &c.

Charta venit in vſum filtrandis variis liquoribus, cooperiendis lagenis & poculis, involvendíſque medicamentis: Sexcentæ tandem materiæ vtiles ſunt, nováque quotidie excogitantur, ad infinita vaſa & inſtrumenta, vſui Pharmaceutico dicata: Præcipuorum figuram quam accuratiſſimam exhibiturus ſum & affabre delineatam, vt & Furnorum ſuperius deſcriptorum: necnon capite ſequenti traditurus ſum modum dividendi vaſa vitrea.

Vt porro Pharmacopœus artis ſtudioſus in hoc Pharmaceutico opere nanciſcatur quæ neceſſaria ſunt, ad intelligentiam & praxin variarum præſcriptionum & formularum medicamentorum, quæ in manus venire poſſunt, quovis tempore, ſpeciali capite, eóque ſuccincto, exhibiturus ſum pondera & menſuras vſitatas hoc tempore, Pariſiis nominatim: Altero vero capite tradentur Præſcriptionum quædam rationes ſingulares, quæ ignotæ eſſe non debent: Quibus adnexurus ſum Tabulam cum explicatione præcipuorum characterum Chimicorum quæ non raro occurrunt in ſcriptis plurimorum authorum, etſi in hac Pharmacopœa ab iis abſtinere viſum fuerit, ne citra neceſſitatem in confuſionem adducantur ij quibus prædicti characteres familiares non ſunt.

CAPUT LIV.

Ratio dividendorum & diſcindendorum Vaſorum Vitreorum.

CVm Inſignis diſcordia inter ſumme calidum & extreme frigidum adſit, ſi vna forte occurrant, & fragilitas præterea familiaris ſit vaſis tum vitreis tum terreis, ſi in illa actu frigida infundatur quiſpiam liquor calentiſſimus: aut ſi iiſdem admodum calentibus affundatur liquor quiſpiam frigidiſſimus, propterea Artis periti vaſa exponere tantis diſcriminibus veriti ſunt, ne vaſa qualitatibus adeo contrariis quaterentur: Ex repugnantibus etiam his qualitatibus elicuere documenta vtilia ad ſciſſuram, aut diviſionem collorum, aut roſtrorum vaſorum vitreorum: Quo res ad votum ſuccederet variis mediis vſi ſunt, quorum

rum ſuccinctè maximè familiaria & commoda traditurus ſum.

Adamas, Smyris, in vſum quidem venire poſſunt ad abſcindendas partes ſuperfluas vaſorum vitreorum, ſi admodum tenuia ſint; at vero ſi dividenda ſint colla majorum Cucurbitarum, aut Recipientium, craſſitiei vt plurimum iſignis, adamante quidem vti licet, aut ſmyride, ad deſignationem loci dividendi, ſed præterea ignis in auxilium advocandus, & frigida aqua, quo res cito ſucceſſu gaudeat.

Eapropter annuli ferrei adhiberi poſſunt, minimi digiti craſſitie, quorum manubrium ex eadem conſtet materia, bipedalis longitudinis, eorum capacitas exactè ſphærica ſit, proportione propemodum reſpondens collo vaſis reſcindendi: Incaleſcere debet ad ignem & incandeſcere hic annulus, & poſt admiſſum collum circumcirca conſtringendus eſt locus qua parte id dividendum; cum vero admodum incaluerit, affundendæ aliquot guttæ aquæ frigidæ, tunc enim collum abſcedet quaſi a re ſecante diviſum, qua parte valde incaluerit.

In eundem etiam ſcopum poteſt circumdari parvo ellychnio ſulphurato pars colli ſuperflua & inutilis, ellychnium accendi, procurando vt flamma æqualiter circumcirca lambat locum deſignatum, hícque inde incaleſcat; conſumpto ellychnio, locoque vt decet calefacto, inſtillandę guttę aliquot aquę frigidę, hinc collum abſceſſurum eſt.

Vt plurimum familiaris mihi eſt vſus ellychnij terebinthina inviſcati, cujus ope (non diſſimili ratione ac cum ellychnio ſulphurato) certiſſime collum maximarum Ampullarum divido, vt & minorum ac quorumvis Matratiorum.

Si forte contingerit Ampullę collum dividendum non ſatis ignem concepiſſe, nec omnino abſceſſiſſe, ſed fiſſuram tantum inchoatum eſſe, colli abſciſſio perfici poterit extremitatem ferri candentis fiſſuræ initio valide apprimendo, collúmque vndique ambiendo eodem candenti ferro quovſque excidat.

CAPUT LV.

De Ponderibus & Menſuris.

HOc loco tantummodo traditurus ſum Pondera & Menſuras quæ apud Pariſienſes in vſu ſunt, in officinis Pharmaceuticis neceſſaria, quæ vnicuique Pharmacopœo nota eſſe debent: Libra civilis Pariſienſis ordinaria conſtat vnciis ſexdecim, quæ Rex Romanum duplex conſtituit, pondus Aurifabris vſitatum & Monetariis: Cum vero ab omni ævo Medicinalis Libra ex duodecim tantum

vnciis compoſita fuerit, morem immutaturus non ſum, aſſumpturus ad illius compoſitionem duodecim vncias Libræ civilis: Libram medicinalem hac nota ℔ deſignando.

Vnciæ Medicinalis hæc eſt nota ℥ Græcorum litera; Conſtat ex drachmis octo.

Drahmæ hic eſt character ʒ, qui numeri ternarij nota apud Arithmeticos, ex tribus Scrupulis conſtantis.

Scrupulus ſic ſignatur ℈: Conſtat ex granis viginti quatuor, qui tertiam partem numeri ſeptuaginta cum duobus efficit, ex quibus drachma componi debet; etſi Germani (quorum libra maxima noſtræ non multum abſimilis eſt) ſexaginta tantum granis conſtare velint: at vero ſi drachma noſtra ex pluribus granis compoſita ſit, Grana contra apud illos ad eandem proportionem noſtratibus majora ſunt, adeo vt quinque apud illos non minus graviteni quam ſex noſtratia; Eadem eſt proportio ad drachmam integram.

Granum hanc notam gerit G. vel gr.

Miſſa facio hæc nomina, Sextans, Triens, Quadrans, Quincunx, Sexuns, Septuns, Bex aut Octunx, Dodrans, Dextans, Deunx, & As vel Pondo; Antiquis familiaria, ſignificaturis duo, tria, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, novem, decem & vndecim vncias, ac libram, eo quod prædicta nomina nullo jam in vſu ſunt apud hujus ævi Medicos.

Libram quidem Medicinalem aliquando in duas partes dividunt, cujus mediam vocant *ſemis*, ſignántque ℔ ß.

Dividunt quoque nonnunquam in partes quatuor, quarum quartam vocant *Quartarium*, & per *qu.* deſignant.

Libram autem dividere ſolent in plures vncias, quas ſpecifice denominant in Præſcriptionibus, raro vero ſemivnciæ aut quartæ partis vnciæ meminerunt: Idem vero character qui ſemilibram exprimit, ſemivnciam quoque deſignat, ſemidrachmæ & ſemiſcrupuli, dummodo eam notam præcedat character ſingulorum index.

Id vero monitum velim majores libras Singularum Provinciarum Galliæ non omnes vniformes eſſe Pariſienſibus, etſi vbique ex vnciis ſexdecim compoſitę ſint, nam, exempli gratia, major libra Rhotomagenſis Pariſienſi gravior eſt, Lugduni, in Delphinatu, Gallia Narbonenſi & Provincia, multo minus pondus inferunt quam Pariſiis.

At vero vniformitas numeri Vnciarum in vnaquaque Libra diſcrepantiam omnem dimovet, adeo vt ex ſexdecim Vnciis, quę componunt Libram cujuſque Provincię, liceat duodecim aſſumere ad componendam Libram Medicinalem; ac pro Vnciis habendę ſint, pro drachmis,

pro

pro ſcrupulis, vncię, drachmę, & ſcrupuli ejuſdem ponderis; ſuſque deque diſquiſitione habita plurane, an ſecus grana comprehendat quam Pariſienſia.

Menſuras quod attinet, illis carere fere licet Pariſiis: Pharmacopœis omnibus notum Pintam vulgarem aquæ communis æquivalere libris duabus civilibus: Sextarium, libræ vni; Semiſextarium ſelibræ: At vero his Menſuris abſtinere poſſumus, liquores ponderi ſubiiciendo: Hæc vero regula ideo videtur ferme perpetuo obſervanda, ob varietatem ſubſtantiæ liquorum qui dimetiendi forent: Mella enim, Syrupi, Aquæ fortes, Spiritus volatiles, Olea, & Aquæ multum pondere ab invicem diſſident, adeo vt in his omnibus menſura omnium optima ſit quam pondus dirigit, Obſervanda proculdubio, quoad omnia fere, cunctis Pharmacopoliis, non minus in liquidis quam in ſolidis: Id vero obiter inferendum, ſi vncia vna ſyrupi pondere diſtribuenda non ſit, laboris compendium eſſe ſi adſumatur cochleare vnum ex iis quæ in vſum menſæ veniunt.

Menſuræ herbarum, florum, & quarundam radicum, in vaſis factæ vſitatæ ſunt: Per Faſciculos diſtributio fit, per Manipulos & Pugillos: Faſciculus deſignat id quod brachio complicato & adducto ad ſummam iſchij partem comprehendi poteſt, ſic deſignatur *Faſc.*

Manipulus ſignificat id quod manus compleċti poteſt, ſignatúrque per M.

Pugillus id quod tres digiti capere poſſunt, cujus hæc eſt nota P.

CAPUT LVI.

Enumeratio quarundam Denominationum in Arte vſitatarum.

SI in quapiam medicamentorum Præſcriptione Quinque Radices Aperientes occurrant, adſumantur Radices *Apii*, *Aſparagorum*, *Petroſelini*, *Fœniculi* & *Ruſci*.

Herbæ Emollientes vſitatæ ſunt, *Malva*, *Biſmalva*, *Brancha Vrſina*, *Violaria*, *Senecio*, *Beta*, *Mercurialis*, *Atriplex*, *Parietaria* & *Lilium*.

Per quinque Capillares intellige *Adiantum album*, alias *Capillum Veneris* Monſpelienſium, *Adiantum nigrum*, aut vulgare; *Polytrichum*, *Ceterach*, & *Salviam vitæ*, alias *Rutam murariam*; Quintam quidam adiiciunt ſpeciem, *Linguam* ſcilicet *Cervinam*, vulgo *Scolopendrium*.

Tres Flores Cordiales ſunt, *Bugloſſi*, *Borraginis* & *Violarum*, quidam addunt *Caryophyllos hortenſes* & *Roſas*.

Quatuor flores Carminativi ſunt *Chamomillæ, Meliloti, Matricariæ* & *Anethi.*

Quatuor Semina Calida minora ſunt *Petroſelini, Apij, Dauci* & *Ameos.*

Quatuor majora ſunt *Aniſi, fœniculi, Cumini, Carvi.*

Quatuor ſemina frigida majora ſunt *Cucurbitæ, Citrulli, Melonum* & *Cucumeris.*

Quatuor minora ſunt *Lactucæ, Portulacæ, Endiviæ* & *Chichorij.*

Quinque Fragmenta pretioſa, *Hyacinthi, Smaragdi, Sapphyri, Granati,* & *Sardæ* ſeu *Corneoli.*

Quatuor aquæ Cordiales *Borraginis, Bugloſsi, Endiviæ, Cichorij.* His addunt quidam Aquas *Vlmariæ, Cardui benedicti, Scorſoneræ, Morſus diaboli, Scabioſæ, Scordij, Acetoſæ* & *Oxytriphylli.*

Plurimi Fructus Numero præſcribuntur, quem deſignant per N. vel per paria, ſic *Par.*

Si plurima medicamenta in vna eadémque præſcriptione occurrant, & ſimul vocabulum *Ana* vel *ā ā.* intellige cujuſque quantitatem præſcriptam.

Per *ſ. a.* vel ex *arte*, intellige ſecundum regulas artis.

Per *q. s.* audi *quantum ſufficit*, vel *quantum ſatis eſt*, id eſt cum Medicus Pharmacopœi arbitrio committit quantitatem aquæ, ſacchari, mellis, ſpirituum &c. addendorum in Præſcriptionis cujuſdam aut Compoſitionis præparatione.

Cum vero Pharmacopœus Medici oculus eſſe debeat, tum in præparatione medicamentorum tum, eorundem exhibitione, neceſſe eſt non modo incumbat comprehenſioni præſcriptionum typis mandatarum, aut penna ſcriptarum, quæ in manus venire poſſunt, ſed præterea vt rite calleat proportiones & doſes omnium medicamentorum, vt ſi forte contingat Typographi, aut illius qui medicamentum præſcripſit, errore doſes non ex æquo traditas fuiſſe, Aut difficultas occurrat in extricanda ſcriptura vitioſe depicta, poſſit ipſe iudex eſſe ingredientium & doſeon, illáſque accommodare Pharmaceuticæ artis legibus & doctorum judicio, eóque pacto obviam ire ſiniſtris eventibus metuendis ex illegitima tum præparatione tum exhibitione remediorum.

Neceſſarium non eſſe credidi plurima huc intuliſſe quæ apud non paucos Authores occurrunt, ac præſertim ſeriem plurimorum medicamentorum, quæ cum particula tantum ſint alicujus plantæ vel animalis, intelligi debent per prærogativam ad cæteras quaſvis partes, cum planta vel animal præſcripta fuerint, nulla deſignata nominatim parte, Ejuſmodi ſunt ſemina aniſi & fœniculi, radices iridis & ialapæ, flores vio-

larum

larum & roſarum, fructus melonum & cucumerum, ſucci acaciæ & hypocyſtidis, ligna ſantala & gajacum; gummata ammoniacum & galbanum, cortices cinnamoni & caſſiæ ligneæ, plurimæque aliæ plantarum partes, quæ debent ſubintelligi cum ſola planta præſcribitur: Ejuſmodi quoque ſunt caſtoreũ, lapis Bezoar, Moſchum, Ziberta, quæ partes ſunt, vel excrementa, ſubintelligenda cum Animalia pręſcripta fuerint.

Sunt & Mineralia quædam, quæ etſi ſpecies quædam tantum ſint, generis tamen nomen κατ' ἐξοχὴν retinent, Ejuſmodi ſunt lapis Lazuli, qui audiendus eſt cum ſimpliciter effertur Lapis, Sal marinum, ſi ſolum ſal nominatum fuerit; Terra ſigillata Lemnia, ſi ſola Terra ſigillata: Cum cæteri lapides, alia ſalia, aliæque terræ ſigillatæ cognomina peculiaria obtineant quę niſi efferantur ignota maneant.

Si cui horum integra cognitio arrideat, conſulat ille Authores qui integram illorum enumerationem exhibent, etſi non adeo magna incidat neceſſitas, quandoquidem vſus & exercitatio, atque explicatio in compoſitionibus occurrens, ſufficere queant.

Apud eoſdem authores legere eſt ſeriem Succedaneorum, quorum deſcriptio & tędioſa & minus vtilis eſt, meo judicio, quam vt huc inferri debeat: Satis mihi ſit hic dixiſſe quantum licet fugiendum eſſe vſum Succedaneorum, neque vllis ſumptibus parcendum, ſed comparanda eſſe medicamenta in compoſitionibus deſcripta, aut pręſcriptionibus Medicorum.

Si vero omnino fuerit impoſſibile illorum omnium ſibi copiam facere, aſſero non ſolum neceſſe eſſe radicem radici ſubſtituere, lignum ligno, corticem cortici, herbam herbę, florem flori, ſemen ſemini, ſuccum ſucco, fructum fructui, animal animali, ſal ſali, ſpiritum ſpiritui, oleum oleo, ſyrupum ſyrupo &c. Sed pręterea quærenda eſſe ſuccedanea viribus & qualitatibus proxima medicamentorum, in quorum locum veniunt.

Finis primæ partis Pharmacopœæ Regiæ.

PHARMACOPOEÆ REGIÆ

PARS SECVNDA.

Continens Præparationes & Compoſitiones Galenicas.

Ordo & diſpoſitio Secundæ huius Partis.

NVllus non Pharmacopœus, cui probe perſpecta fuerint priore parte hujus Pharmaciȩ prȩcepta,levi negotio & nullo duce multas Prȩparationes ſuſcipere poterit, ſi prȩſertim Artis tyrocinia & fundamenta poſuerit: Pro re nata tamen prȩcepta neceſſaria tyronibus traditurus ſum, tam ad parandam notitiam prȩcipuorum Medicamentorum quȩ compoſitiones ingrediuntur,quàm ad eorundem præparationis ritæque Miſtionis.

Priuſquam vero vlterius progrediar, id iterum Lectori notum eſſe velim,in tota hac Pharmacopea nullam eſſe prȩſcriptionem, neque vllius compoſitionis tum internȩ tum externȩ exhibitionem,quȩ non à Domino D'Aquin, Primario Suȩ Majeſtatis Regiȩ Medico manarit, vel quam non accurate examini ſubiecerit, imo ſȩpenumero emendaverit,ac in ſtatum meliorem traduxerit quam qui ab earum authoribus traditus fuit.

Sciat quoque Lector ingenti numero quarundam compoſitionum, jam obſoletarum, Diſpenſariorum maximam partem inutiliter offarcientium, ad oſtentationem magis quam vſum exſtructarum, toto hoc Libro, prȩter optimas, probatiſſimas & familiares quaſque Compoſitiones ſuo loco relictas, plurimas remediorum ſubſtitutas eſſe deſcriptiones non minus tutas quam curioſas, quibus ſuus proculdubio aſſignandus locus fuit, prȩparatione dignas & quȩ in vſum veniant.

Pharmacopœa hȩc Galenica in duos libros diſtincta erit, quorum Prior Prȩparationes & Compoſitiones internas exhibiturus eſt: Poſterior eas ſolum quȩ pro Externis vulgo circumferuntur: Prior initium ducturus eſt a Prȩparationibus aut Compoſitionibus ſimpliciſſimis, illis prȩſertim quȩ diuturnam conſervationem reſpuunt, at cito parabiles ſunt, imo extemporaneæ; Exinde tranſitum facturus ad eas quȩ majoris momenti, accuratiorem manum deſiderant, quȩque in vſus futuros in Officinis aſſervari ſolent.

Neque etiam diutius immorabor rebus quibuſdam levis momenti recenſendis, quarum ſuperficiaria cognitio ſufficit: Illis vero lubentius

ſtudium

ſtudium meum adplicaturus ſum quæ conſiderationem merentur, nihil eorum prætermiſſurus quæ Pharmacopœum erudire & in illius commodum redundare queunt, in cuius gratiam præſertim opus hoc Pharmaceuticum a me ſuſceptum eſt.

Neque animus eſt opiniones Antiquorum aut Recentiorum convellere, vti nec illorum methodum improbare, vbi rectæ viæ illos inſiſtere deprehendero: Meliora, ſi licet, repoſiturus, vel probabiliora ſaltem, Experientia ſcilicet & Ratione ducibus, vbi hæ prævaluerint: Neque tamen quenquam nominatim carpere decrevi, neque famam alienæ diſpendio mihi comparare, cum apud me ratum ſit vnemquemque Authorem ſincero animo tradidiſſe quæ vera eſſe aut ſcivit aut credidit.

Aquas ſimplices diſtillatas compoſitionibus Galenicis interſerere potuiſſem; at vero cum his plurimæ Aquæ compoſitæ adnecti debeant, quibus majus artificium quam ſimplicibus debetur, vtræque autem auxilio Pharmacopœæ Chymicæ non mediocri indigent, ſatius eſſe exiſtimavi illas ad Tertiam hujus operis partem transferre.

LIBER PRIMVS

De Præparationibus & Compoſitionibus Internis.

CAPUT I.

De Succis.

NOn attingam hoc loco Succos aut Liquores quos Animalia præbere queunt, cujuſmodi ſunt ſanguis, pituita, vrina, ſerum, ſudor &c. neque etiamnum illos quos ex eorum partibus, mediante aſſatione, expreſſione aut aliter elicere licet, exempli gratia ſuccos & juſcula carnium &c. Prætermiſſurus quoque ſunt Liquores ex mineralium familia deducendos, cujuſmodi ſunt Oleum Petroleum, variæque materiæ Bituminoſæ, ſolos Plantarum ſuccos memoraturus.

Succus in Plantis proportione fere reſpondet Sanguini in Animalibus: Illius hæc poteſt definitio tradi, quod ſit Subſtantia liquida, quæ cum partem compoſitionis plantarum conſtituat, cæteris partibus cōferat id quod neceſſarium eſt ad illarum alimentum, imo & incrementum.

Succus ille ſponte nonnunquam manat, nonnunquam facta inciſione elicitur, alióve artificio: Succus is plus aut minus liquidus adparet

juxta concoctionum diverſitatem quas a Natura conſequutus eſt, vel in ipſa planta, aut ſupra aut extra eandem.

Nonnunquam quoque eſt Aqueus, nonnunquam Vinoſus, alias Oleagineus, Gummeus, Reſinoſus, Bituminoſus: Eſt & idem aliquando dulcis, aliquando amarus, acidus, acer, inſipidus &c. vt & quandoque inodorus, quandoque grate odoratus, quandoque fœtidus; ſic & alias albus, alias niger, viridis, cæruleus, flavus, ruber, &c.

Idem præterea plus aut minus luxuriat, pro indole & conſtitutione Plantæ ipſum fundentis: Imo nonnunquam adeo intime coniungitur, támque alte intra cæteras ſubſtantias demerſus eſt vt ope ſenſuum externorum diſcerni nequaquam valeat, neque aliter quam accedente igne illum ſeparante diſtingui queat: Ejuſmodi ſunt Succi aut liquores qui inter diſtillandum exſuguntur e ſiccioribus lignis, imo ſucci e cornubus & oſſibus animalium educti, etſi ad ſenſum ſicciſſima illa adpareant, quorum exempli tantum gratia memini; Aliquando etiam ſuccus ſubſtantiis adeo viſcidis & tenacibus commiſcetur, etiamſi mollibus, vt nonniſi ignis beneficio ex illis extrahi poſſit, ſicuti in ſerie manifeſtum id fiet.

Varij nihilominus illi ſucci pure & ſimpliciter pro ea parte quam Phlegmatis nomine deſignavi haberi nen debent, à me inter Principia quinque recenſiti, ex quibus vnumquodque mixtum conſtare debet, ij-demmet quippe ex nonnullis aliis principiis compoſiti ſunt, quæ non illico ſeceſſerunt, id quod manifeſtum fit ope ſeparationis ab induſtrio artifice inſtituendæ.

Eapropter vero illis conſenſum meum non adhibeo qui excrementorum generi accenſent ſuccos ex Plantis ſponte prodeuntes; id enim ſi foret, pars Plantæ maxime eſſentialis ſæpenumero excrementitia cenſenda eſſet, ac proinde qua talis abiicienda, Nihilominus & cura ſumma adhibita colliguntur, & grandi pretio væneunt, feliciſſiméque in vſum adducuntur putatitia illa excrementa, qualia ſunt Myrrha, Bdellium, Tacamahaca, Storax, Benzoin, Balſamus naturalis, plurimáque alia quæ extra corticem effundunt plantæ, proculdubio cenſenda progenies aut productum purioris illarum ſubſtantiæ.

Singulatim attingam plurimam partem ſuccorum illorum naturalium quando in compoſitiones venient; hoc loco eos ſolum memoraturus qui præparatione indigent & Pharmacopœi induſtriam expoſcunt.

Succi illi ex ſingulis fere plantarum partibus elici queunt, quidam nempe per proprij corticis inciſionem, ad Solem demum exſiccandi, cujuſmodi ſunt ſucci Scammonij, Aloës, Papaveris &c.

Alij accedente contuſione & expreſſione, quales ſunt Succi tam oleagi-

oleaginei quam aquei, ex plurimis herbis pluribuſque floribus educti, necnon ex plurimis fructibus & non paucis ſeminibus; Ejuſmodi ſunt ſucci Cardui benedicti, Endiviæ, Cichorij, Borraginis, Bugloſſi, &c. quoad plantas.

Succi Roſarum, Violarum, florum Perſicorum,Papaveris erratici, e Florum ſerie.

Succi Mororum, Pomorum, Ceraſorum, Ribium,Berberorum, &c. inter fructus aqueos.

Succi Olivarum, Nucum juglandium, Avellanarum, Amygdalarum, Pinearum, Phiſticorum &c. inter oleagineos.

Succi quatuor Seminum Frigidorum majorum mundatorum, Papaveris, Ebuli, Hyoſcyami, Majoranæ, Aniſi &c. inter ſuccos e fructibus oleagineis.

Cæteri ſucci eliciuntur addito quopiam liquore; cujus adjectio omnino neceſſaria eſt ſicubi Plantarum partes ex accidenti ariditatem contraxerunt, aut ex ſe madore exutæ ſunt; ejuſmodi ſunt Succi Sennæ, Rhabarbari, Angelicæ, Liquiritiæ, Ellebori, qui addito liquore extrahuntur, poſtmodum filtrati, lento igne in vaporem ſolvuntur: ad Extracti conſiſtentiam, cujus etiam nomen gerunt, quorum porro meminiſſe oportet tertia hujus Pharmacopœæ parte.

In more eſt herbas, flores, fructus, & ſemina,quorum ſuccos elicere intendimus; in Mortario marmoreo, vel alio lapideo ſolido conterere, quæ demum telæ validæ immittuntur, vel ſucco proportionato, tum manibus vel prelo comprimuntur, vel inter duas laminas ferreas ſtanneas; aut aſſeres ligneos repoſita, Subſidere ad aliquod tempus permittitur hic ſuccus, imo aliquando Soli exponitur per aliquot dies, deinde ſenſim & vaſe inclinato quidquid liquidius eſt effunditur,decantationem dicunt, eóque modo defæcatus aſſervatur, vel per manicam Hippocratis traiicitur, aliúdve colatorium panneum, ſi ſuccus ſatis depuratus non fuerit, vel ſi ſit aqueus.

Succi herbarum qui quamprimum in vſum venire debent, vel clarificari, & cum ſaccharo aut melle coqui,vel cum Vnguentis & Emplaſtris commiſceri & coqui, ejuſmodi cautionibus non indigent: at vero fructuum ſucci vinoſi accurate defæcandi ſunt, prius enim Solis radios experiri debent, poſtmodum tranſcolari, mediante enim hoc calore, & hac digeſtione, ac colatura,ſucci craſſiores partes a purioribus ſecedunt: Ejuſmodi ſucci per Manicam ſecernendi, aut, quod melius, per chartam emporeticam, poſſúntque cum ſaccharo aut melle decoqui, aut in lagenis, ad ſummum vſque replendis aſſervari, excepta altitudine tranſverſi circiter dimidij digiti, quæ oleo amygdalarum dul-

cium complenda, ad arcendum aëris introitum in ſuccum, hínceque imminentem arcendam corruptionem. Accurate tamen præterea obturandæ lagenæ, locóque modice frigido reponendæ, vt, cum opus eſt, in vſum veniant, quo tempore ſupernatans oleum demendum, vſurpato ſucco rite defæcato, fæcibus rejectis: Succi Roſarum & Perſicorum eadem cautione ac vinoſi conſervandi.

Illud monuiſſe vtile eſt ad extrahendos ſuccos Acidos rubros, ſpeciatim Granatorum, vſurpãda eſſe vaſa vitrea, Faventina, aut figulina vitreata; manus terſiſſimas eſſe debere, illud accurate cavendo ne ferrum vllatenus accedat, ne color obſcuritatem contrahat: Cum ſucco, imo ſyrupo Kermeſino eadem cautione agendum eſt, in fuſcedinem enim abeunt ſi in vaſis cupreis aut ferreis moram trahant.

Si e plantis quibuſdam glutinoſus ſuccus educendus ſit, cujuſmodi ſunt Portulaca, Borrago, Bugloſſum illíſque ſimiles, non meliori ratione quam quæ a me excogitata eſt id perfeceris ſi illas in pelvim cupream intus ſtanno obductam conjeceris, ſubdito igne carbonum moderato, inibique aliquantiſper continueris, per vices ſubagitando, quovſque aliquam ſucci partem ad pelvis fundum ſeceſſiſſe animadverteris; Separandus tunc ille ſuccus inclinato vaſe, pelvis demum igni imponenda, neque removenda, agitando herbas, ſuccúmque decantatione ſeparando, quovſque ſufficiens illius quantitas educta fuerit: Eo pacto minor adeſt labor, compendium fit temporis, ſuccúſque multo purior educitur quam ſi herbas contuderis.

Succos Oleagineos fructuum & ſeminum ad caput de Oleis expreſſis remitto.

CAPUT II.

De Infuſionibus & Decoctionibus.

IMmediate poſt Succos de Infuſionibus & Decoctionibus mihi agendum eſſe exiſtimavi, eo quod illarum ope medicamentorum partes maxime ſucculentæ & eſſentiales in liquores tranſeunt: Præterea Infuſiones & Decoctiones in tot Compoſitiones Galenicas veniunt, vt neceſſe eſſe crediderim de illis generalia quædam tradidiſſe priuſquam rem adgrederer.

Infuſiones & Decoctiones, Elixationes ſunt medicamentorum in quopiam liquore factæ; Aliquando quidem inſtituuntur emolliendorum & decoquendorum medicamentorum cauſa; nonnunquam etiam quo illis dematur, aut corrigatur vitioſa quæpiam qualitas; præcipuus vero ſcopus

ſcopus eſt vt vis illorum in quempiam liquorem transfundatur, atque ad conjungendam & colligendam variorum medicamentorum in liquore quopiam facultatem.

Infuſiones à Decoctionibus differunt caloris gradibus & decoctionis diururnitate, Priores enim quandoque abſque igne & frigide perficiuntur; ſi vero ignis accerſendus fuerit, moderatiſſimus vt plurimum ſit; imo temporis ſpatium eſſe debet, aliquando plurium horarum, imo nonnunquam plurium dierum, cum Decoctis aliquando quarta horæ pars ſufficiat, vel ſemihora, aut hora integra; Longiſſimæ autem vix ad quinque aut ſex horas protrahantur.

Has vero ambas Præparationes conjunxi, quod maxima inter vtramque intercedat affinitas, ac vt plurimum Decoctionibus anteant Infuſiones.

Plurima huc Infuſorum exempla transferre licuiſſet, at cum non exiguus illorum numerus in hujus Pharmacopœæ ſerie adducendus ſit, ſatius eſſe duxij quaſdam Decoctionum formulas huc intuliſſe.

Differunt Decoctiones pro diverſitate ſubſtantiæ mixtorum decoquendorum; quæ enim ſubſtantiæ ſunt compactioris, & liquorem vix admittunt, decoctione multo diuturniore opus habent quam quæ mediocris ſunt ſubſtantiæ; non ſecus ac hæc longiore indigent quam quæ tenuem nacta ſunt: Eadem ſubſtantiarum diverſitas majorem aut minorem liquoris quantitatem expoſcit; plus enim requiritur ad medicamenta quæ diutius decoquenda ſunt quam ad ea quæ brevius, eo quod per longam decoctionem humiditatis plurimum abſumitur.

Vſitata proportio eſt vt Liquoris ſextuplum pondus ad materiam decoquendam ſumatur: At vero ſi materiæ aliquantulum ſint compactiores, octuplum aut decuplum poteſt adſumi: Sin ſubſtantia omnino ſolida & compacta fuerit, ad duodecuplum vſque licet aſcendere, imo ſexdecuplum pondus liquoris imponere licet.

Eſt & hoc obſervandum medicamenta denſioris ſubſtantiæ validiorem & diuturniorem decoctionem perferre poſſe quam quæ mediocrem ſortitæ ſunt, quæ etiam violentæ impares ſunt: quæ autem ſubſtantiam tenuem nactæ ſunt, nequaquam illam diu ſufferre poſſe, imo quædam decoctioni demum ſubiiciuntur cum vas ab igne ſubtrahendum eſt.

Sunt & nonnullę quibus ſimplex Infuſio ſufficit communicandæ liquori medicamenti virtuti, adeo vt omnino e re ſit vt Pharmacopœus variam medicamentorum ſubſtantiam noverit, vt inde dignoſcat quanto tempore illi opus ſit ad perficiendam Decoctionem aut Infuſionem, eo quod vt plurimum medicorum præſcripta neque liquoris quantitatem

deſignent, neque decoquendorum medicamentorum ordinem, neque ignis gradus, neque temporis ad decoctionem neceſſarij ſpatium, ſed cuncta hæc Pharmacopœi prudentiæ ſubmittantur.

Vt vero res ex ordine procedat, ſi plurium medicamentorum Decoctum ſuſcipiendum ſit, projectionis a ſolidioribus fiat initium, cujuſmodi ſunt Ligna, hæc ſubſequantur Radices & Cortices, demum Fructus, hos Folia ſeu Herbæ, Baccæ & ſemina; Flores ſub finem demum decoctionis iniiciendi: Ligna contundenda, raſpanda; minutiſſime dividenda ligna, radices & cortices; dividantur fructus, incidantur herbæ, contundantur baccæ & ſemina, flores citra adparatum immittantur.

Neque tamen hæc regula adeo generica eſt quin ſuas ſubeat exceptiones, ſi enim occurrat Lignum ſubſtantiæ raræ & ſpongioſæ, minor illi debetur coctio quam Radici compactiori: Hordeum integrum tam debet decoqui quam Ligna; Præterea ligna & radices aromaticæ diutinam non tolerant decoctionem, alias potiores illorum partes in auras abeunt: Cortices Fructus & Semina aromatica ſola infuſione contenta ſunt: Radix Liquiritiæ herbis ſuccedit, capillares herbæ eodem quo Liquiritia imponuntur tempore, vel immediate ſequuntur. Semina frigida ſimul cum floribus; Flores nymphææ eandem fere coctionem ac herbæ ferunt.

Ordo fere ſimilis in Decoctionibus animalium ſervandus, Cornubus enim & Oſſibus diuturnior multo coctio quam Carnibus debetur, Bubulæ quam Ovillæ, huic plus quam Vitulo & Caponi, vtrique plus quam Pullo gallinaceo.

Generalia hæc multo apertiora fient in libri ſerie; etiamſi vero varia Decoctionum exempla, quæ afferenda ſunt, ſatis eſſe queant, deſcriptiones nihilominus quaſdam traditurus ſum, vtiles ratione nonnullarum Formularum, præſcribi ſolitarum non deſignatis medicamentis illarum Compoſitionem ingredientibus.

Decoctum Cordiale.

℞. Hordei integri
Radicum Scorzoneræ.
borraginis
bugloſsi ana ℥ j.
Foliorum earundem plantarum
endiviæ
cichorij
oxytriphylli ā ā. man. j.
capilli Veneris Monſpelienſis man. ß.
liquiritiæ raſæ ʒ jj.
Quatuor ſeminum frigidorum mundat. ā ā. ʒß.
Trium florum cordialium ā ā. pug. ß.
Fiat ex arte Decoctum in ℔ vj. *aquæ fontis ad tertiæ partis conſūptionē modo ſuperius explicato.*

Methodus

Methodus.

Hordeum optime lavandum eſt, poſt decoquendum per quartam horæ partem in aqua, hinc addendæ Radices probe prius elotæ, mundatæ a medulla & cortice exteriore, tenuiter inciſæ, Bulliant iterum cum hordeo per horæ quadrantem; addantur deinde folia Scorzoneræ, Borraginis, Bugloſſi, Endiviæ & Cichorij, probe elotæ & inciſæ; Poſt ebullitionem factam cum cæteris fere per horæ quadrantem, addenda eſt Liquiritia deraſa & probe cõtuſa, Alleluya & Capillares herbę leviter inciſæ: Levis ebullitio his conciliabitur, demum adiicientur Semina frigida optime contuſa cum Floribus cordialibus, quibus alte in decoctum demerſis, Pelvis ab igne removebitur, demum liquor per manicam traiiciendus, vel per pannum cum ex dimidio refrixerit.

Decoctum Pectorale.

℞. *Hordei mundati* ℥ß.	*Pulmonariæ* ā ā. *man.* j.
Iujubarum	*Hyſſopi.*
Sebeſten ā ā. N° xij.	*Polytrici*
Paſſularum ab acinis purgatarum ℥ vj.	*Florum tuſſilaginis* ā ā. P. j.
	Glycirrhiſæ ʒij.
Ficus pingues	*Fiat Decoctum in* ℔ iij. *aquæ fontanæ, ad tertiæ partis conſumptionẽ, igne luculento modo infra dicendo.*
Dactylos enucleatos ā ā. N°. vj.	
Foliorum ſcabioſæ.	

Methodus.

Hordeum decoquatur quarta horæ parte, in aqua demum addantur Dactyli exemptis nudeis, Paſſulæ exacinatæ, Ficus, Iujubæ & Sebeſten conciſa; Ebulliant hi fructus vna cum Hordeo iterum horæ quadrantis ſpatio, demum adiiciantur Scabioſa, Pulmonaria, Hyſſopus inciſæ, bulliant ſimul adhuc per quartam partem horæ, poſtmodum iniicienda erunt radix Liquiritiæ deraſa & probe contuſa, Polytrichum & Tuſſilago, ac levi facta ebullitione vas ab igne removeatur, Decoctum coletur priuſquam omnino refrixerit.

Decoctum Hepaticum Aperitivum.

℞ *Radicum quinque aperitivarum*	*Taraxaci* ā ā. P. j.
Fragariæ	*Capilli Veneris Monſpelienſis*
Bugloſſi ā ā. ℥vj.	
foliorum Endiviæ	*Polytrichi* ā ā. P. ß.
Cichorij	*Seminum Apij*
Lupuli	*Milij Solis* ā ā. ʒij.
Agrimoniæ	*quatuor frigidorum majorum mundatorum* ā ā. ʒj.
Pimpinellæ	
Cærefolij	*Liquiritiæ* ℥ ij.

Florum Borraginis *Geniſtæ ā ā. Pug. j.*
Bugloſsi

Fiat omnium iuxta methodum præſcriptam Decoctio in octo libris aquæ fontanæ, vel Pintis quatuor; deducantur per ebullitionem ad duas tertias; quæ quantitas pro hoc Decocto ſatis eſt.

Methodus.

Probe ablucantur Radices, a medulla & cortice exteriori liberentur, contuſæ poſtmodum aut inciſæ ebulliant per ſemihoram in aqua; demum proiiciantur Lupulus, Endivia, Cichorium, Agrimonium, Taraxacum, Pimpinella, Chærefolium, inciſa: quarta ſcilicet horæ parte vna cum radicibus decoquantur, demum addenda ſemina Apij & Milij Solis contrita; ac poſt levem ebullitionem adiiciantur Liquiritia contuſa & comminuta, ac paulo poſt Semina frigida contrita, cum Floribus qui in decoctum demergendi, eodem tempore vas igni ſubtrahendo: Decoctum coletur refrigerationi proximum, in vſum pro re nata ducendum, & antequam corruptionem ſubeat.

Decoctum Cephalicum.

℞. *Radicum Valerianæ majoris*
Ireos Florentinæ
Pæoniæ maris
Acori veri
Viſci quercini ā ā. ℥ß.
Foliorum betonicæ
Salviæ
Majoranæ
Calaminthæ montanæ
Chamædryos ā ā. Man. j.
Seminum Rutæ
Pæoniæ maris
Baccarum Iuniperi ā ā. ʒij.
Florum Roriſmarini
Stæchados,
Lavendulæ
Calendulæ
Liliorum convallium ā ā. P. j.
Tartari crudi ℥j.

Fiat ex arte Decoctum in ℔ vj. *aquæ fontanæ ad quartæ partis conſumptionem.*

Methodus.

Tartarum crudum huic Decocto imponitur non tantum quo aqua imbuatur vi medicamentorum, hoc loco præſcriptorum, ſed vt quomodo cohibeantur partes illorum volatiles, & ad præcavendam illorum per decoctionem diſſipationem: Etiamſi vero illis prope conſentiam qui partes plantarum aromaticarum a coctione eximere vellent, ea præſertim quæ vaſis, apertis perficitur, cenſeo tamen non omnino a veteri inſtituto diſcedendum eſſe, dummodo cautiones adſint neceſſariæ.

Racines Pæoniæ, Valerianæ, Iridis & Acori optime contūdendæ ſunt, non ſecus ac Viſcus quercinus & Tartarum crudum: conjicienda in vas Fictile ritreatum cum aqua præſcripta, ritéque eo cooperculato, lento

to igne perficiatur Decoctio per quartam fere horæ partem, demum adiiciantur herbæ conciſæ; coopertóque iterum vaſe, iíſque ebullitioni commiſſis quartæ horæ partis ſpatio, adiungantur baccæ Iuniperi & Semina, occludatúrque vas; hinc factis quatuor aut quinque ebullitionibus, flores addentur & immergentur in Decoctum, Operculum imponendum vaſi,poſt ab igne removebitur,cúmque hoc Decoctum ſemi refrixerit,colatura fiet,magmate leviter expreſſo,aſſervando ad vſum.

Plurima hic alia Decocta inſerere licuiſſet, Stomachica, Splenetica, Nephritica &c. at ex mea ſententia ſatis eſſe queunt quæ attulli, quandoquidem in decurſu alia occurrent exempla in plurimis compoſitionibus.

CAPUT III.

De Iulepis & Apozematibus.

IN medium hic non proferam præparationem Iulapiorum Roſacei & Violacei antiquorum, nec cujuſpiam alterius eiuſmodi, quandoquidem obſoleta ſunt, mutatáque illorum fuit conſiſtentia & nomen in Syrupi vocabulum: Id ſolum attuliſſe ſatis ſit Iulepi, aut Iulapij, nomen alias inditum fuiſſe quibuſdam compoſitionibus liquidis cum aquis ſtillatitiis paratis, vel levibus Decoctionibus, ſaccharo inter coquendum addito, ad conſiſtentiam paulo quam Syruporum fluidiorem factis; nec enim ad diuturnitatem parabant, ſed tantum vſus tempore parabilia erant.

Iulepi nomen quoque de more conceditur remediis quibuſdam quæ a Iulepis antiquorum non multum diſcrepant, ſed multo minor ſacchari quantitas adiicitur, neque diutius aſſervari queunt, quia vnica ſacchari vncia imponi ſolet, vel vncia vna, aut ſeſquivncia alicuius ſyrupi ad ſex vel octo vncias aquarum ſtillatitiarum, cujuſpiam decocti, alteriúſve liquoris: Neque etiam in more eſt liquores hos cum ſaccharo decoquere, aut cum Syrupis, nam ſufficit ſimplex commiſtio quo tempore ægris offerendi ſunt, quibus & hi in potum ordinarium venire poſſunt, imminuta tantillum ſacchari quantitate aut ſyruporum admiſcendorum.

Iulapiis hiſce omnibus acor conciliari poteſt additis ſpiritibus, aut ſuccis acidis: Ad ſummum æſtatis tempore per horas viginti quatuor durabiles ſunt loco frigido, aut per biduum vel triduum hyeme.

Apozemata remedia ſunt Iulepis admodum affinia, at majorem medicamentorum numerum admittunt, quamobrem ingratiora fiunt:

Parari ſolent ex decoctis variarum partium plantarum, atque inde illorum nomen deductum: Verbum Græcum ἀποζέννυμι ſignificat decoquo, juxta Renodæum, etſi veriſimilus Apozematis etymon oriatur ἀπὸ τοῦ ζέω, deferveſco: Horum exempla plurima huc transferre non arduum eſſet, ſed Lectorem remitto ad Decoctionum formulas capite præcedenti traditas, quæ Apozematum nomen induere poſſunt: Remedia Purgantia his Decoctionibus addi poſſunt, ac varij ſyrupi diſſolvi pro ſcoporum varietate.

CAPUT IV.

De Emulſionibus & Amygdalatis.

EMulſiones remedia ſunt liquida, guſtui non ingrata, quorum color & conſiſtentia a lacte non multum abit: Componi ſolent ex ſeminibus, aut fructibus oleagineis, in mortario marmoreo piſtillo ligneo contuſis, ac demum diſſolutis in aquis ſtillatitiis, aut decoctionibus levioribus, ſubſequente expreſſione, dulcedinem conciliando ſacchari aut Syrupi cujuſdam additione.

Diverſas ob indicationes parantur Emulſiones, ſed præſertim ad temperationem immodici Pulmonum caloris totiúſque pectoris; ad obtundendum acumen & acrimoniam humorum, ac ſanguis fervorem demulcendum, vrinæ & Renum ardorem extinguendum. Quo fit vt crebro in vſum veniant non modo in Dyſuria, ſed & in Gonorrhœa, & inflammationibus partium genitalium in iis qui morbo Venereo inquinantur: Felici quoque ſucceſſu exhibentur ad viſcerum caloris exceſſum reprimendum, inquietudines ſedandas, ſuavémque ſomnum alliciendum; Parantur & Emulſiones admodum idoneæ humorum acrimoniæ temperandæ in Dyſenteria, ad dolores eiuſdem placandos, excoriationéſque inductas curandas; Poſſunt & ſpecificæ Emulſiones componi necandis Vermibus idoneæ, in vſum adducendo ſemina aliaque remedia eum in ſcopum idonea; Quorum omnium formulas exhibere e re eſt in eorum gratiam qui non abnuent, ac primo contra affectus Pulmonum & Pectoris.

Parandarum Emulſionum Methodus.

℞. *Amygdalarum dulcium mundatarum*
Seminum IV *frigidorum mundat.*
Bombacis ā ā. ℥ij.

Contundantur in mortario marmoreo, piſtillo ligneo ſenſim affundendo aquæ tusſilaginis, ſcabioſæ aut papaveris rhæadis, vel decocti hordei, paſſu-

paſſularum mundatarum & liqui ritiæ ℔iß. colentur & exprimantur, Ex-preſsioni adde Syrupi violacei & capilli Veneris ā ā.℥iß. fiat Emulſio pro iij dozibus longe a paſtu ſumendis.

Sin acrimoia humorum; ſanguinis efferveſcentia, inquietudines & inſomnia comites fuerint affectuum Pulmonum & Pectoris, addi poſſent Emulſionibus drahmæ duæ ſeminis papaveris albi & lactucæ tantundem; vice Syruporum Violacei & capili Veneris, affundendo Syrupos papaveris albi & nymphææ.

Sin expetantur Emulſiones ardorem Vrinæ & Dyſuriam mulcentes, ſive ab extraneis corporibus in Renibus contentis inductæ fuerint, vel in vreteribus, aut in veſica, ſive ab intemperie prædictarum partium, aut Venerea aliqua virulentia, hac ratione proredendum erit.

℞. Quatuor ſeminum frigidorum majorum
Milij Solis papaveris albi ā ā.℥iij.
Contundantur in mortario marmoreo, ſenſim affundendo decocti radicum Althææ & Nymphææ ℔iß. colentur & exprimantur, expresſioni adde Syrupi de althæa & nymphæa ā ā.℥iß. ſalis prunallæ ℥iij. fiant tres doſes longe a paſtu ſumendæ

Emulſiones contra Dyſenteriam hoc modo concinnari poterunt.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum ℥i.
Seminum Sumach Lactucæ
Papaveris Cydoniorum ā ā. ℥ij.
Contundantur in mortario marmoreo ſenſum affundendo decocti hordei mundati, portulacæ & veronicæ, vel Aquarum plantaginis, roſarum, & veronicæ ℔ıß. colentur & exprimantur, Expreſsioni adde Syrupi cydoniorum & papaveris albi ā ā.℥iß. fiant tres doſes horis commodis oggerendæ.

Poſſunt & vtilisſime Emulſiones ſequẽtes ad vermes necãdo præparari.

℞. Nucleorum Perſicorum excortiat.℥ß. Seminum citri
Portulacæ contra vermes ā ā.℥ij.
Contundantur in mortario marmoreo ſenſim affundendo Aquarum Naphæ & portulacæ ā ā.℥vj Vel decocti radicis graminis & raſuræ cornu cervi ℔j. Colentur & exprimantur, Expresſioni adde Syrupi de limonibus ℥ ij. fiant duæ vel tres aut quatuor Emulſionis doſes, longe a paſtu ſumendæ, melius ſuccedent ſi Luna decurſu exhibeantur.

Amygdalata minus requirunt artificium, & frequentiori ſunt in vſu quam Emulſiones, neque ignota ſunt plurimis Matronis quæ his ſæpe valetudinis gratia vtuntur & curandæ cuticulæ ſtudio: Vulgo parantur ex amygdalarum dulcium vnciis duabus, a cortice mundatarum, quæ rite in mortario marmoreo terendæ ſunt piſtillo ligneo, poſtmodum diſſolvendæ cum octo aut decem vnciis decocti hordei mundati, aut

carnis vitulinæ, vel pulli gallinacei, demum cuncta hæc colantur & exprimuntur, poſtea liquori expreſſo additur vncia ſacchari puri cum tantillo aquæ roſaceæ, aut ſi mavis aquæ florum arantiorum: poteſt & imponi, ſi vſus voluerit, vncia vna ſyrupi violacei aut nenupharini vice ſacchari.

CAPUT V.

De Potionibus, Mixturis & Bolis.

POtiones hoc nomine donantur quia Potantur, Illarum materia admodum varia eſt, ratione diverſarum indicationum, pro varietate genij & ingenij illas præſcribentium aut præparantium;Non minus enim Potionis nomine gaudebit quæ contra artis regulas præſcripta fuerit & præparata quam quæ ad illius normam, Præterea Potiones purgantes non minus ſunt Potiones quam adſtringentes, aut cardiacæ, aut hidroticæ, vel diureticæ &c.

Sicuti Potiones abſque liquoribus non præparantur, ita qui eam in rem in vſum adducuntur nonnunquam ad modum ſimplices ſunt, ſicuti aqua communis, vinum, lac, ſerum lactis, &c. aliquando vſurpantur aquæ ſtillatitiæ, infuſiones, tincturæ, decocta, ſucci &c. Commiſcentur & non raro ſimul varij liquores: Adduntur etiam liquoribus modo pulveres, modo ſalia, opiatæ, cõfectiones, magiſteria, elixiria, olea, eſſentiæ &c. adeo vt magnũ volumen exſtrui poſſet ſi congeſtio fieret Potionum antiquis & neotericis vſitatarum vti & earum quæ quotidie excogitari poſſunt: Quapropter hoc loco formulas particulares traditurus non ſum, cum ex librorum lectione, & praxi continua multa illarum notitia comparari queat.

Iulepi; Apozemata, Emulſiones, Amygdalata Potionis nomine gaudere poſſent non ſecus ac Potiones purgantes; Fiunt Potiones Emeticæ, Diaphoreticæ; Thoracicæ, Cephalicæ, Hypnoticæ, Anodynæ, Aperitivæ, Diureticæ, Cordiales, Stomachicæ, Hepaticæ, Spleneticæ, Hyſtericæ, Traumaticæ, Arthriticæ, Carminantes, Dyſentericæ, plurimóque alios in ſcopos, poſſúntque ſexcentis modis in vnumquemque morbum potiones concinnari, quandoquidem diverſa remedia ſimul congeri queunt, variiſque dozibus præſcribi pro diverſitate ſcoporum & affectuum.

Potionum generi accenſeri poſſunt quæ vulgo dicunt neotericis *Miſturæ*: hæ vero a Potionibus vſu diſcrepant, illarum enim diuturnior eſt

eſt & frequentior neque ea copia aſſumuntur qua Potiones, vnico ſcilicet hauſtu; cum enim ex remediis generoſioribus conſtent, minori quantitate effectum exſerunt repetitiſque vicibus id præſtant quod vnica obtinere non liceret: Miſturæ hæ vt plurimum conſtant ex congerie aquarum ſtillatitiarum, magis aut minus compoſitarum, elixiriorum, oleorum diſtilatorum, ſalium volatilium, fixorum, aut eſſentialium, ſpirituum, tincturarum, eſſentiarum, extractorum, gemmarum, ſyruporum & plurimorum aliorum remediorum, iuſta dozi præſcriptorum & appropriatorum, quæ ex intervallis e cochleari exhibentur, procul ſcilicet ab alimento.

Miſturarum varietas inſignis eſt pro varietate & complexu morborum, ac Medicorum illas preſcribentium ſagacitate: Parantur & aliæ conſiſtentię ſolidioris, non parum diſſimilis ab ea quę in Opiatis vſitatis reperitur, vt captui ęgrorum ſatisfiat qui remedia potulenta reſpuunt: Eiuſmodi miſturę componi poſſunt ex pleriſque medicamentis, pręcedentibus miſturis dicatis, exceptis liquoribus, quorum vicem ſupplent conſervę aut confectiones; Ex apice cultri porrigantur, nebulis involutę aut aliter.

Boli, remedia ſunt interna, plerumque Opiatis ſolidiora, excogitati pręſertim in ęgrorum gratiam qui potiones medicatas renuunt, aut quibus ſaporis cauſa aut odoris ab iis abhorrent: Vſurpantur etiam quo citius nonnulla deglutiantur remedia, quę pręgravitate in vitri fundo ſubſiderent ſi liquoribus quibuſdam remiſta forent, cujuſmodi ſunt varię Mercurij, Antimonij pręparationes &c.

Eadem fere diverſitas eſt Bolorum quę Potionum; Conficiuntur quippe ex Electuariis, Confectionibus, Conſervis, Pulpis, Pulveribus, Salibus, Oleis, Eſſentiis, Extractis, Syrupis, ſexcentíſque aliis remediis, quorum nonnulla ea ſoliditate pręditа eſſe debent, aut illo ſiccitatis gradu qui conſiſtentiam idoneam prębeat liquidioribus iuſto & mollioribus.

Boli fere aſſumuntur procul a paſtu, aliquando ex extremitate cultri, ſępius vero nebulis obvoluti, ſaccharo pulveriſato, pulvere glycyrrhiſę, fructibus crudis aut coctis, aut aliquo condito, vel alia quapiam materia quę quoquomodo impedire valeat ne medicamenti ſapor vel odor guſtui aut olfactui offeratur.

CAPUT VI.

De Gargariſmatis, Maſticatoriis & Errhinis.

Gargariſmi ſunt remedia liquida dicata affectibus oris, gingivarum, palati, & gutturis, necnon ad liberandum cerebrum ab humiditatibus ſuperfluis illi moleſtis: Vtplurimum conſtant ex aquis diſtillatione elicitis, aut decoctionibus, quibus admiſcentur modo Salia, modo Spiritus, modo Syrupi, mella,acetum, aliquando varii ſucci.

Non deglutiuntur Gargariſmi, ſatis eſt ore continere ad aliquod temporis ſpatium,aut verſare eos demum reſpuendo; Eorum vſus repeti & reiterari poteſt toties & quamdiu neceſſitas vrget: Sunt autem inter remedia omnium fere notiſſimi, quorum deſcriptiones vbique proſtant, adeo vt his molem libri adaugere neceſſe non ſit.

Maſticatoriæ Apophlegmatiſmorum nomine quoque donantur, quia eorum præcipuus effectus eſt pituitam e cerebro deducere, Eum in finem plurima medicamenta ſimplicia in vſum adducuntur,ac præſertim varię plantarum partes, cuiuſmodi ſunt radices Iridis, Pyrethri, Ginziberis, Cyperi, Acori veri, ſemina Staphiſagrię, Cubebę, Cardamonum, Piperis omnia genera, Sinapi Eruca, Salvia, Roſmarinus, Maſtiche, Thymus, Saturcia, Nicotiana &c. quę medicamenta dentibus attrita, calore & acrimonia, elicere valent attrahere pituitam e cerebro: Poſſunt & ex iis parari Trochiſci, in pulverem,comminuendo quędam ex traditis illis medicamentis, atque aut cum oxymelite, aut ſyrupo de ſtęchade ſubigendo, atque ore continendo, aut maſticando vbi exſiccati fuerint: vel eadem in maſſam quandam concorporari, linteo includi in Noduli formam, ac maſticari.

Errhina ideo dicta ſunt quia medicamenta ſunt in narium cavernas introducenda: Eundem in finem ac Apophlegmatiſmi excogitata fuere, ſed majori violentia operantur, quia eorum facultas directe ad cerebrum pertingere poteſt per narium ductus, ejuſque vim expultricem laceſſere & commovere.

Errhina alias Liquida ſunt, ac facile in nares attrahuntur; alias Pulveris forma, quem etiam licet in nares allicere, vel etiam impellere, alias Linimenti, alias pyramidali: Errhina liquida parantur vulgo ex ſuccis majoranę, betonicę, ſalvię; radicum betę, cyclaminis, iridis &c. vel earundem plantarum decoctis, vel lactucę, liliorum convallium &c.

Quę Pulveris formam habent, fieri poſſunt ex majorana, betonica, iride,

iride, nicotiana, rhododaphne, tuſſilagine, helleboro albo, imo etiam euphorbio ſi quid efficax expetitur.

Si Linimenti forma deſideras, in ſui compoſitionem eadem admitti poſſunt, ſubigenda cum vnguento roſaceo, vel oleo irino & pauca cera, vel cum oleo laurino.

Errhina ſolidiora in vſum maxime veniunt ad cohibendam narium hæmorrhagiam; parantur ex balauſtiis, bolo orientali, terra ſigillata, maſtiche, ſanguine humano, aut porcino exſiccatis, ſimilibuſque medicamentis adſtringentibus, pulveriſatis & cum albumine ovi concorporatis, piliſque leporinis, ex quibus effinguntur Pyramides in nares introducendæ, & relinquendæ: A nonnullis additur vitriolum album.

CAPUT VII.

De Iniectionibus & de Peſſariis.

INjectiones, remedia ſunt liquida, immittenda modo in locellos muliebres & veſicam; modo in vulnera; imo & Clyſteres Iniectionum nomine venire queunt.

Materia illarum admodum varia iuxta affectuum diverſitatem; Vinum enim in vſum advocari poteſt, aquæ diſtillatæ, aqua calcis, aqua marina, ſpiritus vini, lac, eiuſque ſerum, olea, balſama, pluriníque alij liquores, vt & varij ſucci, ac varia decocta & iufuſiones plurimarum partium plantarum, multorúmque mineralium.

Ope ſiphonum immittuntur iniectiones quo commode perveniant, hæ tepentes eſſe debent ante vſum: In liquoribus aliquando diſſolvuntur plurimæ materiæ & præparationes, cuiuſmodi ſunt ſalia, pulveres, extracta, ſyrupi, mella, trochiſci, gummata, elixiria ac plurima alia prout neceſſitas poſtulat: Immerguntur quoque turundæ, ſplenia & pulvilli in Iniectionis liquore ad curationem Vulnerum.

Peſſarij nomine audiendum omne remedij genus non liquidum, quod in muliebres locos introducendum eſt: Stricte vero vox Peſſarij accepta, ſignificat medicamenti genus ſat ſolidum, digiti longitudine, aliquando paulo maius, quod in partes mulicbres intromittitur ſed filo aut tenui vita in ſui extremo alligatum: Peſſaria hæc pyramidalem propemodum obtinere debent figuram, rotundam & admodum lævem, ne aſperitate partes offendant.

Varios in ſcopos medicamenta hæc præparantur, quorum hi ſunt præcipui, aut ad provocandum Menſtruum fluorem, aut ad eandem ſiſtendum ſi plus juſto fluxerit, aut ad cohibendum Vteri prolapſum, aut

fluores contra naturam cœrcendos, aut ad vlcera alioſve affectus ibi innaſci ſolitos.

Peſſarij corpus confici poteſt ex ligno quopiam levi & lęvi, aut fruſto ſuberis probe lęvigato convenientíſque magnitudinis, indito vaginę, ex panno ſericeo villoſo confectę, aliáve materia ſericea, cuius futurę non lędant.

Poteſt & vagina adimpleri goſſypio aut lana, ſed adeo compreſſis vt Peſſarium eandem firmitatem adquirat ac ſi baſis lignea eſſet aux ex ſubere confecta: Pars Peſſarij exterior obduci ſolet aliquo linimento, aut mixtura quapiam in vſus neceſſarios idonea.

Poſſunt & confici Peſſaria plũbea, cava & cannullę in modum, vaginę vti ſuperiora includenda: Sed quod hæc omnia diſtinctio adhibenda, mulieribuſne an puellis deſtinentur, tam ratione magnitudinis quam duritiei Peſſariorum; Sufficiunt enim Noduli, aut Peſſaria minora ac molliora poſterioribus.

[Aromata mitia, & acrimoniæ expertia admodum idonea ſunt ad paranda Peſſaria efficaci vi prædita, ſive ad vapores ex vtero aſcendentes diſcutiendos, ſive ad meatus illius reſerandos, ac menſes eliciendos; id enim obſervatum eſt a gratis odoribus recreari partem illam: quamobrem Linimenta moſcho, ambra griſea, zibetto &c. prædita, vel rebus ſuavi odore donatis non exigua vtilitate ſimilibus in caſibus admoveri poſſunt, at vero cavendum ne eadem naribus admoveantur quarundam mulierum, in quibus grati odores contrarium effectum præſtant.

Peſſariorum corpus, ad ſiſtendum immodicum menſium fluorem, confici poteſt ex pulveribus adſtringentibus in pollinem contritis, ſimul ſubactis cum cera & oleo maſtichino vna liquefactis, immiſſis in vaginam ex tenui bombycino confectam, exterius eodem oleo inunctam, eadem Peſſaria vtilia eſſe poſſunt cohibendis ſanguinis immodicis profluviis ac vteri procidentiæ.

Ei rei & conducunt Annulli ex cera alba confecti, aut ſubere, craſſitie digiti mediocris, in medio admodum conſtricti, impoſiti & geſtati, tranſverſim & plana figura in medio ſinu pudoris poſiti, adeo vt foramen annuli in media vagina vterina ſitum ſit; quo effluvium naniſcantur humores excrementitij ſi qui forte occurrant.

Si Peſſaria præſcribantur ad ſanationem alicuius vlceris, alteríuſve cuiuſpiam effectus in collo vterino oborti, linimento aliquo inungenda ea pars Peſſarij quæ locum vlceratum ſpectabit, vel alio quopiam remedio.

CAPVT

CAPUT VIII.

De Clyſteribus & Suppoſitoriis.

C*Lyſteres* a Græcis;dicti Ἐνήματα,ad Iniectionũ genus referendi,ſunt Medicamenta liquida per anum in inteſtina infundenda, ad curationem plurimorum affectuum : Vocantur Clyſteres , aut Lavamenta (*Lavement Gallis*) quia profunt Abluendis Inteſtinis.

Clyſteres in varios vſus adparantur, modo ad inteſtinorum refrigerium, modo eorundem humectationem , emollitionem & fæcum induratarum diſſolutionem , Alias ad facultatem expultricem ſopitam excitandam , ad flatus diſcutiendos , dolores ſedandos & demulcendos, vrinæ facilem exitum procurandum, ad alliciendos aut necandos vermes, facilem partum efficiendum , menſtruum fluxum provocandum, ſedandas paſſiones hyſtericas , inteſtinorum difficultates mulcendas , tormina ſedanda, illorum conſolidanda vlcera, ac ad revulſionem humorum & vaporum ad caput , pectus , ſtomachum, renes aliaſve corporis partes irrepentium.

Clyſteres vulgo componuntur ex radicum decoctis , herbarum , ſeminum & florum, diverſarum virium pro Medici ſcopo : Ejuſmodi Decocta vt plurimum in aqua ſimplici parantur , ſed & nonnunquam in lacte , in ſero lactis , juſculo carnium , vino communi & Hiſpanico, vrina , oxycrato , hydromelite variiſque aliis liquoribus.

Præter autem radices , herbas , ſemina & flores vulgata,quæ illis incoqui ſolent , laxantia nonnunquam adduntur , ſicuti ſenna , colocynthis , rhabarbarum , & plura alia : In decocto colato diſſolvuntur Opiatæ, mella , Syrupi , ſaccharum , Salia, Ovorum vitelli, terebinthina, olea extracta , & plurima alia quæ prolixius recenſenda non ſunt , pro re nata præſcribenda , morbi indole & robore ægrotantium : Clyſterum formulæ vulgatiores ſunt quam vt hic adponi debeant.

Suppoſitoria medicamenta ſunt ſolida, longitudinis & magnitudinis propemodum minimi digiti, cylindracea & fere pyramidalia; Excogitata ſunt in illorum gratiam qui Clyſteres averſantur aut vix admittere poſſunt Clyſteres, aut quorum morbus & conſiſtutio eoſdem renuit; Si enim ſolum alvum reſerarē volueris, & dejectionem vnam aut alteram movere , Suppoſitorium introductum , & ad aliquod tempus aſſervatum in inteſtini recti extremo, irritare potis eſt expultricem facultatem , & laxato alvo auxilio ejuſmodi egentibus, opem ferre.

Materia Suppoſitoriorum vulgaris eſt Mel commune, ad ſolidam

conſiſtentiam excoctum, quod vbi refrixit fragile fiat, ex quo bacilli effinguntur, vel trunculi, digitali longitudine, in cylindrum effingendo ſupra menſam oleo delibutam quamdiu adhuc calet mel: Adduntur quandoque melli communi ſal marinum aut gemmeum, vel aloë, aut colocynthis pulveriſata, vel quæpiam ex Hieris, aliudve Electuarium laxativum.

Sufficiunt & aliquando Suppoſitoria ex Sapone confecta, in exiguam Pyramidem execto, demum oleo illito ad faciliorem in podicem immiſſionem.

Sunt & qui globulos Saccharinos; (*Muſcardins*) vice ſuppoſitoriorum vtuntur: At ex his omnibus quilibet quod arriſerit eligat.

CAPUT IX.

De Vinis Medicatis.

VInum inter liquores ſummo in pretio ſemper fuit, adeo vt priſci Ethnici inter numina admiſerint; experientia autem duce a cunctis Medicis & alimentum exquiſitiſſimum, & medicamentum efficaciſſimum compertum fuit: Revera conſpicuum eſt id moderate ſumptum cor & ſenſu, omnes exhilarare, moerorem diſcutere, calorémque naturalem fovere, excalefacere & robur addere ventriculo cunctiſque viſceribus, alimentorum concoctionem promovere & excrementorum expulſionem; diuretica vi pollere, alexipharmaca, ſomnum accerſere, craſſos humores ſubtiles reddere, vires tueri, collapſas inſtaurare, ac tandem ad individui conſervationem facere, ſed & etiamnum ſpeciei, quamobrem apud antiquos hoc adagium vſitatum fuit, *Sine Cerere & Baccho friget Venus:* Ex quorum enarratione apertum fit Vinum remediorum vim potenter adaugere ſi illis admiſtum fuerit, dummodo cautio adſit ne optimarum partium, volatilium ſcilicet, diſſipatio accidat.

Nemini non notum Vvam eſſe vineæ fructum, Vinum autem eſſe ſuccum ab vva expreſſum: at vero ſuccus ille in verum vinum non evaderet niſi accederet fermentatio, partéſque illius ſubtiles hoc pacto a craſſioribus ſecretæ eſſent, in cúmque deductæ ſtatum a quo prodire queant effectus expectati: Neque tamen hinc arguendum a ſola hac fermentatione pendere partium vini ſubtilium vltimam puritatem, aliis enim mediis proculdubio opus eſt, de quibus tertia mei operis parte acturus ſum; Hoc loco tantum de Vinis in quæ medicamentorum quorúdam vis transfunditur, infuſionum aut macerationum ope acturus: imo neque eorum deſcriptionem ſum traditurus quæ maxime vſitata ſunt,

Lecto-

Lectorem qui aliorum exempla cupiet,ad Weckerum remittens, in quo plurimę deſcriptiones Vinorum ad multos affectus vtilium reperire eſt, Sufficiat mihi hic duorum Vinorum, quæ familiari ſunt in vſu,deſcriptionem attuliſſe,quorum prius præſertim in exemplum trahi poterit eorum quæ paranda fuerint.

Compoſitio vini Abſinthitis.

℞ Summitatum floridarum ſiccarum Abſinthij maioris, vel minoris, Faſc.j. Incide & immitte in doliolum quod pintas Pariſienſes quinquaginta aut circiter contineat. Impleatur dolium ſucco racemorum recenter expreſſo, & reponatur in cella vinaria ad fermentationem, qua peracta quod per fermentationem deperditum eſt vino ſuppleatur, & diligenter obturato dolio, Vinum ſervetur.

Methodus.

Quibus amaror majoris Abſynthij intolerabilis non erit,id illi ad huius vini præparationem eligere poterunt, delicatiores vero minus adſumant,cuius vires non multo minores quam majoris: Eligantur ſummitates floridæ, aſſumptáque illorum quantitas ſuperius deſignata debet incidi & ſacculo includi, aut nodulo maiori, ſuſpendendo per dolioli foramen ſuperius, magnitudinis debitæ, adeo vt ſaccus medio in liquore innatet: In cella vinaria doliolum reponendum, adimplendum ſucco uvarum recens expreſſo, vbi per bimeſtre circiter moram trahat, per quod temporis ſpatium fermentationem ſubiturum eſt vinum, quod odorem,ſaporem & virtutes Abſinthij contrahet; Peractis vero vini omnino ebullitionibus, affuſo vino albo, aut defruto, aut vino Hiſpano,ſupplementum fiet eius quod per fermentationem vino deceſſit: Exacte dolium obturandum, ad vſus aſſervandum.

Succus Vvarum recens expreſſus, (*muſtum*) cuicunque vino præferendus ad huius viní Abſinthitis præparationem, ac cuiuſcunque Vini medicati, quandoquidem ſuccus recens extractus, dum attenuatur, & a craſſioribus partibus liberatur mediante fermentatione, intimas pervadit partes materiæ illius ſinui commiſſæ, ideóque maiori agit efficacia quam vinum fermentatione iam defæcatum; cuius partes ſubtiles facillime exhalant; Ejuſmodi enim ſuccus per fermentationem cum abſinthio, exuit fere tantum idem phlegma, quod vinum commune deponit in ſui fermentatione: Interim mediante calore in illo, a ſpiritibus fermentativis excitato, multo magis aptus evadit ad corpus abſinthij penetrandum, illiuſque facultatem in ſe ſuſcipiendam quam alia via: Imo vero hac ratione diutiſſime incorruptum ſervatur, dummodo dolium omnino repletum fuerit ritéque obturatum, Vinum quippe a partibus extricatum craſſioribus, colligantibus & figentibus illius ſpiri-

tus ante fermentationem, diutius in medicamentum aliquod actionem ſuam exſerere nequaquam valeret, quo illius facultatibus imbui poſſet, abſque inſigni ſpirituum propriarum diſſipatione: Contingere nec non poteſt vt in iſtiuſmodi diſſipatione aëris,partes nitroſæ ſpirituum illorum abſumptorum locum occupent, acorémque & corruptionem vino inducant, atque in alienam deducant naturam.

Vinum Abſynthites mire commendatur in omnibus Ventriculi affectibus & Iecoris, illis præſertim quas genuit quæpiam intemperies frigida; Flatus diſcutit cruditatéſque concoquit, appetitum ciet, vermes necat, putredini obſiſtit, coctionem & diſtributionem alimentorum adjuvat, vitioſóſque humores abſumit, vapores ex vtero aſcendentes diſcutit, illius obſtructiones reſerat:admodum idoneum eſt fœdis coloribus virginum emendandis, ac menſtruis provocandis: Mane tres quatuorve vnciæ adſumuntur jeiuno ventriculo, pergendo prout opus in illius vſu.

Compoſitio Vini Stibiati, vulgo Emetici.

℞. *Vitri aut Reguli Antimonij, vel, ſi lubet,Croci metallorum, aut Magneſiæ Opalinæ, ſubtiliſſime pulveratorum* ℥iij.

Vini Hiſpanici, aut Vini Gallici albi generoſi,Pintas duas Pariſienſes.

In lagena vitrea ſimul collocentur, prabéque obturato Vaſe in loco temperato ſaltem per octiduum macerentur,& ſæpius agitentur,ſimulque tandem ſerventur,vt vſus tempore vinum clarum Antimoniũ supernatans,per inclinationem effundi & ſumi poſſit.

Methodus.

Si Vitrum Antimonij, aut Regulum, vel Crocum Metallorum, aut Magneſiam Opalinam, rite præparata habueris, & ſuper porphyrite optime lævigata, non difficilis erit præparatio vini Emetici: In parato tantum eſſe debet idonea lagena vitrea, in quam coniiciendum Antimonium præparatum, affundendo illi vini quantitatem deſignatam, lagenam demum exacte obturando, ex intervallis agitando per ſeptendium aut octiduum, Vinum ſimul & Antimonium aſſervando in eadem lagena optime obſtructa, inde ad vſus Vinum depromendum, per inclinationem effundendum, aſſumendo Vini clari Antimonio ſuperemimentis quantitatem neceſſariam; cavendo ne quod in fundo ſubſidet commoveatur, ne videlicet quæpiam Antimonij particula vino commiſceatur.

Atvero hac de re ſciendum Vini & Antimonij præſcriptas doſes non ſemper accurate obſervandas eſſe,nam etſi alterutrius dozis paulo excederet,aut minor eſſet,error non contingeret, quamdoquidem per crebrius repetitas experientias nobis conſtat,Vinum Antimonij viribus imbui

bui tantum ad proportionem cuius capax eſt, atque moram vnius, duorum, aut plurium menſium efficaciam majorem vino non conciliare quam ſi per octiduum tantum ſimul commiſcerentur, ſi modo conquaſſatio crebra illorum fuerit.

Illud quoque obſervandum idem Antimonium pulveriſatum, cui vinum diutius incubuit, atque inde vim emeticam contraxit, virium adhuc ſufficienter obtinere ad eandem facultatem emeticam & catharticam alteri vino affuſo impertiendam, repetita eodem modo maceratione, atque vbi hoc Vinum ſufficienter antimonij viribus imbutum eſt, fuítque abſumptum, eundem Pulverem iteratis vicibus vtilem eſſe poſſe, eundémque in finem: Et ſi cura adhibita Vinum ſemper leniter effuſum fuerit, limpidiori ſolum illius parte adſumpta, idem pulveris pondus perpetuo fere repertum iri quod ante macerationem inditum fuit: Ideoque veroſimile eſt Antimonium vim ſuam irradiationis quadam tantum ſpecie vino largiri.

Id quod vlterius confirmat experientiá quam præbent pateræ ex Regulo Antimonij confectæ, in quas infuſum vinum per aliquot horas emeticum evadit & purgatorium; eandémque vim alteri vino affuſo iterum communicare valet, accedente maceratione per idem temporis ſpatium, atque rurſus iiſdem facultatibus imbuere quodvis aliud vinum quotieſcunque id experiri libuerit, non in vno ſolum ſed plurimis ex ordine, nullo pateræ ponderis decremento aut virium; quæ experientia amplam ratiocinandi Philoſophis materiem ſuggerent.

Vinum Emeticum súſque deque humores vitioſos commovet & expellit, eos præſertim qui in ventriculo hoſpitantur: Majori aut minori vi operationem ſuam exercet pro diſpoſitione eorum qui id adſumunt, ac pro ratione vberioris aut paucioris materiæ occurrentis.

Illud vero obſervandum multo illis convenientius eſſe qui humoribus turgent quam quibus pauciores inſunt; Satiuſque multo eſſe ab initio præbere quam declinantibus morbis, & quo tempore vires admodum attritæ ſunt.

Solum exhiberi poteſt ab vna duabus, tribus, ad quatuor vncias, procul à cibo, reſpectu habito ætatis, virium & naturæ affectus.

Poteſt & idem purgantibus commiſceri, quapropter adnotandum venit, ſi hæc validiora fuerint, aut ſi quantitate Vinum Emeticum ſuperarint, hoc eorundem vt plurimum obſequi actioni, atque tantum per inferiora operari: Sin vero catharticis aut quantitate aut viribus ſuperius ſit, hæc actioni ſuæ obedire cogit, ſuſque déque vacuando.

Vinum Emeticum illis non debet porrigi quibus pectus anguſtum eſt, neque iis qui in vomitum ſummis tantum conatibus adiguntur,

neque etiamnum vbi viſceris alicuius phlegmone metuenda eſt, aut hæmorrhagia interior.

CAPUT X.

De Acetis.

DE Aceto illud aſſerere licet potiſſimam illius materiam eſſe ſuccum vvarum, non ſecus ac vini; At vero neceſſe eſt ſuccum vvarum in vinum migraſſe fermentationis beneficio priuſquam Aceti naturam induere poſſit: Etſi porro Acetum ex Cereviſia, Pomaceo, imo aqua confici queat, ex mea ſententia optimum & ſincerum Acetum ex vino eſt parandum.

Nonnulli aciditatis Aceti cauſam adſcripſerunt ſoli abſumptioni & diſſipationi ſpirituum volatilium vini, attamen parum illis perſpecta videtur fuiſſe hæc materia, Is enim quibus nota natura & origo acidorum, atque effectus ex illis oriri apti nati in ſalia & in ſpiritus, ac præſertim in volatilia, illis non minus aſſignaturi ſunt immutationem vini in acetum, quam abſentiæ ſpiritus volatilis vini: Etſi enim ante prædictam immutationem nonnulla portio ſpiritus volatilis vini forte abſumpta fuerit, illud non ignorandum corruptionem vino accidere a violata proportione illius partium, atque Acidi exceſſum cauſam eſſe præcipuam immutationis Vini in Acetum, nam quamdiu phlegma pars volatilis, & pars tartarea, acidum continens, æqualem & juſtam obſervant proportionem, vinum in ſuo permanet ſtatu; at vero ſi quæpiam illarum partium ſupra cæteras dominium obtinet, neceſſe eſt id quampiam ſubire corruptionem, majorem aut minorem pro quantitate & natura partis exuberantis, vnde quoque manifeſtæ exſurgunt differentiæ.

Si enim Phlegma abundans corruptionem induxerit, pingueſcit vinum & vappeſcit: at vero etiamſi phlegma partem vini volatilem infringere queat, ſi aut corrumpatur, aut quantitate excedat, eandem nihilominus abolere nequit; ſicuti fere omnino deſtruit partem vini tartaream acidam: Quo fit vt quanquam probum acetum ex vinis pinguibus, aut vappeſcentibus, confici nequeat, per diſtillationem tamen tantundem fere ſpiritus volatilis educere liceat atque ex vinis cui nullum prædictorum vitiorum adfuerit: Imo non minus elicere liceret niſi phlegmatis copia, à qua vinum corruptionem contraxit, maior quam decet adeſſet, atque ex parte occuparet locum ſpiritus volatilis.

Raro contingit ſpiritum illum volatilem in vino redundare, imo

etiamſi

etiamſi cæteras partes copia ſua ſuperaret; quandoquidem propriis viribus ſeipſum, illis abſentibus, tueri poteſt, illas in corruptionem deducere non poteſt, ſed vino generoſitatem & aptitudinem in caput exhalandi conciliaret, adeo, vt minus apte in vſum familiarum venire poſſet, celeríſque quam quodvis aliud vinum temulentium induceret.

At vero cum pars tartarea ſupereminet, nitroſam in aëre vagantem ad ſe allicit, quodammodo ſibi homogeneam: quæ paulatim incrementum aſſumens, non quidem expellit & abigit ſpiritum vini volatilem, quem quantitate exceſſit; at illum complectitur, ſtrictéque ſibi adſumit, quo eundem naturæ ſuę vtcunque conformem reddat, quamdiu phlegma opem tantum præſtat acidum temperando quod dominium obtinuit.

Multa de his ratiocinari liceret, atque experimentorum multitudine fulcire, at abſtinere ſatius duxi: Id ſolum afferendum cenſeo ab Acetis, ob acorem, retundi ſalium activitatem, & ſimul ſpirituum volatilium, dum iis ſe ſocia dant illorúmque actionem immutant, eadémque fauſto cum ſucceſſu vſurpari in iis affectibus quos inducunt ſalia & ſpiritus volatiles, vel humores illorum indolem recipientes, ſpeciatim bilioſi; quamobrem etiam fructus & ſucci acidi felici cum ſucceſſu in vſum trahuntur.

Compoſitio Aceti Roſacei.

℞ *Roſarum rubrar. exungulatarum ſiccarum* ℔ j.
Aceti acerrimi ℔ *viij.*
Vaſe vitreo bene obturato excipiantur; per quindecim aut viginti dies inſolentur, deinde colentur & exprimantur: Colatura cum pari Roſarum pendere per idem tempus inſoletur, coletur & exprimatur, & ſervetur Acetum.

Methodus.

Accipiantur Roſæ Rubræ, nondum explicatæ, Provinciales dictæ, quarum pars candicans calici proxima forfice reſecanda, Vnguis roſarum dicta: Pars rubra ſoli expoſita exſiccetur, ſi licet, aut ſaltem ſub dio, quam cito fieri poterit: Accipe prædictarum Roſarum eo modo exſiccatarum libram vnam, coniiciantur in lagenam denſam vitream, illis affunde aceti optimi libras octo; poſt rite obſtructa lagena inſoletur per quindecim dies aut tres hebdomadas, demum omnia colentur & fortiter exprimantur; poſtea expreſſio in eandem lagenam infundatur, cui libra vna novarum roſarum indita fuerit, hinc lagena rite obturabitur, vt ante per idem temporis ſpatium Soli exponenda; deinde excolari poterit Acetum forti expreſſione facta roſarum, aſſervandum ad vſum:

Poſſunt & ſi libet Roſæ in lagenæ relinqui, Aceti vſus tempore tantum colatura facta vſurpando.

Acetum Roſaceum non minus ad alimenta quam medicamenta expetitur; incidit, deterget & temperat, gratum eſt,appetitum excitat, fronti admotum ſomnum accerſit, ſalium fixorum acrimoniam obtundit, & volatilium activitatem reprimit, vermes necat, ſiſtit vomitus, purgantium actionem nimiam moderatur, inflammationes ſedat, expectorationem juvat & phlegmatis eductionem promovet; Interius adſumptum hæmorrhagias cohibet, exterius vero admotum putredinem arcet, olfactui objectum valet in aëris impuritate: Plurimis liquoribus commiſcetur, imo ipſis Linimentis,Vnguentis & Emplaſtris.

Acetum Roſaceum trahi quidem poſſet in exemplum ad plurimorum Acetorum ex floribus compoſitionem, cujuſmodi ſunt calendulæ, vetonicæ altilis, roſmarini, ſalviæ, ſambuci, &c. at cum flores ejuſmodi minus humore quam roſa ſcateant, exſiccatio in illis neceſſaria non eſt, aut ſaltem ſatis eſt ex media tantum parte exſiccaſſe, ne optimæ partes diſpereant.

Compoſitio Aceti Scyllitici.

℞. Scyllas duas molis mediocris,quarum externum corticem, & cor medium cultro arundinaceo eximes; laminas inter cor & corticem exiſtentes in partes divides, & Soli per multos dies ad humidi ſuperflui conſumptionem expones.

Harum ℔j. *in lagenam capacem immittes, illique ſuperfundes Aceti albi, vel potius ſpiritus Aceti* ℔viij. *Lagenam obturabis, & per quadraginta dies radiis Solaribus expones; colatis deinde & expreſsis laminis, Acetum ſervabis ad vſus.*

Methodus.

Qui in Hiſpaniam & Luſitaniam iter fecerunt, ibi duas veræ Scyllæ ſpecies deprehenderunt, vnam albam, maris nomine donatam; alteram rubram, fœminam dictam: Alba vt plurimum mole paulo minor eſt; guſtu fere ad rubram accedit,ſed acrimonia illam aliquantiſper ſuperat: Vtrique tamen vires pene eædem: *Scyllæ* ceparum ſpecies ſunt littori maris adnaſcentium, quæ parte inferiori obtinent radicem craſſam, brevem, occluſam & barbatam; menſibus Auguſto & Septembri caulem edunt rotundum, lævem, lucidum, nudum, coloris albi ad cinertium vergentis, digiti craſſitie, bicubitali interdum altitudine, in ſummitate gerunt plurimos floſculos albos, ad purpureum vergentes, ſpicæ in morem, quos ſequuntur ſemina nigra ceparum noſtratium grana referentia, Octobri & Novembri menſibus matureſcentia: Vtriuſque Scyllæ folia admodum ſimilia foliis liliorum, ſed maiora

exſerere

exſerere ſe incipiunt menſibus Novembri aut Decembri, tabeſcunt vero & excidunt Maio aut Iunio.

Albæ Scyllæ rubris præferendæ videntur, coloris ratione, at quia rarius in Galliam deferuntur, idem agendum videtur ac de Cepis ordinariis, illas vſurpando citra delectum quæ occurrunt, ad aceti ſcyllitici præparationem, ſicuti & aliarum compoſitionum internarum aut externarum quas ſubingrediuntur.

Accipiantur duæ Scyllæ mediocris magnitudinis, ſucculentæ, labis expertes, æſtatis tempore e terra erutæ, abiectis flaccidis illarum foliis, Cultro arundinaceo, aut ligneo, demendus cortex exterior ruber, non omnino exſiccatus, non ſecus radix ac cor abiiciendus: Eodem cultro incidendæ leviter laminulæ candicantes, mediæ inter cor & corticem, per plures dies Soli exponendæ, quo ad ſiccitatem omnimodam fere deducantur: Illarum tunc ſumatur libra vna, coniiciatur in lagenam vitream ſolidam, deſuper affunde Aceti albi optimi libras octo, aut, quod melius, ſpiritum aceti, lagenam poſtmodum rite obturatam per quadraginta dies Soli expones, quibus exactis omnia colentur & exprimantur, Acetum in futuros vſus aſſervando.

Laminarum exſiccatio non in eum finem inſtituta eſt vt prava quæpiam qualitas ipſis inſita emendetur, quandoquidem quicquid a Sole abſumitur aliud nihil eſt quam humiditas ſuperflua, nulla qualitate inſigni imbuta; ſed hoc pacto prohibendum fuit ne excedens illa humiditas vires aceti infringeret, atque in corruptionem illud adduceret, quandoquidem non minimam phlegmatis copiam poſſidet in ſui compoſitione, adeo vt id augere ineptum ſit.

Dioſcorides & Matthiolus ſummis laudibus extollunt facultates Aceti Scyllitici, aſſerentes ſi illius ſingulis matutinis, horis duabus ante jentaculum, vnciæ duæ vel tres adſumptæ fuerint, levi ſubſequente deambulatione, futurum vt vita inculpatæ valetudinis in multos annos producatur: nullo vnquam affectu os infeſtatum iri, vti neque guttur, neque ventriculum, vocem ſemper ſonoram, nequaquam raucam fore, reſpirationem liberam, viſus aciem validam, auditum acutum, vultúſque colorem floridum: flatus nunquam moleſtos futuros, ſingulas corporis partes officium obituras, vt negotiis ſemper vacare liceat, anhelitum oris perpetuo ſuavem fore, nullum ructum acidum aut nidoroſum vnquam erupturum, concoctionem in ventriculo nunquam vitiatum iri; ac quicquid ingeſtum eſt ab illo concoctionem ſubiturum, cuncta in probum ſuccum abitura, excrementa in corpore cito ſeceſſura; ſed ſponte & citra artificium cor migratura; Phthiſicos deſperatos eius ope omnimodam valetudinem recuperaturos, Epilepticos inſigne auxilium

reportaturos, ſymptomatum vero ſævitiem remiſſum, imo omnino ablatum iri, ſi recens fuerit morbus: Arthriticos mirum in modum ab illius vſu ſublevandos, & iuncturarum morbis obnoxios; Obſtructiones Iecoris, Lienis, Meſenterij aliarumque partium reſeratum iri, ac tandem ſanitatem omnimodam conciliando, vitam vltra terminum naturalem producendam eſſe: At cum a noſtratibus Medicis rarius præſcribatur id Acetum, experimentorum propriorũ multitudine confirmare non licuit id quod de eo ſummi illi Viri tradiderunt.

Compoſitio Aceti Theriacalis.

℞. *Radicum Angelicæ*
Valerianæ majoris
Meu Athamantici
Imperatoriæ
Gentianæ
Vincetoxici
Carlinæ
Zedoariæ
Tormentilæ
Biſtortæ ãã. ʒiß.
Corticis citri ſicci
Seminis ejuſdem
Baccarum juniperi
Cardamomi minoris
Cubebarum ãã. ʒj.
Foliorum rutæ
Scordij
Dictamni Cretici
Cardui benedicti
Centaurij minoris
Florum Aurantiorum
Roſarum rubearum ãã M.j

Radices & Semina contuſa, cum Foliis inciſis excipiantur lagena vitrea ſatis ampla, iiſque ſuperfundantur Aceti accerrimi, vel potius ſpiritus aceti ℔ xij: Obturetur lagena, & per dies duodecim radiis Solaribus exponatur, ſæpius agitando, poſtea colentur & exprimantur omnia, ſerveturque Acetum ad vſum.

Compoſitio hujus Aceti Theriacalis congeries eſt virtutum plurimarum medicamentorum electorum, vere theriacalium & alexiteriorum, quorum facultates inſignes ſine dubio in hoc Acetum tranſire poſſunt, illis imbuendum; Quo illius præparatio facilior evadat, non inutile futurum credidi ſi ſuccinctam medicamentorum deſcriptionem exhiberem, in quorum electione dubium forſan aliquod occurreret.

Angelicæ plurimæ ſpecies ab Authoribus deſcribuntur, quarum duæ præcipuæ ſunt, Bohemica, & quæ in excelſis montibus Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ naſcitur: Bohemicam nonnulli cæteris præferunt, at id tantum forte quia e longinqua regione arceſſenda, potius quã inſignioris alicujus virtutis gratia qua præemineat illi cujus feraces ſunt montes noſtri; quæ in caulem aſſurgit cubitalis altitudinis, nodis plurimis in locis diſtinctum, cavum, pluribus ramis inſtructum; Folia gerit longa & denticulata, coloris viridis obſcuri, flores albi ſunt & vmbellati; Semen latum, depreſſum, ad lentis figuram accedens, Radix eſt pollicaris craſſitiei, ro-

tunda,

tunda, pedalis longitudinis, per longitudinem in plures partes diſtincta, barbatam quaſi effigiem exhibentes, interiori parte condicat,coloris obſcuriori in externa: Subſtantiæ eſt raræ, ſaporis & odoris valde aromatici: Radix plantæ optima pars eſt.

Valeriana maior, Phu quoque nominata, natales habet in Ponti montibus, necnon & Galliæ: folia illius mollia ſunt, ſatis lævia,lata, inciſuris multis diviſa; caulis lævis, cavus, mollis, ſubruber,aliquantiſper nodoſus,cubitalis,aliquando bicubitatis altitudinis: Flores parvi ſunt, albi, ad purpureum vergentes colorem,in vmbellas ſatis denſas coacti: Radix ex parte humi ſerpit, digiti craſſitie, in ambobus lateribus & per decurſum partis inferioris gerens plures radiculas albas, diſtinctas & per terram diſperſas: Sapore admodum eſt aromatico, odoris valde acuti & Nardini æmuli.

Meu,Meum, aut *Meon*, cui Athamantici cognomen inditum eſt, quia vbertim in monte Athamas naſcitur; copioſe quoque in plurimis Galliæ montibus naſcitur: folia illi ſunt tenuia, longiuſcula, anethinis nonmultum abſimilia; caulis cubitalis eſt altitudinis, quam aliquando ſuperat, cacumina gerit vmbellata: Plurimas habet radices conglobatas, exterius nigricantes, intra candidas, minimi digiti craſſitie, pedalis longitudinis,quas prope caulem ambit capillitium non abſimile illi quod adhæret radicibus eryngij: Subſtantiæ ſunt raræ, ſaporis & odoris acris & aromatici.

Imperatoria naſcitur in ſummis montibus Galliæ, Italiæ, aliorúmque locorum; folia gerit latiſſima, paululum acuminata, denticulata & inciſuris diſtincta, e radice terna erumpentia in extremitate caudæ prolixæ ſita: ſolida ſunt & áſpera ad tactum,non ſecus ac caulis,qui ſubrubicundus eſt,bicubitalis altitudinis, Flores vmbellati ſunt & candicant; Semen accedit figura, ſapore & odore, ſemini Seſli Maſſilienſis: Plurimis inſignita eſt Radicibus, neque longis, neque craſſis, terræ immerſis, nodoſis, obſcuri coloris, exterius aſperis, interius virideſcentibus, ſaporis acerrimi, ſubſtantiæ raræ, odoríſque admodum aromatici.

Gentiana natales habet in montibus ſummis, locis vtcunque humidis,folia ſunt magna, lata & ſubricunda; ad plantaginis folia nonnihil figura accedunt, magis vero ad helleborina alba; Caulem edit lævem, craſſitie digiti, quinque aut ſex pedes alta, nodis diſtincta, vnde gemina exſurgunt folia ſibi adverſa, iis minora quæ prope radicem erumpunt: flos illi eſt flavus, ſemina depreſſa & lævia; radix non multum diſſimilis eſt a radice althæę; at multo major & craſſior eſt, admodum quoque flava eſt & intenſo amarore prædita.

Vincetoxicum, Aſclepiadis alias nomine notum, & Arundina-

riæ, ſemper provenit in locis montanis; caules gerit cubitalis altitudinis, læves, rotundos, flexiles, & qui vix franguntur, foliis inſtructis obſcure viridibus, longiuſculis, acutis in extremo, hederę quodam modo ſimilibus, Flores ſunt exigui, albi,fœtidi, quos excipiunt ſiliquæ rotundæ, longiuſculæ, ſemine rufeſcente turgidæ, latiuſculo, tomento inveſtito, hirundinis formam referent; radices tenues ſunt & odoratæ,contra venena celeberrimæ.

Carlina ſpecies Cardui eſt, vocant & Chamæleontem album; creſcit vt plurimum in montibus præaltis; folia illi ſatis magna, aſpera, lata ſpinoſa;incurva, & in ramorum ſpeciem diſtributas canle catet, ſed verſus terram deprimitur, & in ſui medio,immediate ſupra radicem,edit pomum ſpinoſum, aſperum, erinaceo marino ſimilem, qui demum in grandem florem, coloris flavi, expanditur: Radix pollicarem habet craſſitiem,imo quandoque maiorem: pedalis circiter eſt longitudinis, recta in terram deſcendens; externa facie aliquantiſper obſura eſt, interius candicans, ſubſtantiæ mediocris,ſaporis non ingrati, adeo vt ruſtici monticolæ lubenter illa veſcantur: odoris eſt admodum aromatici.

Zedoariæ planta ab authoribus deſcripta non extat, radix tamen familiariſſimo eſt in vſu, rufeſcens, aliquantulum depreſſa, craſſitiei & longitudinis circiter minimi digiti, zinziberi quodammodo ſimilis, at minus nodoſa eſt; ſapor amaroris particeps,admodum aromaticus; inſigni vi cardiaca pollere dicitur, & venenis adverſa.

Tormentilla, quam & Hephtaphyllum vocant, eo quod illius folia ſeptena ſint,ramuſculo extremo appenſa, plurimos profert cauliculos repentes; foliis cum pentaphyllo multum convenit, ſed hujus multo minora ſunt; flores flavi & admodum parvi; Radix brevis, exterius nigricans, exterius rubra, exigua filamenta circumfuſa; ſapore eſt adſtringente, odore parum aromatico.

Biſtorta eo nomine gaudet quod radix illi ſerpentis in morem contorta ſit: In mentibus provenit, folia oblonga habet, fibroſa, lapathi minoris foliis ſimilia, ſuperna parte obſcura, maculiſque quibuſdam diſtincta: caulis non admodum craſſus, folia aliquot in altitudine promens: cacumen exigui flores purpurei ſpicæ forma ambiunti cubitalis eſt altitudinis: radix interius rubra, interius fuſca, exigua & tenuit filamenta illam ambiunt, ſubſtantiæ ſatis compactæ, ſapore & odore Tormentillam referens.

Mala Citria & *Iuniperus* notiora ſunt quam vt deſcriptione indigeant: vt nec illorum ſemina.

Cardamonium, minus inter cætera plurimi fit; Plantæ, e quo deſumitur,

tur, deſcriptio apud authores non exſtat, vti neque cæterorum Cardamomorum: Figura ſiliquę minoris Cardamomi triangularis eſt, magnitudine accedens ad eam quam profert fructus Ben; Semina in ſiliqua diſpoſita admodum compreſſa ſunt, figuræ propemodum quadratæ, magnitudinis fere granorum Amomi racemoſi, coloris purpurei, per exiguas membranulas diſtincti, ſiliquam omnino adimplentia; Sapore acri prædita ſunt & admodum aromatico: In vſum veniunt ſolummodo grana ſolida & ſucci plena, rejectis ſiliqua & membranis.

Cubebarum planta vix dum hactenus cognita; Cenſent tamen nonnulli quodammodo affinem illi quæ Piper nigrum producit, eodémque modo ſcandere proximas arbores illíſque inniti: Profert & Iaca: Cubebarum grana racematim naſcuntur ſicuti baccæ hederæ: Colore & figura accedunt ad Piper nigrum, ſed pedunculo gaudent, quo deſtituitur Piper: Sapore ſunt acri & aromatico: forficibus reſecari debent, rejecto pedunculo.

Ruta, Scordium, Carduus benedictus, & Centaurium minus, cum nemini non nota ſint deſcriptione non egent.

Dictamnus verus in Creta ſolum Inſula naſcitur, in monte Ida: huic plantæ plures inſunt caules tenues & goſſypio multo obvolutæ non ſecus ac folia quæ ab adhærente goſſypio denſæ evadunt: figuram obtinent rotundam, magnitudinem fere vnguis humani, flores purpurei coloris, non multum abſimiles violis vulgaribus; foliis implexi reperiuntur, præſertim verſus caulium cacumina, non ſecus ac in ſcordio: Id ipſum affero, vt pote qui non ſemel Dictamnum eo modo floridum viderim, quantumvis contradicant plurimi non infimæ notæ authores, a quibus proditum Dictamnum nunquam florere: Excuſatione vero ideo digni videntur, eo quod nunquam alium Dictamnum conſpexerint quam collectum ante florum eruptionem, nec aliter evenire vnquam crediderint: Exiſtimo quoque ideo Medicos ſola Dictamni folia præſcripſiſſe, omiſſis floribus, qui meo tamen judicio omittendi non ſunt ſi recentes fuerint, neque a foliis ſeparandi, vti neque ſcordii, calaminthi, chamædryos, chamæpytios, cæterarúmque herbarum aromaticarum: Dictamni radices numeroſæ admodum ſunt, parvæ, intricatæ, obſcuri externa facie coloris; tanquam inutiles abiiciuntur; folia illius & flores ſaporis & odoris ſunt admodum aromatici.

Quæcunque ſimplicia prædicti Aceti compoſitionem ingrediuntur ſicca eſſe debent; Cunctæ radices optime conterantur, citrij cortex, ſemina omnia aut baccæ; herbæ incidantur, omnia in vitream lagenam magnam & denſam coniiciantur, his affundantur aceti optimi libræ duodecim, quod cum ſupra dictis ingredientibus eo modo agitandum vt

æqualiter omnia aceto immergantur, ac poſtmodum lagena obturanda per quadraginta dierum decurſum Soli aperto exponenda, quo exacto colandæ materiæ & valide exprimendæ, Acetum in lagena rite obturata aſſervando ad vſus neceſſarios.

Inſignes ſunt huius Aceti facultates, præcipue adverſus Peſtem, omneſque morbos contagioſos aut epidemicos: Venenis apprime reſiſtit & aëris inquinamentis, vt & curationi morſuum animalium venenoſorum idoneum eſt: Putredinem arcet, necat vermes, flatus abſumit, materias craſſas incidit & attenuat, alimentorumque concoctionem promovet: Vſus illius internus eſt aut externus; Eius cochlearia duo aut tria cum vino porrigantur, iuſculo, alióve quopiam liquore idoneo: Potionibus etiamnum admiſcetur, imo Epithematis liquidis: In nares immittitur, temporibus admovetur, ventriculi regioni & carpis: Immergitur illi ſpongiola, quæ exiguæ pyxidi foraminibus plurimis exiguis pertuſæ incluſa, tempore peſtis, aut vbi inſuaves halitus occurrunt, naribus admovetur.

Acetum Febrifugum, Sive Aqua Prophylactica Sylvij de le Boë.

♃. *Radicis Petaſitidis* ℥ ij.	*Calendulæ* āā. ℥ij.
Angelicæ	*Nucum inglandium immaturarum,*
Zedoariæ āā. ℥j.	
Foliorum Rutæ hortenſis ℥iv.	*Pomorum recentium inciſorum* ℔j.
Meliſſæ	
Scabioſæ	

Contundantur prius Radices, deinde cum reliquis omnibus in aceti diſtillati libris duodecim per noctem macerentur, poſtea lento igne cinerum, fere ad pharmacorum ſiccitatem diſtillentur, prolectúmque Acetum in lagenis vitreis aſſervetur.

Petaſites in locis humidis montium provenit;ab ipſo veris initio profert caulem tenerum, fiſtuloſum, & carneum, ſeſqui palmæ magnitudinis: in cacumine flores plurimos, parvos, in racemi figuram conglobatos, vvas olivis ſimiles proferens, in pyramidem congeſtas, oculis jucundos: Erumpunt folia poſt deciduum hunc caulem; media ſui parte adhærent pedunculo cubitalis longitudinis, craſſo & medulloſo; pendula ſunt non ſecus ac galerus inverſus: admodum ampla ſunt & rotunda, incana parte inferiore, ex vna parte ad medium vſque fiſſa; Fiſſura illa adeo conſtricta eſt vt folium illius non male referat fungum pedunculo inſiſtentem: Radix admodum magna, externa facie obſcuri coloris, interna candicans: Saporis eſt amari & inſuavis; odoris viroſi & acuti.

Cætera Pharmaca Acetum hoc ingredientia deſcripta fuere vbi de

Aceto

Aceto Theriacali; cætera examen non merenrur.

Optime contuſæ Radices iterum conterendæ in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, vna cum nucibus viridibus, citriis & herbis conciſis, demum immittenda hæc in cucurbitam vitream ſufficientis capacitatis; deſuper affundendæ Spiritus aceti optimi libræ duodecim, ea ratione diſtillari vt tres tantum partes inter diſtillandum aſcenderint: Capitellum cucurbitæ adaptandum, lutóque ſimul committenda, per noctem digeſtioni permittenda, poſtridie diſtillationi ſubiiciendo contenta ad ignem cinerum moderatiſſimum: pergendo in diſtillatione ad ſiccitatem vſque materierum, cavendo ſub finem ne comburantur, quo pacto exſtillabit Acetum ſtillatitium aquæ inſtar limpidum.

Sylvius, Batavus, Acetum hoc ſummis laudibus effert ad curationem omnium febrium, tam intermittentium quam continuarum; Admiſceri id jubet potui ordinario, aquis ſtillatitiis, apozematis, miſturis, potionibus, Iuſculis &c. tantum illis inſtillando quantùm ſatis eſt ad gratum acorem conciliandum: Exhibet id ad ſudores modeſte proliciendos, bilis acrimoniam obtundendam, ſitim extinguendam, oris amarorem emendandum, vomitúmque cohibendum: Contra Peſtem etiam eximium eſſe aſſerit, affectúſque omnes epidemicos: Poteſt & in nares immitti, temporibus & carpis admoveri, ac ſpongiolæ madefieri, olfaciendæ recreandarum ergo & roborandarum partium nobilium.

Ab hujuſmodi tamen aceto abſtinendum in morbis ab Acido inductis, ad quorum curationem ſalia fixa in vſum advocanda, aut volatilia, aliáve remedia illorum aculeos obtundere apta.

Quanquam vero animus non ſit *Sylvij* methodum ex profeſſo impugnare quoad vſus huic aceto aſſignatos, ſilentio non prætereundum cenſeo me in curatione ſexcentorum ægrotantium, tum in Gallia, tum in Anglia, omni febrium per periodos redeuntium ſpecie affectorum, cum ex mea ſententia ortum ducerent à vitioſo fermento plus aut minus agitato & adaucto, ſcopum vero perpetuo aſſequutus fuerim vſu remedij fermentum illud extinguere apti nati, illudque in aliam naturam deducere, optime mihi ſucceſſiſſe abſtinentiam cujuſcunque acidi, quam ægris meis præcipiebam, nec non rerum omnium illi promovendæ idonearum: Illæſa vero fama ſummi illius Viri, auſim dicere ſatius eſſe carere prædicto aceto in curatione febrium intermittentium, ad alios vſus & effectus illud transferendo.

CAPUT XI.

De Rob.

ROb, vocem Arabicam, Neotericj adhuc vſurpant, inditam ſuccis fructuum depuratorum, atque ad conſumptionem vſque duarum partium conſumptorum, aut ad ſummum donec ſuperſtes ſit quarta pars humiditatis: Sapæ ſpecialiter nomen impoſitum eſt ſucco racemorũ depurato eaque ratione decocto, Nulli vero fundamento illi innituntur qui Sapæ nomen cuilibet Rob cõmune eſſe voluerũt,nam etiamſi Sapa Rob annumeranda ſit,nihilominus vere Sapa ea dicitur quæ ſuccus eſt e racemis expreſſus.

Defrutum Sapæ diminutiuum oſt, ſuccus enim eſt racemorum depuratus, excoctus tantum ad tertiæ partis conſumptionem, atque id proprie eſt quod vocant Vinum coctum.

Non difficile eſſet pręparare Rob ex plurimis ſuccis fructuum defæcatione puris redditis, At cum mihi notum perperam Pharmacopoeorum officinam remediis inuſitatis oneari, ſatis fuerit maxime neceſſariorum deſcriptionem attuliſſe.

Præparatio Rob ſive Sapæ Simplicis.

℞, *Succj recentis vuarum albarum perfecte maturarum* ℔ *xxx, coque igne lento in vaſe fictili vitreato, vel in aheno ſtanno intus obducto, donec tertia tantum pars ſucci ſuperſit.*

Si vero Defrutum optaveris, ad tertiæ tantum partis conſumptionem coque.

Methodus.

Vuarum ſuccus inſolandus non eſt, neque vllo artificio opus eſt ad depurationem priuſquam igni exponatur, quin potius a cunctis his abſtinendum, eo quod depuratio iſta ſponte abſque ſucci fermentatione contingeret, cuius cauſa aliam indueret naturam, & in vini naturam abiret, vnde ab ebullitione conſumptio ſpirituum omnium volatilium inſequeretur, at vero fermentatione remota, ſpiritus illi cohibentur & concentrantur, adeo vt per decoctionem phlegma tantum craſſius & inutile ſecedat: Id quod monitum velim in Defruti præparatione, aut Sapę,in eorum gratiam quos latet cauſa cur ſimili in caſu vuarum ſuccus recentiſſime expreſſus adſumendus veniat, non vero vinum optimum, quod cum nihil aliud ſit quam vvarum ſuccus apprime defæcatus, forſan ſucco impuro præferendus ex illorum mente videretur.

Non

Non vno modo excoquitur ſuccus vvarum in Gallia Narbonenſi Provincia aliſque locis, nam quandoque ad Defruti ſolum conſiſtentiam coctione adducitur, quod vocant Vinum coctum; nonnunquam decoctio producitur quouſque Sapæ conſiſtentia adquiratur, quæ ſyruporum conſiſtentiæ propemodum ſimilis eſt: nonnunquam ad conſiſtentiam Electuariorum mollium, & nuncupant Raiſiné à Racemis, (Raiſins) quam ad variorum fructuum condituram vſurpant, hac vero methodo in ſingulis vtuntur.

Adſumuntur Vvæ non minima quantitate, albæ, perfectam maturitatem adeptæ, liberantur a ſcapis, conteruntur & exprimuntur tela nova involuti, adſumunt exempli gratia libras triginta hujus ſucci, conijciunt eodem tempore in amplum vas fictile probe vitreatum, vel in caldarium, vel pelvem cupream intus ſtanno obductam, impoſitóque vaſe ſupra ignem móderatum, lente ſucci decoctionem promovent quouſque ſucci tertia pars conſumpta fuerit, quæ eſt coctionis gradus pro Defruto parando: tunc ab igne vas removetur, Defrutum continuo baculo verſando quouſque omnino refrixerit, eum in finem vt ſi quæ ſuperſtes ſit humiditas ſuperflua in auras illa abeat; Operculum demum vaſi adponitur, atque Defruto conceſſa ſubſidentia ad ſequentem vſque diem, per decantationem effunditur in doliolum dimenſum id quod liquidius eſt, relicta in vaſis fundo ſubſidentia: Doliolum in cella vinaria reconditur ad ſex aut ſeptem hebdomadas, vt inibi non ſecus ac muſtum fermentationem ſubeat: poſtmodum ad ſupplementum particulæ quæ per fermentationem deceſſerat, dolium completur affuſo alio Defruto ſeorſum aſſervato; vel adſumunt Vinum Hiſpanicum, aut aliud vinum album optimum: Dolium ſedulo obſeratur, ac in loco ſubfrigido reconditur ad vſus.

Sin non Defrutum parandum ſit, ſed Sapa, licet & excoquere ſuccum vuarum eadem ratione qua prædictum, ad decrementum vſque tertiæ partis, agitando poſtmodum baculo donec refrixerit, ſpatio vnius noctis in vaſe conſervando vt melius ſubſideant fæces: Defrutum autem ſic coctum & depuratum in dolium infundendum non eſt, ſed iterum in eodem vaſe rite deterſo lento igne recoquendum eſt, quouſque rurſus ad medias conſumptum fuerit, demum ab igne removendum, vt ſponte refrigeretur ſinendum, ac perbiduum aut triduum quieti permittendum, decantandum in lagenam id quod liquidum eſt, relictis in fundo fæcibus ſicuti prima vice. Ab iterata hac decoctione vuarum ſucci duæ partes abſumentur, ſic conſiſtentiâ proximus fiet ſyrupis ordinariis. Eandem Sapam iterum igni committere licet, atque quartam circiter partem coquendo igne admodum lento in conſiſtentiam

Electuariorum mollium deducere, aut ad eam quam condituræ requirunt vt aſſervari queant : Aromatiſari poſſunt cuncti illi Succi diverſimode cocti, addendo,poſtquam refrixerint, guttas aliquot olei Cinnamomi aut Caryophyllorum cum Sacchari fini pulvere commiſtorum.

Quod vocant in Gallia Narbonenſi, & regionibus finitimis,Vinum coctum, præparatio eſt vini Hiſpanici æmula, Vinum eiuſmodi medicatis accenſendum eſt, non ſecus ac Sapa & Racemium(Raiſiné) Optimum & citiſſimum præbet nutrimentum, deiectas vires reparar perquam idoneum, corroborare, appetitum ciere, alimentorum concoctionem iuvare: De fructi dozis eſt ab vncia vna ad quatuor, Sapę ab vncia vna ad duas, *Racemati* prope eadem: Admittitur & vinum coctum in clyſteres decoctorum vice, præſertim in colico dolore a flatibus excitato, aut ab acidis.

Præparatio Rob Cydoniorum.

℞ *Succi cydoniorum ad maturitatem vergentium* ℔ xviij. *coque igne lento in vaſe fictili vitreato, donec tertia tantum pars ſuperſit, Refrigeratum* Rob, *& fæcibus quiete, decantatione,liberatum, Oleorum cinnamomi & caryophillorum vna duabus guttis,tribus,Saccharo pulverato exceptis aromatiſetur & ſervetur.*

Methodus.

Adſumatur non parva copia Cydoniorum ſemimaturorum, ſuccoſ-ſive Sobina comminuantur ac pelvi fictili excipiantur, pręter partem duriorem internam: per biduum aut triduum quieſcant quæ Sobina detrita ſunt, poſt per telam novam, validam fiat expreſſio, lente initio, validius ſub finem, quo pacto ſuccus Cydoniorum eliquabitur ſatis limpidus, cujus adſume,exempli gratia, octodecim libras, infundendas vaſi fictili vitreato, aut cupreo panno obducto; ebullitionem procurando lento igne, donec duæ partes abſumantur, poſtea ſinatur refrigerari & ſubſidere Rob in dicto vaſe per biduum aut triduum, demum decantandum in alliud vas deterſum quicquid limpidum,cui addendum oleum cinnamomi & carryphyllorum, cum vncia vna ſaccharj puriſſimj in Elæoſaccharum deductum, quod commiſtio intimior ſit;cum vero cuncta exacte commiſta fuerint, recondantur in lagena rite obſtruenda, ad vſus aſſervanda.

Rob Cydoniorum compendium eſt virium quæcarni Cydoniorum aſſignantur: Admodum celebre eſt ad roborandum ventriculum, ſiſtendoſque illius per ſuperiora aut inferiora impetus, vt & inteſtinorum: Appetitum excitant languentem, vtiliter in vſum venit ad diarrhoeam, dyſenteriam, leienteriam, choleram morbum & hæmorrhagias internas.

Præpa-

Præparatio Rob Mororum ſeu Diamorum.

℞ Succi mororum Rubi humilis arvenſis
Succi Mororum Mori arboris nigræ ſemimaturorum
Mellis Narbonenſi deſpumati ãã ℔ iij
Coquantur igne lento in vaſe fictili vitreato ad debitam conciſtentiam, illiſque permiſceantur ſpiritus vitrioli vel ſulphuris guttæ xx.

Methodus.

Poſſet equidem confici hoc Rob cum ſuccis, vel cum horum alterutro, ſeorſum,abſque vlla mellis additione, ſed præterquam quod mel auget illorum vim expurgantem & abſterſivam, ab illo evadit Rob gratius, vtique ad diuturnitatem facit.

Colligenda ſunt duo hæc Mororum genera ante perfectam maturitatem, quo Rob vim detergendi majorem nanciſcatur : illorum ſuccus per validam telam tranſmittendus eſt,vt ſubſideat per biduum aut triduũ permittendum, demum decantandum in aliud vas id quod clarum evaſerit;quantitatis præſcriptum pondus lento igne in vaſe fictili vitreato decoquendum cum melle prius deſpumato, ſeorſum,ad conſiſtentiam vſque ſyruporum : Tum vt refrigeſcat Rob permittendum, optime deſpumandum, additiſque ſpiritibus Sulphuris aut Vitrioli, in lagena vitrea aut Farentino vaſe aſſeruandum, rite obturando, ad vſum.

Rob iſtud maximo in vſu eſt ad curationem vlcerum omniumque inflammationum in ore contingentium, lingua, faucibus: idoneum enim eſt, ſi quid aliud,temperandæ humorum acrimoniæ, ad abſterſionem, adſtrictionem & conſolidationem, Ex cochleari nonnunquam ſolum adſumitur, at ſæpiſſime commiſcetur decoctionibus refrigerantibus, detergentibus, aut ad ſcopos idoneis.

Præparatio Rob Baccarum Sambuci.

℞. Succi Baccarum Sambuci tribus diebus per reſidentiam depurati ℔vj aut quantum libuerit : Coque igne lento in vaſe fictili vitreato, ad duarum partium conſumptionem : Adde ſi volueris ſacchari aut mellis deſpumati potionem aliquam.

Methodus.

Vuæ,Cydonia, Mora & Sambuci baccæ adeo omnibus nota, vt deſcriptione particulari non indigeant: Accipiendæ ſunt baccæ Sambuci ſummam maturitatem adeptæ,pedunculi omnes eximendi, per denſam telam exprimendæ, ſuccuſque eliciendus, per triduum vt ſubſideat relinquendus,a fæcibus liberandus, lentoque igne in vaſe fictili vitreato decoquendus ad duarum partium conſumptionem, vel donec veri Rob conſiſtentiam adeptus ſit : Refrigerari ſinatur, ſpuma ſi quæ ſupernatet detrahatur, ad vſus aſſervando : Si quis iſtud Rob ſuavius deſideret, at-

que conſervationi magis idoneum, inter decoquendum addat ſacchari optimi aut mellis deſpumati tertiam aut quartam partem.

Rob iſtud admodum commendatur ad curationem affectuum cerebri, ſpeciatim epilepſiæ & paralyſeos, Specificum quoque tradunt adverſus affectus hyſtericos & dyſenteriam: Seorum ex cochleari adſumi poteſt procul a cibo, vel commiſtum potionibus, aut aliis miſturis liquidis vel craſſis: Doſis determinata non eſt, ſed vna vice vncia ſemis adſumi poteſt, vel vncia integra.

Cætera Rob ex Succis variorum fructuum parata hoc loco vt deſcribantur digna non ſunt, quia in Syrupos abierunt, ob ſacchari dulcedinem multo gratiores quam quodcunque Rob.

CAPUT XII.

De Conditis.

Difficultas quam parit ægrorum faſtidium circa medicamenta, atque gratiæ quæ illis debentur, præterea cum non omni tempore quædam plantarum partes occurrant, in rem præſentem neceſſariæ, præcipuæ cauſę ſunt ob quas inventa ſunt Condita: Imo nonnunquam accidit ſaporis iucunditatem ægros compuliſſe ad vteriorem vſum etiam ſuperato morbo.

Neque proſpera etiam vſi valetudine eadem reſpuerunt, Conditorum enim vſus adeo creber eſt & familiaris, vt quaſi ex lege conſtituti ſint in vrbibus celebribus qui Condita tantum parent, ac multo majorem copiam in ſanorum gratiam venundent, quam parent Pharmacopœi pro ægrotis: At quamuis hi minus circa hæc occupentur, plurimas tamen plantarum partes ægrorum cauſa condire tenentur, conditoribus minus notas, neque in horum officinis proſtantes.

Si cunctæ plantarum partes quovis tempore eſſent obviæ, aut ſi perpetuo æque vigerent, nulla eſſet ſollicitudo de Conditis parandis, atque tantum pro re nata illis eſſet incumbendum; At cum ſua nativitatis habeant tempora, ſua & incrementi, ſtatus aut perfectionis, ac decidentiæ, id eligendum eſt quo maxime vigent, aut ratione conditionum expetitarum in plantæ parte condienda: Herbæ, caules, flores, fructus & ſemina, qua tempeſtate occurrunt adſumenda ſunt.

Radices quovis anni tempore etſi proſtent, non omni tamen condituræ idoneæ ſunt, maxime enim in id commodum tempus eſt ver, cum folia aut erumpunt, aut eruptioni proxima ſunt, quia tunc quaſi in compendio obtinent quicquid in planta optimum eſt, ſuccoque magis turgent, & teneriores ſunt quam vllo alio anni tempore. Flores.

Flores nonnunquam condiuntur antequam expanſi fuerint, Semina & fructus ſemimatura, nonnunquam horum omnium perfecta maturitas expectanda : Condiuntur aliquando radices, flores, fructus, aliæque plantarum partes integræ,nonnunquam in taleolas conciduntur, ſive ob commoditatem; ſive ad inutilium ſeparationem: Eſt & cum in maſſam quaſi farinaceam rediguntur, cum ſaccharo aut melle coquendam,. Niſi Condita adeo nota forent, multa obvia eſſent exempla, ſed ſubſequentia ſatisfactura eſſe exiſtimo.

Radices Eryngij conditæ.

℞ Radicum Eryngij mundatarum, & in partes diſſectarum quantum vis lueris, coque ad mollitiem in aqua communis ſufficienti quantitate, In decocto diſſolve ſacchari albisſimi pondus radicibus æquale, coque ad ſyrupi crasſioris conſiſtentiam, deſpuma calidumque ſyrupum radicibus in vaſe fictili vitreato poſitis ſuperfunde, Poſt dies aliquot decantatum ſyrupum ad priorem conſiſtentiam recoque, calidumque radicibus ſuperfunde, Idque ter quaterve repete, & tandem in ſyrupum coque, vt in debita conſiſtentia posſit in poſterum cum radicibus aſſervari.

Methodus.

Eryngium planta cuivis fere nota, Illius radices colligendæ inchoante vere, ſtatim ac folia emergunt: accurate eluendæ ſunt, cuticula rufa abſtrahenda, cunctaque ſuperflua, per longitudinem dividendæ ad medullæ detractionem, poſtea in aqua limpida ebulliant quouſque ſufficienter tenereſcant, tum ex aqua eximendæ, linteo mundo inſternendæ, eodemque linteo omnis humor abſumendus & abſorbendus, demum ad ſteteram adpenſis pondus æquale ſacchari adijciendum, decoquendumque in aqua decoctionis radicum, ſpumam ex intervallis demendo, quouſque ſaccharum conſiſtentiam paulo craſſiorem obtineat quam ſyruporum vſitatorum : Tum radices in vas fictile vitreatum conijciendæ, quibus ſaccharum calentiſſimum affundendum. Exactis aliquot diebus per decantationem hic ſyrupus in pelvim effundatur, lento igne recoquendus, quouſque priorem conſiſtentiam obtineat, atque calens ſupra radices vaſe concluſas infundendus: Si exactis aliquot diebus ſyrupus iterata coctione egere videatur, tertia vice igni ſubijciatur, calens rurſus radicibus affundendus, quibus optime refrigeratis, accurate claudatur vas, condituram ad vſus neceſſarios aſſervando. Imo & forte continget vt quarta recoctione indigeat hic ſyrupus, quo in caſu eodem proceſſus genere vtendum eſt.

Radix Eryngij aperitiva & diuretica vi pollet, ventriculo quoque amica eſt, jecori & ſpleni, ſola eſitari poteſt, vel ſyrupus conditura ad-

ſumi, vel opiatis commiſceri a liiſve remediis.

Radix hæc exemplo eſſe poteſt condituræ radicum cichorij, borraginis, bugloſſi, ſimphyti, enulæ campanæ, ſatyrij, ſcorzoneræ, plurimarumque aliarum, quibus omnibus abſtrahendus extimus tenuis cortex, & ſuperflua quævis demenda.

Integræ in condituram venire poterunt quibus medulla deeſt, neque admodum craſſæ ſunt, in taleolas diſcindendo eaſque majores ſunt, ſive obtineant, ſive careant medulla.

Cortices malorum Citriorum conditi.

℞. Corticum malorum Citriorum, in fruſta oblonga inciſorum, quantum libuerit, per dies quindecim aquæ marinæ, committantur educanturpoſtea ex illa aqua, & in fontanam iniiciantur, in eaque ſæpius renovata relinquantur donec ſalſedinem depoſuerint: Bulliant tandem leviter in nova aqua vt ſi quid ſuperſit ſalſedinis auferatur: Tunc in recenti aqua ad ſufficientem teneritatem coquantur, deinde linteo mundo quantum fieri poteſt exſiccati, in vaſe novo fictili vitreato ordine collocentur, illis ſaccharum in proprio corticum decocto ad debitam conſiſtentiam coctum calide ſuperfundatur, illiuſque coctio & ſuperfuſio repetatur, vt in ſuperiori radicum Eryngij conditura diximus.

Methodus.

Difficultas quæ in coctione corticum Citri occurrit, citra figuræ eorum jacturam, aut in particulas diſſolutioné, vel conglobationem in maſſam, in cauſa eſt vt ad aquam marinam confugiendũ ſit, aut muriã, quę cum contineat ſal quoddam fixum, plurimo acido auſtero involutum, vnitatem partiũ ex quibus mali Citri cortices conſtant compactiorem reddit, vt minus ab invicem deducantur efficit, fuſco vero illorum colore diſcuſſo, pelluciditatem ſibi nativam illis impertit: In particulas ſecundum longitudinem Citria dividenda ſunt, pollicaris latitudinis, aut ſeſquipollicaris, ſeriatim in vaſe mundo collocanda, aqua marina, aut muria, non nimis ſale impraegnata, cooperienda: per quindecim dies in dicta aqua detineantur, imo ſi libet plures hebdomadas, conditurae vero tempus cum adfuerit, ab aqua ſalſa eximenda ſunt, poſtmodum in aqua fontis maceranda plurimis diebus, toties immutata aqua donec ſalis ſapor omnino diſpereat; Tum lento igne in aqua recenti ebulliant, quo citius auferatur quicquid ſalis ſuperſtes eſſe poteſt, qua effuſa in recenti iterum decoqui debent, donec teneritudo ſufficiens comparata ſit: Tunc prædicti cortices ex aqua educendi, linteo mundo inſternendi, poſt humiditas ſuperflua omnis ſedulo abſorbenda: hinc trutinæ imponantur pondus explorando, & dupla ſacchari optimi proportio adſumatur, cum vltima corticum decoctione ad cõſiſtentiam electuarij mollis coquendi ſunt, poſtea

poſtea in vaſe fictili vitreato ſuper incumbentibus corticibus affundendum ſaccharum eo modo coctum, & adhuc ab igne calens, adeo vt omnibus ſupereminéat:per dies aliquot eo modo compoſiti ſinantur, accurate clauſo vaſe, poſtea per decantationem in pelvim ſyrupus effundatur, in qua ad eam conſiſtentiam quam prius obtinuerat recoquendum, calens rurſus affundendum, eaſdem repetendo operationes, donec obſervatum fuerit ſyrupum debitam quæ ad conſervationem requiritur conſiſtentiam ſervare.

At ſi eorundem corticum conditura ſicca expetatur, ex ſyrupo detrahantur, humor omnis effluere permittatur, poſtea ſaccharum optimum coquatur in aqua, ad conſiſtentiam Electuarij ſolidi, in id immergantur cortices, atque lento igne decoquantur, quovſque ſaccharum iterum abeat in conſiſtentiam Electuarij ſolidi:tum cortices removendi,ſaccharum vt omnino effluat permittendo:dicti cortices crati imponantur in æſtuario collocandi,inibi omnino exſiccandi.

Primus ſyrupus apprime vtilis eſt, qui ad conditurам corticum citri vſurpatus fuerat, quandoquidem celebris eſt titulo Syrupi conſervationis corticum citri, viribuſque admodum affinis eſt illis quas cortex obtinet, ſcilicet cordi robur inſigne afferendi, ventriculo ac partibus omnibus principibus.

Eodem etiam modo liceret in aqua cortices citri recentes coquere, quovſque in maſſam mollem deducantur, in mortario poſtmodum marmoreo contundendam, ac per incerniculum ſetaceum tranſmittendam, addendo poſtmodum æquale pondus ſacchari pulveriſati, lento igne excoquendo in pelvi fictili vitreata ad ſolidam vſque conſiſtentiam, maſſæ illi ſub coctionis finem adiiciendo tátillum ſucci citrij ad acorem gratum conciliandum.

Poſſunt & Cydonia, Poma, Pyra, mala Armeniaca, Perſica, Pruna, variique alij fructus in paſtas conſimiles deduci: licet & eadem ratione condire caules Lactucæ a pellicula mundatos,Melonum partes carneas, Cucurbitarum longarum,Cucumerum,Cynarę caules,radices Scorſoneræ, Eryngij, Enulæ campanæ, ac plurimas alias plantarum medulloſarum partes: Poſſunt & eadem muriæ infundi, ac integræ condiri, ſicuti de citrij cortice præmonui. Licebit &,ſi libuerit, lixiuium clarum in vſum adduci pro Amygdalarum viridium conditura, Etſi vero in illo maceratæ ſummum pallorem contrahant, & propemodum colorem herbæ marcidæ, nihilominus per ebullitionem in aqua limpida priſtino colori viridi reſtituuntur, imo quam ante nitidiori, ac poſtmodum ſiccæ condiri poſſunt, aut liquida forma, non ſecus ac citrij cortex, nullo metu ne viridis illarum color pereat.

Conditurę vſitatæ Nucum albidarum & viridantium, malorum Armeniacorum, Prunorum, Ceraſorum, Ribium, Berberorum, Prunorum, Rubi Idæi, variorumque aliorum fructuum, adeo familiari ſunt in vſu, & plurimis matronis adeo notæ, vt ſilentio ejuſmodi præterire ſatius ſit. Conditurę ex melle quam ex ſaccharo minus vſitatæ ſunt, præſertim a quo tempore ſaccharum vili ptetio comparare licuit, tam quia poſterius hoc in omni conditura ſuavius eſt, quam quod minor ſacchari quam mellis copia requiritur, poſito eodem fructuum pondere: præterea mel ad condita ſicca paranda ineptum eſt, Etſi vero in Gallia Narbonenſi & Provincia hyemis tempore Amygdalæ exſiccatæ cum melle condiantur, atque inde confectio fiat, alias rubra, alias alba, quam *Nogat* vocant, aut Turiones, conditura tamen hæc diuturnitatem non patitur, molleſcit enim mel, imo tandem omnino diſſolvitur, ſi humori ambienti penetrandi occaſio data fuerit.

Olivarum conditura a cæteris admodum differt, eo præſertim nomine quod abſque ſaccharo & melle perficiatur, Præparationis hoc vnicum eſt artificium, vt amarore nativo exuantur, ſuavitas guſtui concilietur, ac diu gratiam coloris & ſaporis retineant: Qui gratiæ non ſtudent, iis ſatis eſt Olivas virides cultro duobus aut tribus locis diffindere, aut leviter contundere, ac per aliquot dies in aqua limpida macerare, hanc ſæpius renovando, ac donec amaritudo omnino receſſerit, demum in vas fictile vitreatum aut vitreum immittunt, additis aliquot fœniculi vmbellis, aut fruſtis aliquot corticum citri vel arantij ſiccorum, affundendo vt ſuperemineat aquam mediocriter ſale imbutam, in qua eaſdem aſſervant ad acetaria.

Qui vero Olivarum colorem illibatum cupiunt, atque integras aſſervare, ij vtuntur lixivio ex cineribus quercus parato, vitis aut alterius ſimilis ligni, ac calce viva, in quo per horas viginti quatuor illas macerant, aut quovſque amaritudo omnino dempta fuerit: Demum olivas in vaſa vitrea immittunt, cooperiunt aqua modice ſalſa, addito fœniculo dulci, cortice citri aut aurantij condito & in tenues taleolas diſſecto, aut ſimili aromate aliquo prout libuerit, Imo quidam muriæ iſti affundunt olivum optimum ad tranſverſi digiti ſpiſſitudinem, quo diutius omnia ſerventur.

Condiuntur quoque Cappares, Cucumeres parvi, Braſſica capitata, Saxifraga, Geniſtæ gemmæ, Portulacæ caules, pluriumque aliarum plantarum in aceto cum ſale & pipere, aliiſve aromatibus: At cum hæc in ſanorum vſum potius abeant quam ægrorum, inutile eſt huc præparationes particulares afferre.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Gelatinis.

GElatinam vocarunt Latini id quod hodie Galli *Gelée* dicunt; Parari ſolet Gelatina ex ſuccis expreſſione elicitis, aut decoctione plurimorum fructuum, vel partium illorum: Conficitur & per diutinam elixationem nonnullorum animalium, aut illorum partium: Succi illi depurandi, aut decoctiones, clarificationis ope aut aliter, ad ſuavitatem ſaccharo edulcorando: Excoqui etiam neceſſe eſt ad gelatinæ vſque conſiſtentiam, vt ſcilicet fluiditas, poſtquam refrixerint, abſit, & a diſco omnino ſecedant ſi guttæ aliquot inſtillatæ fuerint, vt conſiſtentiæ ſtatus deprehendatur.

Gelatinæ id nomen impoſitum, quia gelu inſtar pellucida eſt, & quia frigori expoſita concreſcit,colliqueſcit in loco calidiori,A genuina tamen glacie diſcrepat duritie, mollis enim ſemper eſt gelatina, niſi ab intenſo frigore omnino concreverit in glaciem.

Gelatinæ Ribium, Ceraſorum, Omphacij, & ſimiles ex ſuccis fructuum comparatæ, nimis familiari in vſu ſunt,& matronis notæ quam vt adduci mercantur, vnum tantum aut alterum exemplum earum quæ per decoctionem parantur allaturus ſum.

Præparatio Gelatinæ Cydoniorum.

℞ *Cydoniorum ad maturitatem accedentium* ℔ viij, *In fruſta incide cum cortice & ſeminibus, & in aquæ communis* ℔ xx. *decoque ad dimidiæ partis conſumptionem, Decoctum cola, & cydonia exprime, colaturam ovi albumine cum ſacchari optimi* ℔ vj. *clarifica, & clarum liquorem lento igne ad mivæ conſiſtentiam eoque, pyxidibuſque ligneis, vel vaſis vitreis, aut fictilibus vitreatis reconde.*

Methodus.

Cydonia integra nondum maturitatem adepta in quinque aut ſex partes dividantur,illorum aſſumantur libræ octo, quæ decoquendæ in aquæ libris viginti ad mediæ partis conſumptionem: Decoctio colanda, magma valida manu exprimendo, quę vbi pene refrixerit, ovi albumine clarificanda additis ſacchari optimi libris ſex, modo conſueto, poſtmodum lento igne liquor clarus decoquendus erit ad Gelatinę conſiſtentiam, tum ab igne pelvis removenda; cum vero Gelatina fere refrixerit, aromatiſanda, ſi libuerit; additis quatuor guttis olei diſtillati caryophyllorum, & guttis duabus olei cinnamomi, cum ſaccharo pulveriſato prius in Elæoſaccharum deductis: Cunctis his accurate miſtis,

& deſpumatione facta, Gelatina infundatur in vaſa vitrea aut fictilia vitreata, aut in pyxides vel capſulas ligneas prius leviter madefactas, Latini Gelatinam Cydoniorum vocant Mivam Cydoniorum.

Ejuſmodi aromatiſatio anteferenda eſt illi quæ antiquis in vſu erat, prçcipientium nodulo includi cinnamomum, caryophyllos, cardamomum, crocum, trochiſcos Galliæ moſchatę, zingiber, maſtichen, agallochum, & moſchum pulveriſata, quem decoctionis tempore immergi volebant, ſæpius expreſſione illius facta, nequaquam prævidentibus, præter ſaporis inſuavitatem & acrimoniam, partem maxime craſſam congeriei eiuſmodi aromatum in gelatinam tranſiere, aromatica & volatili in auras faceſſente, ſuperſtite ſolum terreſtris prava impreſſione.

Liceret & præter olea cinnamomi & caryophyllorum, aromatiſationis gratia præſcripta, adijcere guttas aliquot eſſentiæ moſchi & ambræ griſeæ, eorum cauſa quibus grati hi odores.

Nonnulli cydoniis detrahunt ſemina, cum decocta conficiendæ ergo Gelatinæ parant. Alij contra ſemina tantum vſurpant, medullam & cortices, cydoniorum partem carneam ad condituram per ſegmenta aut ad cydoniatum parandum, pyxidibus includendum adſervantes: Peragat quiſque rem pro arbitrio.

Parari poteſt & Gelatina ex pomis curtipendulis aut *de Reynette*, aut aliis optimis, hæc in quatuor partes dividendo, in aqua decoquendo, donec pene omnino tabeſcant: Decoctum hoc per interniculum ſetaceum inverſum traijciendum abſque pomorum expreſſione, hujuſmodi enim decoctum per ſetaceum tranſmiſſum, ac per manicam iterum traiectum, cum æquali ſacchari optimi ad poma pondere, igne lento ad debitam conſiſtentiam coctum, gelatinam æque oculis ac palato gratam exhibet, cal ſub decoctionis finem addere licet guttas aliquot ſucci citrij rite depurati, ad gratum acorem conciliandum: Poteſt & diſſecari cortex citri conditus, ac in tenuiſſima fruſtula dividi, ſparſim imponendo fundo paterarum, aut pyxidum, quibus includenda eſt gelatina, quæ calens adhuc his fruſtulis affuſa, gratiam proculdubio multo majorem conſequutura eſt.

Præparatio Gelatinæ Cornu Ceruini.

℞ Raſuræ cornu Cervi ℔ ß *aquæ communis* ℔ vj. *coque lento igne in vaſe fictili vitreato ad duarum partium conſumptionem, cola & exprime, colaturam clorifica ovi albumine cum ſacchari optimi* ℥ vj. *vini albi* ℥ iv. *ſucci citri* ℥ j., *& coque igne lento ad Gelatinæ mollioris conſiſtentiam.*

Methodus.

Decoquatur lento igne in vaſe fictili vitreato ſemilibra raſuræ cornu

cervini

cervini in ſex libris aquæ fontis ad conſumptionem duarum partium aquæ: Decoctio colanda, optime exprimendum cornu cervinum, demum cum ovi albumine clarificandum id qnod colarum eſt, additis ſacchari optimi vnciis ſex, vini albi vnciis quatuor, & vncia vna ſucci citrij: Poſtmodum liquor clarefactus igne lento decoquendus ad gelatinæ vſque conſiſtentiam non omnino ſolidam, quin potius ad mollitiem vergentem, quæ calens infundenda eſt in pateras, aut alia vaſa, in quibus frigefieri ſinatur: Aromatum gratiam huic Gelatinæ imperties guttula addita eſſentiæ citrij, aut caryophyllorum, vel cinnamomi pauco ſaccharo optimo commiſta, ſicuti alibi præmonui.

Gelatina hæc Cornu Cervini in rem tantum præſentem adparatur, eo quod hyeme per quatuor aut quinque dies tantum durabilis ſit, æſtate autem duos, imo tunc temporis in cella vinaria reponenda, Nonnulli non ante colaturam inſtituunt, ſaccharo & vino commiſtam, quam debitam conſiſtentiam adquiſierit, quo non amplius igni committatur, Nonnulli forte vini adjectionem gelatinæ ineptam cenſebunt, quod pars illa ſpirotuoſa inter coquendum in auras abeat, at cum gelatina rite abſque vino inclareſcere nequeat, illi ſpirituum diſcuſſioni attendendum non eſt, vel eo nomine quod cum ejuſmodi gelatina in ægrorum tantum gratiam adparari ſoleat, ſatius ſit partes illas ſpirituoſas in nihilum redigi.

Gelatina Cornu Cervi alimentum medicamentoſum vocari poteſt, cum enim optimum nutrimentum præbeat, admodum cor & ventriculum roborat: In omni febrium genere vſitatiſſima eſt, ſpeciatim putridarum convenit, omniumque epidemicarum: Celeberrima quoque eſt in omnibus ventriculi & inteſtinorum profluviis.

Eodem modo præparari poteſt Gelatina Viperarum & partium aliorum animalium.

CAPUT XIV.

De Conſervis.

RAdices, herbæ, flores omnium Conſervarum baſis eſſe ſolent, cum difficultatis multum in illarum præparatione non occurrat, neque multo ſermone opus ſit, ſatis fuerit duo vel tria exempla portuliſſe ad quorum normam quodvis Conſervæ genus confici poterit.

Præparatio Conſervæ radicum Helenij.

♃. Radicum Helenij recentium mundatarum quantum libuerit, coquantur ad mollitiem in ſufficienti quantitate aquæ fontanæ, deinde pinſan-

tur, & per cribrum inverſum traiiciantur: Decoctum coquatur lento igne cum ſacchari duplo radicum pondere, ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam, illique tantiſper refrigerato trajecta pulpa permiſceatur, refrigerataque conſerva vaſe idoneo recondatur.

Methodus.

Accipiatur radicum quantitas quæcunque libuerit, probe eluantur, ab exteriori pellicula mundentur & omnibus ſuperfluis, craſſe incidantur, decoquantur in aquæ pondere ſextuplici, igne moderato, ad ſufficientem vſque teneritudinem;poſt contundatur in mortario marmoreo, piſtillo ligneo,traiiciaturque pulpa per ſetaceum cribrū inverſum: Interim decoquendum erit ſaccharum optimum in decocto radicum, duplicato ad illas pondere, ad conſiſtentiam vſque Electuarij ſolidi, quod vbi ſemirefrixerit, pulpa illi concorporetur, ſicque perfecta erit Conſerva, quam nonnulli antequam recondant permittunt omnino refrigerari, Alij calidam in vas deſtinatum immittunt, quo in ſuperficie exſurgat cruſta conſervationi illius idonea, neque tamen vas cooperiendum priuſquam omnino refrixerit Conſerva, ne ſuperfluus humor ex conſerva exſurgens, exitum non habens, ac in conſervam recidens, corruptionem illi inferat.

Conſerva hæc, non ſecus ac plurium aliarum radicum poſſet equidem abſque radicum coctione perfici, imo non cocto ſaccharo, crudas enim illas radices in mortario marmoreo conterere liceret, pulpam per incerniculum ſetaceum inverſum traiicere, eandemque cum duplici ſacchari optimi pondere ſubigere, ſicque Conſervæ forma exſurgeret, ſed præterquam quod crudæ radices contritioni multo plus obſiſtunt, difficiliuſque ſetaceum permeant, magíſque fibroſæ ſunt quam ipſæ coctæ, Conſerva prȩterea & ingratior erit & inſuavior: Eadem ratione prȩparari poſſunt Conſervȩ radicum omnium medulloſarum.

Conſerva Enulæ Campanæ incidendi vi eſt prædita, Pulmones pituita infarctos potenter expedit, Renes & Ventriculum, anacatharſin promovet, imo & alimentorum concoctionem, appetitúmque excitat: Solitaria ex apice cultri adſumi poteſt, aut commiſceri Eclegmatis, Opiatis,vel Tabellis: doſis eſt ab vncia ſemis ad vnciam integram: Planta Helenium notiſſima cum ſit deſcribenda non eſt.

Præparatio Conſervæ Roſarum Liquidæ.

℞. *Roſarum rubrarum recentium exungulatarum* ℔j.
Sacchari albiſſimi ℔ ij. *Fiat ex arte Conſerva.*

Ad prȩparandam Conſervam Roſarum liquidam more conſueto, accipiatur libra vna Roſarum rubrarum nondum explicatarum, quibus forficibus pars candicans,quam vocant Vnguem,reſciſſa fuerit: Accurate conterantur

conteruntur in mortario marmoreo paulatim illis admiſcendo libras duas ſacchari albiſſimi pulveriſati:Ex hac miſtura conflabitur maſſa conſiſtentia Electuarij liquidi, coloris rubei obſcuri, guſtui non ingrata;Poterunt,ſi libuerit,addi ſub finem, guttæ aliquot ſpiritis ſulphuris aut vitrioli, Conſervæ colorem exaltantes ac rubrum admodum illi inducentes,recondendæ poſtmodum in vaſe vitreo rite obturato,per pluſculos dies inſolandæ; ex temporum intervallis ſpathula lignea illam agitando ad faciliorem ſacchari cum roſis commiſtionem, ac quodammodo abſumendam humiditatem, ſi quæ ſubſit, ſuperfluam.

Sin Conſerva Roſarum oculis & palato gratior concinnanda veniat, hoc modo procedendum,Leniſſime ferveat ſemi pinta aquæ roſarum, cui igni exemptæ, immittatur libra vna Roſarum, vt ſuperius dictum, mundatarum, his probe immerſis traiiciendus liquor per linteum mundum, roſæ manibus exprimendæ: poſtmodum accurate in mortario marmoreo conterendæ: Interim libræ duæ ſacchari albiſſimi in eo liquore in quo roſæ fuerunt immerſæ incoquendæ ad conſiſtentiam Electuarij ſolidi, cui coctione abſoluta, permiſcendæ erunt roſæ exacte contritæ, aliquandiu verſandæ ad exactam commiſſionem, & vt in vaporem abeat ſuperflua humiditas forte ſuperſtes; demum in vaſe deſtinato calida includenda eſt, ſedulo occludendo cum omnino refrixerit.

Hac methodo Roſæ admodum molleſcunt, contritionique multo aptiores redduntur: Aqua roſarum odoris gratiam adauget, vt & Conſervæ vires, Cum ſaccharo commiſtio evadit accuratior, & Conſerva oculis gratior; diutiúſque & gratiam & facultates conſervat quam vulgari modo præparata.

Eſt & altera Conſervam Roſarum præparandi ratio huic nequaquam inferior, ſcilicet immittendo Roſarum gemmas inciſas cucurbitæ vitreę ad macerationem in maris Balneo, inter tepidum & calentem medio, inibi ad teneritudinem vſque ſufficientem detinendo, ſaccharum cum aqua roſarum decoquendo, cætera ſicuti in ſuperiore conſerva peragendo.

Præcipua facultas conſervæ Roſarum eſt cohibendi fluxionis in pulmones e cerebro impetum;compeſcendę quoque Tuſſi conducit & Hemoptyſi ſiſtendæ: ad robur cordis confert,ventriculi, cerebri, ad vomitum cohibendum o mnémque ventris fluorem; anhelitum ſuavem efficit, ſomnum accerſit,quam in rem exterius in vſum vehit fronti admota: Adſumitur hæc Conſerva procul a paſtu a drachma vna ad duas, modo ſola modo commiſta confectionibus, pulveribus, eſſentiis aliiſve conſervis: Nonnunquam & regioni cordis admovetur & ven-

ericuli Epithematis ſolidi forma, ſeorſum aut aliis remediis addita.

Præparatio Conſervæ Roſarum Solidæ.

℞ *Roſarum rubrarum mundatarum, & ad Solis radios celeriter ſiccatarum* ℥ j. *In pulverem ſubtilem redigantur, poſtea irrorentur drachma ſemis ſpiritus Sulphuris, Tunc.*

℞. *Sacchari albisſimi* ℔ j. *Aquæ roſarum* ℥ iiij, *coquantur ſimul ad Electuarij ſolidi conſiſtentium, deinde pulvis roſarum immiſceatur, & vbi fere refrixerint formentur Tabellæ vel Rotulæ ad vſum.*

Methodus.

Illi decipiuntur qui rati roſas rubras intenſioris futuras coloris, illas in vmbra exſiccari jubent, Experientia enim & ratione ducibus mihi cognitum roſas, illa ratione exſiccatas, nunquam vividi eſſe coloris, quin potius fuſcedinem inſignem contrahere: Neque abſque cauſa præſcribitur hoc loco feſtinata ad Solis radios exſiccatio, quandoquidem ſi citiſſime exſiccatę fuerint, perpulchrę evadunt citra vllum virium detrimentum; id vero contingit eo quod Roſę rubrę plurima humiditate excrementitia & viſcida ſcatent, quæ vix ac ne vix recedit, niſi occurrat agens efficaci vi prēditum quod illam vi abſtrahat, cuiuſmodi eſt Solis intenſus calor: Si vero ejus adminiculum deeſt, ac aëri tantum Roſę exponantur abſumendæ cauſa illius humiditatis, cum eius actio debilis admodum ſit & tarda, ob inſigne temporis intervallum, obſoletę tandem fiunt Roſę, obſcurúmque colorem contrahunt: Soli vero ſubtrahendæ ſtatim ac ſiccitatem debitam adquiſierint, tandem enim retorridæ a ſole fiunt & fuſcedinem induunt ſi diutius ſub illius radiis moram trahant: Diligentia quoque adhibenda eſt in illarum cuſtodia, immittendo in lagenam vitream rite obturatam; ſi diutius illarum pulchretudinem & vires perennare volueris, ac toto anno eo in ſtatu, imo integro biennio incolumes eſſe.

Præparandæ ergo huius Conſervæ, accipiatur Libra vna prædictarum elegantium Roſarum, ſubtiliter pulveriſentur, irrorentur drachma ſemis ſpiritus ſulphuris, in vaſe quopiam fictili exacte exigua ſpathula lignea commiſcendo: Poſtea coquatur libra vna ſacchari albiſſimi in vnciis quatuor Aquæ roſarum ad ſolidi Electuarij conſiſtentiam, Roſas illi extra ignem commiſcendo, ac exiguo piſtillo, vel ſpathula lignea verſando; cum vero tenuis cruſta ſuperficiei conſervæ adnaſci animadvertetur, ſupra chartam effundatur, vel laminam ſtanceam, vt inde conficiantur Tabellæ, vel ex ſartaguncula effundatur, ſpathula brevi & lata per taleolas diſſecando, chartæ quo refrigeſcant inſternendo, qua arte conficietur Conſerva Roſarum quam vocant Rupeam, colore grata, ſapore iucunda, viribus affinis Conſervæ Roſarum liquidæ: Commodiſſima

ſima quoque eſt eo quod in pera circumferri poſſit.

Præparatio Conſervæ Violarum Mollis.

℞. *Violarum recentium mundatarum* ℔ ß.
Sacchari albiſsimi ℔ iß. *Fiat ex arte Conſerva.*

Conſerva hæc exemplo eſſe poterit conficiendis conſervis Borraginis, Bugloſſi, Nymphææ, aliorumque ſimilium florum plurima humiditate pollentium: Dilligenter in mortario marmoreo conterenda ſemilibra Violarum mundatarum; lento igne, in ſex vnciis Aquæ Violarum ſtillatitiæ coquatur ſeſquilibra ſacchari albiſſimi ad conſiſtentiam Electuarij ſolidis, tum ſaccharum ab igne removendum, eum vero ſemi refrixerit, contritæ violæ adiicientur, Eodem tempore immittetur hæc Conſerva in idoneum vas, quo exſurgat in ſuperficie cruſtula quæ conſervationem promovebit; Cum vero omnino refrigerata fuerit Conſerva, vas accurate claudendum, Conſervam in vſus reponendo.

Humoris exceſſus in Violis majorem ſacchari quantitatem expoſcit quam in Conſervis florum pauciori humore donatorum: Ratio autem ſacchari decoquendi multo præſtantior eſt quam ſi ſaccharum pulveriſatum contritis floribus adiiceretur, quia florum commiſtio multo melius ſuccedit cum ſaccharo cocto, quam ſi Conſerva calens in vas proprium recondatur; eo quod cruſta ſuperius enata ab ambientis injuria melius tuetur Conſervam, eamque diuturniori conſervationi idoneam reddit.

Conſerva Violarum admodum Cardiaca eſt, valde quoque celebris ad morbos Iecoris & Lienis, humorum acrimoniam demulcet, eóſque fluidiores reddit: Plurimo quoque in vſu eſt adverſus Pectoris affectus, ac ſanguinas fervorem temperandum.

CAPUT XV.

De Syrupis.

IVlapi ivere, ante & cauſa fuere inveniendorum Syruporum, Antiqui enim cum Iuleporum humorem exuperantem in corruptionem ſyrupos pertrahere poſſe perpenderent, illum decoctione abſumendum eſſe iudicarunt, ac ad conſiſtentiam craſſiorem deducenda, Syrupi nomen his imponentes.

Non multum intereſt ſcire nomen trahere Syrupum a verbo σύρω, quod ſignificat *traho*, & ab ὀπός, hoc eſt *ſuccus*, ſatis ſit dixiſſe Syrupos compoſitiones eſſe ſatis gratas, paratas ex aquis, aut ſuccis, vel tin-

cturis, aut decoctis, cum ſaccharo vel melle in conſiſtentiam quodammodo craſſam coctis, conſervarique habilem.

Succi Syruporum compoſitionem ingredientes extrahi ſolent e variis plantarum partibus, alias per expreſſionem, alias per impreſſionem ſubſtantiæ illarum ſucculentæ in quempiam liquorem : Poſſunt & ex partibus animalium deduci, ſicuti ad compoſitionem ſyrupi de Teſtudinibus.

Tincturæ, Infuſiones, aut Decoctiones ad compoſitionem variorum Syruporum vſurpari ſolitæ, totidem media ſunt in vſum advocanda ad variorum medicaminum vim in eoſdem ſyrupos transferendam : A ſaccharo & melle iidem ſucci, tincturæ ac decoctiones, gratiam accipiunt, aut ſaltem ejus cauſa minus palato diſplicent.

Cum non modo conſilium fuerit adparare remedium quod abſque corruptela perenne eſſet, compendium etiam quæſitum eſt vires vnius aut plurium medicamentorum ſimul colligendi; Cum porro morborum numerus immenſus eſſe deprehenderetur, qui preterea ſæpenumero invicem complicarentur, varietas Syruporum excogitata eſt, ad curationem aut præcautionē plerorūque prædictorum morborum: At ab Authoribus noſtris Syruporū adeo ingens numerus eſt, excogitatus eſt, vt ſi ſingulorum præparatio in Officinis eſſet neceſſaria, omnium profecto hæ capaces non eſſent. His rationibus adductus Pharmacopœam ne ſexcentis ſyrupis inutilibus onerarem prohibuerunt, quibus quippe carere facile eſt, eo quod obſoleti ſint, ac pro re nata comparari queant ſi præſcripti fuerint. Illos ergo tantum hic exhibiturus ſum quorum vſus diuturna experientia confirmatus eſt, a Medicis creberrime præſcriptorum, & qui vt officinam ingrediantur digni ſunt, ob vires inſignes & efficaciam ab ægris perceptam : Interim deſcripturus non ſum plurimos ſyrupos ſimplices, qui conſimilem requirunt præparandi modum illis quorum deſcriptionem adduxero, prolixitatis vitandæ gratia, neceſſarios ſolum exhibiturus, ad erudiendos Pharmacæ ſtudioſos.

Præparatio Syrupi e ſucco Citri.

℞. *Succi acidi recentis defæcatiſsimi malorum citriorum* ℔. iij.
Sacchari albiſsimi ℔. vj. *Fiat ex arte Syrupus.*

Methodus.

Ab antiquis proditum doſin ſuccorum acidorum fructuum in ſyruporum præparatione majorem eſſe debere quam ſacchari, eoſdem vero ſuccos longiori indigere decoctione, tam abſumendę ergo partis humiditatis ſuperfluæ, ipſis imputatæ, quam ad conciliandam ſyrupis, ex illis parandis, conſiſtentiam debitam, Commenti hujus cauſa diutina ſuccorum inſtituta eſt decoctio : neque tamen dubius ſum quin

ſucci

ſucci acidi, ſi pars illorum in vaporem abierit, Balneo maris in vaſe vitreo expoſitorum, acrimoniam majorem contrahant, ab aque partis aliquali abſumptione, ſed præterquam quod non neceſſaria ſemper eſt ſumma illa aciditas, ſuccis,decoctionis cauſa, de elegantia nativa multum decedit, ſicuti & de refrigerandi facultate; quæ porro humiditas acidis vehiculo eſt ad membra diſſita, inoffenſis ab acri illorum vi partibus per quas tranſitus eſſe debet.

Cum porro Syrupi ex ſuccis ſolum acidis & ſaccharo conſtantes, eandem omnino conſiſtentiam non requirant ac alij Syrupi, diutius ideo ad ignem non detinendi,ne alterationem patiantur.

Præſentis Syrupi deſcriptio exemplo eſſe poteſt ſufficienti ad Syruporum omnium compoſitionem qui ex ſuccis acidis tantum fructuum, & ſaccharo conſtant, quorum deſcriptiones ſingulares traditurus non ſum, neque præparandi rationem, quandoquidem methodus a me pro hujus ſyrupi confectione præſcripta in cæteris omnibus obſervari poteſt.

Duobus modis præparari poteſt hic Syrupus, primo aſſumendo libras ſex ſacchari farinacei (*caſſonnade*) candidi, probe exſiccati, cum ovi albumine clarificati, Et aquæ fontanæ libras ſex, igne moderato decoquendo ad conſiſtentiam Electuarij bene cocti, demum extra ignem permiſcendo ſucci Citriorum rite depurati libras tres, ſyrupum piſtillo ligneo verſando quouſque fere refrixerit.

Alter modus perficitur immittendo ſucci Citriorum optime depurati in vas fictile rite vitreatum libras tres, diſſolvendo ſacchari albiſſimi pulveriſati libras ſex, cuncta piſtillo ligneo agitando, vſque quo ſaccharum exacte diſſylutum ſit,& cum ſucco rite commiſtum: Etiam vaſe ab igne remoto agitatio peragenda eſt,non ſecus ac in priore ſyrupo:Interim cavendum in hujus ſyrupi, necnon omnium qui ex ſuccis acidis componuntur præparatione, a vaſis, quæ vitrea non ſunt, aut fictilia vitreata.

Syrupus e ſucco Citriorum plurimum refrigerium cum humectatione præbet, ſedat ſitim, febriúmque a bile oriundarum ardorem manifeſte extinguit,Ventriculo robur addit, ac viſceribus ab intemperie calida humorum debilitatis, corruptionem quoque prohibet, & inquinamenta aëris arcet: Lumbricis adverſus eſt, vt & venenis morbiſque contagioſis ac epidemicis.

Doſis illius vſitata eſt a ſemuncia ad vnciam integram ex ptiſanæ cyatho vel alterius liquoris, Baſis eſt quarundam compoſitionum, additurque potionibus ac plurimis aliis remediis.

Syrupi Granatorum, Ribium, Berberorum,Agreſtæ & ſimiles eadem arte præparari poſſunt.

Compoſitio Syrupi e ſucco Oxytriphylli

℞. *Succi Oxytriphylli depurati* *Sacchari albiſsimi āā.* ℔ iv.
Fiat ex arte Syrupus.

Oxytriphyllum, alias Alleluia, vel Trifolium acetoſum, planta eſt notiſſima: Si illius ſuccus æque acidus eſſet ac ſuccus Citriorum, ſucci depurati libræ duæ ſatis eſſent ad quatuor libras ſacchari præſcriptas, pro confectione Syrupi juxta artis leges, at vero cum minor illi inſit aciditas, multóque plus obtineat ſuperflui humoris quam ſuccus Citriorum, neceſſe eſt aquei humoris partem diſtillatione elicere, quo illius aciditas proxime accedat ad acorem ſucci Citriorum, quod vt conſequatis hic eſſe debet procedendi modus.

Accipe quatuor libras ſucci Acetoſellæ optime depurati, immittantur Cucurbitæ vitreæ, cooperiatur alembico leviter luto obducto, in Balneo maris collocetur, ac igne modico media circiter pars, diſtillatione, humiditatis abſtrahatur, tum a Balneo cucurbita removeatur ac refrigerari ſinatur, demum decanta ſuccum acidum ſuperſtitem, ac per chartam emporeticam tranſmitte, ad ſegregandas terreſtriores partes ope diſtillationis ſeparatas: Accipe ſucci hnius depurati libras duas, immittantur vaſi fictili vitreato ad modiciſſimum ignem, in illis diſſolvantur ſacchari albiſſimi libræ quatuor, ac leviter poſtea ebulliant; hinc vas ab igne remove, deſpuma, ac repone ſyrupum quando refrigeratus fuerit.

Poſſet & Saccharum Farinaceum albiſſimum cum albumine ovi clarificari, ac aqua communi, ad conſiſtentiam Electuarij admodum ſolidi percoqui, demum illi addi ſuccus oxytriphylli, vti ſuperius dictum præparatus, ac ſyrupus eodem modo concinnari;

Syrupus Alleluyæ inſigni refrigeratoria vi pollet, optime ſitim compeſcit, ardoréſque Ventriculi & Iecoris compeſcit; admodum quoque celebris eſt adverſus plurimas febres, præſertim ardentes, malignas & epidemicas; cor recreat illique robur conciliat, oris inflammationes ſedat, linguę, palati, faucium: Commode ſyrupo commiſceri poteſt aqua e ſucco diſtillata. eademque bibenda porrigi eundem in finem: Doſis eadem quæ ſyrupi ſucci citriorum.

Præparatio Syrupi Cinnamomi Regij.

℞, *Aquæ cinnamomi Stillatitiæ, ſupra novum cinnamomum electum cohobatæ, iterum diſtillatæ* ℔ j.
Sacchari albiſsimi in aqua Meliſſæ ſoluti, & in Electuarium ſolidum cocti ℔ ij.
Fiat ex arte Syrupus. Methodus.

Pars maxima antiquorum Authorum, imo neotericorum nonnullorum

rum, qui de Cinnamomo aliquid ſcriptis tradidere non minus varie quam dubie de eo verba fecere:Sin illarum ſcriptis fides eſſet adhibēda,vix nobis innoteſceret verum Cinnamomum quo familiariter vtimur, toti Europæ Cinnamomi nomine cognitum.

Hoc loco repetiturus non ſum quæ de eo ante aliquot annos Tracta-tu meo de Theriaca edidi, Satis fuerit noviſſe Cinnamomum, aut Canellam, corticem eſſe arboris magnitudine ad malum auream accedentis, vbertim in Iuſula Ceylon naſcentis, in Meridionali Indiarum parte, Hujus arboris rami e trunco exeunt, recti admodum, craſſi, enodes & eleganti ordine compoſiti: Iuxta truncum cæduntur cum arbor ſucco turget vernaculo, demitúrque cortex,qui legitimum eſt Cinnamomum; Statim cæſus lævis eſt, vix coloratus ac pene inſipidus, at inter exſiccandum convolvitur ac fiſtulæ figuram adſumit, aut cannæ, cujus & nomen ea parte gerit: Humorem ſuperfluum dum exuit, ob quem præſtantiſſimarum virium pars maxima obruta latebat, odorem nanciſcitur æque ſuavem ac penetrandi vi præditum, ſaporémque non minus gratum quam acrem & pungentem.

Color Cinnamomi eſt purpureo-pallidus cum quodam nitore, ſuperficies interna & externa ſat lævis, ſubſtantia modice compacta: Cariei obnoxium non eſt, diúque perennare poteſt dummodo diligentia adhibita cuſtodiatur, & ambientis injurię arceantur, Lignum ſub cortice jacens ferme inſipidum eſt, neque vlla inſignis facultas in ipſo deprehenditur.

Rami Cinnamomum proferentes ramuſculos edunt foliis ſat magnis decoratos,propemodum accedentibus ad folia Daphneccarſi, tribus aut quatuor nervis per longitudinem prędicis, ac diſtantias æquales obſervantibus.

Rami illi exigui certo tempore emittunt exiguos flores odoratos & albos,quos ſubſequuntur fructus magnitudine & figura non abſimiles Olivis, e quibus effluit liquor viridis, acer, amarus & oleaginoſus: Poteſt ex illo quoque, non ſecus ac ex floribus, per diſtillationem elici liquor, odore propemodum & ſapore Cinnamomum referens, at multo inferior quoad omnia illi qui ex ipſo cinnamomo extrahi poteſt.

Huic loco Aquæ Cinnamomi præparationem intuliſſem, huius ſyrupi baſis, niſi illius deſcriptionem tertia parte huius Pharmacopœæ tradere decreviſſem,quo Lectorem remittimus, ſi illuc libet recerrere.

Lento igne coquantur libræ duæ ſacchari albiſſimi in aquæ meliſſæ vnciis octo,ad conſiſtentiam vſque Electuarij ſolidi, cúmque cuncta propemodum refrigerata fuerint, adiicienda eſt aqua Cinnamomi,recondendo Syrupum in lagena vitrea optime obſtructa ad vſus neceſſarios.

S 4

Poteſt & componi ſyrupus Cinnamomi, viribus huic non multum impar, ſi poſt commiſtam drachmam vnam Olei cinnamomi ſtillatitij optimi ſacchari candidiſſimi regij vnciis quatuor, cuncta diluantur cum libris duabus ejuſdem ſacchari in aqua meliſſæ ad ſyrupi conſiſtentiam cocti cum ſyrupus propemodum refrixerit, Eodem tempore adiiciendo vncias duas ſpiritus vini optimi ad conciliandam ſyrupo gratam acredinem, qui accurate cuſtodiendus poſtquam fuerit refrigeratus.

Eodem modo concinnari poſſunt Syrupi Caryophyllorum, Maceris, Aniſi, Fœniculi, Aurantiorum, Citriorum, Roſarum, Ligni Rhodij, Saſſafras, ac plurimarum aliarum partium præcipuarum rerum odoratarum, aquas itidem illorum ſtillatitias vſurpando cum ſaccharo regio pulveriſato concorporando, atque Syrupo ex eodem ſaccharo parato commiſcendo, addita aqua quapiam appropriata.

Syrupus Cinnamomi medicamentum eſt Cardiacum citiſſimi effectus; feliciſſimo ſucceſſu exhibetur in quibuſvis animi defectionibus & ſyncope ad ſpirituum deperditorum inſtaurationem: Plurimum quoque conducit Roborandis ventriculo & cerebro partibuſque principibus, Appetitum ciet, Concoctionem juvat, Flatus diſcutit, Anhelitus fœtorem emendat, Partum facilem reddit, atque ad menſtruum Fluorem provocandum mire efficax eſt, obſtructúmque vterum reſerandum: Exhiberi poteſt e coochleari a drachmis duabus ad vnciam vnam, vel commiſceri Opiatis, Mixturis, Potionibus aliiſve remediis.

Præparatio ſyrupi Coraliorum.

℞. Coraliorum rubrorum in ſubtiliſsimum pollinem ſupra porphyritem redactorum ℥ iij.

Succi Berberini defæcatiſsimi ℔ ij.

In Cucurbitam vitream immiſſa in Balneo cinerum horis quadraginta ſtent, per vices ſpathula lignea agitando, deinde filtretur liquor, & cum ſacchari candi ſubtiliter pulveriſati duplo pondere fiat in Balneo mariæ moderate calido ex arte Syrupus.

Methodus.

Coralium, alias Lithodendron, hoc eſt arbor lapidis formam obtinens, a quibuſdam mineralium familiæ accenſetur, ob ſubſtantiæ duritiem & cum lapidibus analogiam: Inter plantas vero ab illis reponitur qui ejus figuram perpendunt, demum in fundo maris, vbi natales habet, vegetativa anima, non ſecus ac plantæ terreſtres pollet: Neque tamen illis adhibenda fides penes quos Coralium fructus edit baccáſque profert, deceptis a globulis torno fabrefactis, quos pro baccis admiſere.

Neque etiamnum illi fide digni qui plantam Coralij in loco natali viridem eſſe & mollem, ruborem vero & duritiem ſtatim ac mari ſubduceretur, atque in auras veniret contrahere: quandoquidem diſcere eſt ab iis qui Coralij piſcationi operam navant prope Galliæ propugnaculum, & alibi in mari Mediterraneo, Coralium (ſicuti ab illis edoctus ſum) neque baccas neque ſemina proferre, ejuſdem eſſe coloris, ejuſdémque duritiei in fundo maris, quoad totam plantam, ac cum ex illo eductum eſt ope retium illi eradicando dicatorum; quæ inefficacia eſſent, & irriti vſus niſi eandem obtineret duritiem plantæ e qua evellitur innatam, quam ex mari eductum obtineret.

Conſentio tamen tres illius reperiri ſpecies, dari nempe Rubrum, Album & Nigrum, ſed hoc pro comperto habendum Rubrum cæteras ſpecies viribus ſuperare: Coloris debet eſſe nitidi, purum & ſyncerum, ſolidum, grave, læve, & fractu facile.

Coralium Rubrum electum ſuper porphyrite terendum eſt, affuſa aqua roſarum id humectando quovſque ad ſummum lævorem deductum fuerit: Illius exſiccati quatuor vnciæ cucurbitæ vitreæ immittantur, & ſuper affundendo ſucci Berberini optime defœcati libras tres, collocando cucurbitam in Balneo cinerum moderate calido, quadraginta horarum aut circiter ſpatio, per vices materias agitando ſpathula lignea: filtrandus poſtmodum liquor per chartam emporeticam, ponderandus, iterumque committendus cucurbitæ vitreæ mundæ, hac autem Balneo mariæ tepido, diſſolvendum in iſto liquore duplum ſacchari candidi pellucidi pulveriſati pondus; Tunc Syrupus perfectus erit, in lagena vitrea aut vaſe Faventino aſſervandus cum probe refrixerit.

Syrupus Coraliorum non parum commendatur adverſus quamvis ventriculi debilitatem, Iecoris & Inteſtinorum, valet ad curationem morborum inde oriundorum, ſpeciatim ad Vomitus ſiſtendos; Diarrhœas, Dyſenterias, Lienteriam, Fluxum hepaticum, cohibendum quemcumque ſanguinis Fluorem tum in viris tum in mulieribus, Per os exhibitus aut per anum immiſſus, quinimo & pudenda.

Exhibetur ab vncia ſemis ad vnciam integram, ſolus ex cochleari, aut aliis liquoribus convenientibus, remiſtus.

Hoc monitum volo Syrupum Coraliorum, prædicto modo præparatum, in ſe continere quicquid ſuccus Berberorum diſſolvere potuit ſubſtantiæ Coraliorum, id quod comprobare liceret affuſo Tartari liquore in hanc diſſolutionem: Salinus enim ille liquor acidæ parti diſſolventis ſe adjungens, ac ſubſtantiam Coralij quæ diſſoluta fuerat, liberans, efficit vt in pulverem ſubtilem decidat ad liquoris fundum: Eadem & ſeparatio ac præcipitatio inſtitui poſſet, infracta diſſolventis vi,

affuſa deſuper aquæ copia.

Illud etiam ſcire intereſt ſi quis alteri quam meæ inſtiterit methodo,ac ſyrupum ebullitione accedente præparare curaverit,futurum vt ſubſtantia Coralli ſeparetur, in fundo vaſis conglobata obvia.

Compoſitio Syrupi Cydoniorum.

℞. Succi cydoniorum puriſsimi,
Sacchari albiſsimi āā. ℔ iiij.
In vaſe fictili vitreato lento igne ad Syrupi conſiſtentiam coquantur : Remotus ab igne, & ſemirefrigeratus ſyrupus, ſi libuerit, aromatiſetur Oleorum Cinnamomi & Caryophyllorum āā. guttis ij. ſaccharo pulverato prius exceptis.

Methodus.

Si parandus eſſet ſyrupus minori quantitate ſucci Cydoniorum donatus, ac proinde minori adſtringendi vi præditus, in eundem modum adparandus eſſet quo Syrupus e ſucco limonum confici ſolet, vnicam ſucci cydoniorum libram ad ſacchari libras duas adſumendo : At cum ſyrupus iſte adſtrictionis præſertim cauſa expetatur, e re proculdubio eſt eadem doſi & ſaccharum & ſuccum adſumere, vt ſcilicet ſuccus concentratus, & maxima ex parte ſuperflua humiditate liberatus per coctionem, illi neceſſariam ad ſyrupi conſiſtentiam obtinendam,adſtrictoriam vim huic majorem impertiatur, atque ideo magis idoneus fiat explendis ſcopis ad quos expetitur.

Accipiantur ergo partes æquales ſacchari albiſſimi, & ſucci cydoniorum rite defæcati, ſimul imponantur vaſi fictili vitreato, excoquendo igne lento ad legitimam ſyrupi conſiſtentiam ; poſtea vas ab igne removendum : vbi vero ſyrupus fere frigefactus fuerit, aromatum vi imbui poterit additis guttis duabus olei ſtillatitij Cinnamomi, & tantumdem olei Caryophyllorum, exceptis circiter vncia vna ſacchari albiſſimi pulveriſati.

Syrupus Cydoniorum Ventriculi robur infractum inſtaurat, coercet vomitus, coctionem alimentorum juvat, appetitum amiſſum revocat, pravos humores concoquit atque ad expulſionem aptos reddit : Viſceribus omnibus vires addit ; ad lejenteriam ſummo cum fructu vſurpatur, diarrhœam omnémque alvi fluorem ab humorum acri vi pronatum, aut partium debilitates reprimit.

Doſis vſitata eſt vnciæ vnius : ſeorſim ex cochleari adſumi poteſt, aut potionibus commiſceri, vti & ptiſanæ in potum ordinarium.

Syrupus Antepileptuus, Authore D. D.D'AQVIN primario Majeſtis Regiæ Medico.

℞. Viſci quercini *Radicis pæoniæ maris.*

Seminis

Seminis ejuſdem ãã. ℥ij.
Radicis Valerianæ majoris
Angelicæ
Imperatoriæ
Iridis Illyricæ
Dictamni albi ãã. ℥j.
Foliorum Betonicæ
Rutæ
Florum Lilium convallium
Tiliæ &
Lavendulæ ãã. M. j.
Tartari albi Monſpelienſis pulverati ℥iß.

Contuſa aut inciſa omnia intrudantur in Matratium, & ſuperfuſis aquarum ceraſorum nigrorum & florum tiliæ ãã. ℔ iij. obturatoque matratio, in Balneo mariæ tepido horis vigintiquatuor macerentur, deinde in fervent Balneo per horas duas aut tres detineantur, colentur & exprimantur, Liquor vero cum ſacchari optimi ℔ iv. clarificetur & coquatur igne lento in ſyrupum, oleorum ſtillatiorum Lavendulæ & Cinnamomi ãã. gutt. iij. ſaccharo pulverato exceptis aromatiſandum.

Methodus.

Nulla incumbit neceſſitas vt plantas ad compoſitionem hujus ſyrupi præſcriptas in examen adducam, eo quod illarum quædam ante deſcriptæ fuerunt, aliæ notiores ſunt quam vt earum hiſtoria adduci debeat.

Viſcus quernus rite contundatur, vt & aliæ radices, cum ſemine Pæoniæ: Tartarus monſpelienſis conterendus; Betonicæ & Rutæ folia incidenda, omnia ſimul in matratium capacitatis debitæ coniiciantur, affundantur illis aquæ Ceraſorum nigrorum libræ tres, ac tantundem aquæ florum Tiliæ: poſtmodum accurate obturatum Matratium, ſpatio horarum viginti quatuor detinendum in Balneo marię tepido, quibus exactis, per horas duas aut tres calor Balnei ad ebullitionem vſque intendendus, demum omnibus colatis & expreſſis, liquor addito ovi albumine clarificandus adjectis ſacchari candidiſſimi libris quatuor, decoquendo ad ſyrupi conſiſtentiam: Cum vero refrixerit, aromatiſatio accedet ex oleis ſtillatitiis Lavendulæ & Cinnamomi, excipiendis vncia vna circiter ſacchari albiſſimi pulveriſati, aſſervando ſyrupum in lagena vitrea aut vaſe Faventino, exacte obturando.

Syrupus iſte non modo convenit affectibns Epilepticis, quorum cauſa præſcriptus eſt, ſed etiam in vniverſum morbis quibuſvis cerebri.

Doſis ordinaria eſt vncia vna, ſeorſum exhibendo, aut diſſolvendo cum liquoribns cephalicis, Commiſcetur etiam Potionibus, Opiatis, plurimiſque aliis remediis.

Præparatio Syrupi Hydragogi D. D. D'AQVIN, *Archiatri Regiæ Majeſtatis.*

♃. Radicis Mechoacan
Ireos noſtratos
Ebuli recentis
Medullæ ſeminis carthami
Folliculorum Sennæ Orientalis
Foliorū ſoldanellæ ſiccorū ãã. ℥iß.

Turbith gummoſi
Hermodactylorum
Ialapæ
Rhei electi ãã. ℥ vj.
Radicum Valerianæ majoris
Eryngij
Enulæ companæ
Aſari
Corticum Radicum capparis
Tamariſci
Santali Citrini
Seminis Ebuli
Baccarum Iuniperi ãã. ℥ß.
Foliorum Ceterach
Agrimoniæ
Chamædryos
Florum Geniſtæ ãã. man. j.
Limaturæ Chalybis nodulo incluſæ
Tartari albi Monſpelienſis contuſi ãã. ℥ij.

Contuſa aut inciſa omnia in aquæ Cichorij ℔ ij. *& ſuccorum radicis ſambuci & foliorum cærefolij depuratorum ãã.* ℔ ij. *ſuper cineres calidos horis viginti quatuor infundantur, deinde per ſeſqui horam lento igne bulliant, colentur & fortiter exprimantur: Liquor vero cum ſacchari optimi* ℔ iiij. *clarificetur & coquatur in ſyrupum, ſub finem addendo Tartari vitriolati & ſalis Polychreſti ãã.* ℥ ij., *Refrigeratus ſyrupus olei cinnamomi guttis tribus ſaccharo pulvarato exceptis aromatizari poterit.*

Methodus.

E re non eſſe hoc loco tradidiſſe Sennæ accuratam deſcriptionem arbitror, vti neque Hermodáctylorum, Mechoacannæ, Turbith, Ialapæ & Rhabarbari, eo quod nulla evidens neceſſitas impellat ad figuræ plantarum illa producentium cognitionem, neque enim legitimæ in Gallia natales habenr, ſatíſque eſt tenuiſſe eiuſmodi medicamentorum notitiam & electionem cum in vſum veniunt.

Senna orientalis cunctis præfertur, foliis accedit ad coluteam, ſed illius acuminata ſunt & longiora;ea quæ minus contrita ſunt paucioribúſque ſurculis impermixta,optima cenſentur: Color illi eſſe debet ex viridi palleſcens, ad tactum lenis ſi manipulus vuus corripiatur, odoris vtcunque gravis at non ingrati; flores illi exigui & flavi nec abſimiles Coluteæ foliis.

Folliculi hic præſcripti, ſiliquæ ſunt ab eadem planta producti, depreſſæ, leves, lunæ creſcentis figuram obtinentes,latitudinem & longitudinem propemodum ſemidigiti: colorem ex pallido viridi ad ruſum vergentem: Semen continent pallido viride, depreſſum, longiuſculum, cordis prope figura, Folliculis major purgandi vis quam foliis ineſt, & aquas efficacius ducunt.

Turbith radix eſt plantæ lactiferæ: eligatur mediocriter grave, extus obſcurum, intus candicans, detrahatur medulla dura & fibroſa: Inter probitatis ſigna recenſetur qualitas gummea; At gummi, vel reſina, ſubſtantiæ

ſubſtantiæ illius inexiſtens, vix aliter dignoſci poteſt niſi in pulverem redactum fuerit Turbith, ídque in vini ſpiritu maceratum, ideóque Reſina hoc pacto diſſoluta fuerit & a craſſioribus partibus ſeparata; Tantillum illud Reſinæ conglobatæ, cortici interdum inhærentis, artis potius quam naturæ ptoductum eſt.

Mechoacanna, a quibuſdam Rhabarbarum album vocata, craſſa eſt radix, pene inſipida, exterius coloris cinericij, candicantis interius, ſubſtantiæ raræ & levis, quæ in taleolas diſſecta ad nos ex nova Hiſpania defertur, Mechoacannæ nomen gerens a loco natali: Eligatur recens, repudiata ea quam caries exeſit.

De Hermodactylis diverſimode ſcribunt Authores; plurimę quoque ab illis horum ſpecies traduntur, quarum præcipuam, & optimam quidam nominant *Iridem tuberoſam*, alij *Colchicum*; Parva eſt radix, ac diformis, ruféſcens exterius, interius admodum alba; ſubſtantia illi gravis & compacta, ſed quæ facile contrita abit in pulverem, magnitudine & figura ad Anacardia accedens, aut radices Satyrij non obſoletas: Radices maxime candidæ eligantur, ſucci plenæ, non carioſæ.

Natales quoque habet in nova Hiſpania *Ialap*, Radix eſt minus quam Mechoacanna craſſa, in interioribus coloris obſcurioris, ſubſtantiæ gravioris, compactioris & magis reſinoſæ: Ad nos defertur in taleolas ſiccas diſſecta, e quibus maxime recentes, graves & reſina turgentes præ cæteris probantur.

Rhabarbarum optimum e Chinarum regionē in Turciam convehitur, hinc in Galliam, Radix eſt ſatis familiaris, inter optimas notas recenſetur ſubſtantiæ denſitas & gravitas, color flavus maculis rubris, vbi frangitur diſtinctus, ſapor amaricans & adſtringens, odor ſuavis.

Cæteræ plantarum partes ſyrupum hunc conſtituentes notiores ſunt quam vt exactiori deſcriptione egeant.

Concinna erit hujus ſyrupi præparatio, ſi comminutum fuerit Santalum citrinum, conterantur omnes radices, cortices, baccæ & ſemina, contundatur Tartarus, incidantur folliculi & folia Sennæ, at Chalybis limatura laxiori nodulo includatur. Si omnibus in cucurbitam fictilem conjectis, interius optime vitreatam, commixtiſque floribns, affundatur aqua cichorij & ſucci, adeo vt cuncta hæc medicamenta his liquoribus immergantur: cooperiatur cucurbita, ſupra cineres calidos per horas viginti quatuor detinenda, quibus exactis omnia lento igne decoquantur ſeſquihoræ circiter ſpatio, demum percolanda & valida manu exprimenda, poſtmodum cum ovi albumine clarificato liquore, additis ſacchari albiſſimi libris quatuor, lento igne excoquantur ad ſyrupi conſiſtentiam, ſub finem adjectis Tartaro vitriolato & ſale Polychreſto

T 3

præſcriptis : Cum ſyrupus refrixerit aromatiſetur , ſi libuerit , tribus guttis olei diſtillati cinnamomi, vncia vna ſacchari pulveriſati exceptis.

Qui accurate qualitates & doſes ſimplicium omnium a Domino primario ſuæ Majeſtatis Medico electorum ad compoſitionem hujus ſyrupi perſpectæ fuerint,illi eius efficaciam dubiam nequaquam facturi ſunt in purgandis & expellendis e toto corpore ſeroſis humoribus , præſertim hydropicorum, in quorum præſertim gratiam compoſitus fuit : Seorſum ex cochleari exhiberi poteſt ab vncia vna ad duas , aut miſtus cuipiam idoneo liquori.

Præparatio Syrupi Anti Nephritici D.D. D'AQVIN.

℞. *Radicum Althææ*
Ononidis
Frugariæ
Bardanæ
Nymphææ &
Quinque aperientium ãã. ℥iß.
Fructuum Alkekingi &
Cynosbati
Seminis Bardanæ
Milij Solis
Sileris montani
Quatuor frigid. major. mundat.
Nucleorum Meſpilorum &
Perſicorum ãã. ℥ j.
Foliorum Saxifrugæ
Pimpinellæ
Cærefolij
Virgæ aureæ
Hyperici &
Capilli Veneris Monſpel. ãã. M. j.
Tartari pulveriſati ℥ ij.

Coquantur ex arte in aquæ parietariæ ℔ x. *Colatura cum ſacchari optimi* ℔ iiij. *clarificetur & coquatur in Syrupum , elæoſaccharo aniſi aromatiſandum.*

Methodus.

Satis eſſe credidi hujus Syrupi præparationem tradidiſſe, omiſſa ſimplicium illum componentium deſcriptione , omnibus notorum , in omnibus Herbariis deſcriptorum , vt hic locum non mereantur.

Radices omnes probe ablutæ, & ab internis ac externis ſuperficiebus mundatæ , inciſæ aut contuſæ , immittantur vaſi terreo intus vitreato ſimul cum Tartari albi Monſpelienſis vnciis duabus, ac poſt affuſas aquæ Parietariæ diſtillatæ libras decem , ebulliant lento igne per horam integram , poſtea decoctioni addendo fructus Cynorrhodi & Alkekingi rite inciſos , per quadrantem horæ cum Radicibus elixandos ; demum iniicienda ſemina Bardanæ , Milij Solis & Sileris montani craſſe trita, quibus poſt aliquot ebullitiones adiiciendi nuclei Meſpilorum & Perſicorum craſſe contuſi , cum foliis Cerefolij & Hyperici inciſis : Coquantur omnia circiter per horæ quadrantem , poſt addendus capillus Veneris & Semina frigida majora mundata contuſa, quibus in decoc-

tum

tum immerſis vas cooperiendum, ab igne removendum;quando decoctum ſemirefrixerit percolandum & exprimendum, demum per ovi albumen clarificandus liquor cum ſacchari albíſſimi libris quatuor, igne lento ad Syrupi conſiſtentiam decoquendo, qui refrigeratus aromatiſandus ſex guttis olei Aniſi ſtillatitij, exceptis vncia vna ſacchari albiſſimi pulveriſati; Syrupum in lagena rite obturanda recondendo & in vſus aſſervando.

Vis diuretica, in vnoquoque memoratorum ſimplicium ad hujus ſyrupi compoſitionem concurrentium manifeſta, ſpem præbet effectuum ab horum concurſu expectandorum: Perſpectum & eſſe debet ab hoc ſyrupo non leve auxilium illis inferendum quorum renes, vreteres, aut veſica arena, calculis aut tenaci phlegmate & viſcido ſcatent & obſtruuntur, quæ meatus vrinarios obturando lotij curſum ordinarium intercipiunt & morantur: Conducit & idem præcavendæ horum affectuum recidivæ, quamobrem plurimis diebus ex ordine ſyrupi hujus vſus continuus eſſe debet, quolibet mane vnciam vnam ex tribus aut quatuor vini albi vncis diſſolutam aſſumendo, ſubſequente leni deambulatiuncula: Poteſt & vtiliter in vſum duci ab iis qui actu his affectibus torquentur, illum aſſumendo ab vncia vna ad duas ex Emulſionibus aut aliis liquoribus eidem ſcopo idoneis.

Præparatio Syrupi de Abſinthio.

℞. Summitatum Abſynthij majoris ſiccarum
Roſarum rubrarum exungulatarum
Tartari albi Monſpelienſis ãã. ℥ ij.
Nardi Indicæ ʒ iij.
Succi cydoniorum nondum perfecte maturorum
Vini albi auſteri ãã. ℔ iijß.

In vaſe fictili vitreato anguſti orificij collocentur, & recte cooperto vaſe, cineribus calidis horis viginti quatuor committantur, deinde lento igne coquantur ad tertiæ partis conſumptionem: Colatura ovi albumine cum ſacchari libris quatuor clarificetur & coletur, cui perfecte cocto & refrigerato permiſceatur Olei abſynthij ſtillatitij ʒß. ſacchari optimi pulveriſati ℥ ij. excepta, & ſervetur ſyrupus ad vſum.

Methodus.

Syrupi hujus deſcriptio impellit me vt pro modulo iis reſpondeam qui objectionibus quibuſdam antiquam iſtius ſyrupi præparationem convellunt, atque ſartam tectam faciam methodum qua hoc loco vſus ſum.

Nonnulli opinantur in decoctione Abſynthij, Roſarum, Spicæ nardi partes volatiles in auras faceſſere, vti & vini partem ſpirituoſam, quæ

vt cohibeantur inſtituendam præcipiunt infuſionem & decoctionem hujus ſyrupi in Cucurbita vitrea, capitello cooperta, igne arenæ, ſeorſum aſſervandas vncias decem aquæ ſtillando primo prodeuntis: Seorſum iterum ſervandas libras duas exſtillantes, pergendo, ex eorum ſententia, in diſtillatione quovſque ſuperſtes ſit vnica humiditatis in Cucurbita libra: Iubent poſtmodum quicquid in Cucurbita reſiduum eſt exprimi; liquorem clarificari, in vapores ſolvi, quovſque quatuor vnciæ remaneant, quatuor has vncias cum ſacchari libris quatuor diſſolvi, & decem vncias prioris aquæ ſeorſim ſervatas, ac procuratis ebullitionibus quibuſdam, ſyrupum eo modo præparatum in vſus recondi: ſeorſum iterum aſſervari libras duas aquæ ſecundæ, commiſcendas ſyrupo ſi præſcribendus veniat.

Diſſipatio, quam illi metuunt, partium volatilium Abſynthij, Roſarum, Spicæ nardi & Vini, aliquid dubij revera præ ſe fert; at ſi res accurate expenſæ fuerint, id pro comperto habendũ ſit remedium ab illis propoſitum pejus ipſo malo quod declinare intendunt futurum; vt miſſum faciam laborem multiplicem ſubeundum ſi hoc procedendi genere vti volueris: nam præterquam quod partes volatiles, quarum jacturam illi metuunt, non illæ ſunt quæ expetuntur in eos fines quorum gratia ſyrupus iſte præſcriptus eſt, roborationem ſcilicet ventriculi, jecoris & inteſtinorum, id quippe expectandum ſolummodo a partibus craſſioribus & terreſtribus medicamenti, ac præſertim ſalis illorum fixi; Si accurate ad examen deducatur præparatio a prædictis Authoribus inſtituta, multo amplior futura eſt diſſipatio partium vtilium quam in antiquorum præparatione, Etſi enim ſedulo aſſerventur priores decem aquæ vnciæ exſtillantes, ab infuſione & decoctione, abſtrahuntur circiter aquæ libræ duæ poſtea ſtillantes, quarum virtute deſtituitur Syrupus: Præterea hoc pacto plurimæ partes vtiles proculdubio abſcedunt quæ a ſyrupo divelli non debẽt, clarificatione inſtituta reſidui decocti, & in vapores ſolutione quovſque deducatur ad quatuor vncias, quæ concentratio facultatum tot medicaminum impoſſibilis eſt, præſertim ad Syrupi confectionem: Ebullitio tandem vt vt levis fuerit, quam ſyrupo adhibendam jubent ad quatuor harum vnciarum conjunctionem, ex decoctione reſtibilium, cum ſacchari libris duabus, & libris decem prioris aquæ, proculdubio partem maxime ſubtilem decem dictarum aquarum ſpirituoſarum, quas tanto ſtudio aſſervari præceperunt, abſumeret, vnde manifeſtum fit quam manca ſit hæc illorum præparatio.

Fateor tamen antiquos minori labore plurima perficere potuiſſe, ſi præſertim methodum hoc loco præſcriptam obſervaſſent: Etſi enim nullus aſſerere audeat hoc pacto ſyrupo conſervatum iri partes omnes

Abſynthij.

Abſynthij ſpirituoſas, Roſarum & Spicæ nardi, vti & Spiritus vini, id pro rato tamen habendum maximam partem eo pacto cohiberi,atque a copula olei abſynthij diſtillati ſufficienter ſuppleri defectum earum quę abſynthio per decoctionem deceſſere : Si enim vice vini veteris, maturi, ab antiquis in decoctione huius ſyrupi pręſcripti, aſſumptum fuerit erit vinum novum immaturum; Si Cydonia, e quibus ſuccus expreſſus,nondum maturitatem ſint adepta; ſi etiamnum decoctioni Tartarum,ſicuti pręſcriptum, additum fuerit, pars acida in hiſce omnibus ſat copioſa, ſali fixo eiuſdem tartari copulata, proculdubio ſe adjunctura & cohibitura eſt motum plerorumque ſpirituum volatilium abiturientium, quamobrem obniti poteruut calori quem infert infuſio & decoctio : vnde ea ratione coërciti illi ſpiritus volatiles, ac coniuncti partibus terreſtribus & fixis aliorum medicaminum, proculdubio obſequentur illorum actioni, eóque magis, & efficacius ſi obvias habuerint partes ſulphureas, quas copioſas continet oleum abſynthij diſtillatum : Partes volatiles Roſarum rubrarum & Spicę Nardi quod attinet; ſicuti mincri inſunt copia, ſic abſynthij ſortem eandem experiuntur.

Vt vero illis ſatisfiat qui cenſent vini partem ſpirituoſam omnino & totam ad iſtius ſyrupi præparationem requiri, qui non inepte crederent decoctionis vi partem illius aliquam abſumptam fuiſſe, reponendum defectum illum ſuppleri poſſe adddendo ſyrupo,ad vlteriorem coctionem deducto & refrigerato,vncias duas Tincturæ ſummitatum abſynthij cum ſpiritu vini extractæ, quæ Tinctura robur nacta ab oleo ſtillatitio, ſyrupum multo perfectiorem effectura eſt quam vlla alia ratio.

Id animadvertendum in antiquis deſcriptionibus hujus Syrupi libras duas tantum ſacchari adſumi, vini aut ſucci cydoniorum quinque libras; vtriuſque autem pondus hoc loco fuiſſe adauctum; eo quod Abſynthium magnæ cum ſit molis, multáque amaritie donatum,ac plurima vi præditum, ſacchari copiam augendam fuiſſe retundendi gratia amaroris; & liquoris, quo melius facultas reciperetur, vt & roſarum ac ſpicæ nardi, vtqúe melius ſaccharum admittant.

Ad rectam hujus Syrupi præparationem hæc ſit procedendi ratio, Colligatur Abſynthium floridum, exſiccetur, ſummitates decerpantur; Roſæ quoque ſiccæ adſumantur, & Spica nardi mundata; cuncta ſimul coniiciantur in vas fictile intus vitreatum, ſtricti orificij, additòque Tartaro albo Monſpelienſi pulveriſato; affundendus erit ſuccus cydoniorum, & vinum album,quod vtcunque muſteum eligendum, ſapore auſteriuſculum, ſpathula lignea Abſynthium profunde demergatur, vt & Roſæ ac Spica nardi in prædictos liquores;poſtea exacte cooperculatum vas, ſupra cineres calidos detineatur per horas viginti qua-

tuor; deinde materiarum ebullitio procuranda quouſque liquoris tertia pars imminuta fuerit: Colanda & exprimenda hæc decoctio, ovi albumine clarificanda cum ſaccharo præſcripto: quæ ſimul igne lento decoquenda, ad Syrupi paulo ſolito craſſioris conſiſtentiam: Frigefieri permittatur Syrupus, cui demum admiſcenda erit drachma ſemis Olei diſtillati abſynthij, excepta vnciis duabus ſacchari albiſſimi pulveriſati, imo,ſi lubet, vnciis duabus Tincturæ ſummitatum abſynthij cum ſpiritu vini extractæ: his recte commiſtis in lagena exacte obſtructa aſſervandus erit ſyrupus ad vſus neceſſarios.

Abſynthium majus & minus,cum notiſſima ſint, deſcriptione non indigent: id ſolum addidero, ſi majoris amaror tædio ſit, minus illi ſubſtituendum eſſe in gratiam delicatiorum, iiſdem vſurpatis medicamentis,eadémque methodo vtrinque obſervata.

Spica nardi, aut *Nardus Indica* hic præſcripta, ex Indiis Orientalibus ad nos defertur; Spicarum more provenit ſibi mutuo incumbentium, e plurimis radiculis enaſcentium, & caulem exiguum, longiuſculum, & tenuiſſimum emittentium: præter caulem nihil extra terram eminet, concluſæ enim ſunt in eo ſpicæ, ſuperficiem terræ non tranſgredientes: Notiſſimæ ſunt hæ ſpicæ, coloris fulvi, ad purpureum accedentis; ſpicæ capilli denſi eſſe debent, pollicaris aut ſeſquipollicaris longitudinis, odoris vehementis, qualis in cypero, obſervatur ſapor amariuſculus cum quadam acrimonia, qui linguam vellicat & exſiccat, ori gratum odorem non inſuavem concilians.

Syrupus Abſynthij ad Ventriculi & Iecoris robur plurimi ſit, ad excitandum appetitum & concoctionem adjuvandam, vermes necandos, acidum ructum reprimendum, flatus diſcutiendos, roborandæ inteſtina, illorumque profluvia compeſcenda, vt & adverſus affectus hyſtericos: Mane vnum vel alter cochlear adſumitur, impermixtus, aut ex vino alióve liquore diſſolutus: Potionibus quoque nonnunquam admiſcetur, Mixturis, Opiatis, Pilulis, plurimíſque aliis remediis.

Compoſitio Syrupi de Althæa.

℞. *Radicum Althææ* ℥ ij.
Graminis
Aſparagi
Liquiritiæ
Vvarum Paſſarum
Cicerum rubrorum āā. ℥ j.
Summitatum Althææ
Malvæ
Parietariæ
Pimpinellæ
Adianti vulgaris
Capilli Veneris Monſpelienſis āā. *M.* j.
Quatuor Seminum frigidorum. majorum & minorum āā. ʒ ij.

Coquantur ex arte in aqua communis ℔ viij. *Coletur Decoctum & cum ſacchari*

ſacchari optimi ℔ iv. *ovi albumine clarificetur & coquatur in Syrupum.*

Methodus.

Deſcriptio hæc nonnihil ab illa quam tradidit Fernelius & nonnulli alij diſcrepat: Obſervabitur enim immutatio ponderis vnciæ ſemis radicum graminis, aſparagi, glycyrrhyſæ & vvarum paſſarum in vnciam vnam: Hic deeſt plantago, ſed adſunt hic aquæ libræ octo, illic autem tantummodo ſex, quibus authores contenti fuere; Doſis Vvarum paſſarum quæ ſemuncialis eſt, vti & vniuſcujuſque nominatarum radicum, minor juſto viſa eſt, neque proportione reſpondens quantitati quatuor ſacchari librarum: Plantago, quod plantis adſtrictoria vi præditis acceſeatur, credita eſt immerito in numerum venire aperientium & lubricantium (quorum effectus hic expetitur) medicamentorum: Aquæ quoque decoctionis doſin augendam æquum viſum eſt, duas ſcilicet addendo, quo melius medicaminum omnium facultas eliciatur; & vt decoctum minus craſſum evadat, magíſque idoneum iſtius ſyrupi compoſitioni.

Nonnulli Neoterici Syrupi iſtius præparationem impoſſibilem cenſuerunt, impoſſibilitatis cauſam in inſignem ſimplicium, hanc compoſitionem ingredientium, viſciditatem refundentes; at vero qui meæ methodo inſiſtere voluerit, nullo negotio ſyrupum perfecturus eſt & voti compos evaſurus.

Probe eluantur & mundentur radices Althææ & Aſparagorum, pellicula ſpolientur, & radices aſparagi medulla; graminis radices ab omnibus quiſquiliis liberentur, probe contundantur, quæ poſtquam per horæ quadrantem ebullierint in octo libris aquæ, decoctioni immittendæ erunt radices althææ & aſparagi prius inciſæ, quæ per ſemihoram valido igne elixandæ; demum adiiciantur Vvæ paſſæ inciſæ, & ciceres integri; poſt modicam horum ebullitionem imponendæ ſummitates malvæ, althææ, parietariæ, & pimpinellæ leviter inciſæ, quæ cum cæteris per horæ quadrantem elixandæ; demum addenda liquiritia contuſa & capillares herbæ diſſectæ, quibus cum ebullire cœperint, commiſcenda ſemina frigida majora & minora probe contrita, in decoctum profunde intrudenda, quod ab igne removendum, & exacta circiter quarta horæ parte colandum: Liquor hic poſtmodum clarificandus, ovi albumine adjecto cum quatuor ſacchari libris, igne modico coquendo ad ſyrupi ſolito paulo craſſioris conſiſtentiam: Per vices vtile fuerit ſyrupum hunc agitaſſe piſtillo aut ſpathula lignea dum refrigeſcit, quo melius in auras abeat portio aliqua humiditatis ſuperfluæ, alias ſuperſtitis, vnde ſyrupo corruptionis metus impendet, qui diligenter cuſtodiendus cum omnino refrixerit.

Ciceres integri præſcribuntur in decoctione hujus ſyrupi, eo quod illorum vis aperitiva, hoc in caſu neceſſaria, jn ſuperficie ſola eminet, adeo vt in decoctum citra illorum contuſionem facile tranſeat, qui & ideo conterendi non ſunt, ne pars terreſtris exerta aperientem ſuſuperet.

Nonnulli jubent radices, herbas, aliáque medicamenta ſimul ſacculo concludi, eóque pacto Decoctionem parari, rati ea ratione partem mucilaginoſam in ſucco remanſuram, adeoque Syrupum minus viſcidum fore & paratu faciliorem: At diverſa ſimplicium facultas coctionis diverſos gradus cum expoſcat, diverſo ab hoc tramite abiret qui omnia ſimul & ſemel coqui curaret; metuendúmque eſſet ne dum quorundam virtus in auras diſcederet, aliorum interim, præ temporis brevitate, in decoctum non integre tranſiret; aliorum præterea partes terreſtres proculdubio ſyrupo, communicarentur, ac præſertim cicerum: Porro, etſi omnia ingredientia vnius ejuſdémque eſſent naturæ, vix fieri poſſet vt concluſorum virtus æqualiter diffunderetur, quandoquidem etſi exacte coneris illam educere, id conſequi aliter non licuerit quam ſæpius compreſſo ſacculo per decoctionem, qua ratione proculdubio amplius mucilaginoſa evaderet, cum ex adverſo, juxta methodum a me propoſitam, æqualiter in aquam facultas omnium ſimplicium diffundatur, nullatenus docodto juſto viſcidiore reddito, hinc vt exſurgat Syrupus debitæ conſiſtentiæ.

Commendabilis admodum eſt Syrupus de Althæa ad renes ſarcina liberandos, & vreteres quocunque humore viſcido tenaci & calculoſa materia deplendos; moderate enim aperit, meatus omnes lubricos efficit per quos eiuſmodi materiis commeatus eſſe debet; harum acrimoniam temperat, ardores in meatibus contingentes extinguit: Neque minus vtilis eſt in affectibus Pectoris, & ad Gonorrhœam: Procul a cibo adſumitur e cochleari, vel aquis diſtillatis admiſcetur, decoctionibus, emulſionibus, ſero lactis, vino albo, &c. Doſis eſſe ſolet vncia vna, etſi ad duas exhibere nihil vetat.

Syrupus Aperitivus Cachecticus.

D. D. D'AQVIN Archiatri Regij.

℞. *Radicum Apij*	*Rubiæ Tinctorum*
Fœniculi	*Ariſtolochiæ tenuis* āā. ℥ij.
Petroſelini	

Mundentur & contundantur, vaſe fictili vitreato excepta Aceto ſcyllitico irrorentur, & cooperto vaſe tepide macerentur horis viginti quatuor, deinde in aquæ chalybeatæ ℔ viij. *lento igne coquantur ad quartæ partis conſumptionem, poſtea*

℞. *Foliorum*

℞. *Foliorum Artemiſiæ* | *Chamædryos ãã. P. j.*
Agrimoniæ | *Rutæ M. ß.*
Pulegij

Inciſæ herbæ cum reliquis per horæ quadrantem bulliant, deinde iniice.

Epithymi | *Chamomillæ*
Florum Matricariæ | *Hyperici ãã. P. ij.*

Poſt aliquot ebullitiones Decoctum ab igne remove, cola & exprime, Colaturum cum ſacchari ℔ v. *clarifica & coque in Syrupum.*

Quem ſi Purgantem cupias.

℞. *Rhabarbari minutim inciſi,* | *Mechoacannæ*
Foliorum Orientalium mundatorum | *Hermodactylorum &*
Radicum Ialapæ | *Bryoniæ albæ contuſarum ãã.* ℥ j.

Tartari vitriolati ʒ vj.

Infundantur horis viginti quatuor in vaſe fictili vitreato anguſti orificij recte cooperto, in Aquæ Meliſſæ ℔ iij., *deinde tantiſper bulliant, colentur & exprimantur, clarificatusque liquor priori ſyrupo, ad Electuarij mollis conſiſtentiam cocto, permixtus, lento igne ad debitam ſyrupi conſiſtentiam percoquatur, cui refrigerato Elæoſacchari Cinnamomi & Tincturæ croci ãã.* ℥ß. *addatur. Hoc pacto parabitur præſtantiſsimus Syrupus Purgans, Vide inferius ampliorem dilucidationem.*

Methodus.

Probe eluantur & mundentur radices Apij, Fœniculi, Petroſelini, Rubiæ tinctorum & Ariſtolochiæ tenuis, quæ optime contuſæ, & immiſſæ vaſi fictili intus vitreato, anguſti orificij, optime irrorentur & humectentur aceto ſcyllitico, & cooperto vaſe, loco calido macerentur ſpatio viginti quatuor horarum, exempli gratia, ſupra furnum, demum coquantur lento igne in aquæ chalybeatæ libris octo, quovſque decoctionis pars quarta abſumpta fuerit, poſtmodum adiiciantur folia inciſa Artemiſiæ, Abſynthij, Agrimoniæ, Pulegij, Chamædryos & Rutæ, quibus vbi vna cum radicibus per quartam horę partem coxerint, addantur flores Chamomillę, Matricarię, & Hyperici, factáque levi ebullitione, omnia colentur & rite exprimantur: clarificandus liquor additis ſacchari albiſſimi libris quinque: ſimul coquantur lento igne ad iuſtam ſyrupi conſiſtentiam: quem ſi ſimul catharticum deſideraveris, producatur decoctio ad conſiſtentiam vſque Electuarij mollis.

Interim procuranda infuſio per horarum viginti quatuor ſpatium in vaſe terreo vitreato, anguſti orificij, igne cinerum, Rhabarbari optime inciſi, Radicum Ialapæ, Mechoacannæ, Hermodactylorum & Bryoniæ, optime contuſarum, cum Tartaro vitriolato, in aquæ Meliſſæ li-

bris tribus, decoquendo poſtea per octavam horæ partem: Præterea In-fuſionis colatura & expreſſio præceſſiſſe debuit, clarificatio & adparatus neceſſarius vt commiſceri queat ſyrupo, ad Electuarij conditionem coc-to, in cujus decoctione pergendum ad legitimam vſque conſiſtentiam, quem refrigeratum aromatizabis quatuor guttis olei cinnamomi, ſe-muncia ſacchari albiſſimi pulveriſati exceptis, ac tantundem Tincturæ Croci; Syrupus perfectus recondendus in lagena vitrea aut vaſe Faven-tino optime clauſo.

In hoc Syrupo congeries eſt medicamentorum electorum, ſcopum propoſitum ſpectantium; nec dubium quin ſperati effectus ſubſequantur dummodo accurata fuerit præparatio; feliciſſimo enim ſucceſſu aperit obſtructiones Iecoris, Lienis, Meſenterij & Vteri; Humores viſcidos & tenaces leniſſime educit, cujuſvis Cachexiæ origines, Hydropum, & Fe-brium quotidianarum: Admodum conducit Chloroſeos curationi, & Menſium ſuppreſſioni aut inordinato effluxui; Etſi vero ab aquæ Cha-lybeatæ acceſſione vis aperiens ſyrupi hujus incrementum capere potue-rit; poterit tamen eadem intendi, ſi libuerit, additione Tincturæ, Salis aut Vitrioli Martis, vſus tempore.

Poteſt & hic ſyrupus duobus modis præparari, vno purgantibus ad-ditis, altero abſque iiſdem; Vterque exhiberi poteſt e cochleari, aut commiſtus aquis ſtillatitiis vel vino albo, infuſionibus vel decoctionibus idoneis: Doſis ab vncia vna ad duas poteſt aſcendere.

Dubia quædam de Ariſtolochia tenui ſoluturus ſum, vbi de pluribus medicamentis Theriacæ compoſitionem ingredientibus verba facturus ſum.

Syrupus de Artemiſia.

℞. Radicum Apij
Fœniculi
Petroſelini,
Enulæ campanæ,
Ireos noſtratis,
Pæoniæ &
Rubiæ majoris āā. ℥ j.
Foliorum Artemiſiæ man. ij.
Pulegij,
Calaminthæ,
Origani,
Meliſſæ,
Dictamni cretici,
Sabinæ,
Perſicariæ,
Majoranæ,
Chamædryos,
Chamæpytios
Hyſſopi
Hyperici
Rutæ
Matricariæ floridæ
Centaurij minoris
Betonicæ
Praſſi albi āā. M. j.
Seminum Aniſi

Fœniculi.

Fœniculi	*Ocymi,*
Dauci,	*Rutæ, āā.* ʒ iij.
Petroſelini,	*Tartari albi Manſpelienſis* ℥ ij.

Mundentur & contundantur radices, & infundantur horis viginti quatuor in hydromelitis dilutioris & nondum fermentati ℔ iiij. *in vaſe fictili vitreato cooperto: Herbæ vero inciſæ & ſemina contuſa in alio fictili, in libris decem eiuſdem hydromelitis horis duodecim infundantur, igni deinde committatur radicum infuſio, lentéque per ſemihoram bulliat, qua elapſa, herbarum & ſeminum infuſio priori radicum decocto permiſceatur, ſimúlque per horæ quadrantem bulliat, omnia deinde ab igne removeantur, & vbi ſemirefrixerint colentur, & exprimantur: Liquor vero ovi albumine cum ſacchari libris quinque clarificetur & coquatur in Syrupum, cui refrigerato olei Cinnamomi diſtillati guttæ ſex, ſaccharo pulverato exceptæ permiſceantur, & ſic ſervetur Syrupus ad vſum.*

Methodus.

Non immoraturus ſum in deſcribendis ſimplicibus medicamentis Syrupi hujus compoſitionem ingredientibus, quod cuivis nota ſint: Eluendæ, mundandæ & contundendæ omnes radices, Infundendæ cum Tartaro Monſpelienſi pulverato, Balneo cinerum horis viginti quatuor in vaſe fictili vitreato interius, recte cooperto, cum libris tribus Hydromelitis dilutioris & recens parati committendæ: Incidendæ quoque herbæ, ſemináque conterenda, ſeorſum altero vaſe fictili vitreato excipienda cum eiuſdem Hydromelitis libris decem; optime cooperiendum vas, imponendum cineribus calidis per duodecim horas, poſtmodum radicum infuſio, igne lento decoquenda per ſemihoram; demum remiſcenda illi herbarum infuſio & ſeminum prius calefacta; quæ ambæ infuſiones ſimul per horæ quadrantem integrum decoqui debent: demum Decoctum ab igne removendum, quod vbi ſemirefrixerit, coletur & fortiter exprimatur, clarificatúſque liquor ovi albumine, cum ſacchari candidiſſimi libris quinque percoquantur igne moderato ad ſyrupi conſiſtentiam, qui aromatiſandus commiſtus guttis ſex olei cinnamomi diſtillati, exceptis ſacchari optimi pulverari vncia vna; at vero hæc commiſtio refrigerato demum ſyrupo peragenda.

Hydromel vice aquæ ſimplicis vſurpatum eſt, vtpote præſtantius, additúſque Tartarus Monſpelienſis pulveriſatus, tam ad meliorem penetrationem ſimplicium ſyrupum hunc componentium, quam ad partium volatilium fixationem, earumque inter decoquendum præcavendam diſſipationem.

Aromatiſatio Syrupi cum oleo cinnamomi antiquorum methodo anteponenda eſt, Cinnamomum in decoctionibus decoqui præcipientium, improvidi partem ſulphuream & volatilem cinnamomi in auras inter decoquendum abire, atque in liquore ſolum ſupereſſe quaſdam Cinnamomi partes terreſtres multum inferiores & viribus & odore ſuavi & ſapore acri ac pungente qui in Oleo Cinnamomi deprehenditur.

Huius Syrupi deſcriptio nonnibil diſcrepat ab ea quę in plurimis Diſpenſariis occurrit; ſed illud obſervandum, ſi quæ immutatio facta eſt, in melius eam proceſſiſſe, methodum vero a me propoſitam Pharmaceuticis legibus omnino conſonam eſſe.

Syrupus hic ad affectus muliebris præſertim in vſum venit: Vteri obſtructionibus reſerandis commodiſſimus eſt, flatus in illo diſcutiendis, ad abſumendos vapores ex eo elatos, ſuffocationes arcendas; necnon ad provocandum menſtruum fluorem ſuppreſſum, inordinatúmque ordini reſtituendum, impurum vterum eluendum: Poteſt & commode ad Hepatis obſtructiones in vſum duci, Lienis & Viſcerum omnium, in viris æque ac mulieribus.

Exhibetur ab vncia vna ad duas, ſolus ex cochleari, aut vino albo remixtus, aquis aut decoctis aperiendi vi prẹditis: Pilulis & nonnunquam commiſcetur, opiatis, aliiſve medicamentis.

Præparatio Syrupi Cichorij compoſiti cum Rhabarbaro.

℞. Hordei integri
Radicum Apij
Fœniculi
Aſparagi
Tartari albi crudi ā ā. ℥ ij.
Foliorum Cichorij
Taraxaci
Endiviæ
Sonchi lævis
Lactucæ Sativæ &
Sylveſtris ſpinas in dorſo ferentis.
Hepaticæ
Fumariæ
Lupuli ā ā. M. j.
Capilli veneris Monſpelienſis.
Polytrici
Adianti vulgaris
Ceterach
Glycyrrhyſæ raſæ
Baccarum Alkekingi
Seminis Cuſcutæ ā ā ʒ vj.

Coquantur ex arte in ℔ x. aquæ fontanæ ad tertiæ partis conſumptionem Decoctum coletur & exprimatur, liquor vero ovi albumine clarificetur cum ſacchari ℔ vj. & coquatur ad conſiſtentiam inter Electuarium molle & ſolidum, interim.

℞ Rhabarbari electi inciſi ℥ vj.
Tartari albi Monſpelienſis ℥ j.
Spicæ Nardi ʒ vj.

Infundantur

Infundantur horis viginti quatuor in vaſe fictili vitreato cooperto, in aquæ cichorij ſtillatitiæ ℔ iij, deinde leviter bulliant, colentur & exprimantur, Colatura ovi albumine cum ſacchari optimi ℥ iv. clarificetur, priori ſyrupo commiſceatur, & ad debitam conſiſtentiam percoquatur.

Methodus.

In tota Pharmacopœa nullus Syrupus vbivis vſitatior quam Cichorij compoſitus; In omnibus extat Diſpenſariis, etſi non vbivis eadem deſcriptio, ſeu ex Typographorum incuria, ſive varia authorum ſententia, præſens autem ad artis normam proculdubio concinnata eſt: Id vero non omittendum Tartarum additum fuiſſe, vt & in pluribus aliis Syrupis ad faciliorem liquoris in ſimplicia penetrationem, & vt aqua horum facultatibus melius imbuatur, eodemque tempore pars illorum volatilis cohibeatur, impediaturque diſſipatio.

Decoctionis ſimplicium initium fit ab Hordeo, integro & ſucci pleno, quod cum Tartaro contrito coqnendum, in aquæ libris decem per ſemihoram & amplius: demum additæ radices apij, fœniculi & aſparagorum mundatæ a medulla ac cortice, optime inciſæ vel contuſe, per ſemihoram elixandæ, adiungendo baccas halicacabi contritas & herbas conciſas, quæ per horæ quadrantem coquantur cum cæteris: poſtmodum liquiritia mundata & contuſa immittatur, cuſcuta & capillares herbæ, ſeorſum aſſervatæ, quæ vbi leviter ebullierint, decoctum ab igne eximendum, id cum ſemi-refrixerit colandum & exprimendum; Demum clarificatus hic liquor ovi albumine, cum ſacchari albiſſimi libris ſex igne modico coquetur ad Syrupi conſiſtentiam, quem vocant, Syrupum de Cichorio ſine Rhabarbaro: Sin compoſitum cum Rhabarbaro exoptaveris, in decoctione pergendum ad conſiſtentiam inter Electuarinm liquidum & ſolidum mediam.

Interea parata aderit Infuſio, per horas viginti quatuor facta, Balneo cinerum, in vaſe fictili vitreato interius, ſtricti oris, ſex vnciarum Rhabarbari electi, & ſex drachmarum ſpicæ nardi inciſarum, cum vncia Tartari albi pulveriſati, in tribus libris aquæ diſtillatæ cichorij, vaſe bene cooperto, demum levem illis ebullitionem permittendo, colando & exprimendo omnia, clarificando ovi albumine hunc liquorem cum quatuor ſacchari candidiſſimi vnciis: Clarificatus hic liquor adiiciendus Syrupo cocto, ſicuti dictum, & adhuc ab igne calenti: ſi vero debita craſſities in illo non reperiatur, coctio repetenda eo vſque donec debitam Syrnpi conſiſtentiam adipiſcatur, loco idoneo reponendi cum refrixerit.

Nonnulli Decoctionis partem aſſervant, in ea Rhabarbari & Spicæ

nardi infuſionem facturi; at ſi perpendant liquorem iam imbutum facultatibus plurimorum ſimplicium medicamentorum, vix admiſſurum vires rhabarbari & ſpicæ nardi, ac omnino futurum vt virium pars maxima in magmate remaneat, iidem iudicaturi ſunt aquam cichorij præſcriptam multo aptiorem fore hoc in caſu, quandoquidem omni aliena facultate caret, ſola nativa prædita.

Inſignes vires quæ in Syrupo Cichorij compoſito deprehenſæ ſunt, multis anſam præbuere hunc cognomine donandi Balſami Iecoris & Lienis, quorum obſtructiones efficaciſſime reſerat, non ſecus ac Pancreatis & Meſenterii : contra Icterum admodum commendatur, cachexiam quamvis, vti & ad ventris tumorem & duritiem emolliendum, infantibus familiarem ob obſtructiones aut lumbricos ; Felici ſucceſſu vſurpatur cum Apozematis præſcriptis ad præparandos vitioſos humores, eoſdémque purgationi idoneos reddendos, ſpeciatimślioſos, aperiendóſque meatus qui ad illorum excluſionem patere debent : Imo leniter purgat, ſi præſertim Rheumbarbarum additum fuerit, quamobrem ſolus & impermixtus exhibetur pueris ; nonnunquam admiſcetur infuſionibus purgantibus, præſertim vrgente diarrhœa, dyſenteria, leienteria aliíſqueślioſis affectibus, inteſtinis moleſtiam parientibus : Id uero in hoc Syrupo præſertim commendatione dignum, quod ſimul vitioſos humores excludat e corpore, nec non omnibus imi ventris partibus robur adſiet. Doſis vulgata eſt ab vncia vna ad duas.

Si quis Syrupum Cichorij ſimplicem deſideraverit, præparetur is ex æquis ſacchari candidiſſimi partibus, & ſucco Cichorij depurato per ſubſidentiam, ſimul albumine ovi clarefactis, & ad Syrupi conſiſtentiam coctis.

Syrupus Roborans.

℞. *Rhabarbari electi inciſi* ℥ IV.
Baccarum myrthi contuſarum.
Roſarum rubrarum exangulatarum ãã ℥ iij.
Tartari albi contuſi ℥ j.

Omnia vaſe fictili vitreato excepta infundantur horis viginti quatuor ſuper calidos cineres vaſe cooperto, in aquæ fontana chalybeatæ ℔ vj, *deinde parum bulliant, colentur & fortiter exprimantur : Liquor vero ovi albumine, cum ſacchari* ℔ IV. *clarificetur, & lento igne coquatur in Syrupum.*

Methodus.

Etiamſi Rhabarbari virtus purgans non admodum conducere videatur explendis ſcopis in quos Syrupus, hic præſcriptus eſt, abs re tamen

tamen hinc expungendum eſt, quandoquidem ſenſim & inſenſibiliter quaſi vitioſos aliquos humores e corpore ſubtrahit, interim dum pars illius maxime terreſtris, aliis medicaminibus conjuncta, robur addit partibus a prædicta cacochymia labefactatis & reſolutis.

Præſcribitur Tartarum, coërcendarum ergò & conſervandarum in ſyrupo partium, alias diſſipationi obnoxiarum, vti & vt in aquam Medicamentorum omnium vis ſeſe traiiciat.

Non ſemel ſed iteratis vicibus immittatur ſudes chalybea candens in aquam hujus ſyrupi præparationi dicatam: Rhabarbari electi vncię quatuor minutim incidantur; Myrthi baccę conterantur, contundatur Tartarum, ac cum Roſis exungulatis in vas fictile vitreatum, ſtricti orificij, cum aquę prędcripta quantitate coniiciantur; ſuper cineres calidos imponatur vas, inibi per horas viginti quatuor detinendum, quibus exactis leni igne decoquenda infuſio, colanda, magmate valida manu expreſſo, poſtea ovi albumine declarandus liquor, additis ſacchari libris qvatuor, ſimul ebulliant igne moderato ad ſyrupi conſiſtentiam.

Plurimi fit hic Syrupus ad robur infractum ventriculi reſtituendum, Iecur & Inteſtina debilia roboranda, Admodum etiam frequenti eſt in vſu in curatione diarrhœę cujuſvis, dyſenterię & fluxus hepatici; Appetitum languentem excitat, concoctionémque alimentorum in ventriculo promovet: Conducit etiam ad ventriculi ſubverſiones, imo quamvis hęmorrhagiam.

Impermixtus, procul a paſtu, adſumi poteſt, aut liquoribus idoneis additis: Doſis eſt vncia vna, etſi & ad alteram poſſit extendi.

Syrupus Myrtinus aut Myrtillorum.

℞. Baccharum Myrti.	*Fructuum oxyacantha recentiũ,*
Meſpilorum ad maturitatem vergentium &	*Granorum Sumach.*
	Balauſtiorum &
Radicis Symphyti maioris ãã ℥iv.	*Roſarum rubrarum mundatarum* ãã. ℥ ij.
Santali Citrini.	

Santalum citrinum, baccæ, fructus, & ſemina contuſa cum radicibus Symphyti, Baulauſtiis & Roſis, vaſe fictili vitreato excipiantur, illiſque ſuperfundantur aquæ communis ℔ iij. *Succi Cydoniorum & Pyrorum ſylveſtrium* ãã. ℔ ij. *Cineribus calidis horis viginti quatuor committantur, deinde per horæ quadrantem bulliant, colentur & exprimantur: Liquor vero ovi albumine cum ſacchari optimi* ℔ v. *clarificetur & coquatur in Syrupum.*

Methodus.

Accipiantur baccæ Myrti ſiccæ, & Meſpila maturitati proxima,

probe contundantur vti & Berberis, Sumach, Balauſtia, Santalum citrinum & radix Conſolidæ majoris, quibus omnibus, vna cum roſis,vaſi fictili vitreato immiſſis, affundatur aqua communis cum ſuccis cydoniorum & Pyrorum ſylveſtrium prius excalefactis, In hos liquores alte materiæ demergantur, cooperiatur vas, ſupra cineres calidos imponendum ad horas viginti quatuor ; demum per horæ quadrantem ebulliat infuſio, quæ cum ex parte refrixerit, colanda ſæpiuſque exprimenda, limpidúſque redditus liquor ovi albumine, cum ſacchari optimi libris quinque, moderato igne ad Syrupi conſiſtentiam coquatur.

Syrupus Myrtinus refrigerat, exſiccat & adſtringit, quamobrem feliciſſime in vſum ducitur ad ſiſtendas fluxiones tenues in pectus decumbentes, ac tuſſin ſedandam ab iis excitatam : Conducit necnon cohibendis alvi fluoribus, hæmoptyſi & ſanguinis vomitui, ac quibuſvis internis hæmorrhagiis: Menſtrua quoque ſuperflua cohibet, ac quaſvis ventriculi & inteſtinorum eruptiones : Plurimum quoque commendatur extinguendis inflammationibus, exſiccandíſque vlceribus ori innaſcentibus, linguæ & faucibus.

Solus ex cochleari adſumitur ab vncia ad duas, poteſt & aquis diſtillatis commiſceri aut decoctis idoneis.

Præparatio Syrupi Iujubini.

℞. *Iujubarum* No. L X.	*Seminum Malvæ*
Hordei mundati	*Cydoniorum*
Glycirrhyſæ	*Papaveris albi*
Capilli veneris Monſpel. ãã. ℥ j.	*Melonis*
Violarum recentium Man. j.	*Lactucæ* ãã. ʒ iij.

Coquantur ex arte in aquæ communis libris vj., *colentur & ovi albumine cum ſacchari* ℔ iij. *clarificentur & coquantur in Syrupum.*

Methodus.

Si medicamentorum præſcriptorum ad hujus Syrupi confectionem decoctio, nulla habita ratione ſeminum viſcidæ ſubſtantiæ inſtitueretur, neque rite ordine ſervato, in decoquendis rebus obſervando, viſcida illa adeo evaderet vt Syrupus inde conficiendus nequaquam diuturnæ conſervationi, idoneus foret : Sed præterea magis inconcinnus foret, atque conſiſtentia ineptior, ſi ex antiquorum more & præſcripto adderetur gummi tragacanthum, quandoquidem hujus gummatis drachmæ tres huic Syrupo eclegmatis conſiſtentiam conciliaturæ eſſent, illique pelluciditatem adimerent; At ſi obſervata fuerit methodus a me præſcripta, futurum vt medicamentorum facultas in Syrupum transfundatur, & debitam conſiſtentiam is adſequatur.

Hordeum

Hordeum mundatum lento igne in aquæ libris ſex per ſemi horam in vaſe fictili vitreato coquatur, deinde addantur Iujubæ inciſæ, quæ per horæ quadrantem elixandę, demum adiiciantur Liquiritia deraſa & contuſa, Capillus veneris inciſus & ſemina contrita, factíſque aliquot ebullitionibus immittantur Violę recentes, quę in decoctum demergendæ; eodem temporis momento vas ab igne removendũ: Poſtquam vero Decoctio aliquantiſper refrixerit, coletur, quę limpida reddita ovi albumine, additis libris tribus ſacchari optimi, in ſyrupi conſiſtentiam lento igne coquatur.

Syrupus Iujubinus illis prȩſertim vtilis eſt quos ſicca tuſſis vexat, & quibus catarrhi acres & tenues in trachéam arteriam & pulmones illabentes moleſti ſunt; pituitam enim ſubtilem inſpiſſat, illius acrimoniam temperat, anacatharsímque adjuvat: Vtplurimum ſolus e cochleari adſumitur ad vnciam vnam, quanquam & diſſolvi queat in Ptiſanis pectoralibus, Iulepis, Apozematis ac Eclegmatis addi.

Syrupus Florum Tuſsilaginis ſimplex.

℞. Florum Tuſsilaginis recentium ℔iß.
Vaſi fictili vitreato ſuperfundantur
Aquæ fontanæ ferventis ℔ ix.

Cooperto vaſe horis duodecim ſuper cineres calidos macerentur, deinde leviter bulliant, colentur, exprimantur, calidúſque liquor æquali florum Tuſsilaginis recentium ponderi eodem vaſe excepto ſuperfundantur; macerentur ſimul vt prius, deinde leviter bulliant, colentur & exprimantur, Liquor vero ovi albumine cum ſacchari optimi libris iv. *clarificatus igne lento coquatur in Syrupum.*

Methodus.

Immiſſę florum Tuſſilaginis recẽtium ſeſquilibrę in vas fictile interius vitreatũ, anguſtique orificij, affunde aquę fontanę ferventis libras novem, ac exacte coopertum vas duodecim horarum ſpatio ſuper cineres calidos detineatur, deinde vt levirer ebulliat infuſio curandum, poſtea colanda & exprimenda; iterúmque addito ęquali florum tuſſilaginis ponderi in idem vas, ſuperfudendus liquor colatus, operculóque indito ſuper cineres calidos ęquali temporis intervallo continendum, is colatus & expreſſus ovi albumine clarificandus, additis ſacchari puriſſimi libris quatuor, lento igne ad Syrupi conſiſtentiam coquendus.

Syrupus florum Tuſſilaginis plurimi fit ad incidendam & detergendam pituitam tenacem trachææ arteriæ inhærentem & pulmonibus, quamobrem aſthmaticos admodum juvat, & quibus reſpirationis meatus liberi non ſunt.

Solus ex cochleari per vices adſumitur, nocte diéque, procul à paſtibus a drachmis duabus ad ſemiunciam, remiſcetur quoque Eclegmatis & Ptiſanis pectoralibus.

Syrupus de Tuſsilagine compoſitus.

℞. *Radicum Tuſsilaginis* ℔ß.
Foliorum & Florum eiuſdem ā ā *M.* iiij.
Capilli veneris Monſpelienſis M. ij.
Glycyrrhiſæ ℥ j.
Aquæ fontanæ ℥ viij.
Fiat omnium ex arte Decoctum, colandum & ovi albumine cum ſacchari optimi ℔ v. *clarificendum, & coquendum in Syrupum.*

Methodus.

Diverſitas ſubſtantiarum ſimplicium compoſitjonem huius Syrupi ingredientium coctionis diverſos gradus cum expoſcant, impedimento eſt quominus aut infuſio, aut decoctio illorum vno eodémque tempore ſuſcipiantur, niſi ſúſque déque habitæ fuerint præcipuæ artis Pharmaceuticæ regulæ, iuxta quas ad infuſiones & decoctiones parandas à medicamentis ſolidioribus initium ducendum eſt; cum porro vno eodémque tempore colligi nequeant radices, flores & folia Tuſſilaginis, huius Syrupi baſes, hæc vero planta flores priuſquam folia emittat, ad debitam huius Syrupi præparationem ſub finem hyemis radices colligendæ, cum flores vt erumpant in procinctu ſunt; flores itidem & folia legantur poſtquam eruperunt, exſiccando radices & flores quouſque folia ſe prodiderint. Tum probe contundendæ radices, per ſemihoram decoquendæ in aquæ libris octo, demum additis foliis diſſectis, iiſque per quadrantem horæ cum radicibus decoctis, adiungenda erit liquiritia inciſa & contuſa, capillus veneris inciſus, & flores Tuſſilaginis; levis ebullitio procuranda, atque ſtatim vas ab igne removendum, decoctionem colando & exprimendo vbi parumper de calore remiſerit; poſtmodum clarificatus liquor ovi albumine, cum ſacchari puriſſimi libris quinque, lento igne ad Syrupi conſiſtentiam decoquantur, cui paulo maior craſſities quam cæteris comparanda, ob Tuſſilaginis viſcoſitatem.

Huic Syrupo eædem vires quæ priori aſſignantur ſed maiori procul-dubio efficacia, ob additas radices & flores Tuſſilaginis, liquiritiæ & capillum Veneris, ſed vice verſa paulo ingratior eſt: Doſis & vtendi ratio non diſcrepant.

Syrupus

Syrupus Anti-Aſthmaticus D. D. D'AQVIN.

℞. Hordei mundati ℥ ij.
Radicum Petaſitidis
Enulæ campanæ,
Apij,
Fœniculi,
Liquiritiæ, &
Vvarum Damaſcenarum mundatarum ãã. ℥ iß.
Dactylos enucleatos No. xij.
Iuiubas,
Sebeſten ãã. N°. xxx.
Foliorum Tuſſilaginis,
Pulmonariæ,
Summitarum Hyſſopi
Pruſſij albi,
Capilli Veneris Monſpelienſis ãã. man. j.
Seminum Aniſi
Bombacis ã ã ʒß.
Florum Tuſsilaginis, &
Pedis cati ã ã. M.ß.

Fiat ex arte Decoctum in aquæ fontanæ ℔ IX. Coletur & exprimatur, Liquor vero ovi albumine cum ſacchari ℔ v. clarificetur & coquatur in Syrupum, aromatizandum olei aniſi ſtillatitij guttis ſex, cinnamomi, guttis duabus, ſaccharo pulverato exceptis.

Methodus.

Hordeum mundatum per ſemihoram decoquatur cum aquæ libris novem, demum additis radicibus Petaſitidis, Enulæ campanæ, Apij, Fœniculi, mundatis & diſſectis, ſimúlque per ſemihoram decoctis, adiungantur Dactylia nucleis liberati, & inciſi, vna cum Sebeſten, Iuiubis & Vvis Damaſcenis acinis exemptis; quæ poſtquam cum cæteris per quadrantem horæ circiter ebullierint, immittendæ erunt herbæ inciſæ, iterum per quartam horæ partem elixandæ, poſtmodum immittendo Liquiritiam & Semina contrita, Capillum Veneris, & flores, ac poſt aliquot ebullitiones vas ab igne removendum, Decoctúmque ſemirefrigeratnm colandum, demum clarificato cum ovi albumine liquore & puriſſimi ſacchari libris quinque adiectis, perficiatur lento igne Decoctio ad Syrupi conſiſtentiam; qui refrigeratus aromatizandus erit guttis ſex olei Aniſi diſtillati, & guttis duabus olei cinnamomi, exceptis ſeſquuncia circiter ſacchari optimi pulveriſati.

Commodiſſimus eſt hic Syrupus incidendæ & detergendæ pituitæ frigidæ, viſcidæ & tenaci pectoris, omniúmque partium reſpirationi inſervientium: Aſthmaticis præſertim eximiam fert opem, & iis quos inveterata tuſſis vexat, meatus enim reſerat & phlegma illos obſtruens divellit: Balſamus pectoris iure merito vocandus, ſenum nominatim.

Exhiberi ſolet cochleare vnum quavis diei & noctis hora, ſed vacuo ventriculo, pergendo pro neceſſitate in illius vſu.

Qui hunc Syrupum in officina paratum habuerit, cum Syrupis Iu-

iubino, & de Tuſſilagine, illi carere poterit Syrupis de Praſſio, de Hyſſopo & de Liquiritia, quorum deſcriptionem huc inferre ſupervacaneum duxi, vti & Syruporum Gnaphalij & Roris Solis, quos non ſecus ac Syrupum Tuſſilaginis præparare licet.

Compoſitio Syrupi Reſumptivi, ſive de Teſtudinibus.

Carnis Teſtudinum nemoralium ℔j.
Cancrorum fluviatilium ℥ viij.
Hordei mundati
Carnis Dactylorum &
Paſſularum Damaſcenarum āā. ℥ j.
Iujubas &
Sebeſten āā. N°. xij.
Glycyrrhiſæ raſæ & contuſæ ℥ j.
Nucleorum Pineorum
Piſtaciorum mundatorum
Seminis Bombacis,
Melonis
Cucumeris &
Citrulli
Florum Nymphææ & Violarum āā. ℥ ß.
Seminum Lactucæ &
Papaveris albi ā ā. ʒ ij.

Fiat omnium Decoctio ex arte, clarificetur ovi albumine, cum Saacchari Roſati ℔ iij. *& coquatur in Syrupum, frigide aromatizandum olei Aniſi ſtillatitij guttis ſex, ſacchari pulverati* ℥ j. *exceptis.*

Methodus.

Syrupus hic non vbique paratur, vel quia non vbivis proſtent Teſtudines næmorales, aut ob antipathiam quorundam nativam cum eiuſmodi animalibus, ſive quod facile in corruptionem abeat, nec diu conſervari queat, ideóque vſus ſolummodo tempore præparandus, atque ſingularis cuiuſdam ægri cauſa: Eius tamen facultates cum eximiæ ſint, proculdubio Syruporum claſſi accenſendus fuit, cuius dozes tam affabre definitæ vt nulla compoſitio huic anteferenda ſit.

Accipiarur Caro Teſtudinum, ab oſſibus liberata & interaneis, accipiantur & Cancri; rite hi eluantur, ac in vas fictile vitreátum cum duabus vnciis hordei mundati coniiciantur: Superfundantur libræ ſex aquæ fontanæ, ac optime cooperto vaſe, cuncta lento igne ebulliant bihorij ſpatio, poſtmodum addendi fructus mundati & inciſi, cum cæteris per quadrantem circiter horæ decoquendi, quibus demum addendi nuclei Pinei, Piſtacia, & Semina contrita, quæ ſubſequentur Liquiritia & flores Nymphææ, ac tandem Violarum; leviſſimáque ſuccedente ebullitione, vas igni ſubtrahendum, decoctumque pauliſper refrigeratum colandum, hinc clarificandum albumine ovi, additis ſacchari Roſacei libris tribus, coquendo ad Syrupi conſiſtentiam, qui ſrigefactus aromatiſandus additis guttis ſex olei aniſi ſtillatitij, exceptis vncia circiter ſacchari puriſſimi pulveriſati.

Syrupus

Syrupus hic commendationem præ ſe fert ob vim eximiam qua poſſet priſtinum habitum reſtituendi eos quos macies aut tabes diuturnis morbis ſuccedens occupavit, aut febris lenta: Phthiſicis magno auxilio eſt, eoſque qui in maraſmum delapſi ſunt reſtituere valet, humectat enim & refrigerat, calorémque extraneum extinguit.

Ex cochleari exhibetur,& inter paſtus a ſemuncia ad vnciam vnam, vſus diuturnus eſſe debet & frequens: Poteſt quoque admiſceri Iulepis aut Emulſionibus, non ſecus ac quivis alius Syrupus.

Præparatio Syrupi Nymphea.

℞. Florum mediorum albiſſimorum Nymphea ℔ ij. *vaſe fictili vitreato anguſti orificij exceptis ſuperfundantur aquæ ferventis* ℔ IX, *coopertoq́; vaſe cineribus calidis horis viginti quatuor committatur, & poſt aliquot ebullitiones colentur & exprimantur: Liquor calidus pari novorum florum ponderi ſuperfundatur, maceretur, bulliat, & coletur vt prius; liquor tandem colatus ovi albumine cum ſacchari* ℔ I V. *clarificetur & coquatur in Syrupum addendo ſub coctionis finem ſucci granatorum* ℔ IV.

Methodus.

Eligantur ſolæ partes candicantes florum Nenupharis, accipiantur illarum libræ duæ, quibus exceptis vaſe fictili intus vitreato, anguſtíque orificij, ſuperfundantur novem libræ aquæ ferventis; Flores profunde in aquam demergantur, accuratéque occluſum vas per viginti quatuor horas in cineribus calidis detinendum, demum excitatis aliquot ebullitionibus infuſio colanda, & calens affundenda novorum florum Nimpheæ æquali ponderi, eidem vaſi immiſſorum, quo cooperto eadem infuſio reiteranda, ebullitio & colatura, deinde liquori limpiditus adjecto ovi albumine concilianda, additis quatuor libris ſacchari puriſſimi, coquendo ad ſyrupi conſiſtentiam, ſub coctionis finem infundendo vncias quatuor ſucci Granatorũ optime defæcati: Paulo diuturnior decoctio huic Syrupo quam cæteris concedenda, ne a viſciditate infuſionis in corruptionem abeat.

Syrupus Nympheæ plurimum refrigerat & humectat, adeo vt eximius ſit illius vſus in febribus tum intermittentibus, tum continuis: Bilis fervorem compeſcit doloréſque ab ea cauſa ſubortos demulcet, capitis præſertim, ſitim compeſcit ardoréſque venereos, ſomnum inducit, apriméque valet ad renum calorem ac partium generationi dicatarum, humores incraſſat eorúmque obtundit acrimoniam.

Seorſum exhiberi poteſt ad ſeſquivnciam a ſemuncia, ſed vt pluri-

mum cum aquis ſtillatitiis diſſolvitur, Emulſionibus aut Decoctionibus Iulepi forma.

Syrupus Papaveris albi.

℞. Capitum Papaveris albi ad maturitatem vergentium ſed adhuc virentium, inciſorum, ℔ iiij.

Capitum Papaveris nigri eiuſdem maturitatis ℔ ij. *Vaſe fictili vitreato exceptis ſuperfundantur aquæ fontanæ ferventis libræ* xv., *coopertoque vaſe horis viginti quatuor cineribus calidis committantur, deinde per horæ quadrantem bulliant, colentur & exprimantur: Liquor vero ovi albumine cum ſacchari* ℔ vj. *clarificetur & coquatur in Syrupum.*

Methodus.

Legenda ſunt vtriuſque Papaveris capita paulo ante maturitatem, eáq; adhuc virentia: canda abiiciatur, ac quæ ſupereminet cuique capiti quaſi coronæ exiguę effigies: Diſſecta hæc capita immittãtur vaſi fictili intus vitreato, quibus affundantur aquæ ferventis libræ quindecim: Cooperiendum vas, quo cineribus calentibus impoſito & detento per viginti quatuor horas; Infuſio decoquatur per horam circiter; hac colata & expreſſa, clarefaciendus liquor adjectis ovi albumine & ſex ſacchari puriſſimi libris, decoquendo ad Syrupi conſiſtentiam.

Syrupi Papaveris albi vſus ſatis familiaris, ſedandis doloribus convenientiſſimus eſt, ſiſtendiſque fluxionibus ſomnum interturbantibus; adeo vt vtiliſſime præſcribatur contra vigilias: Humorum acrimoniam obtundit, humoréſque tenues, acres, mordaces per quandam inſenſibilis tranſpirationis ſpeciem diſcutit: Acidorum vim obtundit, Tuſſis vehementiam compeſcit, pituitæ tumultum ſedat, illiſque qui ſanguinem exſpuunt miram opem præſtat.

Datur a ſemuncia ad vnciam integram, cum liquoribus idoneis.

Immoraturus hoc loco non ſum Papaveris qualitates, vti neque Opij inde extracti adducens, & quid de his ſentiam, ratus ſatius fore de iis verba facere cum de Opio, ejúſque legitima præparatione futurus eſt mihi ſermo, tertia ſcilicet hujus Pharmacopœæ parte.

Syrupus hic in omnibus præcellit Diacodio antiquorum.

Syrupus Papaveris Rhœados.

℞. Florum Papaveris rhœadis recentium ℔ j.

In vaſe fictili vitreato poſitis ſuperfundantur Aquæ ferventis libræ iv.

Coopertóque vaſe ſex horis ſuper calidos cineres macerentur, deinde leviter bulliant, colentur & exprimantur, Liquor prolectus ſimili novorum florum quantitati eodem vaſe exceptæ ſuperfundatur, Flores eodem

calor

calore per idem tempus macerentur, deinde leviter bulliant, colentur, & exprimantur, Liquor vero expreſſus ovi albumine cum ſacchari optimi libris IV. *clarificetur & coquatur in Syrupum.*

Methodus.

Syrupus Florum Nympheæ norma eſſe poterit huius præparationi, & aliorum omnium qui ex variis florum infuſionibus componuntur.

Hic tamen præparari poteſt contundendo in mortario marmoreo piſtillo ligneo flores Papaveris rubri, ſuccum ex illis exprimendo, Soli purificationis gratia exponendo, clarificando & cum æquali ſacchari puriſſimi copia coquendo ad Syrupi conſiſtentiam; paulo plus cæteris elixandi ob exceſſum humoris ſuperflui florum Papaveris rubri.

Syrupus Florum Papaveris Rubri præſtantiſſimus eſt in affectibus Pectoris, ſpeciatim in Pleuritide, ſi præſertim coërcendæ ſint & obtundendæ fluxiones humorum tenuium & acrium: Sanguinis coagulationem præcavet, expectorationem promovet, bilis tranſpirationem juvat & quietem accerſit.

Solus ex cochleari adſumitur, aut aliis ſyrupis additus: commiſcetur quoque aquis diſtillatis, aut decoctionibus, exhibetúrque Iulepi forma: Doſis eſt ab vncia ſemis ad vnciam vnam, vel ad ſummum ſeſquivnciam.

Syrupus de Roſis Siccis.

℞ *Roſarum rubrarum exungulatarum ſiccarum* ℔ j. *Committantur vaſi fictili vitreato, illiſque ſuperfundantur Aquæ fontanæ fervidæ* ℔ vj.

Coopertoq́; vaſe cineribus calidis per horam vnam aut alteram ebullitionem colentur & exprimantur, Liquor vero expreſſus ovi albumine cum ſacchari ℔ I V. *clarificetur & coquatur in Syrupum, ſub finem addendo ſpiritus Sulphuris aut Vitrioli* ℥ j.

Methodus.

Adſumatur libra vna Roſarum Rubrarum nondum expanſarum, ab vnguibus mundatarum, immittantur vaſi fictili vitreato, ſuperfundantur aquæ ferventis libræ ſex, cooperiatur vas, cineribus calidis imponendum per horam vnam aut alteram, & poſt leviſſimam ebullitionem Infuſio coletur & exprimatur; hæc ovi albumine clarificata, additis ſacchari candiſſimi libris quatuor coquatur in eodem vaſe, igne lento, ad Syrupi conſiſtentiam, ſub finem addendo drachmam vnam ſpiritus ſulphuris aut vitrioli.

Spiritus Roſarum ſiccarum Ventriculo robur conciliat, Iecori, Spleni & Inteſtinis: Vomitui compeſcendo vtilis eſt, omníque ſúſque déque contingenti eruptioni: Admodum quoque conducit repreſſioni

fluxionum in pectus incumbentium deterſioni, mundificationi ac con-ſolidationi vlcuſculorum in ore & faucibus contingentium, hæmorrha-giíſque internis ſupprimendis.

Seorſim e cochleari exhibetur a ſemuncia ad vnciam integram, aut commiſcetur Gargariſmatis, Iulepis aut Potui ordinario.

Compoſitio Syrupi Florum Tunicæ, ſive Caryophyllorum hortenſium.

℞ *Florum caryophyllorum hortenſium purpureorum, mundatorum* ℔ iij.
Vaſi fictili vitreato anguſti orificij committantur, illiſque ſuperfundantur.
Aquæ fontanæ ferventis ℔ ix.

Coopertum vas ſuper cineres calidos horis ſex detineatur, illiſque elapſis, poſt levem aliquam ebullitionem coletur & exprimatur Infuſio; æqualique novorum florum quantitati, eodem vaſe exceptæ liquor calide ſuperfundatur, & ſuper cineres calidos macerentur omnia eodem quo prius modo, deinde leviter bulliant, colentur & exprimantur, Liquor tandem ovi albumine cum ſacchari optimi libris ſex clarificetur & lento igne coquatur in Syrupum.

Methodus.

Eligantur Caryophylli hortenſes intenſi coloris rubri, quorum ſola pars purpurea retinenda, partem herbaceam floris calice concluſam forficibus reſecando & abiiciendo: Accipiantur libræ tres horum florum dicto modo mundatorum, quibus in vas fictile intus vitreatum, anguſtique orificij immiſſis, affundantur aquæ fontanæ ferventis libræ novem, floribuſque ſpathula profunde in aquam demerſis, coopertóque vaſe, per horam hoc ſuper cineres calidos detineatur, poſtmodum leniſſime coquenda infuſio, quæ colata & expreſſa calens affundatur tribus libris novorum florum eidem vaſi immiſſorum, eodem omnino procedendo modo ac in priore infuſione: Poſtmodum clarificandus iſte liquor ovi albumine cum ſex libris ſacchari optimi, lento igne coquendo in eodem vaſe ad conſiſtentiam Syrupi.

Syrupus Caryophyllorum hortenſium non minus odore & ſapore gratus quam oculis jucundus; Cordi roborando & exhilarando admodum idoneus, vt & cerebro principibúſque partibus, quamobrem ad Cordis palpitationes ejuſque defectiones commendatur, vt & infractum robur ventriculi, aëris inquinamenta febréſque malignas & epidemicas; necnon ad ſuſcitandos torpentes ſpiritus memoriámque roborandam.

Solus ex cochleari ſamitur, aut variis commiſcetur liquoribus, imo & potui ordinario: Opiatis item variíſque aliis remediis: Doſis ordina-

ria

ria eſt vncie ſemis, vel integra.

Præparatio Syrupi Meliſſophylli Compoſiti.

℞. *Radicum Scorzoneræ,*	*Menthæ,*
Dictamni albi,	*Scabioſæ,*
Bugloſsi &	*Succiſæ ãã. M.j.*
Pentaphylli mundatarum	*Seminum Citri,*
ãã. ℥ij.	*Ocymi,*
Tartari albi pulveriſati ℥iß.	*Oxalidis &*
Foliorum meliſſæ recentis M. iij.	*Cardui benedicti ãã. ʒ iij.*

Fiat omnium ex arte decoctum in aquæ fontanæ ℔ viij. *deinde colentur & exprimantur, Liquor vero ovi albumine cum ſucci Meliſſæ* ℔ß. *& ſacchari* ℔ iv. *clarificetur& lento igne coquatur in Syrupum; qui ubi refrixerit aromatizetur olei Meliſſæ ſtillatitij guttis* iiij, *vel oleorum corticum citri & arantiorum* ℥ ij. *Saccharo pulverato exceptis.*

Methodus.

Tartarum album additur Decocto hujus Syrupi, ſicuti & nonnullorum aliorum, tam ad accuratam extractionem virium omnium medicamentorum, quam ad cohibitionem partium volatilium in auras facile abeuntium.

Radices probe expurgandæ, quæ in mortario marmoreo contuſæ, cum Tartaro albo immittantur vaſi fictili interius vitreato, in Aquæ fontis libris octo, decoquantúrque lento igne vltra ſemihoram; demum adiiciantur herbæ inciſæ, & ſemina contrita, per horæ quadrantem cum radicibus elixanda; poſtmodum Decoctum colandum & exprimendum; clarúſque ovi albumine redditus liquor cum ſucco meliſſæ & ſaccharo puriſſimo præſcriptis, lento igne coquantur ad Syrupi conſiſtentiam: Qui refrigeratus aromatiſandus erit quatuor guttis olei meliſſæ ſtillatij, vel æquali quantitate oleorum corticum Citri & Arantiorum diſtillatorum, ſacchari albiſſimi pulvere exceptorum; recondendus tandem in lagena vitrea aut vaſe Faventino rite obturando.

Variæ partes plantarum, adhibito judicio electarum, hujus Syrupi compoſitionem ingredientium, manifeſtum faciunt eximium hunc eſſe Cordi roborando, cunctíſque partibus nobilibus tuendis adverſus aëris inquinamenta cunctóſque malignos morbos: Humorum putredinem arcet, lumbricos interficit, illiúſque vſus horum generationem præcavet: Calorem naturalem fovet, Ventriculo robur addit, appetitum excitat, concoctionémque adjuvat: Exhiberi poteſt e cochleari a ſemivn-

cia ad vnciam vnam, aut commiſceri potionibus, mixturis, opiatis variiſque aliis remediis.

Compoſitio Syrupi de Stoechade correcta.

℞. *Florum Stoechadis Arabicæ* ℥ iiij.
Summitatum ſicc. Betonicæ,
Salviæ,
Thymi,
Calaminthæ ãã. ℥ iß.
Florum Calendulæ,
Roriſmarini,
Lavendulæ &
Lilij convallium ãã. ℥ j.
Seminum Rutæ,
Pæoniæ,
Dauci Cretici ãã. ℥ß.
Tartari albi pulveriſati ℥ j.

Contuſæ Radices & Semina, & herbæ inciſæ cum floribus & Tartaro pulverato cucurbitæ vitreæ committantur, illiſque ſuperfundantur Vini Hiſpanici & aquæ ſtillatitiæ florum Tiliæ ãã. ℔ iiij., *ſuperpoſitóque & lutato alembico, materiæ horis viginti quatuor frigide macerentur, poſtea igne arenæ moderato aquæ aromaticæ libræ duæ proliciantur; refrigeratiſq; vaſis materia in fundo remanens coletur & exprimatur: Liquor vero ovi albumine cum ſacchari optimi libris quatuor clarificetur, & lento igne coquatur ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam, Cui fere refrigerato aqua aromatica prolecta permiſceatur, cum oleorum ſtillatitiorum Roriſmarini, Lavendulæ, Cinnamomi, & Caryophillorum* ã ã. *guttis duabus, ſaccharo pulverato exceptis, & in vaſe vitreo diligenter clauſo. Syrupus recondatur.*

Methodus.

Nonnullorum Cephalicorum additio, atque quorundam oleorum ſtillatitiorum, quibuſdam aromatibus ſubſtitutorum, ac detractio vvarum paſſarum, non ſecus ac nova Syrupum hunc præparandi ratio, iis forte admirationem ciebit qui cum antiquis aberrare malunt quam meliorem viam indagare illíque inſiſtere: Hic vero procedendi modus illorum proculdubio adprobationem merebitur quibus animus occupatus non eſt, ac deſcriptionem hanc non illubenter collaturi ſunt cum deſcriptionibus & præparationibus in plurimis Diſpenſariis occurrentibus, quandoquidem hic tantum obvia futura ſunt medicamenta perquam idonea explendis indicationibus, propter quas Syrupus hic excogitatus fuit, quorum præterea facultates non alia ratione melius compingi poterunt quam media hac præparatione.

His, inquam, perſpectum erit vim efficaciſſimam partium plantarum, calidarum & aromaticarum, hic præſcriptarum, cum ſulphure volatili conſtent,

conſtent, non alia via quam accedente diſtillatione rite ſeparari poſſe dum quod fixiſſimum eſt liquori, in fundo cucurbitæ reſtibili, communicatur; Et huius præparationis auxilio partes omnes puriſſimas, medicamentorum, tum fixas tum volatiles,collectas & concluſas hoc ſyrupo reperiri.

Rei ſucceſſus vt adſit, incidendæ ſunt herbæ, conterenda ſemina, contundendus Tartarus, hiſque floribus commixtis,& cucurbitæ vitreæ immiſtis, ſuperfundanrur vini Hiſpanici optimi libræ quatuor, & tantundem aquæ florum Tiliæ ſtillatitiæ, cucurbítæque ſuperpoſito alembico, exiguóque recipiente collo alembici, omnibus probe luto munitis, frigide omnia macerari per horas viginti quatuor ſinantur; collocata demum Cucurbita in Arenæ balneo, moderatóque excitato igne, diſtillatione eliciantur libræ duæ aquæ ſulphureæ aromaticæ, in lagena vitrea diligenter obſtructa recondendæ.

Tum vaſa ex parte refrigerari ſinantur, demum luto alembici ablato, coletur & valide exprimatur quicquid in cucurbita ſuperſtes fuerit, cujus ovi albumine clarificatur liquos cum ſacchari albiſſimi libris quatuor, igne moderato coquendus erit ad ſolidi vſque Electuarij cõnſiſtentiam; cum propemodum refrigeratum fuerit, commiſcendæ erunt libre duæ aquæ aromaticæ, diſtillatione prolectæ, cum oleis lavendulæ ſtillatitiis, anthos, cinnamomi & caryophyllorum, ſeſquivncia ſacchari albiſſimi exceptis, Syrupum in lagena bene obſtructa ſedulo aſſervando.

Syrupus Stechadis corroborando cerebro admodum confert, necnon ventriculo partibúſque omnibus principibus: In vſum præſertim venit ad Apoplexiam,Paralyſiam, Epilepſiam, alioſque cerebri affectus: Craſſos hnmores ſubtiles reddit, Pituitam lentam & viſcidam incidit ac detergit, Obſtructiones reſerat, potiſſimum cerebri, catarrhos frigidos paulatim abſumit, partes refrigeratas calefacit & corroborat, aſthmaticis miram adfert opem.

Doſis vulgata eſt ſemivnciæ vel vnciæ, ſed & liquoribus idoneis commiſceri poteſt.

Syrupus Lientericus D. D. D'AQVIN.

℞ *Summitatum Abſinthij majoris,*
Roſarum rubrarum exungulatarum ā ā. *M.* iij.
Limaturæ chalybis nodulo incluſæ ℥ ij.
Rhei electi &
Corticis Myrobolanorum citrinorum ā ā. ℥ iß.

Tartari albi pulverati ℥ j.
Santale rubri contuſi ℥ ß.

In vaſe fictili vitreato collocentur,cum ſuccorum Plantaginis & Roſarum rubrarum āā ℔ iij, & cineribus calidis horis viginti quatuor committantur, deinde lento igne per horæ quadrantem bulliant, colentur & exprimantur, Liquor vero ovi albumine cum ſacchari optimi ℔ iiij. clarificetur & coquatur in Syrupum.

Methodus.

Nonniſi optimus ſucceſſus expectandus ab electione facta per Dominum Primarium Majeſtatis Regiæ Medicum, medicamentorum huius Syrupi compoſitionem ingredientium, ac dozium ab ipſo præſcriptarum, dummodo in illius præparatione accurata adfuerit cura.

Accipienda cacumina Abſynthij majoris floridi, Roſarum rubrarum ſiccarum & exungulatarum gemmę; Eligendum optimum Rhabarbarum & cortices myrobalanorum Citrinorum, Incidendum Abſinthium, contundenda Rhabarbarum, Santalum rubrum & cortices Myrobolanorum; Limatura chalybis nodulo ex laxiori linteo includenda,cuncta hæc immittantur vaſi figulino interius vitreato, anguſtíque oris; ſuperfundantur ſuccorum plantaginis & roſarum rubrarum ana libræ tres, Vas optime cooperiendum, ac per horas viginti quatuor ſuper calidos cineres detinendum, poſtmodum omnia lento igne per horæ quadrantem coquantur, colandus hinc liquor & exprimendus, qui albumine ovi limpiditatem adeptus, ſuperadditis ſacchari optimi libris quatuor modico igne ad Syrupi vſque confiſtentiam coquendus, in vaſe vitreo aut Faventino optime clauſo aſſervandus.

Summæ eſt efficaciæ hic Syrupus ad coërcendam Lienteriam, cui præſertim dicatum eſt, quo fit vt convenientiſſimus ſit quibuſvis eruptionibus ſúſque déque contingentibus, omnibuſque affectibus a viſcerum debilitate excitatis; Convenientiſſimus quoque eſt humorum acrimoniæ retundendæ, cohibendiſque hæmorrhagiis internis: Aſſumendus à ſemuncia ad integram vnciam, mane, vacuo ventriculo, ſolus aut liquori idoneo commixtus: Vſus ad plurimos dies, ſi neceſſitas vrgeat, protrahi poteſt.

Syrupus Chalybeatus aperiens catharticus D. D. D'AQVIN.

℞. Limaturæ chalybis in nodulo laxo & ſuſpenſo ligatæ ℥ vj.
Radicum Fœniculi,
Cichorij &
Rubiæ Tinctorum āā. ℥ iij.
Tartari albi contuſi ℥ ij.

In

In vaſe fictili vitreato poſitis ſuperfundantur libræ novem aquæ ferventis, in qua chalybis fruſtum candens ſepties extinctum fuerit, vaſéque cooperto horis duodecim ſuper calidos eineres macerentur, deinde per horam lento igne bulliant, additiſque.

Foliorum Rutæ	*Agrimoniæ &*
Rumicis,	*Capilli veneris Monſpel.*
Lupuli,	*ā̄ā̄. M. iij.*

Bulliant iterum ad tertiæ partis conſumptionem, colentur & exprimantur, & colatura ſervetur, Interim.

℞. *Foliorum Sennæ Orientalis mundator.* ℥ vj.	*Seminis Carthami contuſi* ℥ iv.
	Tartari Vitriolati ℥ j.

Macerentur ſeorſim ſuper cineres calidos horis duodecim in ejuſdem aquæ chalybeatæ ℔ iv., *poſtea leviter bulliant, colentur & exprimantur, colatura ovi albumine cum ſacchari optimi libra ſemis clarificetur & ſervetur.*

Tunc prioris Decocti Colatura ovi albumine cum ſacchari ℔ v. *ex arte clarificetur, & lento igne coquatur fere ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam, quo tempore liquor clarus poſterioris Decocti priori permiſceatur, & lento igne ad Syrupi conſiſtentiam coquatur; qui refrigeratus Olei Cinnamomi ſtillatitij guttis ſex, ſaccharo pulverato exceptis, aromatizandus erit.*

Methodus.

Ille qui accurate hunc Syrupum confecerit, facultatéſque perſpectas habuerit, proculdubio conceſſurus non immerito primarium Regis Medicum huic Pharmacopœæ illum inſertum voluiſſe.

Limaturæ chalybis vnciæ ſex linteo raro includendæ, nodulus laxior conficiendus, Radices Fœniculi, Rubiæ tinctorum, & Cichorij probe mundandæ & contundendæ, Tartarus albus terendus, omnia vaſi fictili interius vitreato, anguſti oris immittenda, ſuſpendendus nodulus, hinc cunctis affundendæ aquæ ferventis libræ novem, in quibus ſepties ignitus chalybs & candens extinctus fuerit: Coopertum eodem tempore vas imponatur cineribus calidis per horas duodecim, poſtmodum horæ ſpatio omnia bulliant, addantúrque folia Rutæ, Rumicis aut Oxylapathi, Lupuli & Agrimoniæ inciſorum, quæ cum cæteris lento igne elixentur ad conſumptionem tertię partis liquoris, ſub finem iniecto Capillo Veneris inciſo, deinde colentur omnia & exprimantur, ſeorſum aſſervato hoc liquore.

Interim ſejunctim macerentur ſuper cineres calidos in vaſe ſimili, per horas duodecim, Sennæ Orientalis mundatæ vnciæ duodecim, ſe-

minis Catharmi rite contriti vnciæ quatuor, cum Tartari Vitriolati vncia vna,in aquæ chalybeatæ libris quatuor, quæ fervens affundenda eſt: Poſt vnicam infuſionis ebullitionem illa colanda & exprimenda, Liquorem clarefaciendo ovi albumine cum ſacchari albiſſimi ſemilibra, ſeorſum aſſervando liquorem hunc clarificatum: Demum ovi albumine clarificandus liquor prioris decoctionis aſſervatæ, illi commiſcendo ſacchari albiſſimi libras ſex, lento igne coqnendo fere ad Electuarij ſolidi conſtſtentiam, quo tempore ſuperfundenda eſt infuſio cathartica clarificata,lento igne elixando ad debitam Syrupi conſiſtentiam; qui refrigeratus aromatizari poterit olei Cinnamomi ſtillatitii guttis ſex, exceptis vncia vna ſacchari optimi pulverati,ſic perfectus erit Syrupus.

Syrupus hic admodum idoneus eſt referandis obſtructionibus Iecoris, Lienis, Meſenterij, & Pancreatis, imo & Vteri, ac divellendis leniterque purgandis materjis viſcidis & tartareis obſtructionum parentibus: Feliciſſimo ſucceſſu in vſum veniet ad curationem cujuſvis cachexiæ, hydropis, menſtruorum ſupreſſionis & auriginis.

Impermixtus e cochleari ſumi poteſt, aut commiſceri liquoribus adpropriatis: Datur a ſemuncia ad duas vncias.

Syrupus Antiſcorbuticus D. D. D'AQVIN.

℞. *Radicum Filicis maris*	*Becabungæ*,
Angelicæ,	*Naſturtij aquatici*,
Eryngij &	*Nummulariæ*,
Raphani ruſticani ãã. ℥ iij.	*Menthæ ãã. M.* iij.
Corticum Citri	*Seminum Naſturtij hortenſis*
Arantiorum ãã. ℥ ij.	*Cardui benedicti &*
Foliorum meliſſæ,	*Citri ãã.* ℥ j.
Fumariæ,	*Florum Tunicæ, &*
Scolopendrij,	*Geniſtæ ãa. M.* j.
Cochleariæ,	*Tartari albi contuſi* ℥ ij.

Decoquantur omnia ex arte in aquæ chalybeatæ libris novem, colentur & exprimantur, Liquor vero ovi albumine cum ſacchari optimi libris ſex clarificatus coquatur igne lento in Syrupum, Oleorum Cinnamomi & Caryophyllorum ãã. guttis quatuor, ſaccharo pulverato exceptis aromatizandum.

Methodus.

Affectus Scorbutici cum antiquis pene ignoti fuerint, inde eſt quod remedia ſpecifica illos ſpectantia in Diſpenſariis raro occurrant, plurimi vero

vero Medici in illorum curatione fine non potiantur: Eapropter D. D. primarius Majeſtatis Regiæ Medicus Syrupi hujus deſcriptionem publici juris eſſe voluit, cujus ſimplicia ſummo judicio ſelecta, accuratáque doſi deſcripta, proculdubio effectus egregios proditura ſunt, tam ad præſervationem quam curationem ejuſmodi affectuum, regionibus Septentrionalibus admodum familiarium, præſertim oris maritimis, ad Gallias vſque propagatorum & ſingularem noxam inferentium.

Radices hic præſcriptæ inchoante vere colligendæ ſunt, cúm folia propemodum ad eruptionem vergunt, emundandæ, eluendæ, demum ſiccandæ; præſtolando tempus quo herbæ & flores etiamnum præſcripta in vigore conſtituta fuerint: Tum probe contundendæ Radices, elixandæ horæ ſpatio in aquæ chalybeatæ libris novem, cum vnciis duabus Tartari albi pulveriſati, poſtea addendæ Herbæ inciſæ, Semina contrita, cuncta ſimul coquendo iterum per ſemihoram; hinc adiiciendi Flores, quibus in decoctionem demerſis, vas igni ſubtrahendum, ad colandas & exprimendas materias cùm ſemirefrigeratæ fuerint: Demum clarificatus hic Liquor ovi albumine cum ſacchari optimi libris ſex, moderato igne ad Syrupi confiſtentiam coquendus, qui cum plane refrixerit, aromatiſandus erit guttis tribus olei Cinnamomi, & tantundem olei Caryophyllorum, exceptis ſacchari albiſſimi pulveriſati vncia vna, Syrupum ad neceſſarios vſus recondendo.

Hic ad ſanguineam maſſam purificandam efficax eſt, Circulationem Sanguinis ſegnius procedentem promovendam, ſpirituſque vigorem illi afflantes excitandos; quorum imminutioni aut torpori ſymptomata omnia affectus Scorbuticos concomitantia adſcribenda ſunt: Cum porro hi morbi altas vt plurimum agant radices, maſſáque ſanguinea inquinata ſit, neceſſarius eſt hujus Syrupi diuturnior vſus, non ſolum ſuperandi cauſa mali, ablata illius cauſa, ſed & ad recidivæ præcautionē.

Vnum aut alterum cochlear qualibet vice adſumendum eſt, mane & ſero, quinimo inter paſtus.

Præparatio Syrupi Violati Violacei.

℞ Florum Violarum recentium mundatorum ℔ IV. *Vaſi ſtanneo ſatis amplo, profundo, & ſuo operculo munito committantur, ſuperfuſisq́, aquæ ferventis* ℔ viij. *operiatur vas, & in Balneo Mariæ tepido ſex horis detineatur, Coletur deinde & fortiter exprimatur infuſio, Illiuſque liquori novas, floribus violarũ mundatorũ* ℔ ij. *eodem vaſe exceptis ſuperfundatur, reiteretur maceratio in Balneo Mariæ, colatura & expreſsio: Tinctura colorem violaceum intenſiſsimum adepta cum duplo ſacchari albiſsimi*

pulverati pondere, pelvi ſtanneæ profundæ committatur, pelviſque igni moderato, vt diluto paulatim ſaccharo Syrupus vnam tantum aut alteram ebullitionem patiatur, Tunc ab igne remoto vaſe, prorſus refrigeratus Syrupus deſpumetur, & in vaſe idoneo recondatur.

Methodus.

Syrupus Violatus Violaceus hodierna die apud Pharmacopœos tam vulgaris eſt, imo plurimis matronis adeo innotuit, vt inane forte cuipiam videatur huc illius intuliſſe deſcriptionem; cum vero nihil prętermittendum duxerim quod tyronibus emolumento eſſe queat: eo lubentius huc deſcendo quod iampridem deprehenderim non omnes qui illius præparationem ſuſcipiunt, voti compotes fieri; perpaucos vero repériri authores qui accuratam præparandi rationem emiſerint; Illam vero huc infero quam diuturnior vſus optimam eſſe, cunctiſque anteferendam me docuit.

Accipe quatuor libras florum Violarum coloris vividi, non obſoleti, recens lectorum, & rite mundatorum, indanrur non contuſi vaſi ſtanneo alto, ſuo operculo dimenſo prædito; iis ſuperfunde aquæ fontanæ ferventis Pintas tres Parienſes; cura vt in aquam optime demergantur, indito vaſi operculo, per ſex horas id in Mariæ Balneo tepido detine, deinde cola & valide infuſionem exprime; hanc calentem affunde violarum novarum mundatarum, eodem vaſe exceptarum libris quatuor; Cooperiatur id, quod detine in Mariæ Balneo temporis æquali ac prima vice ſpatio, cola & fortiter exprime infuſionē hanc, eo pacto nactus eris Tincturam coerulei ſeu violacei coloris intenſiſſimi, æque colore, ſapore, odore & facultatibus Violarum imbutam.

Tincturam hanc pelvi ex ſtanno puriſſimo confectæ immitte, capaci & profundæ, hanc vero igni moderato committe, cum albiſſimi ſacchari pulveriſati duplo pondere: Cuncta leniter ſpathula lignea commoveantur, quovſque ſaccharum omne diſſolutum ſit, Pelvim ſuper igne detinendo quovſque Syrupus duas aut tres ebullitiones perpeſſus ſit; Pelvim ab igne remove, vbi vero Syrupus omnino refrigeratus fuerit, deſpuma & reconde.

Ad meliorem aſſervationem, excipiatur vaſis Faventinis, vel fictilibus; vniverſæ ſuperficiei inſperge ad ſemi tranſverſi digiti ſpiſſitudinem, pulverem ſacchari puriſſimi, quod conjunctum ſuperficiariæ Syrupi humiditati, cruſtæ quandam ſpeciem inducit, Syrupi conſervatricis, adeo vt per biennium integrum ſervato colore naturali perennis eſſe queat, dummodo vaſa rite exſiccata fuerint priuſquam illis committatur Syrupus

rupus, & loco temperato repoſita fuerint.

Nonnulli huic Syrupo aliquot cochlearia ſucci citriorum addunt, avt quodpiam aliud acidum vſurpant, quo color violarum vtcunque ad rubedinem vergat, ſed præterquam quod ab eiuſmodi acidis prohiberi poteſt diuturna Syrupi conſervatio, ſimilis additio nequaquam neceſſaria eſt, quandoquidem ſine hoc adminiculo Syrupus pulchritudinem obtinere poteſt, taliáque acida proculdubio violas qualitate aliena imbuunt.

Syrupus Violarum tenues humores incraſſat, e cerebro in pectus defluentes, eorúmque demulcet acrimoniam: Ventriculi & Iecoris ardores extinguit, imo plerarúmque febrium, præſertim vero bilioſarum, ſi additę fuerint guttæ aliquot ſpiritus ſulphuris aut vitrioli; vel quodpiam aliud acidum, illum commiſcendo aquæ fontanæ aut fluviatili, vel cuipiam idoneo liquori.

Saporis iucunditas illum non minus gratum reddit adverſa quam proſpera valetudine fruentibus: Adſumitur e cochleari a ſemivncia ad vnciam: Iulepis quoque, Apozematis, Emulſionibus, Eclegmatis, plurimíſque aliis remediis commiſcetur.

Quondam in vſu fuit Syrupus Violatus Laxativus, ex pluribus Violarum integrarum infuſionibus paratus, at hic admodum inſuavis eſt, vix purgandi vi præditus, clyſteribus quam potionibus aptior; quamobrem hunc Pharmacopœæ inſerendum non credidi, vel eo nomine quod apud nos obſoletus ſit.

Syrupus de Pomis ſimplex.

℞ Succi Pomorum redolentium depurati ℔ ij.
Sacchari albiſsimi pulverati ℔ iiij.
Vaſi fictili vitreato commiſſa igne moderato ſimul liquefiant, & in Syrupi conſiſtentiam redigantur.

Methodus.

Huius Syrupi præparatio non diſcrepat ab ea qua perficitur Syrupus e ſucco Citri, ideoque, ſicuti prædixi, norma illi eſſe queant præparandis multis Syrupis ſimplicibus, quorum baſis eſt ſuccus cujuſ, iam fructus, cujuſmodi ſunt Ceraſorum, Berberorum, Ribium, Rubi Idæi, Granatorum, Agreſtæ &c. quorum deſcriptiones hic inſerere inutile duxi.

Paratu facilis eſt hic Syrupus, quandoquidem extractum Pomorum ſuccum ſatis eſt inſolaſſe, purificandi gratia, demum per decantatio-

nem effudiſſe & filtraſſe, poſtea incluſiſſe vaſi fictili interiùs vitreato, acleniſſimo igni hoc impoſuiſſe,adiecto ſacchari optimi pulveriſati duplo pondere, inibi continendo ad perfectam vſque commiſtionem; & ad Syrupi conſiſtentiam deductionem: Poma Curtipendula, de *Reynette* dicta, omnino interea quæ Pariſiis proſtant præſtantiſſima ſunt.

Poteſt & commode hic Pomorum Syrupus abſque igne parari, ſi poma cortice exuta in taleolas ſecta fuerint tenuiſſimas, rejectis acinis, inverſoque exiguo incerniculo ſetaceo, impoſito pelvi cavę argenteę, aut Faventinę, inſternantur telæ ſetaceæ prædictæ pomorum ſegmenta, ſi poſt modum denſe pulvis ſacchari aſpergatur, ad altitudinem illarum craſſitudinis; Si Sacchar◦ iſti pulverato aliæ imponantur pomorum taleolæ, eodem modo ſtratificando per vices, vltimum ſtratum obtinente ſaccharo, quovſque pomorum per taleolas diſſectarum ſufficiens adſit quantitas: Cooperiendo enim incerniculum alia patina vel pelvi, ac per biduum aut triduum omnia loco frigido collocando, in fundo pelvis adparebit Syrupus elegantiſſimus, ſuaviſſimus & optimæ conſiſtentiæ: Syrupus iſte, quod abſque ignis adminiculo confectus ſit, nullam alterationem perpeſſus, præditus eſt facultatibus præ alio eminentibus.

Syrupus Pomorum Cardiacus admodum habetur, inſignis contra cordis palpitationes efficaciæ, ſi præſertim illis originem dederint vapores melancholici e liene elati: Vtilis etiam eſt recreandis omnibus partibus principibus, Siti ſedandæ, & febrium bilioſarum ardori temperando.

Ex intervallis præberi poteſt cochleare unum aut alterum; aut commiſceri decoctis, aliiſve liquoribus idoneis.

Syrupus de Pomis Compoſitus.

℞. *Succi Pomorum redolentium* ℔ iiij.
Borraginis &
Bugloſſi depuratorum ā ℔ ij.
Folliculorum Sennæ Orientalis inciſorum ℥ iiij.
Tartari albi Monſpelienſis contuſi ℥ ij.

Macerentur ſimul horis viginti quatuor ſuper calidos cineres in vaſe fictili vitreaso cooperto, deinde leviter bulliant, colentur & exprimantur, Liquor vero ovi albumine cum Sacchari ℔ IV. *clarificetur, & igne moderato coquatur in Syrupum, cui perfectius cocto & refrigerato permiſceatur Tinctura drachmarum duarum croci ſubtiliter pulverati in*

in ℥ IV. ſpiritus vini rectificati extracta.

Methodus.

Superius de Succis verba faciens, innui ſi ex plantis viſcedine prææditis extrahendi ſint, illas integras vaſi cuipiam immittendas eſſe, poſtea ad ignem moderatum aliquandiu detentas per inclinationem ex vicibus effundendum eſſe, ac liquorem prodeuntem aſſervandum. Iuxta hanc methodum eliciendi ſucci Borraginis & Bugloſſi, qui illico ſat limpidi prodituri ſunt, at hi ſi (ſed citra neceſſitatem) depurandi eſſent, per triduum aut quatriduum inſolandi, & poſtmodum filtrandi: Poma in mortario marmoreo conterenda ſunt piſtillo ligneo, e quibus ſuccus exprimendus, quj Soli expoſitus per aliquot dies dehinc filtrandus: Sennæ folliculi incidendi, quibus vaſi fictili vitreato immiſſis, vna cum duabus vnciis Tartari albi pulveriſati, affundendi ſunt ſucci purificati, vas exacte cooperiendum, pec viginti quatuor horas ſuper cineres calidos detinendum: demum excitatis aliquot ebullitionibus colanda hæc infuſio & exprimenda, clarificatuſque liquor albumine oui, cum ſacchari optimi libris quatuor, lento igne coquatur ad Syrupi conſiſtentiam, ſolito paulo craſſioris: Cum pene refrixerit commiſcenda Tinctura drachmarum duarum Croci cum vnciis tribus ſpiritus vini rectificati elicita, Syrupum ad vſus recondendo.

Præceptum fuit antiquorum Crocum pulveratum nodulo includendum eſſe, decoctionis tempore Syrupo immergendum, per vices hunc exprimendo, in Syrupo confecto relinquendum, etiam in lagena recondito; minime perpendentium diutinam hanc Croci decoctionem, etſi linteo concluſi citra inſignem partium maxime volatilium diſpendium & diſcuſſioné fieri non poſſe, ab iteratis expreſſionibus plurimas Croci partes inutiles & terreſtres per lintei raritaté tranſmitti, Syrupo commiſcendas, vnde limpiditate priuatur, ac tandem prædictum nodulum, in ſyrupo confecto relictum; cum nullis viribus, (quibus deſtitutus eſt illum imbuere poſſit, vt plurimum in corruptionem ipſum deducere: At vero cum hæc Tinctura Syrupo indat id quod maxime eſſentiale poſſidet Crocus, procúldubio ad illius perennitatem multum conducit, pulchritudinémque augendam.

Nonnulli in medium attulere Croci Extractum, cuius vſus nodulo præferendus ſit; at cum Extracti baſis ſit Tinctura, neque præterea, liceat hanc Tincturam ad Extracti conſiſtentiam deducere abſque nonnullarum Croci partium ſubtilium jactura, multa cum ratione præſcripta fuit Tinctura.

His dotibus præſertim præditus eſt Syrupus Pomorum Compoſitus,

humores bilioſos & melancholicos leniter e corpore educit, quo fit vt crebro in vſum veniat in morbis horum humorum progenie , Mania prȩſertim ac affectibus Hypochondriacis: Valet quoque & in febre Quartana, ac purgandis humoribus aduſtis & acribus ſcabiem inducentibus,cutaneáſque defœdationes.

Aſſumendus e cochleari ab vncia vna ad duas tréſve; at vt plurimum in liquoribus diſſolvitur, decoctis,apozematis, tincturis aut infuſionibus laxativis.

Syrupus Florum Perſicorum.

℞ Florum Perſicorum recentium quantum libuerit, contundantur in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, eorúmque ſuccus torculari exprimatur, quiete depuretur, & cum ſacchari pari pondere ovi albumine clarificetur & coquatur in Syrupum.

Methodus.

Syrupi præparatio nonmodo ardua non eſt, ſed & in ſe concludit quicquid flores Perſicorum inſigne obtinent, in ſucco præſertim quærendum; In grandi mortario marmoreo conterantur, piſtillo ligneo, flores Perſicorum recens decerpti, quantitate requiſita, ex iis torculari ſubditis exprimendus ſuccus. qui per ſubſidentiam depuratus, & albumine ovi clarificatus, addito æquali ſacchari pondere, ad Syrupi conſiſtentiam lento igne coquendus.

Si exactius quid volueris, exſiccetur magma, comburatur, in cineres redigatur, e quibus per elixiviationem, filtrationem, exhalationem, & cryſtalliſationem extrahatur ſal fixum ſuperſtes, Syrupo cocto commiſcendum.

Syrupus in vſum præſertim venit ad expurgandum ſerum cerebro moleſtum, nervis & muſculis, quod non modo rheumatiſmis originem præbet, ſed & Apoplexiȩ, Paralyſi, Convulſioni aliíſque Cerebri affectibus: Conducit etiam humoribus bilioſis purgandis, reſerandis obſtructionibus,incidendiſque humoribus craſſis in Meſenterio,Pancreate, Iecore & Liene: Lumbricos etiam efficaciter enecat humorúmque corruptionem ſiſtit.

Doſis & vtendi ratio eadem fere quæ Syrupi Pomorum compoſiti.

Syrupus Roſarum Solutivus.

℞ Succi defæcatiſſimi Roſarum pallidarum.

Sacchari

Sacchari albiſsimi pulverati āā. ℔ viij.

Cucurbita vitrea ſimul excipiantur, illáque ſuo alembico bene lutato munita, Balneo Mariæ committatur, junctoq́, roſtro alembici idoneo recipiente, igne moderato libræ tres aut circiter aquæ roſarum fragrantiſsimæ eliciantur & ſerventur: Refrigerato Balneo reperietur in fundo Cucurbitæ Syrupus, odore, ſapore & viribus optatis omnino præditus.

Methodus.

Etſi vis Roſarum purgatrix in illarum ſale fixo ſedem præſertim obtineat, cui potiuncula ſulphuris minus fixi comes adjuncta eſt, neque a modica decoctione plurimum virium detrimentum immineat, e re tamen eſt, quantum licet, ex omnibus medicamentis adſumere quicquid optimum eſt: Ideoque nemini mirum eſſe debet, ſi ad hujus Syrupi præparationem non adducatur ea quæ oſtentationis plena, non ſine temporis diſpendio & tædio ab antiquis obſervata fuit.

Illi ad Syrupi hujus compoſitionem etiam novenas Roſarum infuſiones inſtituebant, minime perpendentes vna cum profuſa & inutili Roſarum iactura, illis ſimul maxime ſpirituoſam & odoratam partem decedere, imo & plurimam infuſionis partem pannis, vaſis aliiſque organis, illum in vſum dicatis adhærere, ſed tandem emergere Syrupum ſuaviorem quidem, at non efficaciorem eo qui hic præſcriptus eſt, cujus præparationem eapropter amplectendam ſuadeo, quandoquidem præter acceſſionem optimæ aquæ roſaceæ, conſequi licet ſyrupum præſtantiſſimum.

Roſæ pallidæ recens expanſæ, ſummo mane lectæ, conterantur in capaci mortario marmoreo piſtillo ligneo;earum ſuccus expreſſus recondatur in lagenis obturandis, & Soli exponendis per aliquot dies: Cum ſucci pars craſſior ad fundum lagenarum ſeceſſerit optime ſeparata, ſuccus clarus decantandus in manicam panneam tranſmiſſionis gratia; Accipiatur hujus ſucci defæcati pondus librarum octo,qui cucurbitæ vitreæ, cum æquali ſacchari optimi pulveriſati pondere immittendus, conjunctíſque cucurbita & alembico, diſtillatione educantur libræ tres circiter Aquæ roſarum optimæ: Poſtea refrigerari ſinatur Balneum, ſublatóque alembico, occurret in Cucurbita Syrupus elegantiſſimus, odoratus, gratus & efficax, qui in vas per decantationem infundendus, relictis in fundo cucurbitæ fæcibus forte depoſitis.

Syrupus Roſaceus leviter admodum educit ſerum omne in viſceribus contentum,aut in varias corporis partes effuſum: In morbis epidemicis apprime conducit:Hic tamen obſervandum ſe offert plurimis tum mulieribus, tum puellis infenſum eſſe illius vſum.

Doſis ferme eadem, atque vſus ratio quæ Syrupi Pomorum compoſiti, aut florum Perſicorum.

Syrupus Roſarum Compoſitus cum Senna & Agarico.

℞. *Foliorum Sennæ Orientalis mundatorum* ℥ iiij.
Agarici electi inciſi ℥ ij.
Tartari albi contuſi ℥ i.
Succi Roſarum pallidarum depurati ℔ vj.
Infundantur tepide horis viginti quatuor in vaſe fictili vitreato cooperto, deinde leviter bulliant, colentur & exprimantur: Liquor vera ovi albumine cum ſacchari albiſsimi libris quatuor clarificetur & coquatur in Syrupum, aromatizandum olei Aniſi ſtillatitij guttis vj. *Caryophyllorum guttis* ij. *ſaccharo pulverato exceptis.*

Methodus.

Folia Sennæ a ſtipitibus mundata, Agaricus electus, mundatus & inciſus, & Tartarus albus pulveratus coniiciantur in vas fictile vitreatum, ſuperfundantur libræ ſex ſucci Roſarum pallidarum optime depurati, ac demum alte in ſuccum demerſis materiis coopertum vas ſuper cineres calidos horis viginti quatuor detineatur; poſt levem ebullitionem Infuſio coletur, exprimatur, clarificatuſque ovi albumine liquor cum ſacchari puriſſimi libris quatuor lento igne coquendus ad Syrupi conſiſtentiam, qui omnino refrigeratus aromatizandus erit guttis ſex olei Caryophyllorum, exceptis ſeſquivncia ſacchari optimi pulveriſati.

Syrupus iſte multo efficacius purgat Syrupo Roſato vulgari; Educit bilem, pituitam, & melancholiam; vermes enecat & e corpore expellit, reſerat meatus, incidit, attenuat, detergétque humores tenaces & viſcidos, imo phlegma e locis diſſitis attrahit: Exhibetur ab vncia vna ad duas; Vſus ratio non diſcrepat a præcedentibus.

Iuxta hanc eandem Methodum componi poſſet Syrupus Roſatus compoſitus cum Senna & Rheo ſine Agarico, purgandæ pituitæ minus idoneus, eidémque e diſtantibus locis eliciendæ, vtilis tamen leniter vacuandis humoribus bilioſis, robore ſimul partibus conciliato: At cum Syrupus hic Roſatus in crebro non ſit vſu, defectus illius ſuppleri poteſt addendo Syrupo Roſarum Solutivo infuſionem ſennæ & rhabarbari ſi ſic neceſſitas poſtulaverit: Proportio Sennæ & Rhabarbari eadem eſſe debet quæ Sennæ & Agarici ad hunc Syrupum præſcriptorum.

Syrupus

Syrupus Emeticus.

℞. Vitri Antimonij abſque additione parati, & Nitro correcti ℥ iij.
Succi cydoniorum puriſsimi ℔ vj.
Cucurbita vitrea excepta in Balneo cinerum moderate calido horis viginti quatuor macerentur, filtratus vero liquor cum ſacchari libris duabus in eadem cucurbita calidiore cinerum balneo coquatur in Syrupum, olei cinnamomi guttis duabus ſaccharo pulverato exceptis aromatizandum.

Methodus.

Etſi Antimonium Syrupi iſtius ſit baſis, illiúſque vitrificatio & correctio operationes ſint Chimicæ, ſphæram activitatis Pharmaciæ Galenicæ excedentes, tempeſtive tamen huc infertur, vt & Syrupus Emeticus, aliis inferendus in Pharmacia vſitata proſtantibus.

Neque etiamnum admirationi locus quod præſcriptæ ſint Succi Cydoniorum libræ ſex ad extractionem virium trium vnciarum Antimonij præparati; neque obſervatæ fuerint proportiones liquorum ad infuſiones aut decoctiones Pharmaciæ ordinariæ vſitatæ; quandoquidem Antimoniam prædicto modo præparatum, poteſt minima etiam dozi facultatem inſitam depromere, pari quoque ratione ſufficienter eandem in magnam liquoris quantitatem tranſfundere, qui liquor poſtmodum ſaccharo conjunctus, ac per decoctionem concentratus, Syrupum Emeticum exhibet æque gratum & idoneum actioni exſerendæ etiam minori dozi quam Vinum Emeticum, quod, vt & cæteri liquores, excipit varias Antimonij præparationes, inibi infundi ſolitas, quæque concentratæ non fuere.

Ad rectam hujus Syrupi præparationem ſubtiliter terantur vnciæ tres Vitri Antimonij, citra additionem præparati, & cum Nitro correcti, juxta methodum a me præſcribendam tertia hujus Pharmacopœæ parte; quę in Cucurbitam vitream conjectę, & affuſis libris ſex ſucci cydoniorum rite depurati, coopertáque cucurbita, ſimul macerabuntur ſpatio viginti quatuor horarum, igne Cinerum moderate calido, demum filtrato per chartam emporeticam liquore in eadem Cucurbita, cum ſacchari puriſſimi libris duabus, Balneo cinerum calidiore coqui curabis ad Syrupi conſiſtentiam; quem refrigeratum aromatizabis guttis duabus olei Cinnamomi, exceptis ſemuncia ſacchari optimi pulverati, Syrupum in lagena optime obturata aſſervando.

Vocant hunc Syrupum Emeticum ab effectibus, quorum præcipuus eſt vomitum ciere, eóque modo ventriculum a vitioſis humoribus

occurrentibus liberare, imo nonnunquam tenaciſſime adfixis: Obſervatum quinetiam hunc Syrupum ab excitato vomitu ſedes nonnullas movere, ortas vel ab excrementis ventriculo conceptis, vel inteſtinis: Contingit & nonnunquam in quibuſdam vt nullus vomitus ſequatur, ſed tantum deiectiones moveat hic Syrupus, vnde minus incommodi ſubſequitur.

Nulla occurrit Antimonij præparatio lenius operationem perficiens hoc Syrupo; Omni ætati & ſexui convenit, imo etiam lactantibus & ſenibus, in morbis a plenitudine ſubortis, ſpeciatim in affectibus a congerie vitioſorum humorum in ventriculo genitis.

Doſis eſt a drachmis duabus ad vnciam vnam, vel ſummum ad ſeſquivnciam; pro robuſtis, Ex cochleari ſolitarius exibetur, vel vino albo commixtus, iuſculo vel quopiam alio liquore; Poteſt & addi purgantibus imminuta doſi, illaque aliis remediis adcommodata.

Syrupus de Rhamno Cathartico.

℞ Baccarum fruticis illius qui nomen fert Spinæ cervinæ, aut Infectorij, ſeu Rhamni cathartici, quantum libuerit, Committatur aliquot horis cineribus calidis in vaſe fictili vitreato cooperto, deinde exprimantur: Tunc accipe ſucci illius puri libras ſex, ſacchari libras quatuor, ſimul coquantur lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam, qui vbi refrixerit aromatizetur oleorum cinnamomi & caryophyllorum ãã. guttis quatuor, ſacchare pulverato exceptis.

Methodus.

Rhamnus catharticus, Spina quoque Cervina dictus, aut Infectoria, Gallis *Nerprum*, aut *Bourg Epine*, frutex eſt vt plurimum in ſepibus naſcens, cujus truncus tibiam craſſitie æquat, imo ſuperat; plurimis ramis ſpinoſis donatus, foliis pyri ſimilibus donatus: Baccæ magnitudine juniperinis maturitatem adeptis ſimiles ſunt; primo virides poſtmodum nigræ & lucidę cum maturitatem habuerint, quam vindemiæ circiter tempore obtinent: Congregatæ proveniunt hæ baccæ, & quaſi per corollas; intus quatuor, quinque vel ſex acinos, aut grana longiuſcula gerunt & triangularia; ſuccus obſcuri eſt coloris, vireſcentis & amariuſculi.

Accipiatur non exigua harum baccarum quantitas cum optime maturuerint; macerentur in vaſe fictili vitreato ſuper cineres calidos per duas aut tres horas, per vices ſpathula lignea agitando, quo vndique æqualiter incaleſcant; quibus expreſſis accipe ſucci ex illis expreſſi

libras

libras ſex, ſacchari optimi libras quatuor, hæc ſimul igne lento coquando in eodem vaſe ad conſiſtentiam Syrupi, qui ab igne removendus, poſtea rite deſpumatus, & refrigeratus, aromatiſandus erit olei Cinnamomi & Caryophyllorum ana guttis quatuor, exceptis ſeſquivncia ſacchari puriſſimi in pulverem deducti, Syrupum poſtea in vaſe vitreo aut Faventino reponendo ad vſus neceſſarios.

Syrupus hic validiſſime ſeroſos humores ex vniverſo corporis habitu detrahit; In vſum adducitur ad cachexiam & artuum affectus, ſed præſertim ad curationem Aſciticorum & Rheumatiſmo laborantium.

Dozis vulgatior eſt a ſemuncia ad vnciam vnam; Sumitur ſolus ex cochleari, aut decoctionibus, aliiſve liquoribus adpropriatis remiſtus

Poſſent & huc variæ Syruporum deſcriptiones inferri, ſed abſtinendum credidi, nulla vrgente neceſſitate: Ratum quippe apud me eſ deſcriptiones, & præcepta à me tradita circa ingentem Syruporum numerum, ſufficienti Pharmacopœo documento fore ad præparationem debitam illorum omnium qui in hac Pharmacopœa deſcripti non occurrunt.

CAPUT XVI.

De Mellibus.

Opportunum mihi viſum de Mellibus immediate a Syrupis verba facere, eo quod illorum præparatio & conſiſtentia plurimam interſe adfinitatem habent: Eximia dulcedo, & ſacchari ſuaviſſimus ſapor, illius copia, vile pretium, ac præterea ſiccitas & diſpoſitio qua pollere deprehenſum eſt, plurimam humiditatem extraneam abſorbendi, in cauſa ſunt vt Mel hodierna die minus in vſum quam olim veniat; Etſi enim veroſimile ſit Mel congeriem eſſe, ac quaſi extractum puriſſimarum partium florum, fructuum, potiſſimarúmque plantarum partium; rorem & Aſtrorum influxum non parum ad ipſius conſtitutionem confluere, eapropter ſaccharo anteponendum eſſe, unius plantę ſucco, in quo nequaqnam concurrere queant vires omnes melli adſignatæ, illius tamen vſus hodie minus vulgaris eſt; quamobrem in officinis Pharmaceuticis quinque ſolum aut ſex mellium genera proſtant, quorúm pars maxima ad Clyſteres recipitur, Oxymelitis duo genera, ſimplex ſcilicet & ſcylliticum, vnicúmque Hydromel. Vinoſum dictum.

Attamen ſincerum Mel ſæpenumoro in vſum adducitur, imo ſaccharo antefertur in plurium remediorum compoſitione, ſpeciatim quo-

rundam Opiatarum confectione, quæ diutius aſſervari debent, præſertim Theriaces ac Mithridatij,eo quod mellis partes intimius coniunctæ ſunt,ac viſcoſæ magis quam in ſaccharo, ideóque aptiores colligandis & colligendis materiis quibuſcum commiſcetur, imo corruptioni validius obſiſtere aptæ natæ quam ſaccharum.

Præparatio Mellium vſitatorum æque ſimplex eſt ac facilis, deſcriptiones tamen illarum ſingulares traditurus ſum.

Præparatio Mellis Roſati

℞ Succi Roſarum rubrarum Mellis optimi ana. partes æquales
Oui albumine ſimul clarificentur, coquantur ad ſyruporum conſiſtentiam, deſpumentur & ſeruentur.

Methodus.

Ex Roſis rubris recentibus in mortario marmoreo contuſis exprimatur ſuccus,qui lagenis exceptus Soli per aliquot dies exponatur, vt puritatem adquirat, traiiciatur demum per manicam panneam, demum commixtus partibus æquis puriſſimi mellis, ſimul oui albumine clarificentur, coquanturque ad ſyrupi conſiſtentiam, ſpumam detrahendo poſtquam refrixerit, reponendo ad vſus.

Roſæ Rubræ ſubſtantia compactiori & terreſtriori donatæ ſunt, quo fit vt diuturniorom coctionem tolerare queant quam cæteræ roſæ, nullo metu ne hinc optimæ partes diſpereant.

Vice ſucci ad confectionem hujus mellis, vſurpari poſſet infuſio roſarum rubrarum bis aut ter repetita, eandem præparandi rationem quam adduxi de infuſione florum Nymphææ ad ſyrupi compoſitionem obſervando.

Poſſet & confici mel Roſarum laxatiuum ex ſucco roſarum pallidarum, eadem ratione procedendo qua in compoſitione Syrupi roſarum ſolutivi.

Mel Roſatum ſuperius a me deſcriptum abſtergit, adſtringit & roborat, quo fit vt creberrime in vſum veniat ad omnes oris affectus, quorum gratia modo e cochleari adſumitur, modo Gargariſmis admixtum: Additur & Lotionibus & Iniectionibus traumaticis: Remiſcetur necnon Opiatis,defricandis & dealbandis dentibus dicatis, frequentiſſime in Enematis adſtringentibus & abſtergentibus diſſolvitur: Mellis Roſati proportio in Lotionibus, Iniectionibus, Gargariſmis aut Clyſteribus fit duarum aut trium vnciarum ad ſextarium Gallicum (Chopine) liquoris alicuius,

Mel

Mel Anthoſatum.

℞ Florum recentium Roriſmarini mundatorum ℔ ij. Contundantur in mortario marmoreo piſtillo ligneo, & per ſetaceum traiiciantur, Excipiantur deinde mellis optimi abſque vllius liquoris additione deſpumati & callentis ℔ vj, & permixta ſeruentur ad vſum.

Methodus.

Contundendi in mortario marmoreo flores Roriſmarini optime mundati, poſt traiecti per incerniculum ſetaceum inverſum commiſcendi ſunt cum triplo ponderi optimi mellis calentis, citra adiectionem vllius liquoris depumati: Refrigerata hæc mixtura aſſervetur in vſus.

Flores Anthos ſubſtantia donati ſunt tenuiſſima, multum humida, adeo vt ſi decoctioni in aqua vel melle committerentur, optimarum partium diſſipatio contingeret: Sin mel humiditate quapiam extranea ſcateret, accedens ſuperfluo florum humori, in corruptionem hos deduceret.

Mel Anthoſatum hac ratione præparatum florum Roriſmarini dotes omnes obtinet, laudabilis eſt conſiſtentiæ, ore non minus adſumendum quam clyſteribus admiſcendum.

Poſſet equidem mel præparari cum decocto foliorum Roriſmarini, clyſteribus addendum vice mellis Anthoſati, ſed ſatius eſt pro re nata admiſcere decoctis clyſterum folia roriſmarini quam officinam onerare melle parum viſitato, quo facile carere datum eſt, Adde quod plurimi occurrunt caſus in quibus verendus eſt calor, a decocto foliorum roriſmarini inteſtinis imminens.

Mel Anthoſatum ſupra dicta methodo confectum vices conſervæ Anthos cum ſaccharo paratæ ſupplere poteſt: Per os adſumere licet in omnibus cerebri affectibus frigidis: Roborandæ memoriæ admodum confert, diſcutiendiſque vaporibus vertiginem parientibus: felici etiam ſucceſſu in vſum adducitur ad ventriculi & inteſtinorum morbos frigidos, ſpeciatim colicam flatulentam, affectus hyſtericos ore vel clyſteribus exceptum.

Mel Mercuriale.

℞ Succi Mercurialis quiete defæcati, & mellis optimi ãã partes æquales. Ovorum albuminibus ex arte clarificentur, & coquantur ad paulo craſsiorem Syrupi conſiſtentiam.

Methodus

Huius mellis præparatio & mellis roſati multum inter ſe conveniunt, neque noua indigent explanatione; Nonnulli non quidem extrahunt & depurant ſuccum Mercurialis, ſed validam inſtituunt decoctionem, eodem modo in mellis coctione procedentes ac ſi ſucco vterentur, ſed majorem decoctionis quantitatem adhibent.

Mel Mercurialis clyſteribus inditum craſſas materias emollit & diſſolvit, ventrem laxa, ac menſtruum fluorem incitat, Plurimi vſus eſt in affectibus vterinis & omni colico dolore.

Doſis eſt ab vncia vna ad tres, in decoctionibus aut liquoribus idoneis.

Mel Violatum.

℞ *Violarum recentiun M.*iiij.

Bulliant per horam in aquæ communis ℔ xij. *colentur & exprimantur: Liquor cum pari Violarum quantitate iterum coletur & exprimatur; Et tertio cum ſimili violarum quantitate fiat ſimilis coctio, colatura & expreſsio, Liquor tandem cum mellis optimi* ℔ xij. *Ovorum albunibus clarificatus percoquatur ad ſyrupi paulo craſsioris conſiſtentiam, deſpumetur ad diuturniorem aſſervationem.*

Methodus.

Per horam integram ebulliant violarum recentium libræ quatuor in duodecim libris aquæ communis, coletur demum decoctio, expreſſione facta violarum, In liquore traiecto coquantur violarum recentium libræ quatuor, eadem ratione qua vt prius procedendo, Tertia iterum vice decoquantur libræ quatuor violarum recentium in dicto liquore, quibus colatis & expreſsis, permixtoque liquore mellis puriſsimi libris duodecim, clarificentur & decoquantur ad conſiſtentiam ſyrupi ſolito craſsioris.

Violarum pars volatilis, cito exhalabilis, in melle violaceo parvi eſt momenti, clyſterum tantum gratia parari ſoliti, cujus dos præcipua eſt humectans facultas, emolliens & lubricans inteſtina.

Doſis & vtendi ratio mellium Violacei & Mercurialis eadem eſt.

Mel Vulvariæ.

℞ *Foliorum Vulvariæ faſcic.*ij.

Incidantur & decoquantur in ℔ xvj *aquæ fontanæ ad tertiæ partis conſumptionem, colentur & exprimantur, Liquor cum pari vulvariæ quantitate*

titate eodem quo prius modo decoquatur, coletur, exprimatur, & cum mellis optimi ℔ xvi duobus ovorum albuminibus clarificetur, ad debitam conſiſtentiam decoquatur, deſpumetur ſedulo, vt diutius aſſervari queat.

Methodus.

Aſſumantur duo faſciculi herbæ Vulvariæ, quam nonnulli vocant Atriplicem fœtidam, aut Caninam a viroſo odore, Incidantur & decoquantur in aquæ communis libris ſexdecim ad conſumptionem tertiæ partis, colatura facta & expreſſione herbarum coctarum, iterum in dicto liquore elixetur æqualis Vulvariæ quantitas, in omnibus eadem ratione qua priori vice procedendo, demum a commixtis optimi mellis libris ſexdecim huic liquori, clarificatio adjectis duorum ovorum albuminibus perficiatur, ad conſiſtentiam debitam decoctio fiat, optiméque deſpumatum Mel ad vſus aſſervetur

Etſi mel Vulvariæ frequenti non ſit in vſu, locum tamen meretur inter mella pharmaceutica, In affectibus enim hyſtericis egregios edit effectus, ſedandis præſertim vteri vehementibus commotionibus: nec inutile eſt adverſus colicam flatulentiam: Vſus eſt in clyſteribus ab vnciis duabus ad tres.

Mel Nenupharinum.

℞. *Florum Nymphææ rejecta parte interiore lutea* ℔ viij.
Aquæ communis ℔ xvj.

Coquantur ſimul igne lento ad tertiæ partis conſumptionem, colentur & exprimantur, Liquor expreſſus cum pari florum quantitate, iterum decoquatur, coletur & exprimatur; & cum mellis optimi ℔ xvj *ovorum albuminibus clarificetur, & ex arte coquatur.*

Methodus.

Præparatio Mellis Nenupharini propemodum ſimilis eſt priori mellis Vulvariæ, neque deſcriptione peculiari indiget.

Mel Nenupharinum clyſteres ſoli recipiunt, humectat, emollit & refrigerat admodum inteſtina: vſus ratio eadem eſt, vt & doſis, quæ mellis Violacei.

Oxymel ſimplex.

℞ *Mellis optimi* ℔ iv.

Bulliant leviter & deſpumentur, additiſq; Aceti albi optimi ℔ ij. Lento igne coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Methodus.

Aquę additio ad mellis deſpumationem promovendam neceſſaria non eſt, ſicuti quibuſdam viſum, quandoquidem illa abſente optime peragitur ſpumę ſeparatio: Neque illa requiritur ad Aceti acrimoniam obtundendam, cum hujus aculeus nonmodo vtilis ſit ob effectus ab Oxymelite ſperandos, ſed & poſtremus ſemper ille occurrat in aceti decoctione: Illud porro ſciendum aquę pręſentiam impedimento ſemper futuram, cujus quippe conſumptio, neceſſario procurãda, proculdubio ſecum inveheret diſſipationem nonnullarum mellis partium volatilium

Excipiat ergo vas figulinum vitreatum, ſufficienter capax, mellis optimi libras quatuor; leniter igne carbonum moderato ebulliat, quod vbi aliquantiſper refrixerit deſpumetur, additíſque libris duabus mellis optimi, ſimul lento igne coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Iſtud Oxymel admodum opportunum eſt incidendę & detergendę pituitę lentę & viſcidę, tam in ore & faucibus exiſtenti quam ventriculo, aliiſque corporis partibus quibus adhęrere poteſt: Ex cochleari equidem adſumi poteſt, exiguaque, ſed per vices, quantitate, ſed commodius exhibetur liquoribus commixtum, Gargariſmatis forma, addita liquoris majori aut minori copia provt effectus major aut minor optatur, eo quod a cęteris liquoribus temperatur illius acrimonia: Commiſcetur etiam Eclegmatis & Syrupis vt acumen illis conciliet, inciſionémque & deterſionem pituitę in ventriculo & pulmonibus adjuvet.

Hujus oxymelitis proportio ad liquores eſt vncię vnius & ſemis vel duarum, ad libram vnam liquoris detergendi vi donati, aut cujuſpiam aquę diſtillatę idoneę.

Oxymel Scylliticum.

℞. *Mellis optimi* ℔ iiij. *Aceti Scyllitici* ℔ ij.

Bulliant leviter & deſpumentur, & igne admodum lento coquantur ad debitam conſiſtentiam.

Methodus.

Aceti Scyllitici præparationem iterato huc adducturus non ſum, cum a me propoſita ſit vbi de Acetorum præparationibus, quo Lectorem curioſum remitto: Hujus Oxymelitis compoſitio non abſimilis eſſe debet præparationi Oxymelitis ſimplicis.

Iudicium

Iudicium quoque ferre licuerit de viribus & vſu huius Oxymelitis, ex iis quæ a me adducta ſunt cum de Aceto Scyllitico ſermo fuit.

Hydromel Vinoſum.

℞. *Mellis optimi* ℔ iv.

Aquæ pluvialis circa veris initium collectæ ℔ xx.

In vaſe æneo ſtanno obducto ſimul igne lento ad tertiæ partis conſumptionem coquantur, vel (quod tutius eſt) donec ovum recens injectum non demergatur ſed ſupernatet: Inter coquendum vero omnis ſpuma diligenter auferatur: Hydromel coctum quiete depuratum & doliolo exceptum, Solis radiis exponatur, vel in hypocauſtum tranſferatur, illicq; per quadraginta dies maneat, vel donec nullum fermentationis ſignum adpareat: Obturatum deinde doliolum in cella vinaria reponatur.

Methodus.

Circa æquinoctium vernum accipiantur aquæ pluviæ libræ viginti, & mellis Narbonenſis libræ quatuor, uel cuiuslibet albiſſimi & puriſſimi, lente ſimul decoquantur in vaſe cupreo intus ſtanno obducto, ſpumam per vices detrahendo quovſque ovum recens in hoc hydromel demerſum ſupernatet: Hydromel coctum poſt aliquam quietem doliolo juſtæ capacitatis excipiatur, infundendo quicquid liquidum eſt: Obturatũ doliolum Solis radiis exponatur, vel in aliquo loco calido per dies quadraginta detineatur, vel qnovſqne omnis plane fermentatio ceſſaverit: Tum fermentationis vi conſumpti, alio addito hydromelite, vel vino Hiſpanico, ſupplementum fiet; doliolum exacte obturatum in cella vinaria reponendum vel loco frigido, epiſtomium poſt bimeſtre aut trimeſtre demum imponendo: Quo pacto comparatum habebis Hydromel ſapore ad vinum madvaticum accedens, quod a partibus terreſtribus liberatum, accedentéque fermentatione exaltatum, ac diſtillatio-ni ſubjectum, ſpiritum flãmæ rapacẽ, ſpiritui vini ſimilem productũ eſt.

Potiones compoſitæ nonnunquam præparantur ex decoctis pectoralibus, mellis optimi adjectione dulcorem adeptis, deſpumatis, clarificatis ac ad ſubſtantiam ſimilem Hydromeliti a me modo deſcripto dilutiorem deductis, illius nomen adeptis, eo quod aquam & mel baſin agnoſcant: At ejuſmodi Hydromelitum genera vſus tempore tantum præparari ſolet, eo quod fermentationis expertia, neque ſufficienter coctionem adepta, in corruptionem abeunt diutius aſſervata.

Hydromel vinoſum alimentum eſt medicamentoſum, non minus vtile quam gratum, partes omnes principes recreans & roborans: Opti-

mum nutrimentum præbet, non minus in proba quam adverſa valetudine vſitatum & familiare.

CAPUT XVII.

De Eclegmatis ſeu Lohoc.

ECLegmata ſunt Compoſitiones internæ, *ſive ad vſum internum*, Conſiſtentiæ inter Syrupos & Electuaria mollia mediæ, affectibus pulmonum præſertim dicatæ: Vocant Græci Ἐκλέγματα, Latini Linctus; Vocabulum Looch, etſi Arabicum, fere ſemper magis vſurpatum fuit.

Eclegmatis quam Syrupis craſſities major conceſſa fait, quo illis faucibus inhærentibus, ibique moram trahentibus, vis hoc pacto in pectus commearet per tracheæ arteriæ hiatum, & ad partes affectas deduceretur, illorumque ope pituita concoqui & digeri poſſet, expulſioníque faciliori idonea fieret: aut ſiſteretur & craſſitiem adipiſceretur fluxio nimiopere tenuis; vel inciderentur & tenuitatem conſequerentur humores craſſiores ac viſcidiores.

Interim etſi Eelegmata non raro in vſum veniunt, in Pharmacopoliis illorum copia raro habetur, adparanda tantum neceſſitatis tempore, vbi præſcripta fuerint; eo quod maxima medicaminum, illa componentium, pars præſto ſemper occurrat, neque commixtio ardui ſit artificij: Deſcriptiones nihilominus duas Eclegmatum exhibiturus ſum, diutius ſi lubet aſſervandorum, vel in rem præſenrem adparandorum.

Lohoc Sanum reformatum.

℞. *Hordei mundati* ℥ j.
Radicum Petaſitidis &
Enulæ campanæ ãã. ℥ß.
Paſſulas Damaſcenas mundatas
Ficus recentes ſiccas
Dactylos pingues enucleatos,
Iujubas,
Sebeſten ãã. *N.* xij.
Foliorum Hyſſopi
Calaminthæ
Capilli veneris Monſpelienſis
Adianti vulgaris ãã. *M.* j.
Seminum Malvæ
Althææ
Bombacis &
Papaveris albi ãã. ʒ ij.

Fiat omnium ſuo ordine ex arte decoctum, colatura & expreſſio, liquor clarificetur ovi albumine cum ſacchari optimi libris duabus, & lento igne coquatur ad Syrupi craſſioris conſiſtentiam, cui ab igne remoto permiſceantur.

Pineorum & | *Gummi Tragacanthi &*
Amygdalarum dulcium munda- | *Arabici,*
tarum, contuſarum & per cri- | *Radicis Ireos ſubtiliter pulvera-*
bum trajectarum aã. ℥ vj. | *tarum ãã. ℥ iij.*
Glycyrrhiſæ mundatæ

Refrigeratum Lohoc aromatizetur Oleorum ſtillatitiorum Aniſi & Fœniculi ãã. guttis iij. ſaccharo pulverato exceptis, & ſervetur ad vſum.

Methodus.

Decoquatur Hordeum mundatum in vaſe fictili vitreato cum aquæ fontanæ libris ſex, igne moderato, per ſemihoram, demum adiiciantur Radices mundatæ & contuſæ, ac poſt elixationem cum Hordeo, quartę circiter horę ſpatio, aut amplius, adjungantur Fructus mundati & inciſi, aliquantiſper cum cęteris coquendi, poſtea iniiciantur Hyſſopus, & Calaminthum inciſa cum ſeminibus contritis, ac paulo poſt Capillares herbę inciſę; Poſt aliquas ebullitiones Decoctio igni ſubtrahatur, quę ſemifrigefacta colanda & leviter exprimenda, demum clarificatus ovi albumine liquor cum ſacchari puriſſimi libris duabus igne lento coquatur ad conſiſtentiam Syrupi ſolito paulo craſſioris. Syrupo ſemirefrigerato commiſceantur Amygdalę & Pinei nuclei contrita; pulveres itidem Liquiritię, Iridis, gummarum Tragacanthę & Arabici, quę omnia cum refrixerint aromatum vi imbuantur, additis olei ſtillatitiis Aniſi & Fœniculi. exceptis vncia vna pulveris ſacchari puriſſimi; Tandem in vaſe Faventino, optime cooperiendo, reponatur Looch perfectum.

Hordeum mundatum decoctioni additum, in cauſa eſt quod ſaccharum puriſſimum Penidiis ſubſtitutum fuerit, imponi ſolitum in vulgatis hujus Eclegmatis compoſitionibus, quarum baſis eſt hordei decoctum: Radices Petaſitidis & Enulæ campanæ aliorum medicamentorum vim incidentem adaugent & anacatharſin promovent; Semina malvæ, althææ, bombacis & papaveris albi vtilia ſunt incraſſandis humoribus tenuibus, ſiſtendæque præcipiti e capite in fauces diſtillationi; iiſdemque effectibus qui ex ſeminibus lini & fœnugræci expectantur edendis, neque ſaporem neque odorem inſuavem, qui poſtremis his inſunt, in aliis deſcriptionibus præſcriptis, Eclegmati impertiuntur, ideóque nonniſi in remediis externis vſurpatis; Liquiritia ex decocto poteſt detrahi, cujus ſufficiens quantitas in pulvere Eclegmati inditur: Olea tandem ſtillatitia Aniſi & Fœniculi anteferenda ſunt ſeminibus decoctioni immiſſis, cujus vi partes volatiles & ſulphureę, quę maxime expetũtur intereunt, ſola terreſtri ſuperſtite.

Eclegma hoc eximiæ proculdubio eſt efficaciæ, tam in maturando & concoquendo quam incraſſandis & intercipiendis tenuibus humoribus, præcipiti lapſu in pectus e cerebro irruentibus, Necnon incidendis & detergendis illis qui jam pulmonum bronchia occupant, quin & detergendis, everrendis & leniendis organis reſpirationi dicatis.

Nocte diéque in vſum trahi poteſt, quavis hora, qualibet vice molem avellanæ aſſumendo ex baculo liqujritię deraſo, contuſo & in extremitate depreſſo, cochlearis vices ſubeunte: Ejuſmodi remedia diutius ore contineri debent, ſenſim quoque deglutienda.

Looch Pectorale.

℞. *Mucilaginis Gummi Tragacanthi in aqua roſarum extractæ*	*ãã.* ℥ ij.
Sacchari Candi	
Penidiati pulveratorum	
Liquiritiæ ℥ ß.	
Ireos Florentinæ ʒ ij.	
Radicis Enulæ campanæ ʒ j.	

Cum æquis partibus Syrupi Magiſtralis Pectoralis, & de Papavere albo fiat Loohc, aromatizandum, ſi libuerit, oleorum Aniſi & Fœniculi ſtillatitiorum ãã. guttis duabus ſaccharo pulverato exceptis, & ſervandum ad vſum.

Methodus.

Paropſidi imponantur gummi Tragacanthi pulverati drachma vna cum duabus aut tribus vnciis circiter optimæ aquæ roſaceæ; Paropſis cineribus calidis imponatur, per vices materiam exigua ſpathula lignea agitando, quovſque gummi Tragacanthum rite diſſolatum ſit, ac in maſſam mollem albam adductum, Pulverandum ſaccharum cantium vt & penidiatum, in mortario marmoreo piſtillo ligneo, vnáque cum adjectis mucilaginibus & pulveribus, Liquiritiæ, Iridis & Enulæ campanę, conjungenda cum æquis portionibus Syrupi Pectoralis magiſtralis & Papaveris albi ad conſiſtentiam inter Syrupos & Electuaria mollia mediam deducendo; addendo deinceps, pro medici arbitrio, guttam vnam olei Aniſi & tantundem olei Fœniculi, ſacchari puriſſimi pulveriſati ſemvncia exceptis, ſic Eclegma perfectionem obtinebit, cujus vtendi ratio eadem quæ præcedentis.

Facultates hujus Eclegmatis, & Looch ſani, admodum affines ſunt: Immutari nihilominus poſſunt, augeri vel imminui hæc vel illa medicamenta pro morborum conditione & ægrorum ſtatu quibus eiuſmodi remedia præſcribuntur: Neque immorabor in deſcribendis plurimis aliis Linctibus, quovis tempore parabilibus.

Extat quædam Caſſiæ cum ſaccharo præparatio, quam antiqui non-

nulli

nulli Looch nomine donaverunt,at vero hæc ad Electuariorum mollium claſſem potius quam Eclegmatum referenda.

CAPUT XVIII.

De Tabellis, vel Electuariis ſolidis.

Tabellarum vſus tam proxime ad Eclegmata accedit vt tempeſtive illarum deſcriptio ſuccedat, ſed & eo etiam nomine quod Tabellæ ſæpiſſime parentur contra pectoris affectus, harúmque vſus æque, imo quam Eclegmatum frequentiorſit.

Tabellæ nonnunquam ex paucioribus conſtant; Compoſitio autem pro ſcoporum varietate diverſa eſt; Saccharum varie vſurpatum illarum compoſitionem ingreditur, majori copia quam quodvis aliud medicamentum, tam vt ęgrorum palato adblandiamur, quam ad cęterorum medicamentorum concordiam & mutuam cohęrentiam, quę vix formam ſolidam abſque ſaccharo obtinerent, majori quantitate vſurpato, aut niſi mucilagines gummi Tragacanthi accederent, quę plurima medicamenta, etiam abſente ſaccharo, conjungere valent.

Conſiſtentia ſolida Tabellis data eſt, quo commode circumferri queant, diutiúſque ore contineri, neque eadem celeritate qua Syrupi aut Eclegmata diſſolverentur.

Ad Tabellarum pręparationem in more eſt ſaccharum in aliquo liquore diſſolvere, id clarificare,ſpumam detrahere, ſi opus ſit, in Electuarij ſolidi conſiſtentiam coquere, illíque quandiu ab igne calet intermiſcere modo Pulveres, Conſervas, Condita, Confectiones, Fructus contuſos, Olea diſtillatione elicita, imo nonnunquam Salia & Spiritus.

Proportio Pulverum cum ſaccharo rite definiri nequit, ob variam pulverum naturam ac diverſos ſcopos quorum gratia concinnantur Tabellæ: Fere pro more pulverum vnciæ tres ad libram ſacchari præſcribuntur ad conficienda Electuaria ſolida purgantia: Nonnunquam & Pulverum æqualis ad ſaccharum quantitas accedit in compoſitionem Tabellarum pectoralium,ſi tanta dulcedo non competat; at vt plurimum ſatis eſt ſeſquuncia, aut binæ vnciæ pulverum, ſi præſertim occurrat aliquod medicamentum ſapore aut odore efficax, aut quod exigua mole inſignes vires obtineat; Ad compoſitionem Tabellarum Cordialium ſufficit pulverum vncia vna, aut ad ſummum ſeſquivncia pro ſacchari libra: Eadem & fere proportio obſervatur ſi comparandæ Tabellæ Stomacho, Hepati &c. dicatæ vel aperiendi &c. vi præditæ.

Ratio interim pulparum habenda eſt, vel aliarum materierum mol-

lium liquidarúmve Tabellarum ſtructuram ingredientium, eo demum tempore interponendarum quo ſaccharum coctionem adeptum eſt: nam præterquam quod molem quodammodo pulverum augere poſſunt, coctio ſacchari paulo vlterius promoveri poteſt ante commiſtionem; aut id iterum igni leviter committi, commiſtione ſuperiorum facta, conſumendæ, ſi quæ forte adfuerit, humiditatis ſuperfluæ cauſa: Sed ad hæc Pharmocopœi prudentia convenientior quam vlla præceptorum traditio.

Saccharum Roſatum.

℞. Sacchari albiſſimi contuſi ℔j.

Aquæ roſarum fragrantiſſimæ ℥iiij.

Coquantur ſimul igne lento ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam & fiant ex arte Tabellæ.

Poteſt etiam eidem ſaccharo cocto Roſarum rubrarum exungulatarum pulveratarum, & guttulis aliquot ſpiritus ſulphuris vel vitrioli irroratarum ℥iß. *permiſceri, & ex illis Tabellæ fieri.*

Methodus.

Libra vna ſacchari albiſſimi craſſe conterenda eſt, cui affundendæ Aquæ roſaceæ optimæ vnciæ quatuor, poſtea ſimul lento igne coquantur in ſartaguncula ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam, qua ſtatim ab igne remota, ſaccharum ſpathula lignea verſandum, cum vero concretioni proximum fuerit, ſuper chartam albam effundendum vel laminam ſtanneam, in Tabellas id effingendo.

Sin Tabellarum vice expetatur Saccharum Roſatum Pulveris forma, vlterius Saccharum agitandum piſtillo ligneo quovſque in Pulverem abeat, cui fini exigua pelvis commodior ſartaguncula futura eſt.

Poſſunt & Tabellæ ex Roſis Rubris parari, committendo ſaccharo cocto cum aqua roſacea ad ſolidi Electuarij conſiſtentiam vnciam vnam & ſemis Roſarum rubrarum mundatarum & pulveratarum, prius aliquot guttulis ſpiritus vitrioli aut ſulphuris irroratarum, quæ cum ſimul ſufficienter concorporata fuerint, ſupra chartam effundantur aut laminam ſtanneam, fiántque Tabellæ: Donantur etiam hæ Tabellæ nomine Conſervæ Roſarum ſiccæ, aut Rupeæ.

Saccharum Roſatum album detergendi vi præditum eſt & levi ſimul adſtrictione; Ad omnes pectoris morbos familiariſſime in vſum venit tam ob ſaporis gratiam quam auxilij præſentiam: Nocte diéque, imo quavis hora in vſum venire poteſt: Commiſcetur & Saccharum Roſaceum pulveratum Lacti Aſinino, Caprino aut Vaccino, mane ieiunóque ventriculo ægris exhibendo.

Exhibe-

Exhibetur Saccharum ab vnciæ quadrante ad integram pro copia hauriendi lactis, & ægri palati habita ratione.

Tabellæ ex Roſis Rubris multo majori adſtrictione præditæ ſunt, Commendationem & habent ad robur Ventriculi & Iecoris, intercipiendáſque ſubtiles e cerebro in pectus decumbentes fluxiones: Vſus ratio vix alia eſt quam ſacchari Roſati vulgaris.

Tabellæ de Althæa Simplices & Compoſitæ.

℞ Pulpæ radicum Althææ per ſetaceum trajectæ ℥ iiij.
Sacchari ſolidi ℔ i ß;
Aquæ Roſarum ℥ vj. *fiant ex arte Tabellæ.*

Quod ſi Compoſitas volueris.

℞ Pulpæ prædictæ ℥ ij.
Seminis Papaveris albi contuſi.
Pulveris Ireos Florentinæ,
Diatragacanthi frigidi &
Liquiritiæ ā ā. ʒ iij.
Sacchari albiſſimi in aqua roſarum ſoluti & in Electuarium ſolidum coctì ℔ j.
Fiant ex arte Tabellæ.

Methodus.

Eligendæ radices Altheæ craſſæ & ſucculentæ, probe eluendæ; hæ cortice exutæ, & in taleolas tenuiſſimas diſſectæ coquantur igne lento cum aqua fontis, jn vaſe fictili intus vitreato bene cooperto quouſque teneréſcant, poſtea conterantur in mortario marmoreo piſtillo ligneo, harum per incerniculum ſetaceum inverſum trajectarum pulpa ad vncias quatuor coquatur in ſartaguncula cum ſacchari puriſſimi ſeſquilibra,& aquæ roſarum vnciis ſex ad conſiſtentiam Electuarij ſolidi, in quo pulpa diſſolvenda: poſt pauculam vero ſartagunculę in igne moram, ad humiditatis exhalationem, conficiantur Tabellæ.

Eodem modo ſaccharum in aqua roſarum ad conficiendas Tabellas de Althhæa compoſitas coquendum, quod cum coctione Electuarij ſolidi conſiſtentiam adquiſierit, exempta ab igne ſartagunculà, diſſolvenda eſt pulpa prędicta, ac demum Pulveres, formandæ Tabellæ magnitudinis aut figurę quæ libuerit.

Liceret, ſi ere viſum fuerit, pulveri his Tabellis dicato commiſcere drachmam vnam aut alteram magiſterij ſulphuris: Poſſunt & ead m ratione concinnari & præparari plurimæ aliæ Tabellæ Thoracicæ &c.

Tabellæ de Althæa admodum in vſu ſunt ad ſedandam Tuſſim tam

recentem tum antiquam, ,cunctoſque pectoris affectus, ad obtundendam præſertim humorum acrimoniam, eorúmque coercendam fluxionem: Quavis hora adſumi poſſunt ſicuti Tabellę ſacchari roſati.

Succus Liquiritiæ Niger.

℞. Extracti Liquiritiæ conſiſtentiæ mollioris.
Sacchari optimi pulverati āā. ℔ ij.
Gummi Arabici ſoluti & colati ℥ j.
Mucilaginis ſpiſsioris gummi Tragacanthi in aqua roſarū extractæ ℥ I ß.
Miſceantur ſimul & formentur Baculi, vel Tabellæ, vel Rotulæ & in vmbra ſiccentur.

Methodus.

Hæc Compoſitio ad Tabellarum cenſum viſa mihi fuit referenda, tam ratione conſiſtentiæ quam figuræ qua poteſt donari: Accipiantur Extracti Liquiritiæ recentis, conſiſtentíæque mollioris, libræ duæ: Gummi Arabici pellucidi & pulveriſati, vncia vna; in aqua diſſoluti, per incerniculum ſetaceum traiecti, & aliquantulum inſpiſſati, mucilaginis, gummi tragacanthi ſpiſſioris ſeſquivncia, & ſacchari puriſſimi pulveriſati libræ duæ, omnia ſimul optime contundantur & commiſceantur in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, fingantúrque Bacilli, vel Tabellæ, cuiuſcunque figuræ, in vmbra exſiccandæ ad vſus neceſſarios.

Succus Liquiritiæ Niger diverſimode præparatur non modo in Hiſpania, ſed in diverſis Galliæ Vrbibus, adeo vt copia venalis mulieres etiam ad illius prçparationem impulerit: Deſcriptio a me tradita omnibus probanda eſt, quandoquidem & prçſtantia & ſaporis ſuavitas ſimul concurrunt.

Vſus Succi Liquiritiæ Nigri adeo familiaris eſt in omnibus pectoris affectibus, vt facultates illius huc inferre ſupervacaneum ſit.

Succus Liquiritiæ Albus.

℞. Pulveris liquiritiæ mundatæ
Radicis Ireos Florentinæ āā ℨ vj. *Moſchi orientalis,*
Sacchari optimi ſubtiliter pulverati ℔ j. *Ambræ griſeæ āā. gr. iij.*
Cum mucilagine gummi Tragacanthi in aqua Roſarum extracta, fiat in mortario marmoreo paſta ſolidior, ex qua formentur Tabellæ vel Baculi, in vmbra ſiccandi, & ad vſum ſervandi.

Methodus

Methodus.

Non ſatis congrue huic compoſitioni Succi Liquiritiæ nomen indi-tum eſt, quandoquidem ſolus pulvis Liquiritiæ ingreditur, nam ſi ſuc-cus,vel extractum,in compoſitionem veniret, color, qui albus eſſe de-bet, flaveſceret: at cum ſic voluerit vſus, veróque nomini præpollue-rit, eligatur Liquiritia recens intenſæ flavedinis, optime in ſcobem de-ducta, ſicuti cætera medicamenta bene contrita; poſtmodum omnia coeant ope mucilaginis gummi Tragacanthi, candidiſſimi, extractæ cum aqua roſacea, & inſpiſſatæ, concutiendo in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, adeo vt ex cunctis his exacte commiſtis, ac in paſtam nonnihil ſolidam deductis, effingi poſſint Bacilli, aut Tabellæ, ſuper chartam albam expandendæ,poſtea in vmbra exſiccandæ.

Succus Liquiritiæ albus Nigro multo gratior eſt, etiamſi vero vi-ribus inferior ſit, nihilominus æque creber, imo frequentius in vſu eſt, ob ſaporis & odoris gratiam.

Manus Chriſti Perlata, vel *Saccharum Roſatum Perlatum.*

℞. *Sacchari albiſſimi in fruſta diſſecti* ℔ j.
Aquæ Roſarum fragrantiſſimæ ℥ iiij.
Coquantur ſimul igne moderato ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam, ſemiquere frigeratis permiſceatur margaritarum orientalium præpa-ratarum ℥ ß. *Fiant ex arte Tabellæ ad vſum.*

Methodus.

Tabellis his manus Chriſti nomen impoſitum, vel Sacchari Roſati Perlati,ratione medicamentorum ex quibus conſtant: Præparatio pro-pemodum eadem eſt quæ Tabellarum Roſarum Rubrarum: vis præci-pua eſt cor & partes principes exhilarandi & roborandi: Solitariè poſ-ſunt adſumi, & quavis hora, vti Saccharum Roſatum, maxime vero vſurpantur cum Iulepis aut Potionibus Cardiacis.

Tabellæ Cachecticæ D. D. D'AQVIN.

℞. *Diaphoretici Mineralis &*
Oculorum cancrorum præparatorum ãã. ʒ ß.
Margaritarum preparatarum ʒ ij
Salis Martis ʒ ß.
Olei Cinnamomi ſtillatitij gutt. ij
Sacchari optimi pulverati ℥ viij.

Cum mucilagine gummi Tragacanthi, in qua florum Arantiorum extracta.
Fiant Tabellæ ponderis ʒ ij. pro dozi.

Methodus.

Supra cineres calidos diſſolvatur drachma vna gummi Tragacanthi albi pulverati in aquæ florum Arantiorum vnciis quatuor,in mucilaginẽ deducatur,cuius vſus ſit conjungendis medicamentis omnibus ad harum Tabellarum compoſitionem præſcriptis, ac in maſſam ſolidiuſculam ex iis compingendam, ex qua Tabellæ conficiendæ ſunt, vnaqueque pon- deris drachmæ vnius, in vmbra exſiccandæ ad vſus neceſſarios.

Hæ Tabellæ efficaces ſunt ad leniter reſerandas omnes viſcerum ob- ſtructiones, præſertim Lienis; quamobrem vtiliter in vſum veniunt ad affectus hypochondriacos,Cachexiam,Chloroſin & Dyſuriam; Vſurpari poſſunt ab iis qui aquas minerales hauriunt, ſi forte vix viam inveniant; Vnica Tabella exhibetur mane jeiuno ventriculo, duabus horis ante cibum.

Tabellæ Cardiacæ.

♃. Sacchari albiſſimi in aqua florum Arantiorum ſoluti, & in tabulati ſo- lidiorem conſiſtentiam cocti ℔ j.
Cui ſemirefrigerato permiſce
Confectionis Alkermes perfectæ ℥ j.
Corticis exterioris citri minutiſſi- me inciſi,
Antimonij Diaphoretici āā. ʒ ij.
Olei Cinnamomi ſtillatitij pauco ſaccharo pulverato excepti gut. j
Fiant ex arte Tabellæ ad vſum.

Methodus.

In fruſta dividatur ſacchari albiſſimi libra vna, diſſolvatur in Aquæ florum Arantiorum vnciis quatuor, coquantur igne moderato ad con- ſiſtentiam Electuarij paulo ſolidioris ſolito; tum removeatur ab igne ſaccharum, cui cum ſemirefrixerit commiſceantur confectio Alkermes, Cortex Citri recentis optime inciſus, Antimonium diaphoreticum, ac tandem oleum Cinnamomi, exceptum ſacchari puriſſimi circiter drach- mis duabus; poſt effundantur omnia ſupra laminam ſtanneam; aut char- tam albam, ad fingendas Tabellas, figuræ & magnitudinis pro lubitu.

Hæ Tabellæ calori nativo fovendo aptiſſimæ ſunt; ipſo adſumptio- nis momento cunctis partibus eximium vigorem afflant, Cor & cere- brum mire roborant; Adverſus aëris inquinamenta miro ſunt auxilio, Oris fœtorem emendant, halitúmque ſuavem præſtant: Nec non illis conducunt

conducunt qui munia Venerea ſegniter implent.

Quavis hora adſumi poſſunt, ſed præſertim procul a paſtibus, a drachma vna ad duas : at vero ad ſemivnciam conceduntur ſi citior & major expetitur effectus, præſertim poſteriori in caſu, cujus gratia efficaciores evaderent ſi compoſitionem ingrederetur Ambræ griſeæ drachma ſemis cum moſchi ſcrupulo vno.

Tabellæ Stomachicæ.

℞. Sacchari albiſſimi ℔ j.
Aquæ ſtillatitiæ corticum citri ℥ iiij.
Coque ſimul igne moderato ad Electuarij ſolidi conſiſtētiam, deinde adde
Nucem moſchatam ſaccharo conditam, & per cribrum trajectam
Pulpæ Piſtaciarum ʒ vj.
Corticum recentium exteriorum Citri & Arantiorum minutiſſime inciſorum,
Cinnamomi electi &
Macis ſubtiliter pulveriſatorum āā. ʒ ij.
Fiant ex arte Tabellæ.

Methodus.

Terantur in mortario marmoreo piſtillo ligneo Nux moſchata cum Phiſticis ſex mundatis, tranſmittantur per incerniculum ſetaceum inverſum : Cortices Arantiorum & Citriorum minutiſſime incidantur ; Cinnamomum & Macis ſubtiliter conterantur, demum diſſolvatur Sacchari libra vna in aquæ ſtillatitiæ Corticum citri vnciis quatuor, In quibus ad conſiſtentiam Electuarij ſolito paulo ſolidioris coctis, diluantur extra ignem pulpæ Nucis moſchatæ & Piſtaciarum, demum adiiciatur Citri cortex; denique pulveres Cinnamomi & Maceris, quæ recte concorporata effingantur in Tabellas, ad vſus recondendas.

Hæ Tabellæ ſaporem & odorem exhibent gratiſſimum, Stomachiarum nomen gerunt, quia corroborando ſtomacho debili admodum conveniunt, appetitui conciliando, alimentorum concoctioni promovendæ, eorúmque ſucco probe diſtribuendo : Flatibus etiam diſcutiendis idoneæ ſunt, humorúmque putredini inhibendæ.

Matutinis horis vacuo ventriculo ſumantur drachmarum duarum pondere, in vſu pro re nata pergendo.

Tabellæ Contra Vermes.

℞. Rhabarbari electi
Seminum Citri mundatorum
contra vermes
Portulacæ
Caulium &
Geniſtæ ſubtiliter pulveratorum ãã. ʒ iij.
Mercurij dulcis pulverati ʒ ij.
Sacchari albiſsimi pulverati ℥ xvj.
Excipiantur omnia mucilagine gummi Tragacanthæ, aqua florum Arantiorum extractæ, & fiant Tabellæ in vmbra ſiccandæ ad vſum.

Methodus.

Satis eſt medicamenta omnia in ſubtilem pulverem contriviſſe, ſimul commiſcuiſſe, ac cum mucilagine gummi Tragacanthi, educta cum aqua florum Arantiorum, ex cunctis in maſſam ſolidiorem redactis, Tabellas efformâſſe ponderis drachmarum duarum, vnam vel alteram mane vacuo ventriculo pueris exhibendo; majoribus vero natu tres vel quatuor: Succeſſus vero certior futurus eſt ſi Luna declinante tribus ex ſerie diebus exhibeantur.

Tabellæ de Croco Martis ſimplices.

℞. Croci Martis nigri, junctione ſulphuris cum chalybe candente parati & ſubtiliter pulverati ℥ j.
Pulveris Cinnamomi electi ʒ ij.
Sacchari optimi pulverati ℥ iiij.
Cum mucilagine gummi Tragacanthi, aqua florum Arantiorum extractæ fiant Tabellæ, pondere drachmarum duarum, in vmbra ſiccandæ.

Methodus.

Ad candorem incandeſcat ſudes Chalybea, in fabri ferrarij officina, liqueſcat ab admoto ſulphuris magdaleone, vaſe figulino ſubjecto aqua ſemipleno, ad excipiendas excidentes chalybis guttas, ſecretóque & rejecto ſulphure chalybi liquefacto commixto, hic exſiceatus ſubtiliſſime teratur, ſicuti & cinnamomum & ſaccharum præſcripta, quæ in mortario marmoreo cum mucilagine gummi Tragacanthi commiſta, deductàque in maſſam ſolidiuſculam in Tabellas concinnentur, drachmarum duarum aut circiter ponderis, in vmbra ad vſus naceſſarios exſiccandas.

Hæ Tabellæ in vſum præſertim veniunt contra menſes ſuppreſſos, aut citra ordinem prodeuntes: Aſſumitur Tabella mane jejuno ventriculo ſuper-

ſuperhauſtis vini albi, vel aquæ cujuſpiam hyſtericæ vnciis tribus, ſubſequente poſtmodum per ſemihoram deambulatione, ad duas horas dilato cibo: Vſus ad plures dies extendi debet, ſi neceſſitas poſtulet repetendus.

Tabella de Croco Martis Compoſitæ.

℞. Croci Martis aperientis ℥ij.
Cinnamomi acutiſsimi
Rhabarbari electi &
Fæcularum Bryoniæ, &
Croci optimi ſubtiliter pulveratorum āā. ʒ ij.
Sacchari albiſsimi in aqua Artemiſiæ ſoluti, & in Electuarium ſolidum cocti ℥ ix.
Fiant ex arte Tabellæ.

Methodus.

Ad præparationes meas Chymicas Crocum Martis remitto; Subtiliter conterantur Rhabarbarum, Cinnamomum, Fæcula Bryoniæ & Crocus, per incerniculum ſericeum tranſmittenda, vti & Crocus Martis, demum diſſolvendæ vnciæ novem ſacchari puriſſimi in aquæ Artemiſiæ vnciis quatuor, ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam coquendo; cui ſemirefrigerato cōmiſcēdi pulveres, fiántque Tabellę ponderis circiter drachmarum duarum, ad vſus neceſſarios.

Commendantur plurimum hæ Tabellæ ad menſes ſupreſſos eliciendos, Vteríque ſordes eluendas, Obſtructiones Iecoris reſerant, Lienis, aliorumque viſcerum: contra Chloroſin vtiliſſimæ ſunt, Cachexiam, Auriginem, Hydropem, imo & Lienteriam; reſeratis enim obſtructionibus facilior evadit alimentorum diſtributio, corroboratis ſimul viſceribus œconomiæ nutritiæ dicatis.

Doſis illarum a drachmis duabus ad ſemunciam, mane jejuno ventre, adſumendæ Superhibendo vncias duas aut tres vini Abſinthitis, niſi ſapor diſplicuerit, vel tantundem aquæ Artemiſiæ, ſubſequente per ſemihoram exercitio: Per quindecim dierum decurſum, imo plurium, in vſu pergendum, bihorio poſt, ſi lubet, alimentum aliquod adſumendo.

Tabella Magnanimitatis, aut Maſculæ.

℞. Pulpæ Piſtaciarum
Radicum Satyrionis conditarum,
Conſervæ florum Roriſmarini
Conf. Alkermes cum ambra & moſcho paratæ āā. ʒß.
Truncorum viperinorum &

Hepatum,
Margaritarum Orientalium præparatarum ãã. ʒ iij.
Seminis Erucæ ʒ ij.
Renum Scincorum,
Cardamomi minoris
Radicis Galangæ ãã. ʒ j.
Caryophyllorum
Cinnamomi
Macis
Ambræ griſeæ ãã. ʒß.
Moſchi Orientalis ãã. ℈ß.
Sacchari in aqua florum Arantiorum ſoluti, & in Electuarium ſolidum cocti ℔ j.
Fiant ex arte Tabellæ põderis ʒ ij.

Methodus.

Piſtaciæ mundatæ in mortariomarmoreo contundantur, vt & Radices Satyrij conditæ, cum conſerva florùm Anthos & Pulpa traiicienda per inceraiculum ſetaceum inverſum: Subtiliter conterantur trunci & hepata Viperarum,vt & Scinci, ſemen Erucæ, Galanga, Cardamomum, Caryophylli, Cinnamomum, Macis, Ambra griſea, & Moſchum: Poſt commiſtos hos Pulveres cum Margaritis præparatis, & diſſolutum ac coctum Saccharum in Electuarij ſolidi conſiſtentiam,in aquæ florum Arantiorum vnciis quatuor, iſque ſemirefrigeratum, pulpæ per cribrum trajectæ concorporandæ erunt, confectio Alkermes & Pulveres, effingendo in Tabellas drachmarum duarum circiter ponderis, pyxide ad vſus concludendas.

Ab his Tabellis magnum iis expectandum auxilium qui ad pugnam Veneram intermes ſunt: vna vel altera Tabella adſumenda, mane aut ſero,ſuperhauſtis duabus aut tribus vnciis vini Hiſpanici: Licet & per diem extra paſtus aſſumere vnam Tabellam, vſum continuando pro- vt opus fuerit: Accedant interim alimenta probi ſucci, ventriculo non gravia, animus a curis & mœſtitia ſit liber.

CAPUT XX.

De Pulveribus.

Pulveris nomen gerunt materiæ ſiccæ, quæ natura vel artificio in minutiſſimas particulas abcedunt ab invicem; Hæc in particulas minimas diviſio in ligno contingit,putredine, ſenecta,carie infecto,ſicuti & plurimis radicibus, ac calci,ſpatio aliquo a coctionis tempore:At vero pulveres hi naturales,ad caput hoc non pertinent, quo de artificialibus tantum ſermo futurus eſt; quorum materia dividi poteſt in majores aut minores particulas pro ſubſtantiarum varietate. ac prout Pharmacopoeo in

in vſum venire debent; id quod variis modis exſequitur,quos fuſe capite de Trituratione proſequutus ſum.

Id obiter dixero, neutri Pharmaciæ licere Pulveribus carere: Mortarium autem in Pharmacopolio ſemper præſto cum ſit, præcipuis Officinæ inſtrumentis id accenſendum eſſe.

Medicamenta ſicca omnino requiruntur vt ad Pulveris formam deduci queant, ſi quidem compoſitionibus tum internis tum externis commiſcendi veniant, aut ſi promptu præparanda fuerint remedia, ſive ad vſus internos ſive ad externos: Illorum neceſſitas manifeſta eſt in Electuariorum compoſitione, Opiatarum, Confectionum, Pilularum, Trochiſcorum, Eclegmatum quorundam, nonnullorum Syruporum, plurimorum Vnguentorum, Ceratorum, Cataplaſmatum &c. ſicuti id in hujus Pharmacopœæ ſerie conſpicuum futurum eſt.

Miſſis vero Pulveribus ad diverſarum harum compoſitionum fabricam concurrentibus, hoc capite eas ſolum compoſitiones complexurus ſum quæ Pulveris titulum præ ſe ferunt, non alios adducturus quam qui vulgo præparari & aſſervari ſolent.

Pulvis Viperinus.

℞. Corpora Viperina cute ſpoliata, capite & cauda mutila, ſervatis tamen corde & hepate, & in vmbra ſiccata, quantum libuerit, forficibus minutim inciſa in æneo mortario ſubtiliter pulverentur & ſerventur ad vſum.

Methodus.

Cum pleriſque ruſpatoribus Naturę celeberrimæ ſint Viperæ, Antiqui turpiter aberrarint tum in partium earundem natura explicanda, tum veneni natura tradenda, vt jampridem plurimo fuerint in vſu, maxime vero hoc ævo, operæ pretium me facturum eſſe exiſtimo ſi hic ſuccincte præcipuas notas, ab aliis ſerpentibus illas diſtinguentes, apertéque illas deſignantes attulero.

Vipera proportione corporis habita, capite depreſſiori & latiori quam cæteri ſerpentes donata eſt: roſtri extremum eminet, & fere vt in porcello inverſum; corporis longitudo vix ſemivlnam excedit, craſſities fere pollicaris eſt: duobus inſignibus dentibus aduncis prædita eſt, cavis, pellucidis, admodum acutis, duas circiter lineas, longis, verſus extremum craſſitiem exiguæ aciculæ prope cuſpidem habentibus, verſus baſin paulo craſſioribus quam in cæteris ſerpentibus, valido, articulo connexis oſſibus anticis & maxime productis cranij, flexilibus qua articula-

nectuntur, in vtroque latere maxillæ ſuperioris ſitis; Parte inferiore, & proxime radicem craſſorum horum dentium, aliis præterea ejuſdem prope longitudinis & figuræ donatæ ſunt, ſed tenuioribus minúſque firmiter infixis, Majores hi dentes ſemper in faucibus Viperæ inflexi manent, quos, ſi mordendi libido inſtat,protinus & liberrime explicat,ſive vindictæ cauſa, ſive enecandi animalia quæ illi eſca futura ſunt: Baſin vtriuſque hujus dentis cingit veſicula, continens quantitatem majoris guttæ ſucci ſalivaris, flavi, inſipidi, innoxij, prodeuntis ex congerie glandularum ſalivarium, quas numero plures obtinet Vipera, pone vtrumque oculum conglobatas, verſus temporum regionem, illic amandati & congeſti tanquam in receptaculo,à cerebro ſuperfluo humore ſe liberante oriundi, vtilis ad laxanda ligamenta articulo majorum dentium inſervientia, flexibilitatémque eorum conſervandam, ac, vt ita dicam, ad alimoniam & incrementum aliorum dentium longiorum contiguorum, & quaſi adnexorum baſi amborum a me modo memoratorum.

Vipera vnica dentium ſerie in vnaquaque maxilla prædita eſt, cæteris vero ſerpentibus duplex eſt: Collum illi anguſtius eſt minúſque craſſum, cauda quoque brevior quam cæteris ſerpentibus, præſertim in fœminis.

In Vipera exenterata nihil plane fœtidum occurrit, at vero cęterorum ſerpentum interanea fœtorem intolerandum exhalant, præſertim colubrorum: Lente repit Vipera, neque ſicuti ſerpentes exſilit, etſi agilitate inſigni prædita ſit, homines & animalia cætera morſu impetitura ſi in iram excanduerit.

Nonnulli temere effutierunt hanc cauda apprehenſam, & ſuſpenſam erigere ſe nec ſurſum reflectere poſſe, at vero etſi non ea qua cęteri ſerpentes mobilitate vigeat, ſeſe nihilominus retorquet,tenaculaque vel alia inſtrumenta quibus apprehenſa eſt cauda dentibus ferit: Maris & fœminæ dentes inter ſe ſimiles ſunt, numero & figura, etſi contra ſentiant Antiqui; Genitalia illi gemina ſunt, aculeis duris & acutis cooperta, duplici quoque vtero donata fœmina, etſi primus introitus ſimplex ſit.

Vtrique pars corporis, ſuperna bicolor eſt, cuius fundus cineriti eſt, coloris,alias dilutioris, alias obſcurioris, aut flaveſcentis vel ſubaurei vel ad rubicundum vergentis: qui fundus ſparſas habet maculas ſat juſta proportione diſtinctas, longiuſculas, coloris fuſci, fere nigricantis: Squamæ longæ, tranſverſim ſub ventre ſitæ, quarum ope reptilis eſt, chalybem nitidum & lævigatiſſimum referunt.

Differt etiamnum vipera à reliquis ſerpentibus quod vivos edat fœtus;

tus; cum cæteri ſerpentes ova pariant, quibus incubant vt excludantur: Plura hic non congeram, plurima allaturus vbi de Vipera agendum mihi erit quatenus compoſitiones ingreditur, curioſos præterea ad Tractatum meum, vel Experimenta nova circa Viperas re mittens.

Exeunte Aprili, vel initio Maij accipiantur Viperę vividæ, forficibus illis amputetur caput, ſicuti & cauda, pelle vndique exuantur, interanea omnia eximantur, ſolum aſſervando Cor & Hupar, probe vino albo eluenda cum reliquo corpore exenterato; hæc ſuſpenſa in vmbra exſiccentur; poſtea forficibus minutim diſſecentur, in magno mortario, æneo conterantur, traiiciatur pulvis per cribrum ſericeum denſiſſimum, & ad vſus aſſervetur.

Pulvis iſte plurimo Sale volatili viget, quo viperę turgent, hinc fit vt illius facultas etiam ad diſtantiſſimas corporis partes pertingat; ſanguinem purum reddit illúmque de novo inſtaurat; omne Scabiei genus delet; Impetigines quaſvis, Eryſipelata, ſed pręſertim Lepram ſuperat: priſtinum habitum iis reſtituit quos vel febres lentę vel affectus chronici ad maraſmum deduxerunt: Phthiſicis mirandum in modum opitulatur & Tabidis: calorem naturalem conſervat, alimentorum coctionem multum adjuvat, vti & chyli diſtributionem: Vſus illius in omnibus morbis epidemicis ſaluberrimus eſt, ad pręcavenda & ſuperanda venena, occulta & deleteria vi agentia eximius eſt, pręſertim viperinum, omniúmque ſerpentum.

Procul a cibo adſumendus, ex iuſculo, vino, aut quopiam liquore cardiaco; Commiſceri etiam poteſt alicui Syrupo, aut conditurę, forma boli deglutiendo: Opiatæ quoque eundem admittere poſſunt, vel Electuaria ſolida aut liquida, vel etiamnum alij Pulveres.

Doſis decem, viginti, & triginta grana, imo ad drachmam vnam aſcendere licet; Inſenſibilis eſt illius operatio, neque ſudores, niſi largiore manu præbeatur, promovet: Diutinus illius poteſt eſſe vſus.

Pulvis Comitiſſæ Kanth, ſex de Chelis Cancrorum.

℞. Extremitatum nigrarum pedum maiorum cancrorum marinorum ℥ iiij.

Oculorum Cancrorum fluviatilium,	*Viperinæ ſeu Contrayervæ*
Margaritarum Orientalium, &	*Virginianæ ãã. ʒ vj.*
Coralli rubri præparatorum ãã ℥ j.	*Lapidis Bezoar Orientalis ʒij.*
Succini albi	*Oſsis e corde cervi ℈ iiij.*
Radicis Contrayervæ	*Croci ℈ ij.*

Omnia ſubtiliter pulverata irrorentur ſpiritus mellis ℥ ß. deinde excipiantur Gelatina Viperina, & fiant Trochiſci in vmbra ſiccandi &

vſus tempore pulverandi.

Methodus.

Accipiantur Cancri marini, & fluviatiles, circa finem Iunij, dum Sol Cancri ſignum peragrat; ſumantur vnciæ quatuor extremorum nigrorum majorum chelarum, e prioribus, & vncia vna oſſium rotundorum & planorum, e poſterioribus, quæ improprie vocantur Oculi aut Lapides: exinaniantur extremitates chelarum, ablata parte carnea, conterantur in maiori mortario marmoreo æneo cum oculis cancrorum fluviatilium, quæ poſtmodum ſuper lapide porphyrite, aqua quapiamcardiaca humectata,eodémque quo gemmæ modo præparata,Trochiſcorum, forma aut aliter, chartę albę, inſternantur, & in vmbra exſiccentur: Eadem præparatio Margaritis orientalibus debetur, Corallo rubro, & Succino albo: In mortario æneo conterendus lapis Bezoar orientalis,commixtio fiat omnium pulverum: Tum igne lentiſſimo in vaſe figulino vitreato, optime cooperiendo, decoquantur quatuor grandesViperæ excoriatæ,demptis capitibus & caudis,ablatis interaneis, ſed relictis cordibus & Iecoribus,in fruſta diſſectis, in libra vna aquæ Meliſſæ, donec perfecte coctæ fuerint, iuſculum autem ad gelatinæ conſiſtentiam deductum: Coletur eodem tempore Iuſculum expreſſione facta viperarum, huic compoſitioni dicatum: Immitantur Pulveres capaci mortario marmoreo, irrorentur ſpiritu mellis præſcripto, qui cum omnino abſorptus fuerit, repetitis vicibus affundatur Iuſculum viperinum, ea quantitate quæ ſufficiat omnibus in maſſam ſolidiuſculam conglobandis,e qua concinnentur exigui Trochiſci,in vmbra exſiccandi, poſtea in vaſe vitreo aut myrrhino recte obturato conſervandi, vſus tempore pulveriſandi.

Iuſculum viperinum ad Gelatinæ conſiſtentiam excoctum vſui tantum eſt colligendis & coadunandis pulveribus, ac in maſſam effingendis Trochiſcis idoneam,compingendis: At vero ab hoc Iuſculo huic compoſitioni vis alexiteria & cardiaca Viperarum accedit, illi proculdubio inexiſtenti, etſi antiqui Iuſculum viperinum in præparatione Trochiſcorum repudiarint.

Compoſitio hæc ad Trochiſcorum caput referenda videtur, at ſatius duxi Anglos imitari, illius Authores, qui Pulveris nomine donaverunt, vel eo præſertim nomine quod Trochiſcorum forma donaverint hunc Pulverem, vt diutius viribus illibatis aſſervari queat; iſdémque Trochiſci in pulverem vſus tempore deducantur.

Apud Anglos celeberrimus eſt hic Pulvis, & plurimo in vſu adverſus omnes morbos epidemicos, ſpeciatim variolas & morbillos: commendatur

mendatur etiam contra Peſtem,tam ad prophylaxin, quam curationem: Cor enim roborat,omnéſque partes principes, vt cacoethiæ horum morborum aërîſque inquinamentis obſiſtere valeant,omneque veneni genus ſuperare: Neque minor nominis illorum fama eſt apud Gallos, eos ſcilicet quibus perſpectæ ſunt illius vires & ſæpenumero felicem ſucceſſum experti ſunt.

Eadem exhibetur doſi, eadémque vſus ratio quæ Pulveris Viperini.

Pulvis Aromatici Roſati.

℞. *Roſarum rubrarum exungulatarum ſiccarum* ℥ xv.
Glycyrrhiſæ raſæ ℥ vij
Cinnamomi acutiſſimi ℥ v.
Ligni Aloës.
Santali citrini ãã. ℥ iij.
Caryophyllorum,
Macis
Nardi Indicæ
Gummi Arabici
Tragacanthi ãã. ʒ iiß.
Nucis moſchatæ
Cardamomi minoris
Galangæ ãã. ʒ j.
Ambræ griſeæ ℈ ij.
Moſchi Orientalis ℈ j.
Fiat omnium ex arte Pulvis.

Methodus.

Immôrari hic nolo ſingula Medicamenta Pulverem hunc componentia proſequutus: Id vnum dixero, juxta generales Triturationis regulas, initium Pulveriſationis a lignis ducendum eſſe, quæ prius contundenda & conterenda in amplo mortario æneo; demum addendam eſſe Galangam, cum Lignis aliquandiu tundendam, quibus ſuccedat Cinnamomum, Gummata Arabicum & Tragacanthum,ac tandem Caryophylli, Nux moſchata, Macis, Cardamomum & Roſæ rubræ, cum cæteris eodem tempore conterenda, traiiciendo demum Pulverem per incerniculum ſericeum denſius: Tum ſeorſim pulveranda in minori mortario æneo Moſchum & Ambras, addito tantillo oleo nucis Moſchatæ, ne mortario adhæreſcant, hæc iterum per idem incerniculum ſericeum tradūcenda, priori pulveri commiſcenda, ad vſus neceſſarios recondenda.

Si Gummi Tragacanthum & Arabicum majori copia hunc Pulverem ingrederentur, e re eſſet illa ſeorſim contundere in majori mortario æneo excalefacto, ſed exigua quæ huc infertur quantitas commode cum reliquis poteſt teri: Neque etiamnum inutiliter tempus terendũ in incidendis lignis, atque ſpica nardi, quandoquidem facillime cedunt contuſioni in mortatio majori, cum cæteris medicamentis factæ.

Magnifit hic Pulvis ad roborandum Cerebrum, Cor & Ventriculum, Viſcerum humorem ſuperfluum abſumit, putredini obſiſtit, appetitum excitat; alimentorum concoctionem promovet, vomitus coërcet & diarrhœas; In corroborando admodum eſt efficax, & a morbo convaleſcentes inſtaurando.

Poteſt exhiberi ex vino, juſculo, vel liquore quopiam cardiaco, a ſcrupuli ſemis quantitate ad drachmam vnam, Poteſt etiamnum deduci ad Electuarij mollis aut ſolidi conſiſtentiam, addita ſacchari convenienti proportione, aut Opiatis commiſceri, Potionibus, aut aliis remediis.

Pulvis Diarrhodon emendatus.

℞. *Roſarum rubrarum exungulatarum* ℥iß.
Santali Citrini
Rubri ãã. ʒ iij.
Ligni Aloës
Cinnamomi
Rhapontici
Nardi Indicæ
Raſuræ Eboris
Oſsis e corde cervi
Croci
Maſtiches
Cardamomi minoris
Gummi Tragacanthi
Arabici
Succi Glycyrrhiſæ
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Ocymi,
Melonum &
Cucumeris mundatorũ &
Margaritarum præparatarum ãã. ʒ j.
Ambræ griſeæ gr. viij.
Moſchi Orientalis gr. iv.
Fiat ex arte Pulvis.

Methodus.

Qui comparationem inſtituere voluerint hujus Pulveris cum deſcriptionibus quæ in plurimis Diſpenſariis occurrunt ſub Abbatis nomine ii immutationem doſeon illi obſervaturi ſunt, Santalum citrinum albo ſubſtitutum fuiſſe, raſuram Eboris Spodio, Rhaponticum, Rhabarbaro, plurimaque ſemina detracta fuiſſe, Pharmacopœo plus negotij illatura quam vtilitatis in hanc compoſitionem.

Nulli dubium Santalum Citrinum Rubro anteponendum eſſe, Spodio, hoc eſt Ebori vſto ab aduſtione plurimas optimas partes deceſſiſſe; Rhabarbarum autem, vi purgante donatum, hic loci inutili, Rhapontico locum jure cedere, cujus cunctæ qualitates ſatisfaciunt indicationibus, quarum gratia hic Pulvis inventus fuit.

Neque etiam quicquam redundans in hoc Pulvere occurret, atque manifeſtum fiet ex æqua doſium proportione, ac medicaminum omnium

nium juſta commiſtione expectandos omnes effectus huic compoſitioni ab authoribus aſſignatos.

Commendatur hic Pulvis ad robur Ventriculi, Appetitus amiſſi revocationem, Flatuum diſcuſſionem: Speciatim etiam conducit affectibus Iecoris aut Lienis, Ictero; Phthiſi, Dyſenteriæ, Vomitui, Cordis defectionibus & Leipothymiis; Valet & in abſumendis ventriculi ſuperfluitatibus.

Eadem hujus Pulveris doſis quæ præcedentis obſervanda venit.

Pulvis Diamargariti frigidi.

℞. *Margaritarum Orientalium præparatarum* ʒß.
Roſarum rubrarum exungulatarum
Florum Nymphææ &
Violarum ā ā. ʒ iij.
Ligni Aloës
Santali rubri &
Citrini
Radicum Tormentillæ
Dictamni albi
Pentaphylli
Baccarum Myrthi
Granorum Kermes
Seminis Melonum excorticati
Endiviæ &
Oxalidis,
Raſuræ Eboris &
Cornu cervi,
Coralli Albi &
Rubri præparatorū ā ā. ʒ ij.
Ambræ griſeæ &
Foliorum Auri ā ā. ʒß.
Moſchi Orientalis gr. iiij.
Fiat ex arte Pulvis.

Methodus.

Ex compoſitionibus vſitatis nulla eſt cujus deſcriptio in Diſpenſatoriis magis varietatis exhibeat quam hujus Pulveris, nullius authoris nomen præ ſe ferentis: Ex mea vero ſententia, hæc nulli aliarum poſtponenda eſt, tam ratione electionis quam doſeos ſimplicium: Pulvis hic a Margaritis nomen mutuatum eſt, illius baſi, majoríque quantitate admiſſarum quam cætera omnia medicamenta: Frigidi cognomen adeptum eſt, eo quod continet plurima medicamenta frigida, aut modico calore prædita in ſui compoſitione, Tum ad diſtinctionem alterius Calidi cognomine donati, qui hodie obſolevit; Præparatio hujus Pulveribus a prioribus non differt.

Vſus præcipuus hujus Pulveris Diamargariti frigidi ſpectat corroborationem partium principum, virium languentium Inſtaurationem; Opem fert in Animi defectionibus & Syncope, Febribus aliiſque affectibus ſuccedente: Præſcribitur necnon in gratiam Aſthmaticorum,

Tabidorum, & eorum quos morbi diuturnitas confecit & ad maraſmum deduxit.

Eadem doſi offertur eadémque ratione qua cæteri pulveres Cardiaci ſupra memorati.

Pulvis Lætificans.

℞ *Seminis Ocymi caryophyllati.*
Croci
Zedoariæ
Santali Citrini
Caryophyllorum
Corticis exterioris Citri ſicci
Galangæ
Macis
Nucis Moſchatæ
Storacis calamitæ āā ʒ ij ß.
Raſuræ Eboris
Seminis Aniſi
Thymi
Epithymi
Margaritarum Orientalium præparatarum.
Oſsis e corde cervi āā ʒ j.
Ambræ griſeæ
Moſchi Orientalis
Foliorum Auri &
Argenti āā. ℈ j.
Fiat ex arte Pulvis.

Methodus.

Parvi refert quis hujus Pulveris fuerit author, cujus deſcriptio non admodum diſſona occurrit in Diſpenſatoriis; modo allatus non improbandus eſt, eo modo quo præcedentes præparandus: Id noſſe expedit, etſi folia Auri & Argenti Pulveribus aliiſve Compoſitionibus, quas ſubeunt, nonnihil facultatis prima fronte afferāt, ad ornatū tamen præcipue preſcribi, quo fit vt moris non ſit illa cōterere, aut aliis medicamentis commiſcere, ſed pulveri inſternere, adeo vt ſuperna & inferna parte hæc ab illis contegatur, ſtratis quibuſdam interpoſitis, quæ poſtmodum tenui cultello & acie ſubtili prædito inciduntur, vt poſtmodum pulveri in minutias diviſa permixta oculis ſe exhibeant; quamobrem etiam aliquando ſuperficies exterior Opiatarum Cardiacarum, & Pilularum & Bolorum iis obvolvitur, eóque pacto ſimul ſapor ingratus occultus lotet.

Pulvis hic plurimi fit ad emendandam intemperiem frigidam & humidam ventriculi & Iecoris concoctionem juvandam & appetitum languentem excitandum: Admodum quoque confert cordi debili & Palpitatione affecto ad priſtinum habitum corpori reſtituendum, vividum colorem vultui conciliandum, halitum oris ſuavem præſtandum, vires deiectas inſtaurandas, melancholiam diſcutiendam & moeſtitiam abigendam ab interno principio & citra occaſionem obortam. Vſus idem.

idem eſſe poterit qui præcedentium.

Pulvis Diatrion Santalon.

℞. *Santali Citrini.*
Albi &
Rubri
Seminis violarum
Roſarum rubrarum exungulatarum, ãã ʒ ß.
Rhapontici
Raſuræ Eboris
Succi Glycyrrhiſæ ãã. ʒij.
Summi Tragacanthi &
Arabici
Seminum Endiviæ
Portulacæ &
Melonis excorticati ãã. ʒj.
Fiat ex arte Pulvis.

Methodus.

Me iudice iuſta de cauſa Amylum detractum eſt cum parte ſeminum, in maxima parte deſcriptionum huius Pulveris admiſſorum, tam quia Amylum hic omnino nihil conducat, quam ad arcendam huius Pulveris corruptionem, ab exuperante copia horum ſeminum imminentem.

Si quis huius Pulveris intenſiorem exoptaverit colorem rubrum, præparationis initium a Santalis ducendo, hæc Aqua roſarum humefiant, diúque ſola conterant, irrorationem per intervalla reiterando, quovſque ſufficientem rubedinem adepta ſint; quæ vbi exſiccata fuerint, alia ſimplicia addantur, perficiendo Puluerem, per incerniculum ſericeum denſiſſimum traiiciendum.

Hic Pulvis magnæ eſt vtilitatis in affectibus a debilitate aut mala Iecoris conſtitutione obortis ad viſcerum calorem temperandum, in febribus biliofis excitatum, atque ad abſumendos & diſcutiendos humorès in febrium declinatione ſuperſtites: Admodum quoque confert in Cardialgia, Ictero & Phthiſi: Vtiliter in vſum venit ad Potiones, Opiatas, Electuaria mollia & ſolida: Exterius ad Epithemata, Frontalia &c. Linimenta.

Pulvis Pannonicus.

℞. *Boli Armenæ*
Terræ Lemniæ ãã. ʒ i ß.
Margaritarum Orientalium.
Lapidum Hyacinthorum.
Smaragdorum,
Sapphirorum,
Rubinorum, &
Coralli Rubri &
Albi præparatorum;
Radicum Tormentillæ,
Doronici,
Dictamni albi,
Santali Citrini
Raſuræ Vnicornis &

 Eter

Eboris āā ʒß.
Corticis citri exterioris ſicci, &
Seminis Acetoſæ, āā. ʒ iij.
Caryophillorum &
Croci āā. ʒß.
Foliorum auri puriſſimi N° XXV.

Fiat ex arte Pulvis, ex cuius ℥ i ß poteſt confici Electuarium ſolidum cum ſacchari optimi aqua roſarum ſoluti & cocti ℔ j.

Methodus.

Cornu Vnicornu ex numero eorum eſt medicamentorum quæ licet mixti vnam tantum partem conſtituant, totius tamen nomen gerunt, adeo vt cornu eligatur ſi quando vnicornu præſcriptum fuerit.

Hoc animal a Grcis Μονοκερὼς vocatur, à Latinis Vnicornis: Authorum ſententiæ admodum variæſunt in huius Animalis deſcriptione: plerique cenſent corporis forma ad Equum accedere, ac gerere cornu in ſpiram contortum, plus aut minus longum,parte ſuperna & antica capitis ſitum, figuræ admodum erectæ,cuius cuſpis antrorſum vergat: Illorum tamen ne vnus eiuſmodi animal a ſe viſum aſſerit, neque etiam; de illius loco natali verba vlla facit: Eapropter plurimi in dubium revocant num Vnicornis, cuius meminere Sacræ Scripturæ,animal fuerit illi ſimile de quo rerum naturalium Scriptores deſcriptionem tradidere, Equi figuram affingentes, ac num forte Sacræ Literæ Rhinocerotem audierint, cum meminere Beſtiæ cui interpretes Vnicornis nomen indidere; quanquam figura erecta & contorta, colórque albus a Naturalium rerum ſcriptoribus Vnicorni aſſignata,in cornu Rhinocerotis deſint, quod in ſpiras contortum non eſt,ab ipſa radice inflexum, mucrone ſurſum vergente, coloris obſcuri, ſitum in parte infima & antica capitis.

Sed miſſa opinionum varietate, inter Scriptores celeberrimos rerum naturalium occurrente, ex mea ſententia nequaquam in rerum natura extat Monoceros terreſtre, cuiuſmodi deſcriptum reperitur: Cornu vero illud album, duriſſimum & grave, intortum, intus cavum,longum vlnam vnam interdum duas, in Medecina vſitatum, grandioris eſt Piſcis Maris Groenlandici,ab Iſlandis Vocatum NarWal: Prodit id cornu ex media & antica parte maxillæ ſuperioris grandis illius Piſcis,quo in loco radix obtinet pedalem circiter longitudinem , ipſi cornu craſſitie æqualem, Hoc cornu impugnat alios Piſces, quibus occidit maximos piſces imo Cetaceos; cornu tam valido impetu impingens vt etiam denſiſſimam navem traiicere poſſit: Cornua vaſti huius Piſcis olim admodum rara fuere, Animal vero, hoc inſtructum, plane ignotum, adeo vt ex nonnullorum ſententia id quod in Theſauro ſancti Dionyſii viſendum etiam hodie exhibetur vnicum fere proſtaret; Ac piſcatu

piſcatu captus diverſis temporibus hic Piſcis, prædicta & putatitia cornua vulgaria magis reddidit in Anglia, Hollandia, Germania, Dania & aliis locis; ſed ne evager,in meis ædibus vnum adſervo longitudine & craſſitie id ſuperans quod in Theſauro Sancti Dionyſij viſitur.

Infrequentia huius cornu cauſa fuit præcipua quod in tanto pretio & commendatione olim habitum fuerit, illique vires omnino ſingulares aſſignatæ ſint,tum adverſus venena, , tum ad variolas, morbillos alióſque morbos epidemicos; Imo in magnatum gazophylaciis horum cornuum ſegmina auro inſerta animadvertantur, in numero rerum maximi pretij habita, quibus dotes omnino inexhauſtarum virium adſcribuntur, quæ in liquores, quibus immergitur,tranſire queant in infinitum,non ſecus ac vis Reguli aut Vitri Antimonij: Etſi vero Sal volatile, quo hoc cornu abundat, maximam partem effectuum ipſi aſſignatorum edere valeat; nec enim virtus ſemel in liquorem aliquem transfuſa amplius ſuperſtes eſſe poteſt in cornu ſi illa exutum fuerit,non ſecus ac quæ in ebore, cornu cervino adeſt, (quorum partes ejuſdem prope indolis ſunt ac cornu monocerotis) quærenda amplius non eſt ſi in liquore quopiam illorum infuſio aut decoctio facta fuerit, aut accedente præparatione aliquæ partes maxime eſſentiales ab illis exemptæ fuerint.

Doronicum, planta eſt a pleriſque ſcriptoribus Botanicis deſcripta ſub nomine *Aconiti Pardalianches,plantaginis folio*:foliorũ figura plantagini admodum ſimile eſt,ſed magis flaveſcunt, floribus chryſanthemum referentia: Radix, hoc loco præſcripta, nodoſa eſt, & quaſi capillata, ſaporis ſubdulcis,ſubſtantiæ viſcidæ: Exitio eſt Leopardis, Lupis, Canibus & pleriſque quadrupedibus, ſed homini non nocet, quin potius illum vindicat a venenis ſi ab illis impetitus fuerit.

Hoc loco neque *Margaritarum* neque *Gemmarum* deſcriptionem traditurus ſum, vti neque alia ſimplicia hunc Pulverem ingredientia allaturus: Id ſolum dixero, in illius præparatione ſc bina deradendum eſſe cornu Vnicornis, & Ebur; Præparandas eſſe Moargaritas omnéſque gemmas, vti & Corallia ac Bolum Orientalem ſuper porphyrite: Terendo,ac aqua roſacea humectãdo quouſque omnino impalpabilia fiant, effingendos ex iis eſſe Trochiſcos, in vmbra exſiccandos: Conterenda eſſe in amplo mortario æneo raſuras cornu Monocerotis & Eboris, vna cum Santalo Citrino & Radicibus, quibus poſt hæc addenda ſunt Cinamomum & cortex Citri; ſiccus, demum Caryophylli & ſemen Oxalidis; Cuncta per incerniculum ſericeum tranſmittenda eſſe: Crocum ſiccandum ac ſeorſim ſubtiliter terendum: deinde rite commixtis pulveribus omnibus cum Gemmis, Corallis, Bolo Armena, & Terra ſigillata adiicienda eſſe folia Auri, ſicuti ſupra dixi inciſa, Pulverem in-

vſus aſſervando; Ex quo Tabellæ concinnari poterunt, ſeſcunciam illius, ſacchari albiſſimi vnciis duodecim in aqua roſacea diſſoluti, in Electuarij ſolidi conſiſtentiam cocti commiſcendo.

Hic Pulvis in regionibus Septentrionalibus cõmendatiſſimus eſt, præſertim in Germania, vbi in vſum ducitur adverſus febres Malignas omnéſque affectus epidemicos, ac quodvis venenum: Summæ eſt efficatiæ in variolis, expellendi enim vi pollet malignitatem ad corporis peripheriam, & contuendi partéſque omnes principes.

Vulgo exhibetur diſſolutus in aqua aliqua cordiali cum ſyrupo veronicæ altilis edulcorata, limonum aut granatorum, procul ab alimentis illum adſumendo, pondere ſemiſcrupuli ad ſemidrachmam; Tabellæ ex illo compoſitæ ſimilem propemodum effectum edere valent; Poteſt & vna aſſumi horis matutinis contra aeris inquinamenta.

Pulvis Anti-Epilepticus D.D. D'AQVIN.

℞ *Radicis Pæoniæ maris, ineunte vere & decreſcente Luna collectæ.*
Seminis eiuſdem,
Radicis Dictamni albi
Viſci quercini,
Raſuræ cranij hominis morte violenta perempti,
Vnicornis,
Eboris,
Vngulæ Alces āā. ℥ j.
Margaritarum Orientalium
Lapidum Hyacinthorum &
Coralli rubri præparatorũ āā ℥ß
Seminis Ocymi Garyophyllati.
Florum Tiliæ,
Betonicæ,
Lilij convallium āā. ℥ ij.
Ambræ griſeæ ℈ß.
Moſchi Orientalis gr. vj.
Fiat omnium, ex arte Pulvis, cui perfecto addantur.
Folia auri puriſsimi N°. XV.

Methodus.

Alce animal eſt in ſilvis regionum ſeptentrionalium naſcens, præſertim in Norvvegia, magnutudine equi proceri, pilo fulvo, corpore Cervum propemodum referens, ſed craſſiore & obeſiore: Crura illi longa & gracilia, ſimiliterque biſulcum eſt; Cornua ſicuti Damæ illi larga & depreſſa; Rerum Naturalium ſcriptores id animal perniciſſimum tam eximiæ veloritatis eſſe tradunt vt nunquam præda fieret niſi venatores obſervarent tempus quo morbo ſontico prehenditur (cui admodum obnoxium eſt) in eorum poteſtatem tunc veniens, antequam ſatis virium obtineat ad pedem in aurem ſiniſtram inferendum: Si enim id tempus conceſſum fuerit, illico ſanatum iri referunt, reſurgere, curſúque repetito ſaluti fuga conſulere; Quamobrem quidam cenſent vngulam

gulam ſolius illius pedis vim nactam eſſe ab Epileptia liberandi eos qui ejuſmodi morbo tentantur; ore aſſumptam,annuli forma geſtatam aut appenſam.

Radices *Pæoniæ* diligenter colligendæ ſunt veris initio, & Luna decli-nante; Semen autem die ſerena & vltimam maturitatem adeptum, abiecta ſiliqua.

Verus viſcus quercinus, indagandus eſt,& *cranium hominis* perfecte ſani violenta morte interempti: Accipiatur extremitas vngulæ pedis Alces, ſcobina vti cornu Vnicornis & Ebur deradenda, Pulverem ſicuti de præcedentibus monui præparando.

Infantes in regionibus meridionalibus, aut illi vicinis nati, multo fre-quentius Epilepſia tentantur quam in Septentrionalibus: Lumbricis etiamnum crebrius infeſtantur, morbi ſontici cauſa ſatis frequente, Ideoque Pulveres Antepileptici plurimum in vſu ſunt tam pro juniori-bus quam adultis: Valet idem pulvis contra Apoplexiam, Paralyſin & affectus omnes ab exuperantia humorum, aut diluvio in cerebro obortorum.

Exibetur vulgo ex aquis cephalicis, eadem dozi qua Pulveres car-diaci,poteſt & Opiatis commiſceri, Tabellis aliíſque remediorum for-mulis: In Gallia Narbonenſi Pulverem Antiepileptium de Gutteta vocant.

Pulvis contra Rabiem.

Foliorum Rutæ,	*Menthæ*
Verbenæ,	*Artemeſiæ*
Salviæ,	*Meliſſophylli*,
Plantaginis,	*Betonicæ*,
Polypodij	*Hyperici*,
Abſynthij vulgaris	*Cẽtaurij minoris ãã partes æquales*

Omnia circa Iunij plenilunium cœlo ſereno colligantur, papyro in-voluta ſiccentur, & in ſubtilem pulverem redigantur.

Methodus.

Pulvis hic a Domino de Piron excogitatus eſt, deſcriptúſque reperi-tur in libro cui titulus, De morſu canis rabidi, edito a Domino Pal-mario medico Pariſienſi,qui experimento frequenti confirmatum eſſe tradit,miróſque ſe effectus animadvertiſſe,imo quicunque illum adſump-ſerunt ab Hydrophobia præſervatos fuiſſe, citra recidivam; illos quo-que qui iam illud ſymptoma paſſi eſſent, ante pulveris illius vſum, libe-

ratos fuiſſe crebra vſurpatione, dummodo morſu impetitum non eſſet caput, aut pars dentibus ſuperior; aut pars demorſa aqua abluta non eſſet, quo in caſu curationem cenſet fere impoſſibilem.

Cunctæ hæ herbæ colligantur circa plenilunium menſis Iunij, cum vnaquáque illarum fere ſummo potitur vigore; eligendo eapropter diem ſerenum, in exiguos faſciculos contrahendæ, charta obvolvendæ, in aere libero ſuſpendendę quo radii ſolares non pertingant, exiccandarum illarum gratia; quæ omnes cum optime ſiccæ fuerint contundendæ ſunt in grandi mortario æneo, pulvis per incerniculum ſericeum tranſmittendus, ad vſus recondendus.

Etſi immerſio in aquam marinam remedium habeatur certiſſimum contra morſum omnium animalium rabidorum, viciníquæ maris accolæ ad illud præſidium ſemper confugiant, Pulvis hic qui præparetur dignus eſt pro ijs qui a mari diſſiti ſunt, Illud vero aſſero me olim illum ac curatiſſime præparaſſe apud D. Noachum Simardum, magiſtrum Pharmacopoeum, artis pertiſſimum, in cujus Officina vidi venalem, in eorum gratiam qui rus incolunt, celeberrimúmque ob effectus, certitudinem obſervavi.

Exhibebatur Pulveris illius drachma vna, commixta ſemidrachmæ pulveris Viperini, ex cyatho vini albi, mane vacuo ventriculo, repetita eadem doſi per novem ex ſerie dies, imo maioris ſecuritatis cauſa: per quindecim: Nuntiatumque quotquot vſi eſſent ſalvos & incolumes plane evaſiſſe: Dominus Palmarius iubet doſin augeri ad duas aut tres drachmas pro robuſtis, id quod nullo diſcrimine fieri poteſt, cum nullum ſimplex hanc compoſitionem ingrediens dozis augmentum prohibere poſſit: Sunt & qui velint per huius remedij decurſum petroſelinum contuſum parti demorſæ admoveri, quod conſilium ſupervacaneum non eſt.

Pulvis pro Dentifricio.

℞. Radicis Ireos Florentinæ,
Lapidis Pumicis, &
Cornu Cervi vſtorum,
Coralli rubri præparati
Oſsis interioris ſepiæ,
Cremoris Tartari tenuiſsime pulveriſatorum āā. ℥ j.
Moſchi Orientalis,
Zibetti ana ℈ß.
Oleorum ſtillatitiorū ligni Rhodij:
Caryophillorum,
Cinnamomi, āā. gutt. ij.

Miſceantur omnia & ſervetur Pulvis ad vſum, vel excipiantur æquis partibus Syrupi mororum & Kermeſini, & ad opiatæ conſiſtentiam reducantur.

Methodus

Methodus.

Accurate medicamenta omnia Dentifricium hoc componentia in pulverem impalpabilem deducenda ſunt,ne attritione excorientur gingivæ : Moſchum pulveriſatum facile toti pulveri conjungetur, vt & zibethum ac olea diſtillata ; neque metus ne ab his lentorem contrahat : Neque etiam arduum fuerit hunc Pulverem in Opiatæ formam effingere, additis Syrupis Mororum & Kermeſino, vtriuſque adſumendo partes æquales & quantitatem ſufficientem vt exurgat Opiatæ conſiſtentia.

Scio non deeſſe Opiatas & Pulveres idoneos defricandis & dealbandis dentibus, at valere non juſſis præſcriptionibus plurimis, vel in Diſpenſatoriis occurrentibus, vel privatis aſſervatis, aſſero hunc probatiſſimum eſſe, ſive forma Pulveris in vſum veniat, ſive ad Opiatam, ſicuti præſcriptum eſt, deductus fuerit; Mundat enim & dealbat Dentes, præcavet putredinem,illoſque obfirmat : Commixtio pulverum cum Syrupis perficiatur in mortario marmoreo.

Pulvis alius compendioſior ad idem.

℞. Lacrymarum elegantium Sanguinis Draconis, &
Aluminis Romani vſti ſubtiliſsime pulveratorum ā ā. ℥ ij.
Moſchi Orientalis gr. iiij.
Miſceantur ex arte ad vſum, Vel cum æquis partibus prædictorum Syruporum pulveri immixtorum, fiat Opiata ad vſum.

Methodus.

Pulvis iſte, etſi ſimplicior & minoris compoſitionis, præcedente inferior non eſt, neque elegantia neque viribus, quamvis carior ſit ob additas lacrymas ſanguinis draconis: Poſſent & addi margaritæ præparatæ, in eorum gratiam qui ſumptibus non parcunt; Pulvis enim, & ex eo confecta Opiata præſtantiores fierent.

Vſus hujus Compoſitionis, ſive Pulveris forma, ſive Opiatæ veniat, hic eſt, vt leniter confricentur dentes mane & ſero, imò, ſi lubet, quavis hora.

Pulvis Cephalicus odoratus.

℞. Radicis Ireos Florentinæ ℥ viij.
Santali Citrini ℥ iiij,
Florum Lavendulæ
Roſarum rubrarum
Summitatum majoranæ ā ā. ℥ iij.
Storacis,

Benzoini ãã. ℥ ij. *Labdani*,
Tacamahacæ odoratæ *Acori veri*, &
Florum Lilij convallium ãã. ℥ j. *Cyperi rotundi* ãã. ʒ j.
Caryophyllorum ʒ ij.

Fiat omnium Pulvis craſsior ad vſum, cui pro ditioribus Moſchi, & Ambræ griſeæ ãã. *grana decem aut duodecim addi poterunt.*

Methodus.

Ad vſus tantum externos vſurpatur hic Pulvis, quo fit vt craſſior inſtituatur illius tritura, quapropter odór non tam cito diſſipatur, vti neque medicamenti virtus: Vſus præcipuus eſt in cucuphis interpunctis ex tela aut bõbycino rariore, quibus inſeritur cõfectis, adiecto goſſypio vulgari aut Oüatico dicto, ſimul ſutura conjunctis, quo Pulvis vbique diffundatur, atque æqualiter per calanticam aut pileum cohibeatur.

Effectus hujus Pulveris eſt cerebri corroboratio: In vſum quoque ducitur ad Scuta, aut Sacculos interpunctos, cordis regioni admovendos, vel Ventriculi, ad illorum corroborationem; Pera ſuavis odoris cauſa quoque geſtandos; Inſpergitur & lectis, veſtimentis, vel linteis, in arcis, eundem in finem.

Pulvis contra Vermes.

℞. *Seminis contra vermes* *Rhei electi*
Citri mundati *Scordij*
Geniſtæ *Centaurij minoris*
Portulacæ & *Radicis Genianæ* &
Caulium *Raſuræ cornu cervi* aa. ℥ j.

Fiat omnium Pulvis tenuiſsimus ad vſum ſervandus, Cui vſus tempore Mercurij dulcis grana aliquot permiſceri poterunt.

Methodus.

Pulvis hic congeries eſt eorum quæ in medicina Lumbricis maxime adverſantur; doſis eſt a ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo ad integram pro adultis: Exhiberi poteſt ex vino, aut aqua ſcordij, portulacę, aut florum Arantiorum, vel ex pomo cocto, Syrupo quopiam, aut Condito: Immiſcetur etiam nonnunquam Opiatis & Potionibus: Grana aliquot Mercurij dulcis exhibitionis tempore addi poſſunt: ſed tum temporis difficulter hauritur, Mercurius enim dulcis præ gravitate in fundo vitri ſubſidet.

Poteſt & hic Pulvis, vbi opus fuerit, Purgans fieri admiſtis granis aliquot reſinæ Scammonij aut Ialape, quæ ratio exhibendi optima eſt, quia a Pulvere enecati vermes ſimul educuntur; Quantum licet eligendi tres poſtremi declinantis Lunæ dies cum Pulvis præbendus eſt, ſicuti ad remedia quævis interficiendis vermibus dicata, ſucceſſus enim, proculdubio certior eſt.

Pulvis Digeſtivus.

℞. Pulveris Viperini
Seminis Fœniculi dulcis
Aniſi
Coriandri,
Dauci &
Arneos Creticorum āā. ʒß.
Corticis exterioris citri ſicci, &
Cinnamomi acutiſſimi aa. ʒ iij.
Caryophyllorum & macis aa. ʒ j.

Fiat omnium Pulvis æquali aut duplo ſacchari ponderi permiſcendus.

Methodus.

Inſuavis non eſt Pulvis; Illius adſumi poteſt ſemicochlear, vel cochlear integrum in fine paſtus, in vſu pergendo pro neceſſitate: Fovet calorem naturalem, ventriculum roborat, alimentorum concoctionem adjuvat, flatus diſcutit, appetitum conſervat, amiſſum reſtituit, & ructus a ventriculo emiſſos reprimit, ac quemvis oris fœtorem emendat: Si quis Ambræ griſeæ drachmas duas toti compoſito adjecerit, proculdubio pulveris vires plurimum adaucturus eſt.

Pulvis contra Abortum.

℞. Margaritarum Orientalium præparatarum
Raſuræ vnicornis,
Eboris
Succini albi, &
Coralli rubri præparatorum
Maſtiches
Seminis plantaginis
Granorum Kermes
Santali rubri
Terræ Lemniæ &
Radicis Tormentillæ āā. ʒß.
Macis ʒ j.
Caryophyllorum ℈ j.

Fiat omnium ex arte Pulvis, cui Auri puriſſimi folia ſex permiſceantur, qui etiam vſus tempore, æquali aut duplo ſacchari pondere edulcorari poterit.

Methodus.

Præſcriptus fuit hic Pulvis ad corroborandum in vtero fœtum, & prohibendam intempeſtivam illius excluſionem: Procul a cibo exhibendus,

ex ovo, juſculo, ſyrupo aliquo aut Condito adſtringente, reiterando, & in vſu pergendo prout neceſſitas poſtulaverit: quo tempore adſumitur neceſſe eſt gravidas decumbere.

Doſis eſt ſemiſcrupuli, ad ſcrupulum vnum, pro iis ſcilicet quæ præcautionis gratia illo vtuntur; vſum continuando: Semidrachma vero iis porrigi poteſt, imo drachma integra mulieribus robuſtis, vrgente neceſſitate, & imminente Abortus periculo: Poteſt & eadem dozis convenire ad ventriculi debilitatem & ſubverſionem, imo contra diarrhœam, dyſenteriam, lienteriam alióſque affectus debilitatis inteſtinorum ſoboles.

Pulveris hujus præparatio non magis ardua eſt quam præcedentium.

Pulvis ad difficilem Partum.

℞. *Teſticulorum Equi in clibano exſiccatorum*
Cinnamomi acutiſsimi
Nucleorum Dactylorum
Boracis,
Croci &
Foliorum Sabinæ ſiccorum āā. ʒij
Trochiſcorum de Myrrha ʒ j.
Fiat omnium Pulvis ad vſum.

Methodus.

Hujus Pulveris mirificus eſt vſus ad Partum difficilem, at prudentia hic ſemper requiritur ne intempeſtive aut inopportune exhibeatur; Neque minus efficax eſt in expellendis ſecundinis, aut rebus extraneis vtero contentis aut relictis.

Datur a ſcrupulo vno ad duos ex aqua artemiſiæ aut liquore quopiam hyſterico.

Equorum Teſticuli excipiantur vaſe fictili vitreato, operculo ſuo munito, optime lutato; vas autem Piſtoris furno immittatur pane exemptо, in quo ſinendum, aut iterato imponendum, donec Teſticuli omnino exſiccati fuerint ac in pulverem redigi queant: Teſticuli eo pacto exſiccati, pyxide incluſi, incorrupti ſervabuntur, quovis tempore Pulveri præſcripto commiſcendi, vel, ſi libet, omittendi, quinimo & Trochiſci Myrrhæ ac Sabina in delicatioribus mulieribus, vel ſi minori efficacia agendum.

Pulvis Hyſtericus.

♃. *Verrucarum ad genua Equorum enaſcentiū, verno tēpore avulſarū, vel ſponte procidētiū* ℥j.
Aſæ fœtidæ,
Cornu &
Vngulæ Hirci āā. ʒ j.

Fiat

Fiat omnium Pulvis, cujus ſcrupuli vnius pondus imponatur pro Suffumigio, quod per infundibulum in vulvam introducatur.

Methodus.

Accipiantur Verrucæ illæ quæ internæ parti tibiarum prope genua in Equis adnaſcuntur, quando decidui illis ſunt crines, hoc eſt verno tempore; Accipiatur prætcrea vngula & cornu hircinum, quæ deſcobinanda & Verrucis commiſcenda cum Aſa fœtida, craſſe conterantur, Pulverem ad vſus adſervando.

Hoc Pulvere præſentius & certius remedium aduerſus ſuffocationes hyſtericas non datur: Prunis circiter ſcrupulus vnus illius imponitur, fumum in mulierum genitalia per infundibulum introducendo; Eundem in ſcopum Pulvis ſequens per os exhiberi poteſt.

Pulvis Iovialis Hyſtericus.

℞. *Magiſteris Iovis Anglici, aut Bezoardici ejuſdem*
Matris Perlarum, &
Coralli rubri præparatorum ãã. ℥ j.
Olei ſtillatitij Succini rectificati ℈ j.
Miſce & fiat Pulvis ſubtiliſsimus ad vſum.

Methodus.

Hic Pulvis commendatione ſingulari dignus eſt; præſtantiſſimam enim & præſentiſſimam opem fert mulieribus vehementiſſimis & deſperatis ſuffocationibus vteri prehenſis, & ad illarum recidivam præcavendam.

Doſis eſt ſcrupulus vnus ex aqua aliqua hyſterica in affectus vrgentia: Idem remedium per dies tres ex ordine repeti poteſt præſervationis gratia.

Magiſteriorum & Bezoardici Iouialis præparatio occurrent tertia hujus Pharmacopœæ parte.

Pulvis Sperniola Crollij.

℞. *Myrrhæ electæ* *Croci optimi ℥ß.*
Thuris Maſculi aa. ℥ij.
Omnia ſubtiliter pulverata & mixta humectentur, vigeſies vel trigeſies aqua ſtillatitia ſpermatis ranarum, vel potius liquore ex eodem ſpermate in ſacco ſuſpenſo reſoluto, ſtillato, & Solis radiis purificato; ita tamen vt

ſponte vnaquaque vice materia ante novam humectationem exſiccetur, Poſt vltimam exſiccationem addantur.

Camphoræ ℥ iij.

Fiat Pulvis ſubtilis ad vſum ſervandus ex maſſa inde parata.

Methodus.

Accipiatur Spermatis Ranarum debita quantitas, menſe martio, triduo ante novilunium, quo tempore ſperma minus fœtet, conſervationi & diſtillationi aptius: In Maris Balneo diſtillatio fiat ex alembico vitreo: Aut, quod ſatius, accipiatur eodem tempore aliud ſperma Ranarum, includatur ſacculo ex tela craſſa & rara & ex ſuſpenſo ſacculo excipiatur vaſe idoneo liquor ſtillans, lagena vitrea includendus & inſolandus quo purus fiat, per vices in aliam lagenam decantando liquorem defecatum, rejectis fecibus: Liquor iterum Soli exponendus, rurſus liquorem depuratum in aliam lagenam infundendo excluſa ſubſidentia, donec liquor limpidus & purus evadat, qui donatur nomine Aquę ſpermatis Ranarum abſque igne diſtillatæ, admodum commendatæ ad vultus nitorem & fuſcedinem a Sole contractam.

Tum ſubtiliter contere Myrrham, Thus maſculum & Crocum, electiſimáque & commixta; excipiantur ſcutella vitrea, aut vaſe Faventino, quæ poſtmodum irrorata aqua aut liquore Sperniolæ, ac in paſtæ modum deducta in ſcutella papyro cooperta extenſa, cuncta in vmbra exſiccentur; quæ cum exſiccata fuerint aqua iterum humectentur, extenſáque paſta in ſcutella, & charta cooperta, vt prius in vmbra exſiccetur; eandem humectationem vigeſies, imo trigeſies reiterando, hoc eſt, quo pluries eo melius: Tandem ſubtiliter maſſa conterenda, illi addendo camphoram pulueriſatam, inſtillatis guttis aliquot ſpiritus vini: Aſſervandus hic Pulvis in lagena vitrea, aut vaſe Faventino, accurate obturando, ad vſus.

Optimus eſt hic Pulvis ad coërcendas Hæmorrhagias internas, ſanguinem enim ſiſtit & coagulat vi frigoris illi ab aqua ſpermatis Ranarum impreſſi: Quemvis etiam vomitum compeſcit, & ſanguinis ſputum, non ſecus ac narium hęmorrhagiam, omnémque cruoris tum internam tum externam, eruptionem: Podagrę calidæ progreſſum ſiſtit, illius æſtum mulcet, ſicuti & Eryſipelatis ardorem: ſi aceto commixta parti adplicata fuerit: Paronychiam intra bihorium extinguit illi admota; Cancrum quoque mortificat: Pręſtantior vero illius eſt operatio ſi dilutus fuerit aqua ſpermatis Ranarum; Hæmorrhagiam vterinam quoque ſiſtit ex aqua plantaginis adſumptus: Aqua Ranarum

ſpermatis

ſpermatis ſeorſum ſumpta valet quoque ad podagricos dolores lenien-dos,ſi tantillum aluminis adiectum fuerit: Doſis Pulveris eſt a granis tribus ad quinque ex idoneo liquore.

Pulvis AntiDyſentericus.

℞. Terræ Lemniæ,
Boli Armenæ,
Roſarum rubrarum,
Balauſtiorum,
Radicum Tormentillæ &
Biſtortæ
Lacrymarum ſanguinis Dra-conis,
Coralli rubri præparati
Lapidis Hæmatitis ãã. ℥j.
Seminum Portulacæ
Plantaginis &
Sophiæ Chirurgorum, ãã. ℥ß.
Caryophillorum &
Macis ãã. ʒij.
Fiat ex arte Pulvis ad vſum.

Methodus.

Pulvis iſte non modo ad Dyſenteriam, ſed & omnia alvi profluvia vtiliſſime adhibetur, alioſque quoſvis affectus qui adſtrictione indi-gent; Commode etiam adhibetur adverſus ventriculi debilitatem & vomitum.

Exhibetur à ſcrupulo vno ad drachmam, imo etiam duas in robu-ſtioribus: Datur ex vino, aqua aut decoctione aliqua adſtringendi vi prædita: Poteſt & forma Boli adſumi ex Syrupo idoneo, ovo, aut con-dito aliquo adſtrictoria vi prædito: Doſi addi poſſunt Ambrę griſeæ optimæ pulveratæ grana ſex pro ditioribus, & Laudani granum dimi-dium, vel integrum ſi efficacius impetus humorum ſiſtendus ſit, aut acrimonia illorum retundenda: Poteſt & ſi neceſſitas poſtulet repeti illius vſus, procul a cibo præbeatur.

Nonnulli farinam ſecalinam cum Ebuli ſeminibus optime maturis ſubigunt, ac placentam effingunt, eouſque exſiccandam donec in Pulverē redigatur; cuius effectus & vſus non abſimiles Pulveri ſuperius a me deſcripto.

Pulvis contra Hæmorrhagiam.

℞. Lapidis Hæmatitidis
Nuclei lapidis Aetitis
Terræ vitrioli poſt diſtillationem remanentis, lotæ
Boli Armenæ
Thuris maſculi
Caudæ equinæ
Centinodiæ
Terræ Lemniæ
Cornu cervi vſti &
Gypſi ãã. partes æquales.
Fiat omnium Pulvis ad vſum.

Methodus.

Ore non adſumendus hic Pulvis, ſed mira efficacia vulnerum hæmorrhagiam cohibet, ſicuti & venarum ac arteriarum hiantium, ſponte vel caſu, ſolus enim admotus hic Pulvis, vel albuminibus ovorum & aceto commixtus, accedente convenienti ligatura, proculdubio ſanguinis effluvium ſiſtit: Admodum etiam confert coërcendis fluxionibus in oculos decumbentibus, cum albuminibus ovorum dilutus tantillóque aceti, temporum vniverſæ regioni admotus: Pulvis iſte præparandus & adſervandus ad ſubitaneos & ex improviſo irruentes caſus, quibus cito citius ſuccurrendum.

Pulvis Diatragacanthi frigidi correctus.

℞. Gummi Tragacanthi electi ℥ ij.
Arabici optimi ʒ x.
Glycyrrhiſæ &
Amyli ãã ʒ ß.
Seminis Papaveris albi ʒ iij.
Quatuor frigidorum majorum ãã. ʒ j.
Fiat omnium ex arte Pulvis.

Methodus.

In vulgatis huius Pulveris deſcriptionibus Penidiati ſacchari vnciæ tres præſcriptę occurrunt: Semina quoque frigida maiori duplicata doſi illic ponuntur, ingreditur quoque illum Caphura, hic omiſſa: At quibus non ignotum ſaccharum, præſertim Penidiatum, pulveribus remixtum, in corruptionem citam illos deducere, imo in maſſam quaſi conglobare, proculdubio iudicium laturi ſunt non inique abſtractum id fuiſſe, adde quod vis, quam pulveri impertiri valet, pauciſſimi eſt momenti, & pulvis Diatraganthi frigidi vix alia ratione quam ſaccharo commiſtus exhibetur, aut compoſitionibus confectionibúſve mellitis vel ſaccharatis.

Neque etiam, me iudice, improbanda venit detractio partis ſeminum frigidorum majorum, eo fine facta ne lenteſcat Pulvis, vel eo etiam nomine, quod ſi diuturnior conſervatio deſideratur, ſatius ſit omnino illa repudiare, atque vſus ſolum tempore eadem admittere.

Cum difficultas occurrat in exacta trituratione Gummatum Tragacanthi & Arabici, eapropter neceſſe eſt vt probe incaleſcat grande mortarium æneum, vt & illius piſtillum, antequam pulveriſationi tradantur doziſque augeatur, vt pondus neceſſarium adſit, poſtquam per incerniculum ſetaceum fuerint trajecta.

Glycyrrhiſa.

Glycyrrhiſa a cortice mundanda eſt, ſeorſum conterenda, vti & amylum, ſi abſque ſeminibus præparandus ſit pulvis: At ſi illa adiicere lubeat: illorum pars cum liquiritia tundenda, alia cum amylo, reliquum gummatibus additum poſtquam per incerniculum tranſmiſſa fuerint, per quod iterum totus Pulvis traducendus eſt quando ſemina permiſta fuerint.

Pulveri huic vis ineſt fluxiones a cerebro in pulmones influentes ſiſtendi, humores tenues incraſſandi, tracheę arteriæ & Pulmonum aſperitatem leniendi, plurimíque vſus eſt in omnibus Thoracis affectibus; Ex eo confici poſſunt Tabellæ, addendo ſacchari ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam cocti libræ vni ſeſcunciam aut vncias duas dicti Pulveris: Eclegmatis quoque commiſcetur, imo nonnullis compoſitionibus, obtundendæ gratia quodammodo catharticorum acrimoniæ: Solitarius vix exhibetur, ideóque doſin definire nulla impellit neceſſitas, determinandam a quantitate compoſitionum quibus admiſcendus eſt.

Si huic Pulveri vim magis abſterſoriam conciliare volueris, aptiorémque craſſæ pituitæ detergendę vberiorémque anachartaſin promovere, adiici poteſt radicum Iridis ſubtiliter tritarum pondus duplum: additóque duplo pondere gummi Tragacanthi ad ſaccharum candum pulveratum, exſurget Pulvis Diaireos ſimplex, cuius deſcriptionem inſerere inutile duxi: Id nihilominus obſervandum e re eſſe nihil ſacchari pulveribus admiſcuiſſe, ſed ſolum eo momento quo in vſum ducendi ſunt.

Pulvis Sternutatorius.

℞ Foliorum Majoranæ ſiccorum,
Salviæ,
Betonicæ,
Florum Lilij convallium āā. ℥j.
Radicum Ireos Florentiæ
Ellebori albi
Pyrethri
Seminis Nigellæ Romanæ āā. ʒ ij.
Summitatum Pulegij Regalis &.
Serpilli āā ʒ j.
Fiat omnium Pulvis ad vſum.

Methodus.

Pulvis Ptarmicus egtegios edit effectus in Apoplexia, Epilepſia, Lethargo aliiſque cerebri affectibus a cauſa frigida oriundis; referat enim meatus exitumque aperit humoribus frigidis id obſidentibus, calorem nativum ſopitum ſuſcitat, partibúſque robur adflat, adeo vt ſupervacanea, functionum exercitio impedimentum afferentia procul ablegent: Ii quibus internorum ſenſuum vſus, ſenſus & mo-

tus quodam modo adhuc conſtat, per nares particulam huius Pulveris attrahere poſſunt: at tubulo vel penna in iis opus eſt,naribus indendo iis quibus affectus magnitudo, omnino aut ex parte interiorum ſenſuum functionem abſtulit, & ſimul vſurpandi facultatem.

In ſoporoſis affectibus extremis,pulveris hujus compoſitioni Euphorbij drachma vna aut altera adiici poteſt, ſed niſi ſumma compellat neceſſitas illuc non confugiendum, ne ab Euphorbij vehementia phlegmatis inſignis contingat colliquatio, eaque tam vehemens vt nequaquam compeſci queat.

Pulvis Cornachini.

℞. Chologogi ſimplicis, id eſt Scammonij puriſsimi ſulphurati ℥ ij. *&* ʒ ij.
Antimonij Diaphoretici ℥ iß.
Cremor. Tartari ℥ iß.
Fiat omnium Pulvis ſubtilis ad vſum.

Methodus.

Pulveri huic Cornachini nomen inditum ab authore, Domino Cornachino, Piſis Medicinæ Profeſſore, qui de eo inſignem commentarium edidit; Admirandi illius effectus nonnullos impulerunt ad additionem vel detractionem ingredientium compoſitionis: Neque enim ſatis fuit quibuſdam Scammonium ad fumum Sulphuris præparaſſe, ſed & idem Tinctura Roſarum pluries imbuere ſatagerunt, ſpiritibus vini & ſulphuris acuata; poſtmodum idem in maſſam cum oleo amygdalarum dulcium redigentes, Cremorem Tartari diſſolvere in Mechoacannæ decocto, ac demum hoc cryſtalliſare, pulveri admiſcendum: Medicamentorum quoque dozim variam eſſe voluere.

At dimiſſo examine ſcopi, aut procedendi rationis eorum qui hac de re ſcripſerunt, illud affero mihi compertiſſimum eſſe creberrimis experimentis Pulverem, quomodo hic præparatus occurrit, edere effectus omnes ab ipſo expectatos: Eapropter hoc loco id præſertim monitum volo incaſſum tot támque diverſis præparationibus vexari Scammonium, quandoquidem probe electum, ſupra chartam extenſum, accenſóque infra tantillo ſulphure, cujus vaporem excipiat, ritéque obſervata doſi illi aſſignata, vt & Antimonij diaphoretici ac Cremoris Tartari, Pulvis proculdubio optatam operationem editurus eſt.

Hoc loco immoraturus non ſum in tradendis præparationibus Antimonij Diaphoretici, vti neque Cremoris Tartari quandoquidem inter cæteras præparationes chimicas examinandæ venient.

Nonnulli

Nonnulli huic Compoſitioni nomen Pulveris Comitis à Varvick impoſuerunt, Alij vocarunt Antimonium diagrydiatum, alij Pulverem de Tribus.

Pulvis hic operationem ſuam cito abſolvit, tuto & jucunde, leniter humores ſuperfluos educit in omnibus viſceribus occurrentes, materiam & cauſam febrilem radicitus tollit, plurimorúmque difficilium morborum.

Doſis illius eſt a ſemicrupulo ad ſemidrachmam, imo ad drachmam vſque: Matutinis horis ex vino albo adſumitur, juſculo aut decocto aliquo hepatico; Miſcetur & nonnunquam cuipiam infuſioni purganti: poteſt & ex ovi vitello adſumi, pauco ſyrupo aut aliquo condito.

Pulvis Nephriticus.

℞. Oculorum cancrorum fluviatilium.
Oſsium petreorum Percarum, &
Aſellorum minorum,
Millepedum ſiccorum,
Sanguinis Hirci præparati, &
Seminis milij Solis ãã. ℥j.
Fiat omnium ex arte Pulvis.

Methodus.

E re fuerit oculos cancrorum ſuper porphyrite contriviſſe, ſicut & oſſa petroſa quæ in capitibus Percarum & Aſellorum minorum, reperiuntur illa humectando aqua raphani, eadémque ratione procedendo qua in gemmarum præparatione.

Accipiatur ſanguinis junioris hirci, in locis montoſis educati, qui herbas aromaticas depaſtus ſit; ſanguis ille in vmbra ſiccetur æſtate, diſcis impoſitus, aut pelvibus depreſſis, donec in pulverem conteri poſſit vna cum Aſellis exſiccatis & ſemine milij ſolis: Poſtquam hæc per incerniculum ſericeum trajecta fuerint, & commixta oſſibus animalium præparatorum, ſicuti modo dixi, Pulvis perfectus erit, ad vſum recondendus.

Pulverem hunc componunt Medicamenta vi diuretica inſigni prædita, quorum facultas præcipua in ſale volatili, quo plurimum abundant, conſiſtit: Illud porro obſervandum, nihil acidum hanc compoſitionem ingredi; Id vero noviſſe intereſt acidorum cum ſalibus tam fixis quam volatilibus commixtionem, non raro ad incrementum tum in mole tum numero calculorum conferre; ex illis certa proportione conjunctis calculi originem in corpore ducunt; atque ſolum prædominium volatilis; aut fixi ſalini ſupra acidum, aut acidi ſupra fixa aut volatilia poſſe impedire calculorum generationem, aut eoſdem diſſolvere ſi quando geniti ſint.

Doſis hujus Pulveris eſt a ſcrupulo vno ad drachmam vnam : Exhiberi ſolet ex vino albo, cujus vſus iterari poteſt, & produci pro neceſſitate, tam ad præveniendam Calculorum generationem, quam ad eoſdem, ſi licet, diſſolvendos, eorumdémque exitum procurandum per vias huic rei deſtinatas.

Qui hunc Pulverem ſedulo præparaverint, ii carere poterunt Pulvere in pleriſque Diſpenſatoriis deſcripto, ſub nomine Pulveris Electuarij Lithontribon, Lithontripon, aut Lithontripticon; qui nihil aliud eſt quam congeries inſignis medicamentorum facultatibus admodum diſcrepantium, maxima ex parte admodum excalefacientium, quorum nonnulla ad congulationem promovendam & compingendas materias aptiora ſunt quam reſolvendas & ad aperiendum meatus.

Huc inferre nolui plurimos Pulveres Chymicos, quorum meminero tertia hujus Pharmacopœæ parte, in qua illorum deſcriptio occurret,ac inter cæteros Pulveris Eſcharotici probatiſſimi, à me præparati in Horto Regio, jubente Domino *D'Aquin*, primario Majeſtatis Regiæ Medico; Hic cum nihil prætermittat eorum quæ vtilitatem publicam ſpectant & ſtudioſorum profectum, ſingulis diebus me hortatur vt huic Pharmacopœæ inferam quicquid illius ſalutaribus ſcopis conforme eſt.

Neque etiamnum æquum mihi viſum eſt Caput præſens in molem attollere, allatis pluribus aliis Pulverũ deſcriptionibus,inutilibus & obſoletis, ratus illos quibus quæpiam illarum fuerit accepta & grata, ejus deſcriptionem alibi obviam futuram, Amplexuros, ſi lubet, methodum à me traditam, pro præparatione cæterorum Pulverum.

CAPUT XX.

De Opiatis Electuariis & Confectionibus.

SI nominum ratio eſſet habenda, Opiatæ Vocabulum illis tantum compoſitionibus aſſignandum eſſet quas Opium ingreditur, At vero ſub hoc nomine ſæpiſſime involvuntur Confectiones, Antidoti & Electuaria; Adeo vt Opiatæ voce non minus gaudeant compoſitiones Opium non admittentes, quam titulo Confectionis, Antidoti vel Electuarij illæ quæ opium recipiunt,quippe cum nomina illa ſine diſcrimine, pro authorum arbitrio impoſita fuerint, æque Compoſitionibus anodynis aut narcoticis,quam cardiacis, alexiteriis, & catharticis quadrant.

Non ergo hic immoraturus ſum in diſquirendis cauſis cur hoc vel illud nomen datum fuerit, id ſolum adducam Opiatas, Confectiones, Antidota & Electuaria eſſe remedia diverſimode compoſita, ſed plerúmque

rúmque ex Pulveribus, Pulpis, Liquoribus, Saccharo, aut Melle, vt plurimum deducta ad conſiſtentiam mollem, quæ facile vaſis recondi queant, atque eximi ſpathula alióve quòpiam ſimili inſtrumento, Excipiuntur tamen Electuaria ſolida, quæ ex parte attigi capite de Tabellis, cætera repoſiturus in cenſu Electuariorum, Purgantium, hoc capite exhibendorum.

Admodum difficile eſt æquam aliquam proportioné conſtituere pulverum, ſacchari & mellis, Opiatarum compoſitionem ingredientium, vel Electuariorum ſolidiorum aut liquidorum; Neque minus arduum normam aliquam genericam ponere circa quantitatem liquoris neceſſarij, tam ad excipiédam facultatem variorum medicamentorum illi incoquendorum aut infundendorum, quam coctionis graduum ratione ſacchari aut mellis, eo quod horum & illorum doſis poteſt augeri vel minui juxta medicamenti naturam, Medici ſcopum, ægri palatum aut indolem, ac Pharmacopœi induſtriam.

Etſi enim vulgatiſſima Opiatarum aut Electuariorum mollium proportio, imo & ſolidorum Purgantium, ſit circiter trium vnciarum Pulveris ad libram vnam ſacchari aut mellis; Ac ſeſcunciæ aut vnciarum duarum Pulverum, ad libram vnam ſacchari in Confectionibus aut Electuariis ſolidis cardiacis, proportio tamen hæc non perpetuo obſervatur; Sæpe enim ratio habenda pretij medicamentorum, quæ vulgaria non ſunt, aut naturæ illorum quæ pulverem componunt, vel etiam quantitatis, aut craſſitiei pulparum compoſitionem ingredientium, quæ ſacchari aut mellis vicem obtinere queunt; Imo & palato ægri ac morbi ſpeciei attendendum vel compoſitionis durabilitati, vel facilitati aut difficultati occurrenti ad conſiſtentiam idoneam illi conciliandum.

Neque parvi facienda cauſa ob quam Compoſitio excogitata fuit, ſicuti & ſcopus huic validiorem aut remiſſiorem vim purgatricem conciliandi: Eapropter in dozium obſervatione ſumma circumſpectio adhibenda, præſertim in Catharticis & Narcoticis, tum enim neceſſe eſt quantitaté ad amuſſim pulveris, ne in grano vnico aberrando; obſervaſſe, quam vncia vna Electuarij poteſt continere, ne in exceſſu vel defectu adſit error: Ideoque etiam Pharmacopœus accuratus ſit admodum neceſſe eſt in omnibus exacte trutinandis, ritéque commiſcendis, adeo vt omnes compoſitionis partes æqualem pulveris obtineant partem, medicamentorumque illam conſtituentium.

Plura huc illaturus non ſum, ratus generalia hæc ſatis futura eſſe illis qui methodum meam obſervare voluerint, in ſingulari præparatione ejuſmodi compoſitionum, atque manifeſtas fore rationes propter quas

proportiones non ſemper ſimiles occurrant.

Theriaca Andromachi Senioris.

℞. *Trochiſcorum Scylliticorum* ℥ xij.
Viperinorum,
Magmatis Hedichroï
Piperis longi
Opij Thebaici ãã. ℥ vj.
Roſarum rubrarum,
Succi Glycyrrhiſæ,
Seminis Baniadis,
Scordij,
Opobalſami
Cinnamomi,
Agarici,
Coſti,
Nardi Indicæ,
Dictamni Cretici
Rhapontici
Radicis Pentaphylli,
Zinziberis,
Praſsij albi,
Stoechadis Arabicæ
Schoenanthi
Seminis Petroſelini Macedonici
Calaminthæ montanæ
Caſsiæ ligneæ
Croci
Piperis albi,
Nigri
Myrrhæ Trogloditidi.
Thuris maſculi
Terebinthinæ Chiæ ãã. ℥iß.
Radicum Gentianæ
Acori veri
Meu Athamantici
Valerianæ majoris
Nardi Celticæ
Amomi racemoſi
Chamæpythios
Comæ hyperici
Seminis Ameos
Thlaſpeos
Aniſi
Fœniculi
Seſeleos Maſsilienſis
Cardamomi minoris
Malabathri
Comæ Polij montani
Chamædryos
Carpobalſami
Succi Hypocyſtidos
Acaciæ veræ
Gummi Arabici
Styracis calamitæ
Terræ Lemniæ
Chalcitidis
Sagapeni ãã. ℥ j.
Radicum Ariſtolochiæ tenuis
Comæ Centaurij minoris
Seminis Dauci Cretici
Opopanacis
Galbani
Bituminis Iudaici
Caſtorei ãã. ℥ß.
Mellis optimi deſpumati ℔xxviij.
Vini generoſi quantum ſatis.

Methodus.

Huic Pharmacopœæ inſertam volui deſcriptionem Theriacæ Andromachi ſenioris, non modo præ antiquitatis reverentia, ſed quod certo mihi conſtet ſi adhibito ſtudio ſelecta fuerint omnia medicamina illam ingre-

ingredientia, ac methodica magis præparatio quam antiquorum acceſſerit, eximiarum virium compoſitionem productum iri.

Quoad ingredientia, ſufficientem eorum explicationem tradidi Tractatu de Theriaca a me emiſſo, Pariſiis anno 1668. edito, quo Lectorem relegare poſſem, ſed vt hoc ſuperſedeat labore, paucis quæ maxime conſideratione digna videntur circa has materias explanaturus ſum.

Quoad præparationem Troſchiſcorum Scylliticorum, optimum eſſe dico ſi quis, Zvvelferum imitatus, ſumat radicem Dictamni albi pulveriſatá vice Oroborum; quandoquidem omnibus Medicis perſpecta eſt hujus radicis facultas alexipharmaca, admodum præterea idoneæ vt ex illius cum ſcylla commixtione effingantur Trochiſci, cum orobi ſubſtantia donati ſint craſſa admodum, virtute careant cardiaca, atque ſolum ad cataplaſmata in vſum veniant, neque vlla remedia interna illos præterquam hi Trochiſci admittant.

Secundo ab antiqua & vſitata Trochiſcorum Viperinorum præparandi ratione vt abhorreá impellor, ea ratione præſcriptorum quia tunc temporis nulla vera comparata fuerat notitia naturæ Viperarum, vti neque illarum veneni; ac preterea clades a Viperis illata, quas Annibal in claſſem Romanam injecerat opinioné fecerat, ſed perperá, cunctas Viperę partes veneno imbutas eſſe, atque omnino impoſſibile eſſe vim illarum cardiacam & alexiteriam conſequi, quin præparatione aliqua accedente maligΝum illud, ſed fictitium venenum damaretur, quod terrorem illis incuſſit, & ad abſurdam illam præparationem induxit Salis viperini, quamobrem Viperas flagellis cædebant antequam illis caput & cauda amputarentur, abiectis illarum cordibus & jecoribus, necnon addita elixatione trunci pelle ſpoliati, & exenterati, in aqua cum ſale & anetho, quovſque caro ab oſſibus abſcederet, carne demum, ea ratione cocta, cum partibus quinque panis biſcocti pulverati permiſta, ad concinnandos Trochiſcos.

Minime perpendebant ab irritatis per flagellationem Viperis, proculdubio illarum partibus omnibus inductum iri alterationem & depravationem, nequaquam vero in caput (ſicuti rebantur) impulſum iri venenum, quod in nulla corporis parte, extincta vipera, deprehenderc eſt, imo ne quidem illa vivente, in qua nullus pravus effectus animadverti poteſt, niſi laceſſita fuerit quando morſu impetit.

Ab illis non obſervatum Cor & Iecur non minoribus quam carnem prædita eſſe viribus; neque ab illis perſpectum Salis & Anethi adjectionem omnino ſuperfluam eſſe, quandoquidem carnes illorum animalium omni carent veneno; Id ſolum præſtituorú vt carnis viperarú intenderetur calor & acrimonia, Imo Salis additamentum adverſari illorum præ-

ceptis, quoad electionem ſoli natalis Viperarum, quandoquidem illas quæ juxta oras maritimas naſcuntur improbabant, propter res falſas quibus veſci ſolent.

Neque etiam ab illis animadverſum, non poſſe excoqui Viperas in aqua ad carnium vſque ab oſſibus ſeparationem quin ſucci optima & maxima portio, imo & virium, in juſculum tranſiret, ſicuti exempla a decoctione alimentorum illis vſitata comprobant.

Neque tandem illis obſervatum fuit ab additione quintæ partis panis biſcocti, nullis viribus præditi, enervem & inutilem evadere carnem illam viperinam, partibus optimis ante jam exutam, inſignem porro illam panis copiam mediam materiæ totius partem & ponderis Trochiſcorum cum exſiccati erant conſtituere.

Hos errores qui declinare voluerit, & Trochiſcos præparare, neque tamen a mente Andromachi omnino recedere in preparatione Trochiſcorum, vna cum corporibus, in vmbra exſiccatis, in pulverem ſubtilem deductis, ſicuti ante monui vbi de apparatu Pulveris Viperini, is omnino admittat neceſſe eſt Corda & Iecora Viperarum: Conficiat idem paſtam ſolidiuſculam ex dicto pulvere cum vino malvatico, in quo tantillum gummi Arabici pulverati fuerit diſſolutum, ex ea effingantur Trochiſci tenues & depreſſi, in vmbra exſiccandi, illinendi poſtea balſamo Peruviano, tam ad odoris gratiam quam conſervationem.

Si quiſpiam obiiciat mentem non fuiſſe Andromachi vt in Trochiſcos admitterentur oſſa Viperarum? Reſpondeo ſi illi intime cognitæ fuiſſent partes ex quibus conſtant, ac non minus quam mihi perſpectum oſſibus ineſſe ſal & oleũ volatile, imo non minori quam carnibus copia, proculdubio ea repudiaturum non fuiſſe, atque in Trochiſcis panem omiſſurum; Ratum quoque apud me eſt illum ſi hodierna luce frueretur, atque rerum omnium quæ mihi innotuerunt conſcius fuiſſet, ac rationes quaſcunque de Viperis adduxi libro a me de iis edito, & experimentis circa illas factis illi expoſitæ, proculdubio ipſum familiarem ſibi preparationem abiuraturum fuiſſe, meam amplexurum, atque in aliam ſententiam eos quos in ſuam imprudenter pertraxit, deducturum.

Tertio, cum maxima pars medicamentorum quæ Trochiſcos Hedychroi componunt, Theriacam quoque ingrediantur, neque ea ſeorſim teri illa poſſint, in trochiſcos redigi, ac in aëre exſiccari citra maximam ponderis, imo & virium detrimentum; ac præterea iidem Trochiſci cum cæteris medicaminibus Theriacam ingredientibus iterum pulverandi ſint, commodiſſime a Trochiſcis abſtinere licet, obſervata proportione neceſſaria ſimplicium illos componentium, cum cæteris quæ occurrunt in præſcriptione compoſitionis Theriaces, omnia ſimul

copteren-

conterendo, vt pote res vni eidémque compoſitioni deſtinatas.

Quarto, omnino improbare cogor antiquorum ſententiam circa mixtionem medicaminum Theriacæ deſtinatorum, præcipientium Gummata in vino diſſolvi, per linteum tranſmitti, ac demum ad confiſtentiam craſſiuſculam coqui, deinceps compoſitioni miſcenda; quamplurima enim hic procedendi rationi obſtant, ſed hæc præſertim.

Primo, nullam neceſſitatem vrgere ad diſſolutionem & tranſcolationem Gummatum, quæ pura admitti debent.

Secundo, vix fieri poſſe vt eadem in vino diſſolvantur, colentur & demum ad conſiſtentiam vtcunque craſſam coquantur, quin partium volatilium, quibus abunde ſcatent, a quibus præcipua virium origo, magna contingat diſſipatio.

Tertio, partem vini ſpirituoſam eodem tempore in auras faceſſere, ſola aquea & terreſtri ſuperſtite.

Quarto, facta horum Gummatum diſſolutione & colatura, etſi ponderi illorum antea aliquid acceſſerit, impoſſibile eſſe rectam doſin definire ab authore præſcriptam: Ac tandem, quandoquidem diſpenſatione facta Gummatum, lacrymarum forma ac cum cæteris medicamentis contritione pulveriſatio melius ſuccedit: eo quod Gummatum partes viſcidæ cohærent partibus levioribus & aridioribus aliorum ſimplicium Pulveris, diſſipationi alias obnoxiarum, eo pacto, pulveris, lentorem nimium nequaquam adquirentis, contritio facilior ſuccedit, multóque minor diſſipatio quantitatis & virium accidit.

Opium quod ſpectat, ſi nobis lacrymæ puræ ſuppeterent, cujuſmodi ſunt quæ ex capitibus papaveris in Thebarum regione ſtillant, quales Andromachus forſan ſuo æuo nactus eſt, ſatis eſſet illas cum cæteris ſimplicibus conterere, non ſecus ac gummatum lacrymæ; Sed cum plurimis ſordibus admixtis ſcateat id quod ad nos adfertur, e re fuerit illius præparaſſe Extractum, juxta methodum a me tradendam cum de cæteris verba facturus ſum, hoc extractum in pauco vino diſſolvendo, eodem modo quo extractum ſucci liquiritiæ, vel acaciæ, vel hypocyſtidis, imo & chalcitidem; per linteum tranſmittendo hæc Extracta, aut ſuccos diſſolutos, ſeparandarum & abiiciendarum cauſa impuritatum, ſi quæ adfuerint, quo demum axactitus commiſceri queant toti maſſæ Theriacali.

Quinto, nihil mihi occurere quod neceſſitatem inducat mellis deſpumandi, antiquorum more, vino addito, tam quod pars ſpirituoſa proculdubio in auras ſecedat per ebullitiones deſpumationi neceſſarias, ac cum melle nulla vini portio præter maxime terreſtrem ſuperſtes eſſe poſſit, quam quod vix fieri poſſit vt tandiu mel ignis actioni obſiſtat

quamdiu opus eſt ad omnimodam humidi extranei conſumptionem, quin inſignis accidat partium illius aromaticarum abſumptio, proculdubio non inutilium: Cum porro ad Theriaces confectionem in vſum tantum veniat mel ſinceræ probitatis & elegantiæ, ſatiùs multo eſſe arbitror leniſſimam ebullitionem procurare,citra vllius humoris extranei additionem, quod demum ab igne remotum, & frigefactum, ſedulo deſpumandum ſit, & per incerniculum ſetaceum tranſmittendum; quandoquidem ſuperficiaria illa decoctio ſatis illi eſſe poteſt vt abſorbere valeat vini libras duas, forte pro ſuccorum, ad hanc Theriaces quantitatem præſcriptorum, diſſolutione neceſſarias, atque ad impertiendam medicamentis omnibus ſimul conjunctis legitimam Opiatæ conſiſtentiam.

Quoad Opobalſamum,aut Nucem moſchatam, quæ illius ἀντιβαλλόμενον eſſe poteſt,alterutrius pars cõmodiſſime medicamẽtis ſiccis cõmiſceri valet quãdiu in pulverem conteruntur,abſque vllo metu ne illa nimiũ lentorem, contrahant,Reliqua cum Terebinthina concorporari debent.

Trochiſci Scyllitici, poſt ſufficientem exſiccationem,cum cæteris medicamentis conteri debent in pulverem redigendis; Crocus in ſtupha exſiccatus;aut ad ignem moderatum, ſeorſim pulverari poteſt, aut commixtus cum cæteris medicamentis contundi.

Extracta perfecta vbi fuerint, & in vino diſſoluta, ſicuti ſucci,perfectóque Pulvere, Terebinthina colliquanda vna cum eo quod de Opobalſamo ſuperſtes eſt, aut Nuce moſchata,in mariæ Balneo, igne admodum moderato; Mellis deſpumati, adhuc calentis, libræ tres aut quatuor capàci pelvi immittantur, Admiſceatur Crocus pulveratus ſi ſeorſim contritus fuerit; alias, portio quædam Pulveris commiſcenda erit, cuncta grandi ſpathula lignea verſando; demum adiiciendæ ſunt aliquot libræ mellis calidi, rite hæc concorporando, iniiciendo demum Pulveris aliquot libras; hinc affundenda erit Extractorum portio vt & Succorum diſſolutorum, per vices alternatim adiiciendo modo pulveres, modo mel, modo ſuccos & extracta diſſoluta, quovſque rerum omnium commiſtio rite abſoluta ſit: Poſtmodum commiſcenda Terebinthina, ac Opobalſami reſiduum, aut nucis moſchatæ concorporatæ: Cuncta diutiſſime ſubigantur & agitentur, adeo vt omnium permiſtio perfectionem vltimam adepta videatur.

Vbi omnino refrixerit Compoſitio, recondenda in vaſe fictili vitreato,tertia parte capaciori quam requiratur ad vniverſam Theriaces quantitatem excipiendam, quo ſufficiens relinquatur ſpatium turgeſcentiæ in Theriaca per fermentationem contingenti; quæ promoveri & excitari poterit vas in loco quopiam caliuſculo reponendo.

Spathula

Spathula lignea verſanda Theriaca bis vnaquaque hebdomada, quadrante horæ circiter unaquaque vice, per prioris bimeſtris decurſum; Satis autem fuerit ſi prædicta agitatio ſemel in hebdomada ſubſequente quadrimeſtri, continuaverit, hoc eſt per ſemeſtre in totum agitatio requiritur, quod tempus ad Theriaces fermentationem neceſſarium indicant omnes authores : Quo pacto comparabitur perfecta concorporatio non ſubſtantiarum modo,ſed & virium omnium medicamentorum; quo exacto tempore tutiſſime Theriaca in vſum venire poterit, cujus jam & vires & vſus rationem ſuccincte traditurus ſum.

Opij non exigua copia quæ Theriaces compoſitionem ingreditur; in cauſa eſt quod effectus illius anodyni, incraſſantes, quinimo narcotici ſolummodo dum illa recens eſt percipiantur, etſi cæterorum medicaminum vis propterea retuſa non fuerit, quamdiu illius actiones quaſi fræno moderatur.

Theriaca cum ex plurimis medicamentis calidioribus conſtet, admodum magnifacienda eſt ad præcautionem aut curationem effectuum frigidorum, illorúmque omnium in quibus languet & titubat calor nativus,ſpeciatim vero Paralyſeos, Apoplexiæ, Lethargi, Epilepſiæ, Convulſionum morborúmque omnium cerebri frigidorum ; Admodum convenit in Ventriculi & Inteſtinorum debilitate & Vomitu ; contra Diarrhœam efficax eſt, Dyſenteriam,Lienteriam, Choleram morbum, & quemvis Colicum dolorem, Valet in febribus intermittentibus ac nominatim Quartana; necat Lumbricos; omne Venenorum genus extinguit & ſuperat; Peſtem, Variolas, Morbillos, cenctóſque morbos epidemicos profligat, adverſatur Canis rabidi veneno,omniumque animaliumvenenatorum,Vigiliis medetur & ventris infantium Terminibus; vt & affectibus Hyſtericis, Ictero ſexcentíſque aliis vitiis.

Adſumi poteſt forma Boli, tantillum vini eo deglutito ſuperbibendo, aut alicuius aquæ ſtillatitiæ cardiacæ, in quibus etiamnum diſſolvi poteſt : Exhibetur a grano vno ad tria vel quatuor, imo ſex, infantibus: A ſcrupulo vno ad drachmam adultis, imo ad drachmas vſque binas robuſtis porrigitur,atque in affectus cuiuſpiam vrgentia: Adplicatur ventriculi regioni,imo cordis, emplaſtri forma, aut epithematis, tam ad robur quam ad cuiuſpiam cacoethiæ impugnationem, ſicut & ad interficiendos vermes: Admovetur etiamnum Anthracibus Bubonibúſque peſtiferis & venereis, commiſcetur quoque ſpiritui vini, necnon oleis & vnguentis, vniverſam ſpinam dorſi illinendo, partibúſque imbecillioribus redditis: Carpis etiam adplicatur, & pedum plantis in paroxyſmis febrium intermittentium; quartanæ præſertim: Remiſcetur necnon Opiatis variiſque Potronibus : Exhibetur etiam tanquam remedium

cui ſucceſſus nunquam deficit in quavis Hypercatharſi & ad prohibendam effrænem catharticorum operationem.

Porro cum tot variorum medicaminum in vnicam compoſitionem venientium farrago iampridem illis ſuſpecta ſit qui de rebus æquum ferunt judicium, ad quorum mentem ex multo minore jngredientium numero conſtrui poteſt Theriaca,æqúe, imo pius, efficax quam quæ ab antiquis tradita eſt; conſtat vero plurimis medicis, imo pleriſque Pharmacopœis in votis eſſe vt publici iuris fiat, Dominus d'Aquin, primarius Majeſtatis Regiæ Medicus, participem me fieri voluit deſcriptionis Theriaces ab ipſo compoſitæ, in publicum eius nomine emittendæ; Hæc non modo exhibet medicamenta iuſta doſi præſcripta, ſed præſertim ſummo & exquiſito judicio electa, adeóque editura proculdubio quoſcunque effectus a preſtantiſſima quavis Theriaca expectandos, dummodo cautio adhibeatur in perquirendis optimis & legitimis medicamentis,accedat rita preparatio, atque in omnibus obſervetur methodus à me tradita in confectione Theriacæ antiquorum.

Theriaca Reformata D. D. D'AQUIN.

℞. *Truncorum, Cordum & Hepatum*
Viperinorum ſiccorum ℥ XXIV.
Trochiſcorum Scylliticorum
Extracti opij Thebaici āā ℥ xij.
Radicum Contrayervæ.
Viperinæ Virginianæ
Angelicæ,
Valerianæ majoris,
Meu Athamantici
Gentianæ,
Ariſtolochiæ tenuis,
Coſti
Nardi Indicæ,
Nardi Celticæ,
Cinnamomi,
Olei nucis moſchatæ per expreſpreſsionem extracti
Croci
Dictamni Cretici,
Folij Indi,
Scordij
Calaminthæ montanæ,
Folii montani lutei,
Chamæpyteos,
Comarum Centaurij minoris & Hyperici.
Florum ſtoechadis Arabicæ
Granorum Anomi racemoſi & Cardamomi minoris,
Seminis Petroſelini Macedonici,
Ameos,
Seſeleos Maſsilienſis,
Myrrhæ Trogloditicæ āā. ℥ viij.
Reſinæ Styracis electa puriſsimæ
Opopanacis,
Sagapeni,
Caſtorei āā. ℥ iiij,
Extracti mellaginei granorum, Iuniperi ℔ lxxij ß.
Vini Malvatici ℔ iß.
Fiat ex arte Theriaca.

Methodus

Methodus.

Nulla neceſſitas impellit ad præparationem Trochiſcorum Viperinorvm pro huius Theriacæ confectione, ſatis fuerit in aëre exſiccaſſe, extra Solares radios truncos aut corpora Viperarum ſuſpenſa cum cordibus & jecoribus, illorúmque requiſitum pondus adſumpſiſſe.

Trochiſci Scyllini præparandi ex pulvere radicis Dictamni albi, ſicut traditurus ſum capite de Trochiſcis.

Extractum Opij eliciendum ad methodum à me exponendam capite de Exrractis, tertia iſtius Pharmacopœæ parte,ad Extracti conſiſtentiam deducendo.

Radix Contrayervæ natales habet in Charcides, provjncia Peruviana, vndeꝯad nos ab Hiſpanis adfertur; Radice Iridis multo minor eſt, exterius ſubrubra, interius nigricans, nodoſa & fibroſa, odore accedens ad illum quem fundunt ficus folia: Nomen hoc (Hiſpanico idiomate idem ſignificans ac Alexipharmacum) derivatum eſt a voce *Yerva*, indita helleboro albo ab Hiſpanis, cujus ſucco venatores ſagittas intoxicare ſolent in regione quæ Contrayervam profert: Sapor iſtius radicis aromaticum ſapit, adiuncta quadam acrimonia.

Viperina Virginiana Contrayervæ ſpecies eſt, in Virginia naſcens, qua potiuntur Hiſpani in America Septentrionali: admodum aromatica eſt, apud Anglos celeberrima,frequentique in vſu adverſus quodvis toxici & veneni genus: quo fit vt in compoſitione Pulveris Comitiſſæ Kanth, radjci contrayervæ Peruvianæ adiungatur, à quibus binis radicibus prę-cipuam vim obtinet hic Pulvis.

Ea quæ ſuperius protuli de radicibus Angelicæ, Valerianæ, Meu, & Gentianæ, cum de Aceto Theriacali egi, huc inferri iterum non debent.

Sententiæ meæ,quam alias adduxi de Ariſtolochia tenui, libro a me edito de Theriaca, adhuc tenax ſum; id vero præterea addo neque in hac Theriaca,neque in ea quam præſcripſit Andromachus, pro Ariſtolochia tenui vllam aliam admittendam quam eam cui Authores Piſtolochiæ nomen aut Polyrrhiſi impoſuerunt, eo quod cæteris omnibus ſpeciebus tenuior ſit, ſed ſpeciatim pluribus inſignita viribus Clematite, à Matthiolo: & nonnullis ſequacibus, pro Ariſtolochia tenui venditata.

Neque enim ſatis eſt Dioſcoridi, Matthiolo,& Theophraſto præter tres Ariſtolochiæ ſpecies, ſcilicet Longæ,Rotundæ,Clematitidis, nullas alias cognitas fuiſſe, Clematiten, quoad radicem omnium tenuiſſimam fuiſſe inter tres dictas ſpecies: Matthiolum cenſuiſſe illam Theriacam

ingredi debere potiori jure quam longam & rotundam; ac quibuſdam in locis pro Ariſtolochia tenui in Theriacam receptam fuiſſe, Indagandum præterea fuerat num in Europa nulla alia Ariſtolochiæ ſpecies extaret; num in Clematite adeſſent notę tenuitatis evidentiores quam in cæteris omnibus Ariſtolochiæ ſpeciebus, ac num viribus illas antecelleret, quo merito habeatur & cenſeatur eadé eſſe quam Andromachus nullo alio cognomine inſignivit quam Tenuis, ne fruſtra cognomen inditum fuiſſe videatur, non recte determinatum; Revera enim manifeſte adparuiſſet plures alias dari Ariſtolochiæ ſpecies præter tres a Dioſcoride, Theophraſto & Matthiolo aſſignatas: Quoad Clematiten, quam Matthiolus, & nonnulli neoterici pro Ariſtolochia tenui indigitarunt, tantum abeſſe vt cæteris illa tenuior ſit, quin potius craſſioribus gaudeat caudicibus & altioribus, foliis, fructibus & floribus majoribus & grandioribus, radicibus vero longioribus quam quę cęteris omnibus Ariſtolochię ſpeciebus conceſſa ſunt, ſpeciatim vero multo craſſioribus illis quas Piſtolochia aut Polyrrhiſon obtinet, cuius etiamnum omnes aliæ partes multo tenuiores ſunt quam in Clematitide cęteriſque omnibus ſpeciebus: Id quoque innotuiſſet Piſtolochiam, à me electam, ſapore, odore, & colore, tum interno tum externo, Ariſtolochias longam & rotundam potius referre quam Clematitem, quę ex oppoſito à cæteris plurimum diſcrepat, ſapore præſertim & odore: Facultates quod attinet, etſi ex ſententia Matthioli in compoſitionem Theriacę venire debeat, ac pro Ariſtolochia tenui adſumi, eo fundamento innixi quod Clematis inter tres ſpecies ab ipſo cognitas revera tenuiſſima ſit, apud probatos Authores nihil reperire eſt quod electioni ab ipſo factæ faveat: Quin potius ex illorum lectione manifeſtum fiet Clematiten & Piſtolochiæ & viribus externis & tenuitate externa inferiorem eſſe.

Conſpicuum & id fiet Dioſcoridem, cuius fidei Matthioli ſcripta innituntur, poſtquam plurimum extulit vires Ariſtolochiarum rotundæ & longæ, tandem addere, *Clematis ad eadem pollere creditur, viribus tamen eſt inferior*: At vero non ait, ſicuti imponit Commentator, in Theriacæ compoſitionem venire debere: Apertum evadet Ruellium, poſt decantatas Ariſtolochiarum vires, ſed maximę Piſtolochiæ, denique in hæc verba erumpere *Clematis cognominata, creditur in eoſdem vſus venire, quanquam ignavia ſit: Apud Dalechampium* videre eſt Clematitem iiſdem vſibus eſſe idoneam quibus cæteræ Ariſtolochiarum ſpecies, at non pari efficacia: Idem author Galenum adducens, vbi de Ariſtolochiis agit, Clematitem odoratiorem eſſe ait, cujus rei cauſa in vnguentorum odoratorum compoſitionem veniat, vſus vero medici

dici ratione habita, minori robore quam cæteras pollere: Idem præterea Author Æginetam adducit, quando Clamatiten in genere medicamentorum reponit quæ bilem educunt, qui effectus nequaquam congruit cum viribus quibus Theriaca pollere debet: Videre eſt & Cluſium eundem Galeni textum proponentem in Clematidis vituperiũ: Item & Iohannem Bauhinum, Dioſcoridis verba adducentem *Putatur & Clematitis eadem facere, verum viribus inferior eſt prædictis.* Eundẽ Bauhinum, Galenum ſequutum, dicentem, *Quæ Clematitis appellata* fragrantior eſt, itaque *ea ad unguenta vtuntur Vnguentarii, ſed ad ſanationes infirmior:* Apud Lobelium eaſdem Dioſcoridis & Galeni locos videre eſt: & Clematiti minus faventes, Sed prǽterea eundem ſic loquentem audiamus.

*Rondeletius revera deſuetum vſum radicum illius ſpeciei Ariſtolochiæ quam Polyrrhiſam vocant revocaverat, quam Dioſcorides, vti nec illius interpretes nullo proprio nomine deſignaverat, quippe quibus planta hæc ignota fuit, iampridem dimiſſa, & tamen præferenda reliquis duabus tum ſuavi aromaticitate, tum medicata, efficaciore facultate, cuius merito Andromachus & Galenus Theriaces compoſitioni aptiorem rotunda & longa cenſuerunt; At vtrumque ex odore & ſapore exploranti, multo ignavior reperitur Clematis. quam falſo Tenuem vocatam apud antiquos Theriacæ ſcriptores putabant Iiali:*Et deinceps ita differit, *Clematitis, vulgaris & notiſsima, ſponte in vinetis, ſoliſque frigido & humido provenit in reliqua Gallia, vniverſa Italia, Germania & Flandria: fruticis ſpecie provenit viticeo ſarmento, cubitali, flore luteo, caule cubitali, fructu oblongo, magnitudine parvi ovi, ſemine intus lato, radix illi exilis odorata: Huic vires ignaviores cæteris, & vſu obſoletior, præterquam apud omniſcios Apollinem & Matthiolum, ſequutos fæcem Pharmacopœorum, qui cum Longam & Polyrrhiſon nunquam vidiſſent, & Italiæ nihil vſpiam plantarum deeſſe à Matthiolo perſuaſi eſſent, illi facile & falſo perſuaſerunt Clematitem eſſe genuinam Longam; hinc q́, tot moroſæ Loureati Apollinis diſquiſitiones, qui eum hanc in Bibliotheca pictam ex Authoribus fruſta quæſiſſet, & Matthiolo ſcribenti prope foſſas emergere fidem habuiſſet, illuc illum ſequutus, dum venatur, vel ſuo more in foſſas lapſus eſt: Res ipſas qui inſpectione notas habuerit, & tum mente, tum manu concinne digerere noverit, facile ex voculis perperam adſcriptis ſeſe & lectorem extricabit; & perplexas acervationes iſtorum declamatorum aut ridebit aut declinabit, nec ſe rebus ſed ſibi res ſubiiciet.*

Non neceſſe eſt vt huc adducam quę Dodonæus de Clematite & Piſtolochia tradidit, neque locos de vtriſque congeſtos, quandoquidem hi conſoni ſunt iis quæ referunt Bauhinus, Dalechampius, & plurimi

alij : neque porro opus eſt vt inquiram ſolidiores aut firmiores authoritates ad ea ſtatuminanda quę protuli in Piſtolachiæ laudes & contemptum Clematitis : Sufficiat aſſeruiſſe cum in Piſtolochia adſint cunctæ & legitimæ tenuitatis notæ , eximiis virtutibus donata ſit , conſentientibus tot tamque præclaris ſcriptoribus , qui illam Clematiti anteponunt, perperam & inique me facturum fuiſſe ſi hanc non ſtatuiſſem Ariſtolochiam eſſe tenuem Andromachi,eámque hoc loco accipiendá,atque pro ſuccedaneo illius habuiſſem : in quem vſum qui Clematitem adſumpſerint, immerita laude illam adficiunt , cum cunctæ illius partes longiſſime a tenuitate abſint , atque hac parte , vti & viribus , illi proculdubio inferior ſit.

Neque porro intelligendum credo Andromachum, cum *Tenuis* voce vtitur , de tertia Ariſtolochiarum ſpecie a Dioſcoride deſcriptarum, adeo vt Piſtolochiæ anteferri debeat; ſed firmo fundamento innixus exiſtimo ipſum nullam aliam Ariſtolochiam illi in mentem veniſſe quam illam cujus caules , folia , flores , fructus , & radices admodum tenues deprehenduntur , imo multò plus quam in cæteris omnibus Ariſtolochiarum ſpeciebus , cuius vires inſignes plurimi ab Authoribus multis fiunt , imo Clematiti ideo præfertur.

Neque etiam meo judicio *Tenuis* nomen adſignari poteſt Clematiti, quippe quod aliud nihil ſonat quam ſarmentoſam , aut pluribus ſarmentis præditam : Contra repono, ſi nomini quidpiam foret concedendum, Piſtolochiæ nomen multo plus quam alterius cuiuſpiam Ariſtolochiæ accedere.

Non tamen mea mens eſt Piſtolochiam ſemper virentem, foliis nunquam deciduis,anteferendam illi eſſe cuius folia & caulis quotannis excidunt , tam quod figura & facultatibus multum recedat a cæteris Ariſtochiis, vel eo præſertim nomine quod ad ſalſæ-parillæ ſpeciem quandam revocetur;quam quod plantæ foliis perpetuo viridantibus eſſe nequeunt alia ratione quam ob probam ſubſtantiam & alimentum quod e radicibus continuo hauriunt; quo fit vt nullum idoneum tempus collectioni hujus radicis concedatur, quo non virium maximam partem in folia transfuderit : at vero in radice exiguæ noſtræ Piſtolochiæ, cumtota hyeme a vegetatione ceſſaverit , ſpatiúmque temporis conceſſum fuerit ſuccum e terra eliciendi, continendíque penes ſe quicquid probi ſucci illi neceſſarium fuit , plurimæ vires concluduntur ſi veris initio lecta fuerit cum vegetationi proxima eſt.

Neque illi,qui Andromacho , nullas alias perſpectas fuiſſe Ariſtolochias quam quæ Dioſcoridi , Theophraſto & Matthiolo notæ fuerunt , impoſuerint, veriſimile qnid adduxerint,quin nugas attulerint,non ſecus

ac

ac ſi dicerent Piſtolochiam noſtram poſt natum demum Andromachum in lucem prodiiſſe; eo quod Dioſcorides & Theophraſtus illius non meminerint.

Excuſationes quas contra Galeni textum venarentur, cum ait Clematitem ad vngnentorum tantum confectionem adſumi ab vnguentariis, ad medicos vero vſus inefficacem, neqvaquam admittendæ, nam, vt non repetamus id quod Galenus dixit Clematitem in medicina inertiorem eſſe cæteris Ariſtolochiæ ſpeciebus, nullus non Pharmacopœus gloriæ cupidus vnguentarij titulum reſpuet, neque enim dubium vnguenti vocabulum a verbo *ungo* deduci: Etſi porro non abſurdum ſit forte authorem quempiam incelebrem Vnguenti voce intellexiſſe materiam quampiam ſiccam ſuffumigiis dicatam, aut conditura cadaverum, vel aliis vſibus externis, nemo tamen obſervaturus eſt Andromachum, Theriaces inventorem, vti neque Galenum, qui poſterius de illa ſcripſit, Clematitemque adeo vilipendit, vnguenti nomen Theriacæ impoſuiſſe, neque Mithridatio, neque Trochiſcis Hedychroi, aut Cypheos; Neque etiamnum quempiam commentatorem, aut Galeni ſectatorem ex prędictis compoſitionibus, aut aliam ſimilem vnguenti nomine deſignaſſe:. Et hoc quoque huc inferam, cuncta vnguentorum exempla, quæ in ſacro codice forte occurrunt, ad externos ſolum vſus dicata, nequaquam probare Trochiſcos, aut vllam compoſitionem internam ſolidam Vnguenti nomine veniſſe; At vero neque vnum, neque plura teſtimonia, vtvt authentica, vnquam ſatis roboris habitura ſunt ad concedendam Piſtolochiæ tenuitatem, aut facultates quam Clematiti eminentiores, niſi revera illi ineſſent.

At vero aſſeto, neque Matthioli ſententiam, perperam ſtabilitam, neque præconceptos errores patronorum Clematitis, vnquam effecturos vt hæc ſuperior ſit ac Piſtolochiam de tenuitatis & virium excellentiæ ſede deiiciant: Neque Clematitem vnquam *Tenuis* epitethon adepturam apud eos qui illius intimam habuerint notitiam, & qui cum Clematide conferre voluerint: Illud porro apud me ratum, illos quibus vtraque perſpecta fuerit, ac rationes a me adductæ expenſæ, atque bilanci vtrinque cum iis quas fautores Clematitis afferunt impoſitæ, proculdubio a partibus meis futuros, & ne quaquam hæſitabundos genuine declaraturos non aliam pro *Tenui* habendam Ariſtolochiam quam quæ a me electa fuit.

Collecta hæc radix inchoante vere, cumprimum in folia erumpit, eluenda & abſtergenda ab omnibus ſordibus, demum ſuſpenſa in loco perflatili, procul a radiis ſolaribus exſiccanda, cum cæteris poſtmodum medicamentis diſpenſanda.

Coſtum quod attinet,conſeo tres illius ſpecies ab Authoribus deſcriptas ad vnicam referendas eſſe, hac in re Cluſium ſequutus, dicentem, *At vero in ea ſum opinione vt vnum duntaxat Coſti genus eſſe credam*, Idem Bontius, Medicus Batavus,confirmat, ſequutus Garciam ab Horto, Etſi enim Dioſcorides; & plurimi illius ſequaces, tres Coſti ſpecies deſcripſerint, Arabicum ſcilicet, Indicum & Syriacum, imo cuidam Coſti ſpeciei nonnulli figuras quaſdam adfingere conati ſint,omninóque ab iis diverſas quas tradidit Dioſcorides, cui fundamento innixi ſunt,id tamen pro comperto habendum in tota Europa vnicam Coſti ſpeciem agnoſci, ab omnibus in vniverſum acceptam & adprobatam, in qua, quaſi in compendio, obſerventur inſignes illæ notæ quas Dioſcorides aſſignavit omnibus Coſti ſpeciebus, ſi vnam quodammodo exceperis dulcedinem, per temporis forſan intercapedinem ex parte diſſipatam, Plantæ enim recentis ſapor ab illo multum diſſidet quem planta vetuſtior exhibet.

Coſtus ad noſtras oras delatus radix eſt ſatis craſſa, craſſitie pollicari, imo quandoque dupla, ſeſquipedalem forte longitudinem habitura ſi integra ad nos deferretur: Color exteriori facie cineritius eſt, interiori candicans, ad buxeum accedens: Odore valido nares ferit, ad primum linguæ conactum dulcedinis quandam ſpeciem referens, at vero amaror cum levi acrimonia paulo poſt ſe prodit, non ſecus ac ſapor aromaticus: Coſtus ad levitatem potius quam gravitatem accedit, quod ſubſtantiæ parum ſit compactæ.

Si Coſtus (quod nonnullis viſum) arbuſculæ cujuſdam cortex eſſet, aut fruticis, ſambuco ſimilis, proculdubio eligendus eſſet Coſtus, corticoſus dictus, cui quoque *Corticis Winterani* nomen inditum eſt, cortex videlicet, tota ſua ſubſtantia albus, admodum odoratus ſaporíſque aromatici, cui figura adeſt non item color, ſapor & odor cinnamomi vulgaris: Coſtus iſte corticoſus non multũ mihi diſſidere videtur viribus & facultatibus a vero Coſto, ac,me judice, non inepte illi ſubſtitui poſſet.

Pauci in Gallia gloriari poſſunt ſe apud Indos vidiſſe veram *Spicæ Nardi* plantam, in Iava copioſe naſcentem: Bontius, Medicus Hollandus, ait montes quatuordecim circiter leucis a Batavia Indica diſſitos illius feraces eſſe, locum vero fere inacceſſum eſſe ob Tigridum & latronum graſſantium frequentiam: Hoc vero tanquam verum adſtruo,à memet ipſo olim collectam fuiſſe Pſeudo Nardum in monte Genevreo, in confiniis Delphinatus prope Pedemontium, ac inveniſſe illius ſpicas in maſſam rotundam ſimul conglobatas, infra & juxta terræ ſuperficiem, radiculis tenuiſſimis inferiori parte inſtructam, quoad omnia proxime accedentem ad figuram veræ Nardi Indicæ, apud Matthiolum

Matthiolum depictæ & alios; Spicæ pſeudo Nardi illius craſſiores ſunt quam Indicæ Nardi, Capillitium magis diſperſum & hirſutum coloris obſcurioris, fere ſapore & odore deſtituitur: In centro partem ligneam obtinent, quæ in longum protenſa capillitio baſin præbet: Vera Nardus Indica vt plurimum ſpicas paulo minores gerit, parte lignea caret, capillitio donata eſt flavi coloris ad purpureum vergentis: Initium ducit a parva radice, & in globum convoluta ſpicam conſtituit, diutius eo in ſtatu permanentem niſi contrita fuerit; odore plurimum ad cyperum accedit, ſapor acmodũ aromaticus eſt, cui amaror admixtus & acrimonia linguam exſiceans, & tandem odoris non inſuavis veſtigium illi imprimens: Abiiciendæ radiculæ Spicæ Nardi ſpicis ſubjacentes, vtpote inutiles.

Ex his elegantiſſimæ eligendæ, ſervataque illarum figura lente contrectatæ digitis ad pulveris excuſſionem concutiendæ, partem illius interiorem per ſpicæ ſummam abſtrahendo, vtplurimum cæteris partibus pallidiorem, atque abiiciendam; Sic diſpenſandę ſpicę mundatę: Poſſent quoque & incidi antequam grandi mortario contundendę immittantur, ex quorundam ſententia, ſed ad id nulla compellit neceſſitas; quandoquidem id capillitium ſponte conteritur abítque in pulverem cum cęteris medicamentis.

Cinnamomi hiſtoriam huc iterum inferre inutile eſt, protuliſſe ſatis fuerit pro Cinnamomo ſolum habendám & accipiendam eſſe Canellam, ad nos allatam ex Inſula Ceylon, ſita in parte Indiarum Meridionali: Recens eligi debet, coloris vividi, ex flavo in purpureum vergentis, odoris fragrantis & grati, ſaporis acuti, penetrabilis, admodum aromatici, tenuius cra ſiori eſt præferendum: Cinnamomum rite electum nulla indiget præparatione.

Oleum Nucis Moſchatæ per expreſſionem elicitum tot inſignitum eſt viribus, vt inutile ſit Balſamos illos naturales diſquirere, vt plurimum adulterium paſſos, ad Theriaces compoſitionem, aliarúmve compoſitionum internarum: Præparationem hoc loco traditurus eſſem, niſi locus illi deberetur inter Olea expreſſa: Nuces Moſchatæ, etſi ex Indiis ad nos convehantur, notiores ſunt quam vt deſcriptione indigeant.

Non immerito a me ſtatutum maximam *Balſamorum* venalium partem, quaſi nativorum, adulterium paſſos eſſe; illud quippe pro comperto habendum ſincerum *Balſamum Iudaicum*, magno conſtuturum ſi modo conſequi daretur, & niſi admodum probabile eſſet illum qui ad nos defertur pro Liquidambra tantum habendum eſſe, vel quopiam alio Balſamo ſuppoſitio: *Balſamum Peruvianum* quod attinet, etſi legitimum nanſciſci non impoſſibile ſit, quod maiori ſuppetat copia, viliorique

pretio,adulterio tamen etiamnum obnoxius eſt, atque meæ poteſtatis eſt compoſitionem ejuſmodi tradere, quam pro genuino Balſamo admiſere plurimi Pharmacopœi & Aromatarij Galliæ, qui cum in eo veras notas, quæ ſyncero ineſſe debent, deprehendiſſent, pretiúmque modicum obſervaſſent, illius copiam ſibi fecerunt & compararunt: Neque apud me dubium Pharmacopœum quempiam, vtvt callidum & aſtutum, niſi præmonitum, hac in re deceptum iri: At vero illius compoſitionis deſcriptionem occultam eſſe malo, quam erroris & fraudis anſam præbere: Monitos tamen Pharmacopœos volo vt ſibi caveant in poſterum, qui prius decepti forſan Balſamum illum adulterinū quatuor Gallicis francis libræ vnius pondus ſibi compararunt, ac ad antiquæ Theriaces præparationem illum oleo Nucis moſchatæ per expreſſionem extracto præferre vellent, tertio aut quarto tanto cariorem.

Dictamnus Creticus planta eſt cauliculis plurimis inſtructa, quos contegit congeſtum goſſipium candidiſſimum & denſiſſimum, non ſecus ac folia, quæ rotunda craſſáque: flores illi purpurei, violis colore admodum ſimiles, dilutioris tamen, inter folia eminentes in caulium cacuminibus; ſemen in floris calice continetur poſtquam idem flos excuſſus eſt: Dictamnus, ſi licet, eligendus recens & floridus collectus, alias ſufficiant folia illius mundata.

Folium Indum, alias *Malabathrum* dictum, non habendum pro folio ſupra aquas abſque radicibus naſcēte,admodū lenticulę paluſtris,ex quorundam authorum arbitrio; eſt quippe folium proceræ arboris in regione Cambaya naſcentis, ac plurimis aliis Indiarum locis: Extremitates ramorum, ſæpè foliis adnexorum, manifeſtum faciunt ex arbore folia illa decerpta eſſe, Folium illud ſat grande citrij mali foliis nonnihil figura ſimile, coloris eſt ex pallido vireſcentis, tribus nervis aut fibris ad intervalla æqualia poſitis præditum, ab vna extremitate ad alteram ſecundum folij longitudinem exporrectis; læve id eſt,& ſuperna parte nitidum & lucidum, averſa parte aliquantiſper aſperum; ſapore aromatico, quaſi ex nardo, macere, garyophyllis & cinnamomo conflato: odore, ſapore, colore ac nervorum diſpoſitione a Lauri foliis plurimum diſerepat, pro his a quibuſdam, ſed perperam & nullo fundamento innixis habitum: Folia Folij Indi multum viridia, & integra, vtpote optima accipiantur.

Scordium,Calamintha,Polium flavum montanum, Chamæpytis, Centaurium minus, Stœchas Arabica, & Hypericum, notiora ſunt quam vt deſcriptione indigeant.

Dimiſſis ſententiis & opinionibus erroneis & confuſis plurimorum Authorum qui de *Amomo* ſcripſere, miſſa quoque facta inquiſitione loco-

locorum in quibus natales habere poteſt, ac deſcriptione magnitudinis, aut figuræ contortæ arboris illud proferentis, ſtatuo verum Amomum nobis fere ignotum eſſe, ad nos racemoſum id deferri; Ejus longitudo eſt vnius, duorum, trium aut quatuor pollicum, racemus is nervum quaſi quendam obtinet, pedis vices, aut baſis præbentem ſiliquis, quæ rotundæ ſunt, magnitudinis uvarum racemorum, coloris albi cineritii, leves, magíſque quam racemorum uvæ vt plurimum compactæ, baſi quaſi adfixæ & adglutinatæ, non ſecus ac Piperis grana: Racemum ex parte cooperiunt ſex folia, illis quæ malum Granatum emittit non multum abſimilia, inter quæ tria cæteris tribus, quæ interiacent, longiora & eminentiora: Siliquas has adimplent grana purpurei coloris, propemodum quadrata, in omnibus fere ſimilia Cardamomi granis: Grana hæc ſimul connexa figuram rotundam pariunt, ab invicem tamen diſtinguuntur intermediis tenuiſſimis membranulis, at tam arcto nexu implicantur, vt exiguus ille globus ex tribus tantum partibus conſtare videatur, etſi nullo negotio cuncta grana à ſe invicem attritu digitorum divellantur: Siliquæ & membranulæ ablegandæ, ſolummodo ad hanc compoſitionem, vti & ad alias, grana purpurea, eáque ſucculenta admittendo, neglectis & abjectis nigris & rugoſis: Granis his ſapor ineſt acris, mordax, admodum aromaticus, cujus veſtigia diutius in ore permanent.

Cardamomi diverſas ſpecies huc inferre animus non eſt, ſatis ſit dixiſſe, minimum, hic præſcriptum, omnium pręſtantiſſimum eſſe; grana illius ad figuram quadratam fere accedunt, exiguis ſiliquis triangularibus concluſa, parvis avellanis paulo minoribus, ſiliquarum harum color ex candido cineritius eſt, admodum ſimilis colori ſiliquarum Amomi; grana etiam fere concolora ſunt, ejuſdémque ſaporiſ, itidem in partes tres dividentibus tenuiſſimis quibuſdam pelliculis diſtincta: Eligantur mundata ſicuti de Amomi granis dictum.

Semen *Petrocelini Macedonici* ex viridi palleſcit, exiguum, longiuſculum, acuminatum, aliquantiſper depreſſum, ſaporis acris & admodum aromatici, odoris ſuaviſſimi; Sedulo emundandum eſt excuſſo pulvere omnibúſque ſordibus.

Semen *Ammi* magnitudine inter ſemina Apij & Petroſelini vulgaris medium eſt, propemodum rotundum, arenæ granis admodum ſimile, cujus quoque & nomen gerit: Ad nos duæ illius ſpecies adferuntur; vtrique ſapor ineſt admodum aromaticus, & amariuſculus: Sed Ammi ex Creta allatum, cujus ſapor & odor ad Thymum & Origanum accedunt, alteri præferendum eſt: Semen hoc ſicuti prius mundatum accipiendum eſt.

Semen *Seſeli Maſsilienſis* paulo minus eſt ſemine Fœniculi ſylveſtris , ad cujus tamen figuram plurimum accedit : Color illi eſt viridis pallens: ſapor acereſt , aromaticus, amariuſculus : Eligatur recens non aridum , ſed ſucci plenum ; probe mundandum eſt.

Myrrha ad Gummi Reſinas referenda eſt, quæ ſi recentiſſima fuerit,coloris eſt flavi vireſcentis , ad rubrum vergentis , craſſa , odorata , acris , mordicans, ſummæ amaritudinis ; effracta interiori parte exhibens maculas albicátes,non abſimiles illis quę vnguibus innaſcũtur:Eligenda pura, & quantum licet pellucida ; Hæ veræ ſunt Myrrhæ notæ , hoc loco accipiendæ , cujus majores lacrymæ minoribus præferendæ.

Illud pro certo habendum arborem quæ *Storacem* profert proculdubio plurimam lacrymam effundere , at vero id nequaquam perſuaderi mihi patiar Storacem ad nos allatum , aut quem inſtitores fingunt ex Oriente elegantibus & maximis lacrymis adferri,verũ eſſe ſtoracẽ:Ingens illius jam a longo tempore pretium , impoſtorum fraudibus venalem illum exponentium anſam præbuit , atque experimenta de illo a me ſuſcepta vt omnino abdicarem impulerunt : Non ex Galbano , non ex Ammoniaco, lacrymæ illæ fictitiæ effinguntur, ſicuti nonnulli ratum habuerunt , quandoquidem vtriuſque odor viroſus & moleſtus nullo modo convenire poteſt cum ſuavi & grato , quem mangones cum ſtudio conciliant lacrymis illis quas pro ſtorace venditant : Sed veriſimile eſt illas fictitias eſſe , ex nonnullis Benzoini lacrymis candicantibus , vel ex quopiam Gummi reſina inodoro , aut ſaltem cujus odor poſſit cedere illi qui conciliandus eſt , Storacem referens conflatas : Quamobrem id publici juris faciendum credidi,experimento à me confirmatum , ſcilicet ſumptis Storacis lacrymis, qui colore,odore,ſapore & figura externa nactus erat quæcunque in legitimo Storace deſiderantur , lacrymam illius manibus conterendo emollire cum conatus eſſem , vt poſtmodum malaxando cum aliis medicamentis ſubſtantiæ homogeneæ commiſceretur , mirabundum deprehendiſſe quicquid ſuavis odoris in ſtorace dicto aderat manuum mearum affricatione deletum fuiſſe , lacrymam vero ſuperſtitem omnino inidoneam fuiſſe vt quidquam probum conciliaret Balſamo aromatico quem parandum ſuſceperam : Ratus ſum tunc ad aliud Storacis genus confugiendum eſſe magis genuinum : Cum porro ſuſpectus mihi eſſet Storax conglobatus , cujus moles vt plurimum augmentum ſuſcipit ab addito Storace liquido , Vel ad alium ſtoracem in officinis venalem , leviſſimum & ligni ſcobe infarctum, Electus a me eſt Storax odoris ſuavis , plurimis granis , aut exiguis lacrymis donatus , ſordibus paucis inquinatus , cujus reſinam hac ratione extraxi.

Ejuſmodi ſtoracis vncias octo impoſui pelvi æneæ, cum vnciis duode-

cim

cim optimi vini albi, Pelvem vero ſupra modicum ignem; cuncta hæc ſpathula lignea leniter verſabam, quamprimum vero ſtoracem ſufficienter diſſolutum eſſe agnovi, illico calentem adhuc ab igne materiam omnem in ſacculum ex tela valida & denſa confectum infudi, quem ſuperna parte arcte contrictum ſupra materiam, torculari inter duas laminas calentes commiſi, vnde extraxi vncias tres reſinæ puræ, non minus præclaræ quam odoratæ, quæ in omnibus præferri debuit Storacis lacrymis nobis obviis: Reſina hac ad confectionem mei Balſami magna cum voluptate vſus ſum, quæ in poſterum, quoties neceſſe fuerit, tam ad interna quam externa remedia componenda admiſſurus ſum: Quibus Storax ſimilis in manus venerit, conſilio ii meo frui poterunt, ac ratione illum ad puritatem deducendi, quam lubentiſſime in publicum prodire volui.

Opopanax, Gummi eſt diſſolubile in liquoribus aqueis, ex planta ferulacea, quam vocant Panacem Heracleum, inciſione facta emanans: Ex planta liquidum & album defluit, ſed paulatim compingitur & in ſuperficie aureum colorē adquirit: Recens Opopanax eligendū, cujus lacrymę puræ ſint, pingues & candidæ, ſaltem interius, ſaporis acris & amari, odoris penetrabilis.

Sagapenum, alias Serapinum, eo quod ejus odor ad eum quem effundit Pinus accedit, Gummi eſt in liquoribus aqueis diſſolubile, non ſecus ac Opopanax; Effluit etiam ex planta ferulacea, cujus color interius albus eſt & exterius quādiu recens eſt, paulatim vero in ſuperficie fulveſcit, imo temporis decurſu intus & extra obſcurum evadit non ſecus ac cætera gummata, præſertim aquea: Sapor illi acer & amariuſculus, odor valide ſed ingrate ferit nares: Eligendæ ſunt lacrymæ puriſſimæ & recentiſſimæ.

Si anno 1644, quo in poteſtate mea fuit *Caſtor* vivus, alios præterea mortuos aut vivos nanciſci licuiſſet, Animal id lubentiſſime ſectioni anatomicæ ſubjeciſſem; ſi porro intimius partes illius omnes examinandas ſuſcepiſſem, ſicuti ante quinquennium vel ſexennium cum ſtudio & accurate ſcrutatus ſum partes omnes Viperæ, atque exacta diligentia deſcripſi, de illo paulo accuratiora tradidiſſem tractatu a me edito de Theriaca anno 1668; Si vero res non tam forte ad votum ſucceſſit quod non adeo ingens Caſtorum numerus ſuppeteret quam Viperarum, ſaltem veri teſticuli, ſoli generationi deſtinati, quamquam exiles & latentes, oculos meos & cognitionem non evaſiſſent; At vero non propterea abhorruiſſem ab opinione alias, & etiam hodie mihi innata, admonum probabili, videlicet burſas quas geſtant Caſtores, ſitas genuino loco, in quo teſticulos cæterorum animalium quadrupedum obſervamus,

legitimum Caſtoreum continere,quod ad Theriaces compoſitionem admitti debeat, ac cuncta alia remedia in quibus Caſtoreum præſcribitur.

Neque quoque mirandum, ſi cum agnoverim præcipuam materiam his Teſticulis conceptam veriſſimum & legitimum eſſe Caſtoreum, totum id pro veris Teſticulis acceperim, atque vt id crederem impulſus fuerim, tam a ſitu prædictarum burſarum, quam a nomine quod gerunt, *Fibri Teſticuli aut Caſtoris*, a pluribus celebribus ſcriptoribus ipſis inditum; cum præterea etiamſi a me deprehenſi fuiſſent legitimi teſticuli, generationi dicati, locus diſſitus in quo ſitum obtinuerunt, illorum exilitas & odoris carentia vt neglectim haberem atque repudiarem in cauſa fuiſſent, tanquam ad vſus Medicos ineptos; Ab examine præſertim inſtituto burſarum Caſtoreum continentium, atque obſervata figura, tum tunicarum internarum & externarum, quas comitantur plurimæ fibræ & membranæ, imo ſubſtantia admodum ſimilis Teſticulis cæterorum animalium ſubſtantiæ, quæ etiam non ſecus ac veri teſticuli, ſi exſiccati forent, in pulverem contrita abire poteſt.

Neque etiam pars vnctuoſa, exigua veſica diſtincta contenta, in eadem præcipua tunica quæ Caſtoreum excipit, ab opinione mea dimovere poterit, cum præſertim ſermo ſit de animali amphibio, quod quodammodo monſtris accenſeri meretur, quandoquidem dimidia ſui corporis parte animal terreſtre refert, alia piſci ſimile eſt.

Illud quoque apud me ratum eos qui burſas prædictas ejuſmodi in ſitu deprehenderent, qui obſervatur in corpore animalis viventis, imo corpori ademptas, & exſiccatas, quomodo venales exponuntur, indubie pro genuinis teſticulis illas accepturos; niſi rem ea diligentia & accuratiſſimo examine ſcrutati eſſent quo Domini Academiæ Regiæ adſcripti, in anatome Caſtoris ab ipſis inſtituta ante annos aliquot, cujus etiam deſcriptionem ad amuſſim factam publici juris eſſe voluerunt: At vero Teſticulorum nomen, burſis illis inique conceſſum, prohibiturum eſt quin verum Caſtoreum contineant, aut in Theriacæ compoſitionem admittendæ ſint, ac vbivis genuinis Teſticulis præfferendæ ſint.

Caſtorei electionem quod attinet, & locum in quo animalia id gerentia capiuntur, etſi authorum maxima pars id quod ex Ponto advehitur commendent, apud me nullum dubium eſt quin id quod e Caſtoribus juxta flumina Galliæ captis eruitur, Sueciæ, Poloniæ, Germaniæ, imo & in Canada, ac vniverſis Indorum Occidentalium regionibus, ejuſdem preſtantię ſit; nequeenim vllum vnquam diſcrimen animadvertere licuit, niſi inter legitimum caſtoreum & adulterinum, quod interius fibris & membranis permixtis fractum non deprehenditur, quippe quod nihil

aliud

aliud eſt quam congeries gummatum quorundam fœtentium & viroſorum, Caſtoreo pulverato commiſtorum, & ſucco vnctuoſo quem continent veſiculæ incluſæ in præcipuis & communibus veſicis Caſtoreum involventibus, ex quibus coadunatis exſurgit tenax admodum, diſſimilis ſubſtantiæ carneæ legitimi Caſtorei, quod facili negotio in pulverem abire poteſt, non ſecus ac ſubſtantia carnea genuini Caſtorei, quæ ſola ad Theriaces compoſitionem admittenda eſt.

Niſi Gallia *Crocum* nobis ſuppeditaret, dotibus omnibus neceſſariis inſtructum, ad nationes exteras, ſi fides authoribus adhibenda, confugiendum nobis eſſet; At cum præſtantiſſimum producat, imo non exiguam copiam cæteris regionibus, Germaniæ, Sueciæ, Poloniæ, ac plurimis aliis largiatur, immerito noſtrate abſtineremus: Præ cæteris is qui naſcitur in locis meridiei vicinioribus præferendus videtur illi quem variæ Galliæ Provinciæ ſuppeditant, ob loci naturam & ſitum, cum plerumque plantæ aromaticæ ibi locorum productæ, prerogativa quadam gaudeant pre illis que in ſeptentrionalibus regionibus natales habent, Sed ſive elegantia aut præſtantia bulborum crociferorum, ſive nativi ſoli indoles, ſive plantam excolendi ratio, aut Crocũ exſiccandi ratio aliquid conferant, obſervare eſt Crocum in Vaſtinio creſcentem, non procul a Lutetia, dummodo rite electus fuerit, nulli inferiorem eſſe, neque quoad ſtaminum craſſitiem, neque coloris elegantiam, neque quamvis aliam ex conditionibus requiſitis, adeo vt citra hæſitantiam in compoſitionem hanc admitti debeat, vt & cæteras.

Radix bulboſa & rotunda, folia, flores, & ſtamina, quæ ſola Croci nomen gerunt, ac in vſum medicum veniunt, ſatis nota ſunt, neque deſcriptione indigent; *Id* vnum adducendum, ſummis forficibus amputandam eſſe partem flaveſcentem, baſis vices in ſtaminibus obtinentem abiiciendam, eámque ſolum ſtaminis partem admittendam que Kermeſino coloʀe predita eſt: Crocus quam recentiſſimus idem preſtantiſſimus.

Spica Celtica in montibus Pyrenæis provenit; & Tyrolenſibus in Germania; Exigua eſt planta, aromaticitate multa prædita, quæ ad nos exiguis faſciculis collecta adfertur; ſpicæ formam tantum in radice gerens: Spicæ vero nomen ideo quoque illi inditum exiſtimo, & ea præſertim de cauſa quod odoris vehementia propemodum certet cum Spica Nardi: Totius plantæ vis in radice concentrata eſt: folia etiam illius abiicienda, flores, omnia filamenta, ac quicquid ſuperfluum eſt; quod vt conſequi liceat, expandendæ illius radices in loco aliquantiſper humido, quo molleſcant & plicatiles fiant, minúſque fragiles antequam emundatio ſuſcipiatur, cum enim leniſſima manu, ſcapelli cuſpide quicquid extraneum eſt radici circumfuſum abiiciendum ſit, proculdubio

præ nimia ſiccitate in particulas abſcederet, niſi cautio illa præcederet.

Huc non ſum allaturus methodum deſpumandi mellis, cum extractum Baccarum Iuniperi illius ſuccedaneum adpoſuerim, ac præterea ſpumæ detractionis, vbi de Theriaca antiquorum, meminerim: Præparationem Extracti Iuniperini remitto ad caput de Extractis in tertia hujus Pharmacopœæ parte.

Commixtionem omnium Medicamentorum, hanc Theriacam componentium quod attinet, eidem methodo inſiſtendum quam tradidi de antiquorum Theriaca: Hoc vnicum inſeram de Extracto Iuniperino, non ſolum ab ipſo eadem quæ de melle communi deſpumato ad conjunctionem & conſervationem omnium medicamentorum expectanda eſſe, ſed & plurimam virium acceſſionem Theriacæ iſtius viribus fieri, nequaquam antiquis vſitatæ inferioris, imo quoad omnia illa efficacioris, quippe quæ quoad vniverſam compagem nihil niſi ſelectiſſimum contineat, atque prȩſtantiſſimarum probatiſſimarúmque virium, Doſis & ratio ad vſum ducendi hanc Theriacam a priori deducenda eſt.

Theriaca Diateſſaron.

℞. Radicum Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Baccarum lauri,
Myrrhæ electæ ãã. ℥ ij.

Mellis optimi deſpumati, &
Extracti Baccarum Iuniperi
ãã. ℔ j.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Theriaca hæc in gratiam præſertim pauperum iuventa fuit, Vocatur Diateſſaron, eo quod quatuor ſolum medicamenta contundenda ſint in pulverem, quæ melli commixta, ac Extracto Iuniperino, compoſitionem alexiteriam præſtantiſſimam efficiunt.

Præparatio hujus Theriaces nihil difficile obtrudit, ſolus enim pulvis ex quatuor his medicamentis conflatus cum melle optime deſpumato, ac extracto Iuniperino commiſcendus eſt, compoſitionem poſtea ad vſus recondendo.

Cōntemptim non habenda hæc Theriaca, admodum enim conducit adverſus contagioſos morbos, venena & morſus venenatorum animalium; contra apoplexiam, ſpaſmos cunctóſque cerebri frigidos affectus, vt & contra lumbricos; ad corroborandum ventriculum valet, omniúmque viſcerum obſtructiones reſerat.

Mithri-

Mithridatium Damocratis.

℞. *Myrrhæ Trogloditi,*
Croci,
Agarici,
Zinziberis,
Cinnamomi,
Nardi Indicæ,
Thuris maſculi,
Seminis Thlaſpeos ãã. ℥iß.
Seſeleos Maſsilienſis.
Opobalſami,
Schoenanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Coſti,
Galbani,
Terebinthinæ Chiæ,
Piperis longi,
Caſtorei,
Succi Hypociſtidis
Storacis calamitæ,
Opopanacis,
Folij Indi,
Caſsiæ ligneæ,
Polij montani,
Piperis albi,
Scordij,
Seminis Dauci Cretici
Opobalſami,
Trochiſcorum Cypheos
Bdellij ãã. ℥iß.
Nardi Celticæ,
Gummi Arabici,
Petroſelini Macedonici,
Opij Thebaici,
Cardamomi minoris,
Seminis Fœniculi
Radicis Gentianæ
Roſarum rubrarum
Dictamni Cretici ãã. ʒ x.
Seminis aniſi,
Radicis Acori veri,
Ari
Valerianæ major.
Sagapeni ãã. ʒ vj.
Meu Athamantici
Acaciæ veræ
Ventris Scinci
Seminis hyperici ãã. ʒ v.
Mellis optimi deſpumati lib. xix.
Vini optimi quantum ſatis.

Methodus.

Hic inſertam volui hanc Mithridatis deſcriptionem, ne ob ſuppreſſam compoſitionem celeberrimam conquerendi anſam præberem; Etiamſi vero Mithridatium non minus, imo amplius quam Theriaca emendatione indigeat, neceſſe non eſſe exiſtimatum poſtremæ hujus emendatam deſcriptionem adferre, cum Theriacæ reformatio vtrique communis eſſe queat, aut ſaltem norma eſſe huic emendandæ compoſitioni: Nihil tamen obſtituturum eſt quo minus priſcorum rituum rigidi cultores illis ſe adſtringant, ſi gratæ illis intricatæ operationes ac plurium medicamentorum pene inertium farrago & diſpenſatio, efficacioribus & melioribus in hac compoſitione permiſtorum.

Opium minori quantitate in hac diſpenſatione quam Theriace admittitur; Omiſſi quoque Trochiſci Viperini & ſcyllitici, quoad cætera vtraque compoſitio iiſdem fere medicamentis conſtat: Cum porro Theriaca reformata plurima medicamenta non recipiat quæ Mithridatium admittit, a me hactenus non deſcripta, de his ſuccincte verba facturus ſum.

Agaricus excreſcentia eſt Fungi inſtar adnaſcens trunco, aut craſſioribus ramis plurimarum vetuſtarum arborum: Duæ illius ſtatuuntur ſpecies, Mas & Fœmina; Mas flaveſcit, gravior & compactior eſt, Tinctoribus aptior quam ad vſus Medicos: Qui Fœminæ voce venit maxime expetitur, Optimus Larici innaſcitur: Antiqui plurimi fecerunt Agaricum apud Sarmatas naſcentem, in Provincia quadam, Agaria dicta, vel ab Agarico ibi vbertim proveniente, vel a fluvio Agaro regionem illam alluente: Hodierna die familiaris nobis eſt Agaricus qui in excelſis Delphinatus montibus oritur, antiquorum Alpibus, aut montibus Tridentinis; Neque tamen is repudiandus qui ex orientalibus regionibus ad nos adfertur, aut aliunde, dummodo præcipuis probitatis notis non careat, candore ſcilicet, levitate, puritate, magnitudine, friabilitate, odoris vehementia, & intenſo amarore: Agaricus inter medicamenta recenſetur cathartica, hoc eſt elective & vi quadam trahentia, quamobrem e Mithridatio non immerito expungi poteſt; ſicuti & ex Theriaca, quod ejuſmodi facultas cardiacæ repugnet, & alexiteriæ plerorúmque aliorum medicamentorum.

Zinziber notiſſimum eſt, etſi in Indiis tantum & America proveniat; Ratione caudicis duæ illius ſtatuuntur ſpecies, ſub nomine Maris & Fœminæ, ſed quoad vſum medicum nulla adhibetur diſtinctio; ſatis eſt recentiſſimum & maxime ſucculentum eligere, quod intus candicat, ex Indiis affertur; qui enim in America naſcitur minus commendatur ob colorem fuſcum.

Thus maſculum vocant *Olibanum*, in officinis ſatis notum; Gummi ſpecies eſt, cujus lacrymæ majores eligendæ, albæ, puræ, & vtcunque graves, ſaporis acris & amari, odoríſque acuti; Vix patet ratio cur maris nomen inditum ſit, niſi diſtinctionis gratia majorũ & elegantiorum granorum, aut lacrymarum, a reliquis

Opobalſamum ab authoribus deſcribitur ſuccus, aut liqnor concretus, candicans, pellucidus, odore fere ad terebinthinam accedens ſed multo ſuavior: ſtillat inciſione facta in ramis arbuſculæ quam vocant *Balſamum*, illius lignum nominant xylobalſamum, cujus ad nos advehuntur ſolum ramuſculi ſat recti, at fragiles, & nodis inæqualibus diſtincti. Cortex hujus arboris exterius ſubfulva eſt, ſed interius virideſ-

cens;

cens; lignum illi ſubſtratum candicans eſt & medulloſum: ſi frangatur lignum hoc recens odorem emittit, Opobalſamum quodammodo ſpirantem, ſapore eſt amaro levis acrimoniæ non experte.

Balſami planta præſtantiſſima in Iudæa naſcitur & Arabia felici, excolitur quoque in Ægypto, in hortis Imperatoris Turcarum, In Peruviano quoque regno naſcitur, ſed præſtantia & viribus alteri cedit, Balſamum ex Iudæa derivatum ſyncerum raro viſitur nec niſi exſiccatum, quo fit vt eſſentiales notæ ipſi ab authoribus adſignatæ deprehendi nequeant, videlicet vt inſtillata gutta vna vel altera aquę vel lacti, ſtatim quidem videatur in illis liquoribus diſſolvi, ſed poſtmodum exurgat & ad innatet, ac totum immiſſæ acui aut paleæ adhæret: aut affuſa gutta vna panno inde extergi nequeat illo hoc immaculato.

Recens quoque Opobalſamnm authores referunt adeo inſigni penetrandi vi præditum eſſe, vt odoris acrimoniæ & vehementiæ ferendæ nares ſint impares;quamobrem cum hodierna die nullum occurrat his qualitatibus præditum, non levis dubitandi anſa præbetur num genuinum ad nos transferatur, imo dolendi quod liquor tanti pretij & efficaciæ adeo notitiam noſtram effugiat: Eapropter in ea adhuc ſto opinione, jampridem concepta; ſatius eſſe in vſum ducere oleum Nucis Moſchatæ expreſſum ad Theriaces vel Mithridatii compoſitionem, in quibus Opobalſamum præſcribitur, quam ſuppoſititium Balſamum admittere, cujus ſynceritas in dubium revocatur, Idqúe eo potiſſimum nomine quod oleum e nuce moſchata expreſſum ſuccus eſt mediæ inter reſinoſam & oleaginoſam naturæ, e fructu admodum aromatico & viribus inſigni eductus, cujus ſapor, odor & eximia penetrandi vis locum illi adeo eminentem adſignant.

Schœnanthos vox eſt Græca, Iunci florem ſignificans, huius plantæ partem optimam: Etſi enim junci ſapor & odor manifeſtum faciant facultates quaſdam illi ineſſe, illud tamen concedendum in flore ſingulare quiddam reſidere, teſtibus elegantia, ſapore & odoris ſuavitate: Ex florum quippe ſerie is eſt qui maxime tenax eſt inſignium facultatum, etſi eorum exilitas & tenuitas conſervationi obſtare videatur; adeo vt etiamſi, per plures annos aſſervatus fuerit, nares tamen vehementia odoris ferit ſaporéque acri & aromatico linguam & palatum vellicet.

Iuncus odoratus, floris hujus parens, oritur in Nabatea Arabiæ Provincia, quo in loco adeo vber eſt illius proventus, vt Camelis, aliiſque jumentis & animalibus in præſepi ſubſternatur; Iunci hujus altitudo pedalis vt plurimum eſt; radix parva, tenuis, & nodoſa, Planta denſis ramuſculis fruticat, in plurimos ordines compoſitis, coloris viridis pallеſcentis, intermixtis nonnullis foliis longiuſculis, quarũ extremitatibus aſſident hi

floſculi,colore albicantes,ad purpureū vergētes,duplici ordine collocati.

Scœnanthi flores nonniſi prius rite expurgati, diſpenſari debent, vt vero in eo labore minor occurrat difficultas, mei eſſe officij credidi methodum meam expoſuiſſe; Primo per incerniculum rarius excutiendus ſedulo pulvis floribus vt plurimum commixtus: chartæ inſpergendi illi ſunt, cui fragmentum panni vilioris, novi, admodum hirti ſuperponendum eſt, longitudinis & latitudinis propemodum manus; eodem tempore amovendum panni fragmentum,cui plurimi flores adhærebunt, cultro leniſſime deradendi, ſeorſim reponendi; Flores novi iterum inſpergantur, rurſuſque panni fragmentum ſuperimponatur, ſeparatione rurſus facta florum mundatorum, quovſque adſit quantitas ab Authore præſcripta.

Galbanum Gummi eſt in liquoribus aqueis diſſolubile, non ſecus ac Opopanax & Serapinum,per inciſionem itidem ex planta ferulacea cognomine diſtillat: Maximæ lacrymæ aut grana eligantur, pura, alba, craſſa,ſaporis acris & amari, odoris vehementis & gravis.

Inter cunctas *Terebinthinas* (*Reſinas*) quas variæ fundunt arbores, Reſinis liquidis à nobis deſcriptis, quæ ex Terebinthino excipitur optima eſt: Pellucida ſit, colore candida, ad viridem nonnihil inclinans, odoris non admodum vehementis, neque inſuavis: Omnium optima Terebinthina ad nos ex Inſula Chio defertur: Vtplurimum cæteris minus liquida eſt, ſive Venetiis ad nos advehatur ſive aliunde.

Piper longum figura plurimum accedit ad julos corylinos: longitudo illi fere qualis dactylorum,craſſities ſicuti eorundem nucleorū:Piperlongum ex plurimis granulis contiguis conſtat, miro ordine diſpoſitis, Externa facie,magnitudine & colore ſimilia ſunt hyoſcyami ſeminibus:etāſi vero grana hæc ſatis diſtincta videantur, atque ab invicem vix ac ne vix divellantur, vnum tamen idémque corpus conſtituunt, quorum vnumquodque cuſpide ſua centro adhęret, exiguo ſcilicet nervo ſingulis baſin concedente; Cum vero erumpere incipit, piperi longo pedunculum præbet, quo mediante plantæ, e qua oritur, adhæret, quæ reptilis eſt, folia gerens qualia Piper nigrum, ſed magis viridia & teneriora, ac pedunculo breviori prædita: Sapor Piperi longo & nigro idem propemodum ineſt, calore tamen minus intenſo, minoríque ſiccitate: recens ſit & ſucculentum abjecto pedunculo.

Succus *Hypocyſtidis* educitur e ſtolone, inſtar fungi adnaſcente caudici ſpeciei cujuſdam Ciſti, ad Orobanches formam accedentis: Iſte ſtolo coloris eſt flaveſcentis, intermiſtis interſtitiis obſcuris nodos propemodum illis ſimiles quales in radice Nenupharis obſervantur exhibentibus: Stolones hi nonnunquam pollicaris ſunt craſſitiei, quandoque duplo

duplo craſſiores, imo & triplo, digiti longitudine, quandoque totius manus, In figuram longam & rotundam aſſurgunt, ſed ſuperna quam infima parte paulo craſſiorem, mali Granati florem, ſeu balauſtium in cacumine referentem, Circa Majum menſem oriuntur; Teneri ſunt & ſucculenti, emittúntque ſuccum atrum & acidiſſimum, quem rite depurant, lentóque igne in vaſe fictili optime vitreato excoquunt ad conſiſtentiam ſucci ſolidiuſculi, quem vocant *Succum Hypocyſtidis.*

Arbor Caſsiæ ligneæ ferax illi non admodum diſſimilis eſt quæ Cinnamomum profert, imo promiſcue in Inſula Ceylon oriuntur, Ambo illi Cortices etſi diverſarum arborum ſint ſoboles, vno eodémque modo colliguntur & exſiccantur; odore & ſapore admodum inter ſe conveniunt, æquali dulcedine præditi, æque acrimonia linguam ferientes ſed grata; Colore, figura & craſſitie nequaquam fere a ſe invicem diſſident, ſed Caſſia lignea ſubſtantiam obtinet pinguem, mucilaginoſam adeo vt dentibus attrita tota in ore liqueſcat, nulla ſuperſtite parte lignea, cum hæc in Cinnamomo, ſeu Canella ori pertinaciter adhæreat, etſi diligenter maſticata.

Piper Nigrum creſcit in Iava, in Sumatra & Malaca, Duæ dantur illius ſpecies, mas nempe, grandioribus foliis donatum, & fœmina, cui minora, acuminata & cordis figuram exprimentia: Exteriori facie viridia ſunt, interiori ſubflava, lõgo pediculoprędita: Vtriuſque Piperis planta ſarmentoſa eſt, flexilis & nodoſa: Piperum ſemen juxta arbores ſeritur, vel plantæ eorundem pedamentis fulciuntur: Grana vtriuſque Piperis ſpeciei racematim creſcunt, non multum abſimilia, pedunculo fere deſtituta, ſed quaſi affixa & congeſta plurima ſimul prolixo nervo racemi in morem adhæreſcunt; Viridia ſunt initio hæc grana, nigricant vero prout maturitatem adipiſcuntur.

Graviter illi decipiuntur qui Piper album ante maturitatem colligi cenſent, aut plantam ejus parentem ab illa quæ nigrum profert aliam eſſe, quandoquidem conſtat & indubium eſt ex Pipere nigro confici album: Piper nigrum aqua marina irrorando & humectando, poſtmodum vero id radiis Solaribus exponendo, abjecto cortice qui hoc pacto a grano abſcedit, album colorem contrahente poſtquam niger cortex receſſit.

Dauci Cretenſis ſemen omnibus præfertur, in longitudine ſimile eſt Cumino, ſed tenuius, color illius albicat, hirta eſt ſuperficies, odor & ſapor non inſuaves, acrimonia tamen linguam vellicat, comite calore, ſed admodum eſt aromaticum:

Polij duplex ſpecies in montibus provenit, vnius flores, & fere vniverſa ſumma pars foliorum & cauliculorum colorem obtinent aureum,

Alterius candicat : Vtriuſque plantam integit goſſypium quoddam ſat denſum, ſed præſertim flavum, cujus quoque odor & ſapor adeo ſunt aromatici ; vt ſimul & ſemel ori & naſo odorem quaſi ex plurimis conflatum aromatibus adflent.

Polium flavum alteri anteponendum ; naſcitur in excelſis montibus, locis ſaxoſis & aridis, ad meridionalem plagam præſertim converſis : Nonnunquam & in imis montibus ortum habet, juxta torrentes, quo aquarum exundatione illud detraxerunt.

Scordium Creticum Authores præ cæteris extulere, ſed non neceſſe eſt illud e tam longinqua regione arceſſere, quandoquidem Gallia noſtra præſtantiſſimum ſuppeditat; Illius, vtpote notiſſimi deſcriptionem prætermittimus.

Legitimum *Carpobalſamum* inter rariſſima reponendum, aut, vt verius dicam, vix hodie reperire eſt quod veras notas ab authoribus ipſi adſcriptas præ ſe ferat; ſtatuunt enim fructum illum plantæ mediante exiguo calice adherere, magnitudinis non mediocris, gravem, guſtui acrem & mordacem adparere, obtegi tenui membrana fulvi coloris, ad rubrum vergentis, intus membranas quam extus craſſiores obtinere, ſemen vero ſucco flavo & melleo refertum continere, odore eſſe grato illi propemodum ſimili quem effundit Opobalſamum.

At vero grana quæ nonnunquam in officinis pharmaceuticis occurrunt, ſub Carpobalſami nomine venditata, nullas notas ad proxime a me memoratas accedentes gerunt, neque enim vlla calicis, cui adhæſerint, ſuperſunt veſtigia, at pedunculum habent, cujus ope adfixa hærebant : grana eadem ſat exilia ſunt & levia, ſapor nullius acrimoniæ particeps, linguam vix vellicans, neque vllum continere ſemen deprehenduntur, vti neque ſuccum flavum & melligeneum, nec odorem manifeſtum emittere, Vetuſtate revera nonnullæ harum notarum obſoletæ fieri poſſunt, ſed aboleri plane nequeunt, quamobrem apud me dubium num fructus illi ſint legitimi, quamobrem illis, cum antiquis pleriſque, Cubebas ſubſtituimus.

Cubebæ colore, magnitudine, & figura a Pipere Nigro non multum recedunt, ſi pedunculum excipias, cujus ope nervo cuipiam adhærent racemiformi : Exiguis illis baccis ineſt ſapor mordicans, ſubamarus, admodum aromaticus; Vberrimus illarum eſt proventus in Inſula Iava : Profert illas arbuſcula, vicinas arbores ſicuti hedera ſcandens, illis adherens; Nonnulli authores, levi innixi fundamento tradidere loci incolas Cubebas antequam alio transveherentur, in aqua decoquere ne aliis in locis tranſplantatæ germinare poſſent, ſed cum parum expeditæ ſint venditionis,

ditionis, vilóque emantur pretio, in illorum abire ſententiam abſurdum eſt.

Cubebæ ad corroborandum & calefaciendum ventriculum eximiæ ſunt, in Lienis obſtructionibus expediendis, Vteri intemperie frigida emendanda, atque ad actus venereos ſegnibus impellendis commendatiſſimæ.

Ad Caput de Trochiſcis abeat Lector, id conſulturus quoad Trochiſcos Cypheos.

Bdellium apud Bactrianos creſcit: gignit id arbor ad Olivæ magnitudinem accedens, foliis quercui ſimilis: Bdellium gummi eſt, cui authores has notas adſcripſere, vt lucidum ſit, & ceræ inſtar flavum, aut ichthiocollæ, ſapore amarum & pingue, odore referat Vnguem odoratum, ſi accenſum fuerit.

Niſi *Gummi Arabicum*; *Fœniculum* & Aniſum omnibus eſſent notiſſima, illorum deſcriptionem ſuſcepiſſem; quo labore ſuperſedebo.

Acorus verus ad nos ex Lithuania convehitur, aut Tartaria, Radix eſt per ſuperficiem terræ fere repens, alimentum ex terra mediantibus fibris quibuſdam illis adfixis hauriens: digitali eſt craſſitie, admodum nodoſa, colore albo ad carneum vergente, ſubſtantia rara & levi, ſapore acri & ſubamaro, odore vehementi, at non ingrato; Ad nos mundatus adfertur; eligatur recens & ſucci plenus.

Arum, alias *Iarum*, vulgatiſſimum eſt, veris initio colligenda illius radix, cum primum folia erumpere incipiunt, probe eluenda, a ſordibus omnibus liberanda, in taleolas diſſecanda, quæ filo appenſæ in vmbra exſiccandæ.

Acacia vera ſuccus eſt concretus fructus proceræ arboris ſpinoſæ in Ægypto creſcentis, cujus flos albus eſt, fructus ſiliquis continetur, lupinis ſimilis: Color hujus ſucci intenſæ eſt rubedinis, ſat elegantis, ſubſtantiæ compactæ, at ſi concutiatur fragilis & ſi probe ſicca fuerit Conglobata ad noſtras oras adfertur, veſicis incluſa ſat tenuibus, pura eſſe debet & lucida interius, cum effringitur, ſapor ſtypticitatem præbet cum aliquali acrimonia ſed ſatis grata.

Scinci aut *Stinci marini*, animalcula ſunt Lacertis non abſimilia, aut ſi mavis, minimis Crocodilij, quamobrem id nominis a quibuſdam illis fuit impoſitum: amphibij ſunt, partim in aquis partim terra degentes; quatuor incedunt cruribus ſed breviſſimis & tenuiſſimis: roſtrum quam lacertis illis acutius eſt, cauda brevior & tenuior; oculos exhilarant, ſquammis enim eleganti ordine diſpoſitis inveſtiuntur, coloris argentei, nitidi, variis in locis aurei, præſertim in dorſo: Animalia hæc Crocodilorum magnitudinem nunquam attingunt, etſi id nomen apud non-

nullos gerant: in Ægypto ortum habent prope mare rubrum, in Libia, imo & in Indiis: Ad Mithridatii compoſitionem ea pars Scincorum eligitur, in qua renes, ſiti ſunt, & venter, dimiſſis cæteris partibus, etſi ſuis virtutibus non careant: Aliis in locis de cæteris medicamentis Mithridatium ingredientibus, a me actum eſt.

Mixtionem huius compoſitionis quod artinet, quæ a me tradita eſt ad Theriaces antiquorum confectionem locum hic habere poterit.

Mithridatium autem facultatibus ad Theriacam propemodum accedit, etſi in omnibus paulo inferioribus, præſertim contra morſus ſerpentum, cui rei caro Viperarum ſpeciatim conducit, atque ad ſedandos dolores ſomnúmque alliciendum, eo quod opium minori quantitate illud quam Theriacam ingreditur.

Confectio Alkermes Regia.

℞. *Succi Pomorum redolentium,*
Aquæ Roſarum fragrantiſsimæ ā ā. ℔ 1 ß.
Serici crudi mundati & minut im inciſi ℔ j.

Omnia Matratio bene clauſo excepta horis viginti quatuor in Maris Balneo digerantur, tepide deinde ſericum torculari exprimatur: Liquor vero cum ſacchari optimi lib. iij. *ad Electuarij ſolidi conſiſtentiam coquatur: Ab igne tunc removeatur Electuarium, & in illo ſucci Kermeſini recentis ſpiſsioris* ℔ j *diſſolvatur, & poſtmodum permiſceantur,*

Margaritarum Orientalium præparatarum,
Santali citrini &
Cinnamomi acutiſsimi ā ā. ℥j.
Ambræ griſeæ cum olei Cinnamomi ſtillatitij guttis iij *pulveratæ* ℥ß.
Lapidis Lazuli vſti, loti, & lævigati ʒ ij.
Foliorum Auri ʒ j.
Moſchi Orientalis ʒ ß.
Fiat ex arte Confectio.

Methodus.

Plurimi Authores, iíque non incelebres, Serico crudo inſignes vires adſcripſerunt; at vero etiamſi illius vſus ab omni ævo in medicina foret ignotus, ex mea ſententia cum odorem vehementem emittat, elegantiſſimum ſit, vitæ civili commoda multa præbeat, atque omnino admiranda in illius ortu, progreſſu, in animalis illius producentis induſtria & tandem varia metamorphoſi eluceſcant, proculdubio in contemptum venire non debet: Atque eo potiſſimum nomine quod nemi-nem lateat in omnibus partibus animalium, imo & cunctis illorum excrementis ac ſingulis productionibus, plurimum ſal volatile contineri;

cum

cum porro omnino ratum habeam Salia volatilia eximias vires obtinere, a me alias explicatas, quæ, ſicuti ſentio, artis Medicæ brachium dexrrum cenſenda ſunt, hoc fundamento innixus, ac præterea plurimi ſummi viri,Sericum crudum in vſus medicos ſæpiſſime advocarint à multis retro ſæculis, aſſero non immerito, cæteris medicamentis,Confectionem hanc ingredientibus, remixtum eſſe Sericum.

Sericum crudum vocant id quod omnis coctionis expers eſt,folliculis adhuc incluſum,e quo bombyx inciſione fuit eductus quarto aut quinto die poſt perfectum hoc operis magiſterium; Illo enim tempore puriſſimum nanciſcimur ſericum, dummodo adempta fuerit membranarum exteriorum poſtrema, cum folliculi maxime intima tunica, bombycem proxime ambiente, quæ non ſecus ac tunica exterior iam nominata repudianda eſt: Sericum ſic electum proculdubio confectioni facultates quibus pollet inditurum eſt, ac quibuſvis aliis compoſitionibus.

Vt Methodica ſit huius Confectionis præparatio, ſeorſum ſubtiliſſime conterendum Santalum citrinum, cum Cinnamomo; Super porphyrite præparandi vniones: Ter incandeſcat, & ter in aqua roſacea extinguatur lapis Lazuli, in qua præterea per horas viginti quatuor macerari permittatur, poſtea ſicuti margaritæ ſuper porphyrite lævigandus: Ambra griſea & Moſchum ſimul conterenda, additis olei Cinnamomi ſtillatitii guttis tribus, faciliorem pulveriſationem effecturis: Imo ne mortario adhæreſcant prohibituris, hæc pulveriſata cæteris Pulveribus commiſcenda erunt: Interea poſt abiecta omnia folliculis concluſa ſupervacua, fiſſas & diuiſas cunctas illorum tunicas,ſibi mutuo ſuperincumbentes, hi minutim incidantur, in matratium immittantur, ſuperfundatur Pomorum ſuccus rite defæcatus, cum præſcripta Aqua roſacea,& optime obturato Matratio, id per viginti quatuor horas in Balneo Mariæ tepido detineatur: demum colatis, & fortiter expreſſis folliculis,in illo liquore diſſolvantur ſacchari albiſſimi libræ duæ, hæc poſtmodum decoquendo in vaſe fictili uitreato, igne moderato, ad conſiſtentiam vſque Electuarij ſolidi: remoto autem ab igne vaſe, diluenda erit libra vna ſucci expreſſi e granis Kermeſinis recentibus, perfectam maturitatem adeptis: His deinceps paulatim adiiciendi pulveres; ac tandem Aurum foliatum: Confectio autem perfecta recondita in vaſe Faventino optime occluſo ſervetur ad vſus.

Facile eſſet Ambram griſeam in portione Syrupi calentis liquefacere quò cum commiſceretur, at vero citra aliquale virium, & fragrantiæ odoris diſpendium fieri non poſſet, adde quod confectionis elegantiæ forte aliquid decederet; eapropter apud me conſtitutum eſt optimam

Ambræ griſeæ præparationem, hoc in caſu, illam eſſe quæ trituratione perficitur.

In hac deſcriptione occurrit augmentum ponderis Pulverum, Santali Citrini, Cinnamomi, & Ambræ Griſeę ſupra dozin quā tradunt cęteræ deſcriptiones; Sed, adde quod eiuſmodi, medicamenta larga manu ad compoſitionis tantę famæ convenire debeant, Copię pulverum incrementum plurimum conducit ad conciliandam confectioni præſtantiorem conſiſtentiam.

Aurum foliatum quod attinet, non difficulter eorum ſententiam amplexus eſſem qui nullas ab hoc confectioni inſignes vires accedere poſſe ſentiunt; Vti neque cæteris compoſitionibus illud admittentibus, eo quod Aurum vim ſuàm nequaquam transfundere queat niſi in ventriculo concoctionem ſubierit, aliàmque adeptum fuerit naturam; Imo exiſtimaſſem Aurum foliatum ornatus potius gratia quam virium communicandarum huic compoſitioni, aliiſque remediis quæ ingreditur, imponi, niſi hiſtoria ſequens vt in aliam abirem ſententiam impelleret.

A D. Petro Coudero, Magiſtro Pharmacopœo Milialdenſi, in agro Ruteno, viro probo, Artis peritiſſimo, intima amicitia mihi conjuncto, acceptum habeo, ante plurimos annos ſub cura ſua ſe habuiſſe Matronam Illuſtrem, ſexagenariam, cujus vultus ruboribus & puſtulis admodum defœdatus erat, cum anhelitus fœtore, Ex conſilio plurimorum celebrium Medicorum ſe illi in cibum familiarem exhibuiſſe pullos gallinaceos, in camera concluſos octiduo ab excluſione: illis eſcam fuiſſe maſſam ex Viperis confectam, coctis cum ſeminibus cerealibus pauca affuſa aqua in olla fictili vitreata & cooperta, id alimentum pullis concedendo quovſque adulti eſſent & edules: Matronam ejuſmodi alimento per ſex menſes integros vſam, alio ſemeſtri caponibus veſci ſolitam fuiſſe, qui præter eandem paſtam ex Viperis cum cerealibus ſeminibus paratam, vnicam illorum eſcam octiduo ab excluſione elapſo, auri bracteas cum alimentis abſumpſerint: Matronam prædictàm ab vſu continuo horum Caponum, exactis ſex poſtremis menſibus omnibus affectibus & moleſtiis expeditam fuiſſe, adeo vt adepta ſanitate, vitáque ad octogeſimum & vltra annum producta, cadaver ſepulchro impoſitum, ac quadriennio poſt e tumba erutum, æque integrum repertum ac cum illi immiſſum eſt.

Interim D. Coudero cùm in mentem veniſſet diſquirendi in excrementis Caponum octo Selibras Gallicas auri foliati, ab ipſis pluribus vicibus deglutiti, Quo res ſuccederet, collectis & calcinatis illis excrementis, vſum eſſe mercurio vivo ad amalmagationem auri forte ibi latentis; exhalatione autem facta Mercurij cum dicto auro amalgamati, hócque poſt-

poſtmodum liquefacto addito pauxillo Borrace, reperiſſe ſe tantùm circiter duas ſe libras auri, gravitate quidem donati, colore vero quam auri vulgaris pallidiore.

Hac vero de re ſic judico, inſigne illud ponderis decrementum, ac coloris depravationem, in Auro contingere non potuiſſe quin nonnullæ illius particulæ in propriam Caponum ſubſtātiam tranſitum feciſſent, id vero ſolummodo ſucceſſiſſe poſtquam Aurum in ventriculo Caponum fuit diſſolutū, ab efficacia ſalis in illo volatilis, conjuncti liquori acido, naturaliter in illa parte contento, quæ combinata eundem prope edidere effectū cū eo qui ab Aqua Regia prodit. Quo fit vt non immerito credendum ſit bracteas Auri, remixtas compoſitionibus, nonniſi commodum adferre poſſe, quandoquidem præter ornatum, accedente ægri imaginatione, non levis in his momenti, vim ſuam vna cum cæteris medicamentis exſerere valent.

Qui procul à locis grana Kermeſina producentibus abſunt, cum illis commercium habeant qui loca loca dicta incolunt, Syrupum Kermeſinum ſed ſyncerum tranſmiſſuris, juxta methodum meam præparatum; ex quo quovis tempore confectionem concinnare poterunt.

Seorſum quoque præparanda Confectio ſine ambra & moſcho, in gratiam præſertim mulierum, à ſuavibus odoribus abhorrentium.

Nullo contradicente hæc Confectio præſtantiſſimum eſt Cardiacum inter ea quæ excogitavit medicina Galenica; Inſtaurat enim & recreat ſpiritus vitales & animales: Cordis palpitationes & Syncopas ſiſtit, Cerebro ſingulare adfert robur, vt & partibus omnibus principibus; putredini reluctatur, colorem nativum tuetur, vires languidas ſuſcitat, melancholiam & moeſtitiam abigit, animam & corpus in ſalubri ſtatu retinet.

Ex apice cultri adſumitur, aut cum vino diſſoluta, vel juſculo, liquoréve aliquo cardiaco aut cephalico: Remiſcetur etiam Opiatis & Electuariis mollibus vel ſolidis: Doſis vt plurimum eſt ſcrupuli vnius ad drachmam; Additur quoque Epithematis, Cordi & Iecori dicatis.

Confectio de Hyacintho.

℞. *Lapidum Hyacinthorum,*
Coralli rubri,
Boli Armenæ &
Terræ ſigillatæ āā. ℥ ij. ʒ ij.
Granorum Kermes,
Foliorum Dictamni Cretici,
Radicis Tormentillæ,
Seminis citri mundati,
Croci,
Myrrhæ Troglotidicæ,
Roſarum rubrarum,
Santalorum omnium,
Oſsis e corde cervi,
Raſuræ cornu cervi &

Eboris,
Seminis Acetoſæ,
Portulacæ ā ā. ʒ v. ℈ j.
Lapidum Saphyrorum,
Smaragdorum,
Topaziorum,
Margaritarum orientalium,
Serici crudi,
Foliorum Auri,
Argenti ā ā. ℈ viij.
Moſchi orientalis,
Ambræ griſeæ, ā ā. *gr.* xx.
Syrupi florũ Tunicæ ℔ vj. ℥ viij.
Fiat ex arte Confectio.

Methodus.

Expedita venditio in nonnullis Vrbibus hujus confectionis, Kermeſinæ, Theriaces, aliarúmque nonnullarum compoſitionum ejuſmodi, animum lucri avidum quorundam impoſtorum explere non potuit, quibus cum ſatis non fuerit huic confectioni plurima medicamenta nullius vtilitatis inſeruiſſe, ac illis ſubſtituiſſe quæ plurimis pollent & egregiis viribus, idcóque care vtplurimum emuntur, Syrupum præterea commiſcent ſupra modum coctum, vt ad libram integram ſufficiat vnciam vnam, aut ad ſummum ſeſcunciam pulverum commiſcuiſſe, quem ex ſola Bolo forte pararent, niſi & color & odor Croci, & Myrrhæ ſapor, & nitor argenti foliorum fraudis celandæ gratia concurrere deberent: Quamobrem mirum non eſt ſi hanc confectionem, ſicuti & alias, tam vili pretio venalem exponant, ac lucrum ſibi comparent multo amplius, quam qui ex arte & ſincere Confectiones dictas parant, etſi majori pretio venundent: Impoſtores illi ſolliciti non ſunt in diſquirendis ſinceris Hyacinthorum fragmentis, aliiſque gemmis orientalibus, quarum vnica vncia proculdubio anteferenda eſt libræ integræ quarundam rupium montanarum, in quibus,ſi colorem excipias, eumque multum illo remiſſiorem qui ſinceris ineſt fragmentis, præterea nihil deprehendere eſt: Neque etiamnum indigare illis curæ eſt Margaritas orientales, neque Oſſa cordis Cervi, vti neque Auri bracteas: Nimio hæc illis conſtarent: At vero rem viliſſimam exhibentes, ac vili pretio eandem exponentes, care divendunt Confectionem, cujus præcipuus effectus eſt loculorum impoſtorum expletio.

Præparationis hæc eſto legitima methodus, Eligenda legitima Hyacinthorum fragmenta, Saphyrorum, Smaragdorum & Topaziorum Orientalium,apud Gemmarios venalium; Comparandæ quoque genuinæ Margaritæ Orientales, candidiſſimæ & nitidæ, Corallia itidem exacte rubra; Cuncta hæc, ſeorſim aut conjunctim, ſuper Porphyrite terantur, eodem modo Bolus orientalis & Terra ſigillata: In magno mortario æneo conterantur ſimul os de Corde cervi, Raſura cornu Cervini & Eboris, Santala, Radix Tormentillæ, Grana Kermes, Dic-

tamnus

tamnus Creticus, Roſæ rubræ, Myrrha & ſemina Citriorum, Oxalidis & Portulacæ : Seorſum conterendus Crocus prius exſiccatus ; Seorſum quoque pulverandus Moſchus cum Ambra griſea, admixtis aliquot citri ſeminibus, ſepoſitis & adſervatis : Poſtea commiſtio fiat omnium Pulverum excepto Croco, qui prior in mortarium marmoreum conii-ciendus, & piſtillo ligneo cum aliquot vnciis Syrupi præſcripti commiſ-cendus, cujus conſiſtentia ſpiſſior eſſe non debet quam Syrupi alicujus communis : poſtea paulatim alii Pulveres adiiciendi, infundendo, & interpolatis vicibus addendo totum Syrupum, cujus pondus quadruplum circiter eſſe debet ad Pulveres ; qni ſi ad conſiſtentiam Electuarij mollis percoctus fuiſſet, futurum vt ſine dubio Pulveres abſorberent ſextuplo pondus Syrupi, ratione ſiccioris ſubſtantiæ maximæ partis medicamen-torum.

Id quod & ſedulo animadvertendum, ne forte & Medici & Aegri de-cipiantur, adſumpta minori doſi harum confectionum, ob juſto maiorem dozin Pulverum in illis contentorum ; cum Syrupus vltra gradum de-bitum coctus fuerit ; Cum vero commixtio Syrupi & pulverum perfecta fuerit, adiicienda folia auri & argenti, Tandem Confectio in. vaſe Fa-ventino recondenda, exacte obturando

Mirabuntur forte nonnulli Syrupum Vetonicæ altilis hic ſubſtitutum fuiſſe Syrupo Limonum, a cunctis Authoribus præſcripto ; At vero qui experimento facto deprehenderit poſtremum hunc additum illico in Terras & Lapides vim ſuam exſerere, inſignem efferveſcentiam exci-tare, vt turgeat confectio in cauſa eſſe, adeo vt vaſis oras, niſi capa-citatis inſignis fuerit, excedat, & exundet ; paulatim colorem illius remiſ-ſiorem reddere, ſi præſertim ſpathula ferrea intrúſa fuerit, proculdubio immutatio hæc applauſu excipietur : quandoquidem Syrupus caryophil-lorum hortenſium, cum vi polleat cordis roboratrice, cerebri partiúm-que omnium principium, cæterorúmque additorum medicamento-rum vim adjuvet, præterea admodũ idoneus eſt illis coadunandis & in vnum corpus compingendis ; toti etiam compoſitioni egregium colo-rum purpureum conciliat, vnaque odorem gratiſſimum, nullo accedente efferveſcentiæ metu, aut alterationis ab acido ſucci Limonum inductæ Terris & Lapidibus, ac proinde toti compoſito.

Si quis obiiciat Acidum Syrupi Limonum vtilitatem præſtare in reſe-randis lapidibus, quandoquidem ſuccus Limonum, hujus Syrupi baſis, prædictos lapides diſſolvere valet ? Reſpondeo ſuccum, cum Syrupi tan-tum partem tertiam conſtituat ; atque admodum ab admixto ſaccharo infringatur, leniſſime tantum & remiſſius acturum, ac in ſuperficiem ſolum gemmarum impetum facturum, ac proinde futurum vt effectus

votis male reſpondeat, cum ipſa ſola præparatio Gemmarum ſuper Porphyrite idonea illa reddat obtundendæ acidorum, in ventriculo contentorum,acrimoniæ.

Oſſa Cordium Cervinorum non adeo infrequentia ſunt, vt adhibita diligentia, vel aliquot ſumptibus factis,ea comparare impoſſibile ſit: Sin copia eorum non adfuerit, illis ſubſtituantur cornua cervina primo veſe erumpentia, proculdubio anteponenda oſſibus cordis bubuli,priorum ſuccedaneis.

Raſura Cornu Cervi oportune hic præfertur Cornu cervino vſto,quandoquidem ſcobi præſtantiſſimæ inſunt partes, quæ per vſtionem recedunt: Neque enim ſolum continet partem mucilaginoſam & cardiacam quæ in Gelatinas transfunditur, ex illa confici ſolitas, ſed præterea ſal, ſpiritum & oleum volatile, ope diſtillationis elicienda, quæ cunctæ partes in auras diſcedunt, ſi igni expoſitum fuerit Cornu Cervinum, in quo nihil poſtmodum ſuperſtes eſt quam pars terreſtris, cui ſolum facultas quædam ſupereſt humiditates ſuperfluas in ventriculo exiſtentes abſorbendi, non item laudabiles effectus ex hac Confectione expectandi.

Vſtionem,Philoſophicam dictam,Cornu cervini quod attinet, quam nonnulli admittendam cenſent, non potiori jure anteferendam cenſeo: etſi enim immediatus ignis non accedat, ſicuti in vſtione vulgari, lentéque illa procedat, ac coloris ope multo remiſſioris, cornu tamen tandem maxima ſucci proprij pars decedit, ſed maxime plurima ſalis portio,ſpiritus & olei volatilis,in illo prius deliteſcentium.

Confectio Hyacinthina facultatibus ad Kermeſinam proxime accedit: Id in illa ſingulare eſt quod plus adſtringat,ac vermibus admodum infeſta ſit: Boli forma ſola adſumitur,aut pulveribus commixta vel opiatis: Vel ex vino aut juſculo diluta exhibetur, vel liquore quopiam cordiali.

Datur a ſcrupulo vno ad drachmam imo & duas: Commiſcetur quoque Opiatis: Exterius in vſum venit ad Epithemata liquida & ſolida.

Electuarium Diaſcordium emendatum.

♃. *Scordij*	*Caſsiæ ligneæ*,
Roſarum rubrarum exungulatarum, &	*Foliorum Dictamni Cretici*,
Boli Armenæ āā. ℥ iß.	*Radicum Tormentillæ*,
Reſinæ Stiracis,	*Biſtortæ*,
Cinnamomi,	*Gentianæ*,
	Galbani,

Succini,

Succini,
Terræ Lemniæ ãã. ℥ß.
Extracti Opij,
Piperis longi,
Zinziberis,
Seminis oxalidis ãã. ʒ ij.
Mellis roſati colati, & *in Electuarij mollis conſiſtentiam cocti* ℔ iij. ℥ iv.
Vini malvatici ℥ ij.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Commodum viſum eſt accipere Roſas rubras & exungulatas & ſiccatas ad pulverem hujus Electuarij parandum, ac melli communi ſubſtituere mel Roſatum, vt locum occupet Conſervæ roſarum, quam Fracaſtorius, hujus compoſitionis author, præſcripſerat: Immutandi cauſa fuit, quod conſerva Roſarum, etiamſi accurate contrita, & per incerniculum inverſum tranſmiſſa, craſſiores nihilominus partes ſemper continet, quarum cauſa Electuarij maſſa ſemper difformis conſiſtentiæ adparet, imo in mortario fundo ſubſiſtentes, ſi quando in aliquo liquore diſſolvendum veniat Electuarium: At vero Roſæ ſiccæ, cum cæteris medicamentis contritæ, corpus Electuarij melius compactum exhibent, magis vniforme, aptioreſque diutiſſime conſervandæ virtuti evadunt beneficio mellis illas colligentis: Preterea mel Roſatum cum complexu ſuo continueat facultatem Roſarum rubrarum, ideo proculdubio Melle communi aptius eſt ad conjunctionem & conſervationem Pulverum;auctaque virtute roſarum ſiccarum ab illo odoratius evadit Electuarium,& ſuavius quam ex vulgari præparatione comparatum.

Scordij dozis non immerito aucta fuit, tum ob inſignes prædictæ plantæ dotes, tum quod nomen cum impertiat Electuario, cujus eſt bazis, minori dozi non debet imponi quam aliud quodvis cæterorum medicamentorum in compoſitionem admiſſorum.

Reſina Stirax, Stiracis lacrymis antepoſita fuit, ob rationes adductas dum de eodem in Theriacæ reformatæ deſcriptione actum.

Gummi Arabicum omiſſum fuit, quod glutinis tantum vices in hoc Electuario obtinebat, cujus ſuccedaneum eſt ſuccinum, in quo vires cephalicæ, cardiacæ & hyſtericæ eximiæ & omnibus perſpectæ ſunt.

Hujus Electuarij præparatio non difficilis futura eſt, ſi accurate electa, & probe mundata cuncta medicamina (omnino prætermiſſa, tanquam inutili, gummatum in vino diſſolutione ex antiquorum conſuetudine) reducta fuerint in pulverem commiſſa magno mortario æneo cum cæteris ingredientibus; Et ſi cuncta eadem per incerniculum ſetaceum tranſmiſſa, diſſolutiſque drachmis duabus Extracti Opij præſcriptis, in duabus vini malvatici vnciis, aut vino Hiſpano optimo, omnia

cum melle roſato clarificato, & ad Electuarii mollis conſiſtentiam cocto concorporentur.

Electuarium hoc ad facultates Theriacæ maxime accedit,quo etiamnum potiores partes tenet adverſus morbos in quibus a nimiopere calefacientibus metus eſt: Ad febres malignas præſertim commendatiſſimum eſt, ad cunctos affectus epidemicos; imo maximi fit in Peſte tam præſervationis quam curationis gratia: Commodiſſime etiam contra lumbricos præſcribitur, quamvis putredinem, omnem colicum dolorem a flatibus, ventriculi ſubverſiones & vomitus, contra diarrhœam, dyſenteriam, omneſque inteſtinorum difficultates, ſicuti & ad ſiſtendas fluxiones doloréſque mitigandos.

Diaſcordii doſis ordinaria eſt a ſcrupulo vno ad drachmam: Sumitur forma Boli, aut cum vino diſſolutum, iuſculo, aqua aut liquore quopiam Cardiaco.

Opiata Salomonis.

℞. *Corticis Citri Sacchato conditi* ℥ viij.
Conſervæ Oxytriphylli,
Florum Roriſmarini &
Bugloſſi ãã. ℥ ij.
Mithridatis veteris ℥j.
Roſarum rubrarum exungulatarum ſiccarum,
Radicum Enulæ Campanæ, &
Dictamni albi,
Foliorum Dictamni Cretici,
Seminis contra vermes
Citri mundati &
Cardui benedicti, &
Raſuræ cornu Cervi ãã. ℥ß.
Corticis citri ſicci,
Santali Citrini,
Radicis Gentianæ,
Oſsis e corde cervi ãã. ʒ ij.
Cinnamomi,
Macis,
Garyophyllorum, &
Cardamomi min. ãã. ʒ j.
Granorum Iuniperi in Aceto ſcyllitico per noctem infuſor. N. xxiv.
Cum Syrupo acetoſitatis citri fiat Opiata.

Methodus.

Ioubertus primus hanc Opiatam deſcripſit; ejus authorem Salomonem quendam ſtatuens. Deſcripta etiam apud Renodeum reperitur, & Bauderonium: Medicamentorum nihilominus doſis quoad quædam diſcrepat, imo oſſa cordium cervinorum non in omnibus Bauderonij deſcriptionibus exſtant, ſive per incuriam fuerint omiſſa, ſive pretij habita ratione: Parum intereſt noviſſe quis hujus compoſitionis author fuerit, dummodo conſtet merito locum huic Pharmacopœæ adcribi.

Illud

Illud obſervandum venit deſcriptionem hanc cum cæteris non ubi-que convenire, ſed & præterea manifeſtum fiet, ſi quidpiam fuerit detractum ſive de medicamentis, ſive illorum doſi, immutationem illam in melius nec immerito factam fuiſſe.

Sacchari pulveris additio inutilis erat, quandoquidem omnia me-dicamenta cum ſyrupo de ſucco limonum ſimul convenire debent, qui ſufficientem ſacchari quantitatem obtinet, adeò ut major copia ſuper-flua futura ſit: Roſæ rubræ mundatæ & ſiccatæ Conſervæ anteferri debent, ob rationes in Diaſcordij compoſitione adductas: Conſerva Oxytriphylli vices tenet conſervæ Acetoſæ, multo enim plus ſine du-bio facultatis cardiacæ obtinet: Radix Enulæ campanæ ſicca in conſervæ locum ſubſtituta fuit, ſed minori quantitate, ratione habi-ta ſacchari, quod in Conſerva ex tribus partibus duas obtinet; necnon ad humiditatem & inſignem radicis gravitatem, cum in con-ſervæ compoſitionem venit: Folia Dictamni Cretici Opiatæ viribus inſigne incrementum præbent: Immutatio doſium quorundam me-dicamentorum illorum adprobationem merebitur quibus eorum qua-litates & vires probe perſpectæ fuerint: Flores Roriſmarini & Bugloſſi tritura fere in impalpabilem pulverem abibunt.

Ad accuratam hujus Opiatæ præparationem, primo minutim inci-dendus Cortex Citri ſiccus, conterendus in magno mortario æneo cum Santalo citrino; deinde addendæ radices Enulæ Campanæ, Dictamni albi & Gentianæ, Os cordis cervini, & Raſura cornu cervi, paulatim commiſcendo omnia ſemina, aliáque medicamenta, quæ cuncta pulverari debent, imo & baccæ juniperinæ, pridie aceto Scyllitico humefactæ, hujus affundendo quantum imbibere poſſunt: Pulvis per incerniculum ſericeum denſum traducendus: In mortario marmoreo conterendus cortex citri conditus, una cum conſervis flo-rum Roriſmarini & Bugloſſi, quæ quoque tranſmittendæ per incerni-culum ſetaceum inverſum: Poſtmodum diluenda hæc pulpa addito duplo pondere ſyrupi è ſucco citrij mali, ſicuti præparari ſolet in of-ficinis: Cui mixtioni adjiciendum Mithridatium, demum paula-tim & alternis Pulveres cum ſyrupo reliquo, cujus proportio eſſe poteſt ut tribus partibus ſuperet Pulverem, etſi Authori ſatis fuerit ſo-lum præſcripſiſſe quantum ſatis eſt ad conciliandam Opiatæ debitam conſiſtentiam: In hujus Opiatæ commixtione nullus adhibendus ignis, quæ perfecta in vaſe Faventino recondenda:

In Peſte hæc Opiata plurimi & eximij eſt uſus, cunctiſque affecti-bus epidemicis: Cor & Ventriculum admodum roborat: Lumbricos in ventriculo & inteſtinis interficit, putredini adverſatur, vomitum

compeſcit, appetitum languentem excitat, concoctionem adjuvat: In Gallia Narbonenſi admodum uſitata eſt.

Doſis illius eadem eſſe ſolet quæ Diaſcordii & Confectionis Hyacinthinæ.

Antidotum Orvietanum.

℞. Radicum Scornozeræ.
Carlinæ.
Imperatoriæ.
Angelicæ.
Biſtortæ.
Ariſtolochiæ tenuis.
Contrayervæ.
Dictamni albi.
Galangæ.
Gentianæ.
Coſti.
Acori veri.
Seminis Petroſelini Macedonici.
Foliorum Salviæ.
Roriſmarini.
Galegæ.
Cardui benedicti.
Dictamni Cretici.
Baccarum Lauri, &
Iuniperi, ana. unc. j.
Cinnamomi.
Caryophillorum.
Macis, ana. unc. ſem.
Viperarum ſiccarum cum cordibus & hepatibus.
Theriacæ veteris, ana. unc. iv.
Mellis optimi deſpumati, lib. viij.
Fiat ex arte Antidotum.

Methodus.

Egregii effectus ab hac Antidoto olim editi & animadverſi anſam prębuere plurimis impoſtoribus ut per varias Provincias vagarentur, & plurimos nummos corraderent ex venditione extraordinaria & expedita ſuppoſititii Orvietani Antidoti: pro cujus quantitate immenſa adparanda omnino illis non licuiſſet, dum regiones peragrant, comparare medicamenta neceſſaria; ſicuti etiam defuiſſet legitimum pręparationis tempus, ſi quidem in animo habuiſſent ſincere diſpenſare, aut ſi præparandi artem calluiſſent. Quo factum ut variis in locis propriæ Antidoti vi tueri ſe & vindicare adverſus venena & toxica non valuerint, cum in theatro exibita fuere ab iis qui conſortes non erant; uti neque morſus Aſpidum Viperarum declinare, quorum non pręparatorum & veneno exutorum ictus & morſus experti ſunt. Si in ſingulis urbibus impoſtores nacti eſſent incolas emunctæ naris, qui fidem leviter non adhiberent, aut ſagaces, qui fraudes detegere ſatagunt, tot regiones non pervagati eſſent, neque tam multis impoſuiſſent.

Radices omnes & folia ſicca adſumi debent, ſimul in pulverem contundi

tundi, ſicuti & Viperæ exſiccatæ, aliáque medicamenta in magno mortario æneo, à ſolidioribus initio facto, ſicuti à me ante dictum in præparatione aliorum pulverum; Trajiciantur per incerniculum ſericeum coopertum, ac poſt deſpumatum mel, citra ullius humoris additamentum, ſicuti præmonui ad præparationem ejuſmodi Opiatarum; poſt dilutam Theriacam in illius portione, addenda erit portio pulverum, alternatim continuo adjiciendo modo mel, modo pulveres, quoad omnia exacte cõcorporata fuerint ac ad legitimam deducta conſiſtentiam Electuarii mollis, quod frigefactum recondendum in vaſe Faventino optime cooperto, aſſervandum ad uſus neceſſarios.

Mellis proportio hic major occurrit quam ad præparationem Theriaces Antiquorum, eo quod neque oleum Nucis moſchatæ admittatur, neque ullum Balſamum, neque Terebinthina, neque quiſquam ſuccus qui mellis quoquomodo vices impleat: Cum prætcrea, ſi minori adjiceretur copia, futurum ut pulverum ariditas proculdubio melli prævaleret, illius humiditatem abſorberet, adeoque exſiccato Electuario aeri introitus concederetur, qui maſſam ſubiens proculdubio brevi tempore corruptionem illi induceret.

Orvietana Antidotus ea ratione preparata eximiâ adverſus cuncta venena futura eſt efficacia, Peſtem, Variolas, Morbillos, omneſque morbos epidemicos: Admodum quoque conducit in affectibus cerebri frigidis & ventriculi, & Colicos dolores à flatibus excitatos.

Exhibetur à ſcrupulo uno ad drachmam, imo & duas robuſtioribus: Accipitur ex apice cultri, aut in formam boli convoluta, vel vino aliove liquore Cardiaco diſſoluta.

Electuarium de Satyrio.

℞. *Radicum Satirii ſucculentapum, in aqua naphæ ad mollitiem coctarum, unc.* iv.

Radicis Eryngii conditæ.
Piſtaciarum mundatarum.
Confectionis Alkermes cum ambra & moſcho, ana. unc. ij.
Nucis moſchatæ conditæ.
Zinziberis conditi, ana. unc. j.
Renum ſcincorum.
Priapi &
Teſticulorum cervi.
Pulveris viperini, ana. drach. vj.
Ambræ griſeæ.
Seminis Erucæ.
Fraxini.
Piperis longi, &
Cardamomi minoris, ãã. drach. j. *ſem.*
Moſchi Orientalis drach. ſem.
Oleorum Cinnamomi, &
Caryophyllorum, ana. gutt. vj.
Cum Syrupo Florum Tunicæ fiat Electuarium.

Methodus.

In variis Diſpenſatoriis plurimæ occurrunt Electuarii Diaſatyrii deſcriptiones, aut Electuariorum viribus vel nomenclatura

proximorum ; ſed vix quodpiam reperire dabitur in quo medicamenta efficacia cum hac compoſitione certare queant, vel cujus doſes tam juſta ad invicem proportione conſtitutæ ſint.

Accipiantur radices Satyrionis ſucculentæ, abjectis vietis & flaccidis: priores cortice mundentur, & quibuſvis ſuperfluis: lento igne decoquantur in aqua florum aurantiorum, in vaſe fictili vitreato, optime cooperto, quouſque ſufficienter tenereſcant, deinceps contundantur in mortario marmoreo, ac trajiciantur per incerniculum ſetaceum inverſum : Contundenda itidem & trajicienda radix Eryngij condita, Piſtacia mundata, Nuces moſchatæ, & Zinziber conditum: Priapus Cervi ſcobina deradendus, probe incidantur Teſticuli ejuſdem animalis, in camino prius exſiccati, poſtea in magno mortario æneo triturandi, cum Pipere longo, Cardamomo minori, ſeminibus Fraxini, & Erucæ, Scincis marinis & Viperis exſiccatis: quæ cuncta pulveriſata erunt tranſmittenda per incerniculum ſericeum coopertum. Seorſum conteratur Moſchus, affuſis aliquot guttis olei Caryophyllorum: commiſceantur demum pulpæ Confectioni Kermeſinæ, cunctis Pulveribus & oleis in mortario marmoreo piſtillo ligneo; addita ſyrupi Caryophyllorum hortenſium ea quantitate quæ ſufficiat toti maſſæ conciliandæ debitæ Electuarij conſiſtentiæ, ad uſus neceſſarios, in vaſe Faventino accurate cooperto reponendi.

Electuarium hoc collapſis viribus inſtaurandis admodum convenit: robur & calorem illis largitur quos vulgo vocant frigidos & maleficiatos: feminis molem auget, excitátque ad Venerem tardos & languidos: Utrique ſexui conducit; ſed detractis moſcho & ambra gryſea ſi præbendum mulieribus, à ſuavibus odoribus alienis.

Doſis eſt à drachma una ad duas; Adſumendum hoc Electuarium procul à cibo, mane & ſero, boli forma, ſuperhauſto vini Hiſpanici ſemicyatho, in quo, ſi libuerit, diſſolvi poteſt : Uſus poteſt eſſe continuus aut interpolatus pro neceſſitate, imò & ad ſeſcunciam adſumi poteſt ſi quid generoſum moliendum.

Philonium magnum.

℞. Seminis Hyoſcyami &
Papaveris albi.
Extracti opii, drachma ij. ſem.
Caſſiæ ligneæ.
Cinnamomi, ãã. drachm. j. ſem.
Seminis Apij.
Petroſelini Macedonici.
Fœniculi.
Dauci Cretici.
Coſti.
Myrrhæ.
Caſtorei ãã. drachma j.

croci

Croci. *Mellis optimi deſpumati, unc. j.*
Pyrethri. *Fiat ex arte Opiata.*
Nardi Indicæ, ãã. ſcrup. j.

Methodus.

Nemo miretur ſi ab hac compoſitione Euphorbium detractum fuerit, imo potius quod ab Antiquis præſcriptum ſit, ratis illud legitimum eſſe Opij correctivum; Quibus perſpecta eſt Euphorbij indoles, ac quam ejuſmodi gummi intenſæ ſit caliditatis, acrimonia inſigni præditum, in operando vehementiſſimum, imo minima etiam quantitate adſumptum, confitebuntur proculdubio illud ipſum non minima correctione indigere, ac ſolum admiſcendum eſſe illis medicamentis quorum ope immodicus illius calor temperari queat, obtundi acrimonia, & vehementia actionis reprimi; Quinimo ab illius uſu potius omnimode abſtinebunt quam ut quoquomodo admiſceatur medicamentis ore adſumendis: Ingens concuſſio, in cerebro ab Euphorbio excitata, etiam minima particula in nares admiſſa; ſternutationum vehementia & frequentia ab illo commota, proculdubio ab uſu terrifici illius Gummatis eos abſterrere debent, qui diros illos effectus obſervaverint: ſed præterea eo magis metuendum ſi id ad notatum fuerit, Euphorbium catharticorum omnium ſimplicium vehementiſſimum eſſe, quod unius vel alterius grani pondere ſumptum inſignes & metuendos in corpore tumultus excitat;

Coſti caliditas, uti neque aliorum medicamentorum hanc Opiatum componentium, æquiparanda venit calori hujus Gummatis. Neque mirandum ſi Opium, ſæpenumero uſurpatum ſedandi cauſa vehementioris operationis medicamentorum purgantium, impotens ſit & impar frænandæ Euphorbij violentiæ, ſi cuipiam compoſitioni admiſtum fuerit, necnon ſi tunc temporis in clyſteribus paregoricis diſſolutum ventris tormina potius intendat quam mulceat, quandoquidem id vehementiæ Euphorbii adſcribendum quod invictum permanſit, corrigentiumque potentiam eluſit, priſtinæ malignitatis perpetuo tenax:

Veriſimile tamen eſt metum à fictitio Opii frigore imminentem, ab Antiquis illi impoſito, illos forte impuliſſe ad comperienda remedia impenſe calida, ad equilibrium frigoris iſtius imaginatione concepti; eapropter verò Euphorbium admiſſum fuiſſe, illius intimam naturam, uti neque Opii diſquirere negligentes, cujus partes omnes, excepta terreſtri, pro calidis apud omnes eos habendæ ſunt, & habebuntur,

qui accurate illas perſpexerint. Cætera Philonii medicamina ſingulari examine non egent.

Simul trituranda quæ in pulverem deducenda ſunt, per incerniculum ſericeum tranſmittenda; Opii extractum diſſolvendum in vini malvatici optimi uncia una circiter; cui cum exigua portione mellis deſpumati calidi concorporata paulatim adjicientur modo pulvis, modo mel deſpumatum, quoad omnia illic admiſſa fuerint ac cuncta rite commiſta deprehendantur, ſimulque optime coadunata. Cum verò Opiata plane refrixerit, in vaſe Faventino ad uſus recondatur.

Singulares & eximii effectus qui in Laudano obſervati fuere, commoditas vero exhibendi minima doſi, Philonii uſu, cæterarumque compoſitionum Narcoticarum, Antiquis uſitatarum, fere interdixerunt, adeo ut infrequenter admodum Philonium ore adſumendum præſcribatur, fereque tantum in uſum veniat ad enemata vel remedia externa adhibenda, etſi innoxie modo ſupra preſcripto præparatum per os adſumi poſſit

Philonium dolores omnes interiores Ventriculi, Ventris, Hypochondriorum, Jecoris, Lienis, Renum & Uteri ſedat & demulcet, dummodo a cauſa frigida ortum traxerint. Singultum diſcutit & flatus, tuſſis vehementiam compeſcit. In Dyſenteria admodum conducit & Hæmorrhagia quavis interna; Stranguriæ medetur, ſicuti & Pleuritidi, ſomnum accerſit, fluxiones ſiſtit, languidos refocillat vireſque novas illis addit, præſertim vero in colicis doloribus ſummæ eſt efficaciæ. Poteſt adſumi forma Boli, aut in vino diſſolutum, vel aqua quapiam cordiali.

Doſis ſit à ſemiſcrupulo ad ſemidragmam: Hodie imperatur ad Clyſteres anodynos à ſemidrachma ad binas drachmas. Admiſcetur necnon linimentis narcoticis unguento Populneo, aliiſve remediis.

Electuarium de Baccis Lauri.

℞. Baccarum Lauri, &
Foliorum Rutæ ſiccorum, āā. drach. x.
Sagapeni.
Opopanacis, ana. unc. ſem.
Seminis Arneos.
Cumini.
Nigellæ Romanæ.
Liguſtici.
Carvi.
Dauci Cretici.
Acori veri.
Origani.
Amigdalarum amararum.
Piperis longi.
Nigri.
Mentaſtri.
Caſtorei, ana. drachm. ij.
Mellis optimi deſpumati omnium triplex pondus.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Baccę Lauri ad hoc Electuarium minori quantitate quam folia Rutæ admitti non debuerunt, quandoquidem totius compoſiti ſunt baſis: Neque ulla ratio impellebat ut doſis Sagapeni quam Opopanacis major præſcriberetur, quandoquidem horum Gummatum facultas admodum inter ſe ſimilis eſt: Reliqua in compoſitione occurrentia, immutationem nullam deſiderant.

Præparatio hujus Electuarii non ardua erit ſi pulveratis Gummatis in majori mortario, cum cæteris medicamentis ſiccatis, omnibuſque per incerniculum ſericeum opertum tranſmiſſis,paulatim concorporentur, iteratiſque vicibus, hic pulvis cum triplo mellis electi, calide deſpumati pondere, Recondendum Electuarium in vaſe Faventino ubi refrixerit.

In uſum præſertim venit hoc Electuarium ad demulcendos & curandos colicos dolores à flatibus excitatos, præſertim Iliacum; Admodum quoque convenit in ſtranguria, dyſuria, paſſionibus hyſtericis: Interius adſumi poteſt a ſcrupulo uno ad drachmam, imo & duas, at frequentius præcribitur ad Clyſteres a ſemiuncia ad unciam integram in decoctis idoneis.

Electuarium Miclera.

℞. *Myrobalanorum citrinorum.* *Belliricorum,&*
Chebulorum. *Emblicorum mundatorum,*
Indorum. *ana.drach.v.*

In pulverem redigantur & leviter torrefiant; Deinde,

℞. *Seminum Naſturtii.* *Carvi.*
Aniſi. *Fœniculi, &*
Cumini. *Ammees, ana. drach.* iij.
Terantur, pauco aceto irrorentur, & ſiccentur, tunc,
℞. *Spodii ex Ebore.* *Maſtiches.*
Balauſtiorum. *Gummi Arabici, ana. drachma* ij.
Sumach. *ſemis.*
Pulverata omnia quadruplo Syrupi Myrthini pondere excipiantur, & fiat Electuarium.

Methodus.

Singulis Myrobalanis demendi nuclei ſi adfuerint, ſolaque pulpa illas inveſtiens admittenda, quæ trituranda, & leviter torrefacienda in ſartagine ferrea ſuppoſito igne leniſſimo,ſpathula ſepiſſime pulverem verſando: Semina craſſiuſcule contundantur, optimo aceto irrorentur, quæ demum exſiccata omnino conterantur in grandi mortario

æneo una cum Balauſtiis, Spodio, Sumachiis, Gummi Arabico & pulvere Myrobalanorum; omnia poſtea trajiciendo per ſericeum incerniculum: ſeorſum pulveranda Maſtiche, grana majora eligendo; Trituratio facilis erit ſi guttæ aliquot aquæ additæ fuerint,ne mortario adhereſcat & piſtillo: Accurate commiſceantur Pulveres, & paulatim coeant, iteratiſque vicibus facta additione, cum quadruplo pondere Syrupi Myrtini calentis; ſic perfectum erit Electuarium, in vaſe Faventino recondendum cum refrixerit.

Spodium, quod nihil aliud eſt quam Ebur calcinatum, in compoſitiones non admittendum quæ Eboris partes principales recipere debent, in illius conſiſtentes ſpiritu,Sale & Oleo volatilibus,calcinationis vi omnino abſumendis: At cum præcipuus hujus Electuarii effectus adſtrictionem medicamentorum, ex quibus conſtat, reſpiciat, pars autem adſtrictoria & terreſtris Eboris illibata in Spodio cum remaneat peracta calcinatione, non inutile eſſe viſum fuit quod in compoſitionem veniret.

Electuarium hoc efficaci adſtringendi vi præditum eſt, Dyſenteriæ curationi admodum conveniens ac cujuſcumque diarrhoeæ, commodiſſime etiam in uſum venit ad ſiſtendas hæmorrhagias internas, imo & hæmorrhoidalem fluorem: Conducit & compeſcendo vomitui, menſtruum profluvium immodicum, muliebrem ſiſtit fluorem album, gonorrhoeaſque antiquas & pertinaces.

Doſis eſt à drachma ſemis ad drachmas duas: Exibetur ex apice cultri, aut Boli forma, vel ex craſſo vino diſſolutum, aut liquore quopiam adſtringente: Inditur etiam Clyſteribus adſtringentibus a ſemuncia ad unciam unam.

Electuarium Aperiens Catharticum D. D. D'Aquin.

℞. Folior. Sennæ Orientalis mundatorum, unc. iiij.
Diacrydii.
Trochiſcorum alhandal.
Agari electi.
Rhabarbari &
Seminis violarum ãã. unc. j. ſem.
Sagapeni.
Myrrhæ.
Ammoniaci, ãã. unc. j.
Antimonii Diaphoretici.
Mercurii dulcis, &
Pulveris triũ ſantalorũ,ãã.drac.j ſem.
Salis Martis, &
Tamariſci, ana. unc. ſem.
Mellis optimi abſque liquoris additione deſpumati, lib. vj.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Accurate prius eligantur & mundentur ſingula hujus Electuarii medicamenta; accipiantur Lacrymæ Sagapeni, Myrrhæ & Ammoniaci pu-

ſuræ. Terantur hæc Gummata cum cæteris medicamentis ſiccis ; Sed ſi forte pinguiora eſſent, tantum admiſcendum quantum pulvis citra lentorem nimium admittere poterit ; id quod ſupereſt Gummatum admiſcendo, colliquandum in magno mortario æneo calido, concorporando prius cum exigua portione mellis deſpumati calidi, ad confectionem Electuarii deſtinati ; demum adjicienda erunt Salia, addendo deinceps alternis modo mel. modo pulveres, quoad medicamenta omnia perfecte coaluerint, ſub finem immitendo Mercurium dulcem & Antimonium diaphoreticum : Hoc pacto parabitur Electuarium ex arte confectum, adſervandum in vaſe Faventino ad uſus.

D.D'Aquin, primarius Majeſtatis Regiæ Medicus iſtius Electuarii deſcriptionem mihi tradidit, quo publici juris fieret ; Eſt quippe medicamentum expediendis & reſerandis obſtructionibus maxime idoneum, Jecoris, Lienis, Pancreatis Meſenterii, & Uteri; Necnon ſimul expurgandis humoribus viſcidis & tenacibus, in prædictis partibus ut plurimum deliteſcetibus, ſi illis exitus è corpore pro more denegatus fuerit: Optati ſuccedent effectus ſi appoſite exhibitum fuerit in quavis cachexia, febribus quartanis aut erraticis, in affectibus hypochondriacis, hydrope quovis, ſpeciatim vero in morbis muliebribus, cujuſmodi ſunt fœdi virginum colores, menſium ſuppreſſio, omnibus tandem vitiis & ſymptomatis ab obſtructionibus uteri oriundis.

Doſis ſit a drachmis duabus ad ſemunciam : Hydropicis adultis ad drachmas etiam ſex porrigi poteſt, ſi minor dozis in purgando inefficax fuerit ; Poteſt exhiberi in Bolo, aut diſſolvi in liquoribus idoneis vel Potionibus purgantibus admiſceri : Sed tunc ratio eſt habenda facultatis purgantium quibus adjungitur, ut ex omnium conjunctione juſta exurgat doſis.

Electuarium Catholicum duplicato Rhabarbaro.

℞. *Polypodij quercini contuſi unc.* viij.
Seminis fœniculi unc. j. *ſemis.*
Coquantur igne moderato in aquæ communis lib. viij. *ad dimidiæ partis conſumptionem, colentur & exprimantur : colatura cum ſacchari optimi lib.* iv. *coquatur ad Electuarij mollis conſiſtentiam, Ab igne remotis permiſce.*
Pulparum Caſſiæ, &
Tamarindorum Orientalium inſpiſſatorum, ana. unc. jv.
Deinde ſenſim permiſce Pulveres ſequentes.
℞. *Rhabarbari electi, &*
Foliorum Sennæ Orientalium mundatorum, ana. unc. jv.

Seminis violarum &
Aniſi, ana. unc. ij.
Glycyrrhiſæ raſæ unç. j.
Seminum quatuor frigidorum majo-rum mundatorum, ana. unc.ſem.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Nonnihil diſcrepare quibuſdam videbitur hoc Electuarium ab eo quod Antiqui, imo & Neoterici nonnullis præſcripſere, at vero hoc diſcrimen rationi admodum conſonum mihi viſum fuit. Nam primo, Polypodii dozis,pulverati ab antiquis præſcripti,detracta fuit,idque de-cocto additum fuit, quo transfuſa in Electuarium totius Polypodii facul-tate, præcaveatur id quod proculdubio eventurum eſſet, videlicet Po-lypodium, forma pulveris præſcriptum, propria natura cum admo-dum aridum ſit, humectatum à decocto cum ſaccharo ſuperſtite, pro-culdubio in tumorem aſſurgat, ideoque craſſius reliquo Electuarii cor-pore evadat, quo fit ut compoſitum quaſi grumis conſperſum adpareat & inæquale, ac proinde inſuavius guſtui, diſſolutionique minus idoneum.

Sacchari candidi drachmarum duarum detractio, & æqualis quanti-tatis Sacchari metati, ab Antiquis in hoc Electuario præſcriptarum, in admirationem non pertrahent eos qui quam inutiliter admittantur tam exigua doſi perpendere voluerint; quin potius illud apertum fiet à Rha-barbari duplicato pondere addito, non ſolum efficacius evadere Ele-ctuarium, ſed quoque ſupple:e juſtam pulverum proportionem; Poly-podii vicem illo occupante, hinc ſublati.

Neque etiamnum improbanda electio facta ſeminis Violarum, vi-ce florum earumdem ſiccarum additi, quandoquidem in hoc ſemine plantæ pars præcipua ſita eſt, utpote floribus, una cum colore, quic-quid virium inerat deceſſit.

Id vero hoc loco opportune admonendum eſt, quoſdam flores viola-rum, non exigua copia in Gallia Narbonenſi exſiccari ſolitos, pro flo-ribus violarum venalies, *flores* eſſe quos vocant authores *Violam tricolo-rem* aut *Florem Trinitatis*, Galli vocant, *de Penſeles*, inſigni copia in montibus Helviorum naſcentium, ſed facultatibus a veris violis diſ-crepantium,ex quibus ſyrupum & conſervam paramus.

Quidam ſeorſim Rheum Barbarum conterunt, ſed citra neceſſita-tem, commodiſſimè enim una cum cæteris medicamentis ſiccis pulverari poteſt; Liquiritia radenda eſt, vt cortice poſſit exui, Senna & Aniſum mundari debent ab omnibus ſuperfluis, cunctaque cum Rheobarbaro conteri: ſemina violarum & ſemina frigida, quæ pulveri-ſata per incerniculum ſericeum tranſmitti debent.

Prædictis

Prædictis in pulverem contritis, optime Polypodium contundendum, quod ad ignem modicum decoquendum in libris octo aquæ præſcriptis, ad conſumptionem mediæ partis decoctionis, ſub finem addito fœniculo etiam contuſo, poſtea decoctum colandum valida magmatis facta expreſſione; Accipiantur Caſſiæ optimæ unciæ ſexdecim, cujus extracta medulla tranſmittenda per incerniculum ſetaceum inverſum, quo educantur pulpæ vnciæ quatuor aſſervandæ; Tamarindorum Orientalium vnciæ ſex humeſcant affuſo decocto, aliquantiſper ſuper cineres calidos detineantur, in mortario marmoreo piſtillo ligneo contundantur; & pulpa per incerniculum ſetaceum inverſum traiiciatur, reiteratis & contuſione & trajectione eorum quæ prima vice tranſmitti non potuerunt, donec tandem cuncta pulpa tranſmearit, ac ſolum magmatis vnciæ duæ ſuperſtites ſint: Tum procuranda igne leniſſimo humiditatis ſuperfluæ pulparum evaporatio, ex intervallis ſpathula illas agitando, quouſque ſufficientem ſpiſſitudinem adeptæ ſint; Tunc ſaccharum cum reliquo decocto coquendum erit ad conſiſtentiam Electuarij mollis, demum pulpis in pelvi poſitis portio nonnulla ſyrupi affundenda erit, quæ cum rite ſimul coaluerint, alternis adjiciendi erunt modo pulveres, modo ſyrupus; quovſque omnium exacta facta fuerit commiſtio; cum vero Electuarium plane refrixerit, recondendum erit in vaſe Faventino ad vſus.

Huic Electuario Catholici nomen impoſitum fuit, eo quod vniverſim cunctos pravos corporis humores expurgat, conſtatque ex medicamentis, quorum nonnulla cenſentur pituitæ vacuandæ idonea, alia bili, alia humori melancholico: Etſi vero non crediderim medicamentum quodpiam, ſimplex aut compoſitum, bilem aliumve, humorem ſolitarium expurgare, eundemque à cæterorum conſortio, in ventriculo aut inteſtinis contentorum, ſeiungere & ſegregare, id tamen pro comperto habendum medicamentum hoc catharticum eſſe univerſale præſtantiſſimum & mitiſſimum.

Quamobrem frequentiſſimè præſcribitur in pleriſque, febribus, tum continuis tum intermittentibus, in Dyſenteria, Diarrhœa, Ventriculi & inteſtinorum laxitate, Omni ætati & ſexui conceditur, imò etiam prægnantibus mulieribus; quippe quod leniter expurgando humores vitioſos, robur ſimul adflat cunctis partibus, nihil noxij illis imprimens.

Doſis eſt à dragmis duabus ad vnciam vnam: Exhibetur Boli forma, aut diſſolutum in aqua quapiam ſtillatitia, decoctove idoneo: Potionibus purgantibus ut plurimum commicetur, aliis Electuariis, ſyrupis, aut infuſionibus purgantibus, Diſſolvitur etiam in Enematis ab vncia ſemis ad ſeſcunciam.

Electuarium Lenitivum.

℞. *Hordei mundati.*
Polypodij quercini.
Foliorum Sennæ Orientalis mundatorum &
Paſſularum purgatarum ãã. unc. ij.
Iujubarum.
Sebeſten.
Tamarindorum &
Prunorum dulcium enucleatorum ana unc. j.
Mercurialis unc. j. *ſem.*
Violarum recentium &
Capilli Veneris Monſpelienſis ana. m. j.
Glychyrriſæ unc. ſem.
Coquantur ex arte in aquæ communis lib. ix.
Incolatura expreſſa diſſolve.
Sacchari optimi lib. ij.
Coque ad Electuarii mollis conſiſtentiam, ab igne remotis adde
Pulparum Caſsiæ.
Tamarindorum &
Prunorum dulcium.
Conſervæ violarum &
Pulveris Sennæ mundatæ ana unc. vj.
Rhei electi &
Seminis aniſi pulveratorum ana. unc. j.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Cum incertum ſit quis Author huius Electuarij, ideo deſcriptiones in Diſpenſatoriis traditæ multum variant, imo nonnullæ iniqua doſi præſcribuntur : Quibus perſpecta erit natura medicamentorum ex quibus cunſtat hoc Electuarium , artemque præparandi calluerint ; proportionesque in compoſitionibus obſervandas perſpectas habuerint , ij facile iudicaturi ſunt ſacchari vncias ſex inſufficientes eſſe , reſpectu habito quantitatis pulparum & pulverum hoc Electuarium ingredientium ; ac non immerito Sacchari quantitatem ad libras vſque duas adauctam eſſe ; Iidem & agnoverint Rheumbarbarum appoſite hic additum fuiſſe augendæ, gratia Electuarij efficaciæ , etſi in cæteris deſcriptionibus omiſſum fuerit.

Decoquantur in aqua per horam integram Hordeum mundatum & Polypodium contuſum , demum addantur fructus mundati & inciſi, poſtmodum mercurialis , quæ per horæ quadrantem cum cæteris elixanda , Poſtea adiiciantur folia Sennæ, Liquiritia , Capillus Veneris & Violæ facta horum levi ebullitione , decoctum ab igne removendum, quod cum ſemirefrigeratum fuerit, colandum & exprimendum , additiſque ſacchari albiſſimi libris duabus , ſimul omnia decoquantur ad Electuarii molis conſiſtentiam, extra ignem vero paulatim pulpæ concorporandæ , additis Pulveribus & Conſervis Violarum in mortario marmoreo contritis , & per ſetaceum incerniculum traductis , cuncta hæc

hæc cũ optimè coaluerint,& refrixerint,recondatur Electuariũ ad uſum.

Hoc Electuarium viribus admodum, accedit ad Catholicum, ſed paulò huic inferiores ſunt; Aptius nihilominus eſt emolliendis & lubricandis meatibus; Doſis & exhibendi ratio cum Catholicone communes ſunt, ſed ad Clyſterum vſum frequentius vſurpatur.

Electuarium Lenitivum pro Clyſteribus.

℞. *Polypodi querni contuſi lib.* iij.
Foliorum Malvæ.
Altheæ.
Violariæ.
Parietariæ.
Mercurialis &
Senecionis ana.m. iiij.
Florum Camomillæ &
Meliloti ana. m. ij.

Coquantur ex arte in Aquæ communis lib. xxx. *Colatura cum mellis cõmunis lib.*xl.*coquatur ad Electuarij mollis conſiſtentiam, deinde dilue.*

Pulpæ Prunorum dulcium lib. jv.
Caßiæ &
Tamarindorum ana.lib. ij.
Poſtmodum adde Pulveres ſequentes.

℞. *Radicum Bryoniæ*
Hermodactylorum &
Liquiritiæ.
Foliorum Sennæ Orientalis.
Summitatum Gratiolæ.
Seminis Violarum &
Aniſi ana. unc. xx.
Rhabarbari & Agarici ana. unc. ix.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Hoc Electuarium, quod Lenitivi aut Catholici pro Clyſteribus nomen vſurpare poteſt, proculdubio egregios effectus editurum eſt, & diu citra corruptionem duraturum, ſi ad hujuſmodi præſcriptionis normam fuerit præparatum: nonnullos ſcio rem negligentius pertractare, quibus ſatius cum ſit tres ignauos Clyſteres injicere quam efficacem; ad compoſitionem electuarij Lenitivi quicquid vile & inutile in officinis proſtat admittunt,vſurpantes ipſum magma ab infuſionibus Potionũ purgantium reſiduum,quod in pulverem redigunt,melliq;ac quibuſdam fructuum pulpis commiſcent, huic miſturæ Electuarij Lenitivi nomen adſignantes, Sed prava hæc procedendi ratio in exemplum trahi non debet, idque e potiori iure quod prçter componendi Electuarium ſuperius Lenitivum facilitatem, ſumptibus parcitur, ac optatos effectus proculdubio edit, colore inſuper elegantia & conſiſtentia Catholicum ore adſumendum refert.

Polypodium optime conterendum per horam integram, in aqua eliхandum, demum per ſemihoram circiter incoquendæ herbæ inciſæ, poſtea adjiciendi flores, & poſt aliquot ebullitiones colandum & expri-

mendum decoctum, in quo, diſſolutione facta mellis quantitatis præſcriptæ, horumque facta tranſmiſſione per ſetaceum incerniculum, decoctio ſequatur igne moderato, facta ad conſiſtentiam Electuarij mollioris, detrahatur ſpuma, cumque omnia ſemirefrigerata fuerint, paulatim diſſolvendæ erunt pulpæ, demum pulveres, eadem ratione procedendo qua in cæteris Electuarijs mollibus: Cum vero Electuarium refrixerit, ad vſus recondatur.

Vſus huius Electuarij nimis notus eſt quam vt diffusè illum explicem, cum præſertim vſurpetur ſolummodo in Clyſteribus lubricandæ alvo dicatis, quem in finem diſſolvitur in decocto quopiam idoneo, cum melle, ſaccharo, oleis, aliiſve remediis. Doſis eſt ab uncia ſemis ad integram quin & ſeſcunciam.

Electuarium Diaprunum Simplex & Compoſitum.

℞. *Pruna Damaſcena recentia & matura Num.* C. *coquantur igne lento in aquæ lib.* iij.

Deinde per cribrum inverſum traijciantur, & pulpa igne lento inſpiſſetur & ſervetur; In Decocto Prunorum leviter decoquatur.

Seminis violarum contuſi unc. j.

Colatura cum ſacchari optimi lib. ij. *ad Electuarij mollis conſiſtentiam coquatur.*

parum refrigeratis permiſce.

Pulpæ prædictæ Prunorum lib. j.

Caſſiæ, &

Tamarindorum, ana. unc. j.

℞. *Rhabarbari electi, &*

Seminis violarum, ana. unc. j.

Roſarum rubrarũ exungulatarum.

Santali Citrini &

Rubri.

Et tandem ſequentia pulverata.

Raſuræ Eboris.

Succi Glychyrriſæ, ana. drac. vj.

Seminum quatuor frigidorũ mundatorum, ana. drach. j.

Fiat ex arte Electuarium.

Quod compoſitum, ſive Laxativum, fieri poterit, ſi Electuarij cuique libræ adhuc calenti Dacrydij ſubtiliter pulverati unc. ſem. permiſceatur.

Methodus.

Doſis Rheibarbari & ſeminis violarum non immerito aucta fuit in Diaprunis ſimplicis compoſitione, vt paulo magis purgans evaderet, Semina Endiotæ, Berberorum, & Portulacæ detracta fuere, vtpote plane inutilia, ſicuti & Gummi Tragacanthum, glutinis tantum vices Electuario præbens: Santalum citrinum albo ſatius erat, ſicuti & raſura eboris ſpodio, ob rationes alias à me adductas: Quoad cætera medicamenta nulla immutatio facta fuit, doſis vero adaucta, quo iuſta Pul-

veris proportio in Electuario reperiretur, ratione ſequenti præparando.

Pruna vaſe fictili vitreato incluſa coquantur lento igne in aquæ libris tribus, quoad omnino molleſcant, poſteà relicta in vaſe decoctione, trajicienda erunt Pruna per incerniculum ſetaceum inverſum, ad pulpæ extractionem, cujus poſtmodum humiditas ſuperflua evaporatione tollenda, diſco impoſita, ad lentum ignem, per vices ſpathula agitando, quouſque ſufficientem ſpiſſitudinem adquiſierit: In parato interim adſit vncia vna pulpæ Caſſiæ, cnm vncia vna Tamarindorum, ſicuti ſuperius dictum, commiſcendorum pulpę Prunorum, & ſeorſim aſſervandorum: Tum leviter decoquatur ſemen violarum conquaſſatum in decocto prunorum ſeparatim poſito, cuius poſtea tranſcolandus erit liquor, quem poſtquam additæ fuerint libræ duæ ſacchari albiſſimi, decoques lento igne ad conſiſtentiam Electuarij mollis, cui cum ſemifrigeratum fuerit, paulatim commiſcebis pulpas, ac deinceps pulveres, cuncta vero cum rectè in vnum corpus coaluerint, recondatur Electuarium in vaſe Faventino ad vſus neceſſarios.

Qui paratum habere voluerit Electuarium compoſitum, & magis laxativum, admiſceatur ſemiuncia Diagrydij ſubtiliter pulveriſati pro ſingula quaque Electuarij adhuc calentis libra, illud curando vt commiſtio perfectiſſima ſit & accuratiſſima, quo æqualiter vbique diſpergatur.

Diaprunum ſimplex infrequenter præſcribitur, quod vis purgandi in illo modica ſit, compoſitum vero plurimo in vſu eſt ad expurgandum ſerum bilioſum; Valet in febribus Continuis & Intermittentibus, à bilis copia progenitis: conducit etiam in morbis pectoris, renum & veſicæ: lubricis enim redditis meatibus, leniſſiméque vacuatis humoribus ſuppreſſis, temperat calorem partium in quibus latitabant: Modò ſeorſim adſumitur, modo aliis purgantibus permixtum, boli forma aut dilutum in potionibus, aliiſve liquoribus adpropriatis.

Laxativi, ſeu Compoſiti, doſis, eſt à drachma vna ad quinque vel ſex imo ad vnciam vſque, in affectibus qui vehementem purgationem non poſtulant.

Electuarium Diaphœnicum.

℞. *Pulpæ Dactylorum in hydromelite coctorum, per cribrum inverſum trajectæ & inſpiſſatæ.*

Penidiorum recenter paratorum, ana lib. ſem.

Amygdalarum dulcium excorticatarum unc. iij. *ſemis.*

Turbith electi unc. iv. *Zinziberis.*

Dacrydij unc. j. *ſem. Piperis albi.*

Macis.
Cinnamomi.
Foliorum Rutæ ſiccorum.
Seminis Fœniculi.
Dauci, ana. drach. ij.
Mellis deſpumati lib. ij.
Fiat Electuarium.

Methodus.

In Dactylis vitioſam nullam qualitatem reperio, ob quam Meſuë, illiuſque ſequacis, ad correctiva confugere neceſſe habuerint, eademque per triduum in aceto, antequam in huius Electuarij compoſitionem admittuntur, macerari voluerint, Ejuſmodi correctio qualitatis ſuppoſititiæ pravæ, in dactylis non reperiendæ, non minus inutilis eſt quam quæ Coriandro adhibetur per idem acetum.

Antiqui in ſimiles errores lapſi ſunt, imo periculi plenos, quod ſeduli non fuerint, vti neceſſe erat, in indaganda jntima cognitione partium mixta conſtituentium, etſi quotidie illis in manus venirent: At vero hodierna die nobis gratulamur, quod exacto ſtudio adhibito Neoterici notitiam illam adſequantur.

Primus omniũ Fernelius Dactylos in hydromelite coqui pręcepit, ratio quæ ipſum impulit, plurimos in eandem ſẽtẽtiam pertraxit neq; dubito quin authoritati antiquorum prævalere debeat, ſi modo à rationis partibus ſtandum ſit: Cætera medicamenta accurato judicio electa ſunt, juſta doſi præſcripta, in Ferneliana compoſitione hujus Electuarij, ſupereſt ſolum vt illius adducatur præparandi ratio.

Dactyli à pellicula interna mundati, vti & à nucleis liberati, accipiantur ad vncias circiter ſeptem, qui optimè inciſi, aut in mortario marmoreo contuſi, lento igne decoqui debent in vaſe fictili vitreato cum libris duabus Hydromelitis, vſque quo ſufficientem mollitiem nacti ſint, demum contuſorum in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, pulpa trajicienda erit per cribrum ſetaceum jnverſum, quæ adſervanda: Amygdalarum cortex cultelli apice demẽdus: Simul in grandi mortario æneo conterenda Turbith, Zinziber, Piper album, Macis, Cinnamomum folia Rutæ & ſemina Fœniculi ac Dauci; Tantum amygdalarum mundatarũ cõmiſcendo quantum Pulveris ratio exigit, vt non nimium lenteſcat: Scammonium ſeorſum conterendum in eodem mortario, additis aliquot amygdal. vterq; Pulvis per cribrũ ſericeum tranſmittendus, qui exactè commiſti ſeparati adſerventur interim reliquo operi incumbendo; Amygdala, quæ pulveri commiſceri non potuerunt, cum dactylis in mortario marmoreo conterantur, ac per idem incerniculum trajiciantur; Tum adſumantur mellis optimi libræ duæ, ad Electuarij mollis conſiſtentiam cocti, Pulveres, & Dactylorum decoctio, quæ ſimul lento igne deco-

decoquantur ad conſiſtentiam modo dictam; Cum vero cuncta ſemire-frixerint, paulatim in iis diluantur Pulpæ; imo ad aliquod temporis ſpatium hæc ſupra ignem moderatum detinere licebit, leniter agitando piſtillo ligneo, ad promovendam evaporationem humiditatis ſuperfluæ in pulpis ſuperſtitis: demum remota ab igne pelvi paulatim adjiciantur pulveres, eodem ritu procedendo quo in cæteris compoſitionibus ejus naturæ à me traditis. Recondendum erit Electuarium in vaſe Faventino cum omnino refrigeratum fuerit.

Diaphœnicum æque purgat humores pituitoſos & bilioſos: Admittitur in febribus continuis & Intermittentibus, imo in doloribus ſtomachi ab humorum copia excitatis: Hydropicorum aquas optime educit, vt & ſerum Iſchiadicum dolorem inducens, Rheumatiſmos & Fluxiones in oculos decumbentes, dentes, aliaſve partes: Præſcribi poteſt forma Boli, aut cum liquoribus diſſolutum, ſeorſum aut aliis remediis commixtum.

Doſis eſt à drachma vna ad ſemunciam, imo & ad unciam integram pro robuſtis: Clyſteribus & frequentiſſime admiſcetur.

Benedicta Laxativa.

℞. *Turbith electi.*
Radicis Eſulæ minoris aceto præparatæ ana drach. x.
Hermodactylorum
Dacrydij.
Roſarum rubrarum ana drach. vj.
Caryophyllorum.
Spicæ Nardi.
Zinziberis.
Croci.
Macropiperis.
Amomi.
Cardamomi minoris.
Seminum Apii.
Petroſelini.
Carvi.
Fœniculi.
Aſparagi.
Ruſci.
Saxifragiæ.
Milis Solis.
Salis Gemmei.
Galangæ.
Macis ana drach. j.
Mellis deſpumati & cocti lib. ij. *ſem.*
Fiat Electuarium.

Methodus.

Etiamſi exilitas radicum Eſulæ minoris Pharmacopoeis tædio ſit, temporis & laboris parcis, præferendæ nihilominus ſunt radicibus cunctarum aliarum Eſularum, ſpeciatim majoris, cujus qualitates improbæ à *Meſuæo* decantantur, & plurimis authoribus: Minorem autem, quandoquidem feliciſſimo ſemper ſucceſſu in uſum duxerim, ad hanc compoſitionem, ac totius plantæ Extractum experimento multiplici

cum tutiſſimũ agnoverint, imo nullo addito correctivo, in ea obfirmor ſententia hic nullas alias radices quam Eſulæ minoris accipiendas eſſe.

Etſi vero nulla mihi adpareat neceſſitas prædictas radices cum aceto præparandi, ne tamen ab antiquitate omnino diſcedam, ex mea ſententia, poſtquam rite ablutæ & mundatæ fuerint hæ radiculæ, ſatis ſit illas leviter aceto irroraſſe, ut ſufficiẽter humectentur, non in eodem per horas viginti quatuor maceraſſe, quod quidam præcipiunt; ſi enim in aceto diutius infuſio protraheretur, ſuccũ illius lacteum, precipuam facultatis ſedem cum diſſolvi eſſet neceſſe, in radicibus ſola pars terreſtris & inutilis ſuperſtes foret: eo vero quo dixi modo procedendo, hæ radices viribus aceti etſi imbutæ, priſtinas tamen vires non depoſituræ ſunt.

Si quis animadvertat quam parum huic compoſitioni utilitatis allaturæ ſint ſacchari pulveriſati drachmæ decem; idem facile colliget non immerito id detractum eſſe: idem quoque adprobaturus eſt præſcriptas eſſe mellis deſpumati libras duas pro ſeſquilibra; quam ſatis futuram quidam crediderunt: quandoquidem enim nullus liquor præſcribitur in deſcriptione hujus Electuarij, mellis ſeſquilibra ſatis eſſe nequit, ratione habita quantitatis & ſiccitatis Pulverum.

Medicamenta omnia ſimul conterantur in magno mortario æneo, initio ducto ab illis quæ piſtillo minus cedunt, ea demum per cribrum ſericeum tranſmittendo; ſed ſeorſum conterendum & tranſmittendum Scammonium, cæteris deinceps pulveribus remiſcendum; Poſtea ſumantur mellis optimi deſpumati, & ad Electuarij mollis conſiſtentiam cocti libræ duæ, cui leviter excalefacto commiſcendi pulveres, ſicuti dictum ad compoſitionem aliorum Electuariorum; cum vero hoc refrixerit, recondatur in vaſe Faventino, depromendum ad uſus neceſſarios.

Electuarium Benedictum in purganda pituita & ſero admodum efficax eſt, præſertim ex Articulis: In uſum duci ſolet ad vacuandam cacochymiam in renibus & veſica deliteſcentem; Plurimum quoque conducit in Colico dolore: Præſcribitur eadem doſi qua Diaphœnicum, ac ut plurimum in Clyſteribus uſurpatur, rarius per os adſumitur.

Electuarium Caryocoſtinum.

℞. *Coſti.*	*Dacrydij.*
Caryophyllorum.	*Hermodactylorum ana. unc. ſem.*
Zinziberis.	*Mellis optimi deſpumati unc.* viij.
Cymini, ãã. drach. ij.	*Fiat Electuarium.*

Methodus.

In maxima Diſpenſatoriorum parte ſex tantum occurrunt mellis deſpu-

deſpumati unciæ ad hoc Electuarium præſcriptæ cum æquali Pulveris quantitate. At cum hæc compoſitio frequenti non ſit in uſu, medicamenta omnia pulverem componentia admodum calida ſint & infuavia; Totum vero compoſitum exſiccetur ſi diutius aſſervatum fuerit, è re viſum fuit mellis dozin quartæ partis adjectione auctiorem facere; Vinum quod attinet, quandoquidem ii qui id præſcripſerunt, ad fervorem decoqui præceperunt, vna cum melle ad conſumptionem vſq; illius, hoc pro comperto habendum ſolam ſuperſtitem futuram partem phlegmaticam & terreſtrem; adeo vt ſatius ſit Vinum omnino omittere, cum ſufficiat optimum mel adſumpſiſſe, id leviter decoxiſſe, ac ab igne remotum deſpumaſſe, demum priuſquam omnino refrigeſcat, illi admiſcuiſſe pulveres, eadem tandem methodo uti qua ad aliorum Electuariorum mollium compoſitionem.

Caryocoſtinum idoneum eſt evacuandis ſeroſis humoribus, bilioſis & melancholicis, valet in Cachexia & morbis à viſciditate humorum inductis; Obſtructiones reſerat, Viſcerúmque tumores diſcutit: Frequenter & præſcribitur ad Podagricos purgandos, illos ſpeciatim qui arthritide ab humore frigido laborant.

Exhibetur à drachma ſemis ad ſemunciam, vel in bolo, aut liquore idoneo diſſolutum.

Confectio Hamech Correcta.

℞. *Polypodij quercini contuſi,*
Paſſularum mundatarum &
Prunorum Damaſcenorum ana. unc. iv.
Coquantur ex arte per ſeſquihoram in ſeri lactis vaccini lib. xij. *In decocto percolato & calido infunde ſupercalidos cineres per horas* xxiv.

Myrobalanorum Citrinorum.	*Foliorum Sennæ mundatorum ana. unc.* ij.
Chebulorum &	*Abſynthij &*
Indorum, contuſorum.	*Thymi ana. unc.* j.
Seminis violarum contuſi.	*Roſarum rubrarum.*
Colocynthidis minutim inciſæ.	*Seminis Aniſi &*
Agarici contuſi &	*Fœniculi ana. drach.* vj.

Bulliant deinde lento igne per ſemihoram, & ſemirefrigerata manibus diligenter fricentur, colentur & fortiter exprimantur: Colaturæ adde ſucci Fumariæ depurati lib. ij. *Sacchari & Mel-*

lis Narbonenſis ana lib. iij. *& coque ad Electuarij mollis conſiſtentiam.*
His ſemi refrigeratis adde *Tamarindorum &*
Pulparum Caſſiæ. *Mannæ electæ ana unc.* jv.
Illiſque tandem permiſce Pulverem ſequentem.

℞. *Rhei electi.*
Agarici albiſſimi.
Foliorum Sennæ mundatorum &
Dacrydij ana unc. j. *ſem.*
Myrybalanorum Citrinorum.
Chebulorum.
Indorum.
Emblicorum &
Belliricorum
Epithymi &
Seminis Fumariæ ana unc. j.
Cinnamomi.
Zinziberis &
Seminis Aniſi ana drach. iij.
Fiat Confectio.

Methodus.

Pharmacopœi in hujus confectionis præparatione diu ancipites fuere ob deſcriptionum varietatem, doſes iniuſta proportione traditas, ac perverſam methodum ab Antiquis præſcriptam: Illi præſertim qui crimine inſigni ſe implicari crediderunt ſi vel tantillum ab horum doctrina & traditionibus recederent, ideoque perites Medicos in conſilium adhibere recuſarunt qui rem ad meliorem normam deducerent: Illud enim manifeſtum eſſe potuit inſignem medicamentorum numerum, alia atque alia ſubſtantia donatorum, & facultatibus diſcrepantium, varietatem quoque infuſionis & decoctionis inſinuare, & ad multa variaque media confugiendum eſſe, nec vnum idemque tempus ſemper competere ad eliciendas illorum vires, haſque in compoſitionem dictam transfundendas.

Illud quoque obſervandum fuerat omnino impoſſibile fuiſſe infuſionem, in ſero lactis præſcriptam, toto quintiduo citra acorem ſupervenientem aut inſignem alterationem integritatem ſervaturam. Hanc deſcriptionem qui ſequuturi ſunt, ac regulas à me præſcriptas ad amuſſim obſervaturi, in præparatione hujus Confectionis, ij comperturi nullum medicamentum nonniſi optimum juſtaque dozi definitum hic inſertum eſſe, ac vniuſcujuſque vim integram proculdubio in compoſitionem transfuſam iri.

Radix Polypodii optime conquaſſanda, ac per horæ ſpatium igne moderato decoquenda erit in vaſe fictili vitreato, ſtricti orificii, & cooperti, in ſeri lactis vaccini libris duodecim: demum adjiciendæ Paſſulæ & Pruna inciſa, quæ ſimul elixanda per ſemihoram, Interim mundandi & contundendi Myrobalani, ſicuti & ſemina Violarum, Aniſi & Fœni-

cu-

culi; mundandus & incidendus Agaricus, pulpa Colocynthidis, Abſynthium & Thymum, immittenda tunc in Polypodii decoctum, paſſularum & prunorum cum roſis rubris in idem vas, quo accurate cooperto, infuſio fiat ſupra cineres calidos per horas vigintiquatuor; poſtmodum intendatur ignis, & omnia per horam leniter decoquantur: poſtea cum ſemirefrigerata fuerit decoctio, cuncta medicamina manibus optime confricanda, poſtea colanda & exprimenda: Demum additis ſacchari albiſſimi libris tribus huic liquori colato, mellis deſpumati tantundem, ſuccique fumariæ libris duabus, cuncta ſimul decoquenda erunt ad Electuarii mollis conſiſtentiam, cui ſemirefrigerato, paulatim commiſcendæ pulpæ Caſſiæ & Tamarindorum cum Manna granulata concorporandæ, poſtea Pulveres, eadem ratione procedendo qua in præcedentibus Electuariis mollibus; Refrigerata autem Confectio reponenda ad uſus in vaſe Faventino.

Confectio Hamech æque purgat pituitam ac utramque bilem, ſpeciatim humores acres & ſalſos; quamobrem præſcribi ſolet in potionibus purgantibus ad ſcabiei curationem, Eryſipelatis, Cancri & Ulcerum corrodentium, ſicut & Achorum, Capitiſve Ulcerum manantium, ab humoribus acribus & aduſtis genitorum: Convenit etiam eximie adverſus Lumbricos, plurimique eſt uſus in morbo Venereo & Febre Quartana: Amaror inſignis in cauſa eſt ut forma Boli potius adſumatur quam Potionis.

Exhibetur à drachmis duabus ad ſemunciam, imo & ad unciam in robuſtiſſimis & iis quos vix medicamenta commovent.

Hiera Picra Galeni.

℞. *Cinnamomi electi.*	*Croci ana drach.* vj.
Maſtiches.	*Aloës Socotrinæ unc.* xij.*ſem.*
Aſari.	*Mellis deſpumati & cocti lib.* v. *unc.* viij.
Spicæ Nardi.	
Santali Citrini.	*Fiat Electuarium.*

Methodus.

Galenus huic Confectioni Hieræ Picræ nomen indidit ob eximias illius vires ſummumque amarorem, ſignificat enim, *Sacram Amaram*: Seorſum ſi libet, aſſervari poteſt hic Pulvis, aut melli commiſceri, ac in Electuarii formam deduci.

Simul contundenda ſunt in magno mortario æneo Santalum citrinum, Aſarum, Cinnamomum & Spica Nardi mundata & inciſa, ac per cribrum ſericeum traducenda: Seorſum trituranda Maſtiche granulata, Seorſum quoque Crocus prius juxta ignem, charta involutus, exſiccandus, cavendo ne ignem concipiat aut nigrorem contrahat;

Aloë pulveriſanda in magno mortario æneo, additis aliquot guttis olei amygdalini dulcis, ne mortario adhæreſcat, & ut facilius in pulverem abeat: Commiſcendi deinde Pulveres, & paulatim cum melle deſpumato moderate calido coagmentandi, hinc perfectum erit Electuarium, quod cum refrigeratum fuerit vaſe idoneo excipiendum.

Nonnullis ſatis eſt triplum ad pulveres pondus commiſcere, ſed experientia duce deprehendi majorem quantitatem requiri, ſi modo præcavendum ſit ne Pulverum ariditas ſiccitatem nimiam Electuario conciliet brevi temporis ſpatio; Adde quod mellis additio admodum neceſſaria videtur ad corrigendam excedentem compoſitionis iſtius amaritudinem.

Hiera hæc admodum conducit incidendis & detergendis humoribus craſſis & viſcidis in Ventriculo hærentibus;ac reſerandis obſtructionibus Jecoris, Lienis, Pancreatis & Meſenterij: Libertatem quoque alvo conciliat, Hæmorrhoidum fluorem ciet, Menſtrua in mulieribus ſubſiſtentia evocat; vteríque vapores coërcet; illúmque impurum eluit:

Doſis illius eſt à ſemidrachma ad drachmas duas: Aſſumitur potius Boli forma quam ex liquore aliquo ob ſummam amaritiem; uſurpatur quoque ad clyſteres carminantes parandos, aut utero dicatos, à ſemuncia ad unciam, imo ſuppoſitoriis quandoque admiſcetur, ut efficaciam adquirant.

Hiera Diacolocynthidos.

℞. *Colocynthidis mundatæ.*
Agarici electi.
Stœchados Arabicæ.
Marrubii albi.
Chamædryos ana. drachm. x.
Opopanacis.
Sagapeni.
Seminis Petroſelini.
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ.
Piperis albi ana drachm. v.
Cinnamomi.
Spicæ nardi.
Myrrhæ.
Folii Indi.
Croci ana unc. ſem.
Mellis deſpumati & cocti lib. iiij.
Fiat Electuarium.

Methodus.

Hiera hæc nomen deduxit à Colocynthide, præcipuo purgante hic admiſſo, cujus facultas augmentum ſuſcipit ab additis Agarico, Opopanace, Sagapeno, & Myrrha: Cætera medicamenta adduntur potiſſimum flatuum diſcutiendorum gratia, aperiendarum obſtructionum, & partium adverſus purgantium vim nimiam tutelam:

In

In compoſitione hujus Electuarii, vti & Theriaces, cum antiquis diſſolvenda non ſunt Opopanax & Sagapenum in vino, ob rationes alio loco allatas, quandoquidem nullo negotio cum cæteris medicamentis conteri poſſunt; dummodo lacrymæ ſint puriſſimæ, cujuſmodi requiruntur.

Neque etiamnum quidquam impellit vt Agaricus & Colocynthis in Trochiſcos redigantur, eo nomine quod correctivis indigeant, quandoquidem hæc compoſitio ſat multa obtinet: Satis fuerit illa contriviſſe in pulverem, ac per incerniculũ ſericeum tranſmiſiſſe cum cæteris ingredientibus, initio pulveriſationis ducto ab Ariſtolochia & Spica Nardi, quæ ſimul aliquandiu contundi è re eſt, addita Gummatum portiuncula, adjectis deinceps Cinnamomo, Colocynthidis pulpa optime inciſa, & Agarico, his ſuperadjiciendo cætera omnia medicamenta cum reliqua Gummatum parte: Omnia in magno mortario æneo contundenda ſunt, ac in pulverem ſubtiliſſimum deducenda, ratione Colocynthidis, quæ alias ventriculi tunicis adhæreret, vel inteſtinis, ſi craſſior foret: Pulvis cum melle coagmentandus, deſpumato & calente, eodem pacto procedendo quo dictum à me in ſimilium Electuariorum præparatione.

Hieræ huic eximiæ adſignantur facultates, quarum potiſſimæ ſunt, morbum Herculeum debellandi; Furorem, Vertiginem & pertinaciſſimam Cephalæam: Conducere dicitur Aſtmaticis, Pleuriticis & iis qui ad Aphoniam deducti ſunt: Sed ſuſpecta eſſe debet intenſa illius caliditas, & acrimonia maior quam ut ad ejuſmodi morbos in vſum adduci debeat, niſi de cauſæ indole probe conſtiterit: Adhibetur quoque ad Spaſmodicos affectus & Lethargum, ad Articulorum & Renum dolores mitigandos, vt & illos quos inferunt Rheumatiſmi, & Arthriticos; ad mulcendos Ventriculi dolores, acores in illo genitos coërcendos, nauſeamque comitem profligandam; ad detergendos & excludendos humores melancholicos, leniendoſque inteſtinorum dolores, & hyſtericos; ſi cauſam agnoſcant humorem quempiam viſcidum aut Tartareum:

Doſis illius & ratio in vſum ducendi cum Hiera picra convenit, ſive ore adſumenda ſit, ſive in Enematis diſſoluta.

Electuarium de Pſyllio correctum.

℞. Polypodij quercini contuſi lib. ſem.
Paſſularum Damaſcenarum purgatarum.
Foliorum Sennæ mundatorum &
Seminis violarum contuſi ãã. unc. iij.
Ephithymi &
Tartari albi Monſpelienſis contuſi ana. unc. ij.
Decoquantur ex arte in
Succorum depuratorum Apii.
Borraginis.
Bugloſſi.

Endiviæ & *Fumariæ, ana. lib. ij. ſem.*
Deinde colentur & exprimantur.
In majori parte Colaturæ infundantur.
Seminis Pſyllii integri unc. iij. & ex illis ex arte extrahatur mucilago, & ſervetur.
Reliqua Decocti parte humectentur
Tamarindorum Orientalium unc. x. &
Medulla librarum duarum Caſſiæ Orientalis, quorum pulpa extrahatur, & igne lento inſpiſſetur, ita ut uniuſcujuſque pulpæ inſpiſſatæ unc. vij. ſuperſint.
Servata vero mucilago cum
Sacchari optimi lib. jv. igne lento ad Electuarij mollis conſiſtentiam coquatur, ſemique refrigeratis, pulpæ & pulvis ſequens permiſceantur.

℞. *Dacridij electi unc. jv.*
Rhabarbari optimi &
Seminis violarum ana. unc. ij.
Roſarum rubrarum.
Liquiritiæ mundatæ.
Santali Citrini &
Raſuræ Eboris, ana. unc. j.
Seminum quatuor frigidorum majorum mundatorum.
Aniſi.
Fœniculi &
Papaveris albi ana. drach. ij.
Fiat omnium Pulvis Electuario permiſcendus.

Methodus.

Electuarium de Pſyllio in Diſpenſatoriis deſcriptum non reperitur, quæ vero extant deſcriptiones admodum inter ſe diſſimiles ſunt, imo etiam nonnihil confuſæ, amethodicæ, ſine dozium æqua obſervatione, imo intricatæ, cum illarum nonnullæ quatuor Trochiſcorum compoſitiones citra neceſſitatem admittant, molem quippe tantum adaugentes: Declinandæ ergo hujus confuſionis cauſa præſcriptio Electuarii requirebatur melius digeſta & magis methodo conſentanea: Quamobrem Dominus primarius Majeſtatis Regiæ Medicus aliam ſubſtituit, quam in publicum emitto.

Ad rectam huius Electuarii præparationem, decoquantur ſimul per horam vnam circiter Polypodium & Tartarum rite contuſa, in ſuccis depuratis Bugloſſi, Borraginis, Endiviæ, Apii & Fumariæ; demum adjiciantur Paſſulæ Damuſcenæ mundatæ & inciſæ, ſemina Violarum contuſa, quæ cum per horæ quadrantem circiter cum Polypodio & Tartaro ferbuerint addenda erunt Senna & Epithymum, hæc lente cum cæteris medicamentis per quartam horæ partem elixando: Colandum & exprimendum hoc Decoctum cum ſemirefrixerit, demum accipiantur duæ circiter partes hujus decocti, in quo maceranda erunt per quinque vel ſex horas ſupra cineres calidos, in vaſe figulino vitreato, ſemen Pſyllii integrum, omnia ſæpius ſpathula lignea commovendo, ad ritam mucila-

ginum

ginum eductionem, quæ cum ſufficientem craſſitiem adeptæ fuerint, colandæ ſunt per telam validam & denſiorem, optiméque expreſſo magmate, ſeorſum adſervandæ: Poſtmodum extrahenda erit medulla librarum duarum Caſſiæ orientalis, humectandæ affuſa parte decoctionis reſervatæ: Eodem quoque modo humectare oportebit Tamarindorum uncias decem, qui prius contuſi in mortario marmoreo, poſtea tranſmittendi per cribrum ſetaceum, ſicuti & Caſſia, ad pulpæ illorum extractionem; commiſtæ illæ pulpæ admovendæ erunt lentiſſimo igni ad exhalationem procurandam humidi ſuperflui, per vices agitando ſpathula lignea, quouſque ſufficientem craſſitiem adeptæ ſint: Poſtea adſumendæ mucilagines adſervatæ, additiſque ſacchari optimi quatuor libris, concoquendæ erunt lento igne ad Electuarii mollis conſiſtentiam: Sed ſumma ratio habenda eſt viſcidæ mucilaginum ſubſtantiæ, ab illarum enim admixtione ſaccharum quaſi coctum adparet, etſi à coctionis termino plurimum abſit: Cavendum præterea eſt ne coctio modum excedat, ne qualitas lubrica, in mucilaginibus requiſita pereat, quamobrem vigilantia & cautela opus erit.

Pulveris præparatio non ſecus ac cæterorum aliis Electuariis dicatorum perfici debet, cui incumbendum interim dum decoctio peragitur & pulparum extractio: Cum ſyrupus ſufficienter coctus fuerit, remota ab igne pelvi, illoque ſemirefrigerato, pulpæ alteri pelvi committendæ, quibus affundenda libra ſemis circiter ſyrupi, cuncta piſtillo ligneo verſando ad probam concorporationem; atque rurſum addita & commiſta ſemilibra prædicti ſyrupi, pulverum commiſtio inchoanda, cui per vices ſyrupus ſuperfundendus, ſicuti in aliis Electuariis: Omnibus recte coagmentatis, Electuarium refrigeratum reponendum erit in vaſe Faventino ad uſus.

Electuarium hoc humores bilioſos & ſeroſos egregie purgat: Uſus illius eſt in Febribus per paroxyſmos affligentibus & in continuis; in Capitis dolore & vertigine ab humoribus bilioſis excitata: Valet etiam in Ictero, omnibuſque Jecoris & Lienis affectibus: Uſus idem ſit qui cæterorum Electuariorum purgantium.

Dozis autem parcior eſſe debet, datur enim drachma una, ad ſummum uncia ſemis, quod ſcammonium liberaliori dozi hanc compoſitionem ingrediatur quam cætera Electuaria Cathartica.

Electuarium Anti-Hydropicum D. D. D'Aquin.

℞. *Rhabarbari electi.*	*Radicum Bryoniæ.*
Foliorũ Sennæ Orientalis mundatorũ.	*Ialapæ.*
Seminis Geniſtæ.	*Mechoacann.*

Scammonij.
Gummi Guttæ &
Trochiſcorum Albandal ana. unc. j.
Extracti totius Eſulæ.
Opopanacis.
Sagapeni.
Ammoniaci &
Salis Martis ana drach. vj.
Elaterij unc. ſem.
Succorum radicis Ireos noſtratis &
Radicis Sambuci, ad Extracti mollioris conſiſtentiam inſpiſſatorū ana lib. j.
Extracti mollioris granorum Iuniperi &
Syrupi de Rhamno Cathartico ana lib. j. *ſem.*
Fiat Electuarium.

Methodus.

Extractum fiat è tota planta Eſulæ, Cucumeris aſinini, cui Elaterii nomen inditum; Educatur ſuccus è radice Iridis noſtratis, uti & corticis radicis Sambuci, ſub finem hyemis collecti: Parabitur quoque extractum Baccarum Juniperi, & Syrupus Rhamni Cathartici idoneo tempore: Extractis ſatis fuerit conſiſtentiam Electuariorum mollium conciliaſſe: Succorum autem radicum Iridis & Sambuci exhalatio lento igne procuranda ad eandem uſque conſiſtentiam: Simul pulveriſabuntur in grandi mortario æneo Rhabarbarum, Jalapa, Bryonia, Semina Geniſtæ, Trochiſci Alhandal, Senna & Gummata: Sed ſeorſim conterenda erunt Scammonium & Gummi Gotta; commiſtiſque omnibus pulveribus, additoque Sale Martis, moderate excalefaciendus Syrupus Rhamni Cathartici; demum paulatim concorporabuntur. Extracta & ſucci condenſati, ac conſequenter Pulveres, eadem ratione procedendo ſicuti ad Electuaria mollia præcedentia.

Quibus vires ſingulares medicamentorum hujus Electuarij perſpectæ fuerint, ij non difficulter judicium ferent nullum appoſitum eſſe eorum quod non effectum optatum editurum ſit: Hydropis videlicet curationem, illius præſertim quem vocant Aſciten; Proculdubio res ad vitam ſuccedet, dummodo Jecur, & alia nobilia viſcera, ſummum corruptionis gradum non attigerint; ac præterea in uſum revocetur pro neceſſitate.

Doſis iſtius Electuarij eſt à drachma una ad ſemunciam: Diſſolvi poteſt ex vino albo, vel liquore quopiam aperiendi vi prædito: Commodius vero in Bolo adſumitur ob eximium amarorem.

Electuarium Diacarthami.

℞. *Medullæ ſeminis Carthami.*
Pulveris Diatragacanthi frigidi.
Hermodactylorum &
Dacrydij ana unc. j.
Turbith electi unc. j. *ſem.*
Zinziberis unc. ſem.

Man-

Mannæ granuloſæ unc. ij.ſem.
Mellis roſati colati &
Carnis cydoniorũ conditæ ãã. unc.ij.
Sacchari ſolidi in aqua ſoluti,& in Electuarium ſolidum cocti drach.xxij.
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Deſcriptio hæc Electuarii Diacarthami in nonnullis diſcrepat ab iis quæ in vulgaribus Diſpenſatoriis occurrunt, modo ſub nomine Arnoldi de Villa Nova, modo Nicolai Florentini, modo ſuppreſſo Authoris nomine: Quædam compoſitiones ſaccharum cantium admittunt, minus Mannæ,minus Scammonii , minus Sacchari albi : In quibuſdam abeſt Saccharum Cantium, major eſt Mannæ quantitas , Sacchari & Scammonii : In aliis plus adſumitur Pulveris Diatragacanthi , minor quantitas ſeminis Carthami, minus Zinziberis , minus quoque mellis roſati : Tandem dozes admodum variæ ſunt in plurimis Diſpenſatoriis.

Sed è re viſum fuit tradere deſcriptionem, in qua , adempto ſaccharo Cantio , utpote admodum inutili , auctum fuit Mannæ pondus ac tantillum Sacchari albi additum, tum ad ſupplendum Saccharum Cantium , tum ad ſervandam proportionem neceſſariam inter Scammonium & cætera medicamenta pulveriſata.

Id quod de Manna docent nos Sacræ Literæ, quæ dulcis erat , alba, figura granorum Coriandrii , per quadraginta annos è cœlo decidua in deſertos locos, ad alimentum Iſraëlitarum; Neque quod alij referunt de illa Mannæ ſpecie,quæ æſtate, ex vaporibus terræ elevatis,& in aëre digeſta, à frigore cõdenſatur; in regionibus quibuſdam calidioribus ante Solis exortum conſpicua, imo in nonnullis locis Provinciæ & Galliæ Narbonenſis, tam ſuper plantas & arbores, quam rupes ipſamque terram , colliqueſcens & evaneſcens ſtatim ac radios Solis experta eſt, Hæc inquam inducere nos non valent ut illis aſſentiamur qui cenſent Mannam , quæ nobis in uſum venit , eſſet mel aëreum , aut roris ſpeciem, quandoquidem omnino repugnant ratio , experientia & veritas.

Si enim Manna hæc eſſet Ros ex vaporibus è terra aſſurgentibus concretus & condenſatus à frigore , ſicuti nonnulli aſſerunt , proculdubio ad caloris occuruſm colliqueſceret & diſſiparetur. Id tamen Manna noſtra non experitur , quæ ad Solem concreſcit & exſiccatur : Præterea ſuper omnes promiſcue herbas reperiretur , arbores , rupes , ac terras , unde ad nos advehitur , cum tantum ſuper vulgarem fraxinum & ſylveſtrem occurrat , quem Urnum vocant ; Cum porro inter prædictas arbores quædam

Pp 2

pauciſſimam exhibeant,imo nõnullæ omnino careant:adde quod adeo inſignes lacrymæ,vel grana,non conſpicerentur,neque adeo longa, aut quæ quadam ſui parte notas non referrent rami arboris è qua decerpta & decidua ſunt, neque obvia eſſent Fraxini folia, quæ permixta ſæpe reperiuntur, neque ad aliquot annos adſervari poſſet, id quod tamen contingit.

Id quod varij Authores Græci & Arabes, imo Neoterici quidam prodidere,neque ratione neque experientia ſuperius eſſe debet.Quandoquidem Mannæ maximam copiam, quæ ad nos adfertur, in regno Neapolitano natales habet, ſpeciatim in Calabria; Illis teſtibus eſt ſuccus, aut liquor albus, dulcis, ac à radiis ſolaribus condenſatus, ſponte diffluens, aut facta inciſione ex ramis, ramuſculis, imo ipſo trunco vulgarium Fraxinorum, & Sylveſtrium, ante & per ipſam Caniculam; Aliam vero Mannam, minori copia ſuppeditatam generationem habere aiunt circa Brigantium in ſuperiori Delphinatu, ex arboribus illius loci derivatam: Utramque Mannam nihilominus effluere ſtato tempore, etiamſi aut linteaminibus, aut pannis, obtegerentur rami unde oritur; Sin Manna foret aut mel aut ros ex aëre deciduus, impoſſibile futurum ut aut colligeretur, aut adſervari poſſet quin colliqueſceret & diſſiparetur: adde quod non poſſibile eſſet illam colligere Sole jam provecto, ſicuti colliguntur Mannæ ad nos delatæ, quandoquidem omnis Manna aërea ſolum horis matutinis adparet, quæ frigoris vi condenſata ad primum ſolis radiorum adpulſum evaneſcit.

Altomarus, Medicus Neapolitanus, veritatis horum conſcius fuſe diſſerit, & appoſitè, tractatu de illis edito anno 1562. Illius ſententiam tuetur *Coſtæus* Commentariis in Meſuen editis Venetiis anno 1602.

Præterea *Ioſeph Donzellus*, Medicus Neapolitanus, in ſuo Theatro Pharmaceutico, impreſſo Neapoli anno 1667. quæcunque *Altomarus* prius ſcripſerat, confirmat, adnotans Mannam ſuccum eſſe ex Fraxino diſtillantem, à calore condenſatam, aëriſque beneficio; hanc vero ad Gummatum genus referendam eſſe, ex arboribus ſtillantium, quæ in humido diſſolvuntur, in calido autem concreſcunt; Omnino aliam à Manna Arabum ſtatuit, quæ nihil aliud eſt quam ros, à calore colliqueſcens; Poſtmodum Mannæ Calabrinæ deſcriptionem tradens, nobis quotidie familiarem, & veſtigiis inſiſtens *Baptiſtæ Ferrari* Medici illius regionis, fuſe tradit quæ per compendium hic exhibere volui.

Triplex in Calabria occurrit Mannæ genus, quarum prima nominatur *Manna di carpo:* Secunda *Manna Forzata*, vel *Forzatella:* Tertia autem *Manna di Fronda*; Ejuſmodi Mannæ Roris non ſunt pro- genies,

genies, at vero ſuccus e Fraxino manans, vulgari aut ex ſylveſtri, quem vocant *Orni*, neque ex ulla alia arbore diffluunt, ſi enim res foret, omnibus æque inſideret.

Colliguntur dictæ Mannæ tempeſtate anni calida, æquali, non imbrifera, ſtillare vero incipiunt cum Sol Cancri ſignum ingreditur, id quod contingit circa Junii diem viceſimam primam; Prior, eaque elegantiſſima, ſponte defluit, ex trunco vel ramis craſſioribus arboris; liquor exiens cryſtallinus eſt, unde grana, vel lacrymæ exurgunt majores aut minores, prout pars arboris unde prodit plus aut minus turget: Manna prædicta poſtridie ſumma cura colligitur, poſtquam ex arbore exſudavit; dicto enim tempore ſenſim indureſcit & candida admodum eſt; ſin nocte imber decideret, aut nebulæ acciderent, colliqueſceret, aut in nihilum abiret.

Ex arbore vero inciſione colligitur, corticem dividendo cultellis tenuibus & acutis exorto Sole. Illam eodem momento & colligunt & recondunt in vaſis exiguis fictilibus non vitreatis; quæ demum ſuper chartam puram expanſa exſiccanda Soli exponitur, quouſque non amplius tenax ſit & digitis adhæreat, ne ſuperſtite quapiam humiditate Manna aut colliqueſcat aut candorem exuat: Collectio durat à viceſima prima die Junii ad finem uſque Julii menſis, niſi interruptio accidat à pluviis aut nebulis.

Secunda ſpecies, *Forzata* dicta, (i.e. coacta) ex iiſdem arboribus menſe Auguſto colligitur, cum prior ſponte ſtillare deſinit: Ruſtici enim regionis incolæ, arborum truncos & ramos ad lignum uſque diſcindunt inſtrumentis admodum acutis, hinc à meridie ad decimam uſque noctis horam ſtillans Manna ex ejuſmodi inciſionibus conſpicitur, ſecundum truncos & ramos arborum, per rivulos, ſed paulo priore Manna majores, adeo ut nonnunquam in infima arboris parte congeſta reperiatur inſtar ceræ in exiguos panes conglobatæ: Poſtridie tantum inciſionis colligitur, quæ diviſa, & expanſa, ſicuti prior inſolatur exſiccationis gratia: Hæc minus probatur, cum flavedine intenſiore prædita ſit, magiſq; turbida quam quæ ſponte defluxit: temporis decurſu utplurimum fuſcedinem contrahens, etſi nihilominus vi purgativa prædita ſit.

Tertia ſpecies, quam vocant *Mannam di Fronda*, ſponte prodit ex foliis Fraxini, in ſimilitudinem aquæ guttularum, ſudoris modo erumpentium ex parte nervea eorundem foliorum, per intenſiſſimum diei æſtum, tot folio diffuſorum, etiamſi guttæ ad foliorum nervorum originem defluentes ſemper majores ſint quam quæ verſus extremitatem prodeunt; Guttæ hæ ad Solem indurantur & candidæ evadunt, ad tritici grani magnitudinem propemodum accedentes: Imo nonnunquam menſe

Auguſto majora fraxini folia adeo granata hac Manna onuſta depre-henduntur, ut nive cooperta feré dixeris: Non tanta cura poſtrema hæc colligitur, quod vix à folijs divellatur, etſi cæteris non inferior ſit in purgando.

Cuncta hæc confirmata habemus,tanquam veriſſima, à *Iohanne Rayo*, Societati Regiæ Anglicæ adſcripto,in Catalogo Plantarum Anglicarum ab ipſo Londini edito anno 1676.

Prætermiſſa vero enumeratione eorum qui hanc ſententiam amplectuntur, ſufficiat dixiſſe Dominum *Nicolaum Marchandum*, Academiæ Scientiarum Regiæ Socium, Botanicum Regium, Directorem culturæ Plantarum horti Regij, virum abſoluta plantarum cognitione imbutum, earumque productionis & originis, ante aliquot annos cuncta hæc proprio ore mihi confirmaſſe, ut pote oculatum teſtem, quod non ſemel interfuerit locis, ad quæ curioſitas ipſum impulit, ut melius de veritate rei ipſi conſtaret: Sed præterea id ipſum plurimi me docuere quibuſcum ea de re mihi fuit ſermo; Illi cum non exiguam moram apud Calabros traxerint, quibus in locis colligi ſolet dictæ Mannæ ſpecies, id mihi apud omnes adeo in confeſſo eſſe, ut eam rem etiam pueri norint.

Dacrydium ſeorſim conterendum, additis aliquot ſeminibus Carthami mundatis, ac per cribrum ſericeum tranſmittendum eſt: Simul in grandi mortario æneo conterantur Turbith, Hermodactyli, Zinziber & reliquum ſemen Carthami, quæ trajecta per incerniculum ſericeum, commiſcenda erunt Diagrydio & Pulveri Diatragacanthi recens diſpenſato: * Caro Cydoniorum condita contundenda in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, cujus trajectæ per cribrum ſetaceum inverſum pulpa commiſcenda erit melli roſato & Mannæ granatæ: Poſtea diſſolutione facta ſacchari albiſſimi in aquæ unciis ſex, & decoctione facta igne moderato ad conſiſtentiam Electuarii ſolidi, diluendum erit mel Roſatum, additis & commiſtis pulpa Cydoniorum & Manna; leviſque accedente ebullitione, ad exhalationem humidi redundantis in melle Roſato & pulpę Cydoniorum, pelvis ab igne removenda erit, omnia leniter piſtillo ligneo agitando, concretio vero ubi proxima fuerit, commiſcendi erunt Pulveres quam ſedulo & accurate fieri poterit;cunctis vero optime con-corporatis, retrahendum erit piſtillum; poſtea maſſa pelvi exempta, ope ſpathulæ, manibuſque prius oleo amygdalarum dulcium inunctis, comprehenſa,adhuc calens inſternatur ſubſtratę chartæ mundæ, pauco oleo amygdalino delibatæ; propemodum placentam effingendo craſſitiei ſemi digiti minoris, in Tabellas ſemunciæ circiter ponderis di-

videndam, quæ cum refrixerint recondendæ in pyxide ad uſus.

Tabellæ hæ convenientiſſimæ ſunt expurgandæ pituitæ & flavæ bili; quo fit ut frequentiſſime præſcribantur ad morbos ab his humoribus oriundos, cujuſmodi ſunt Paralyſis, Epilepſia ac plerique cerebri affectus. Rheumatiſmi, Arthritis & Febres Quotidianæ.

Adſumantur ex juſculo, aquis diſtillatis aut decoctis idoneis? Poſſunt & in Bolos effingi, aut Solæ exſiccari, Potionibus purgantibus non raro commiſcentur, Syrupis aliiſque purgantibus: Si ſolæ porriguntur, dozis eſt à drachmis duabus ad ſex.

Poteſt hujus Electuarii Pulvis ſeorſum adſervari, ſolus exhibendus à drachma ſemis ad drachmam unam, aut ſeſquidrachmam; robuſtiſſimis.

Electuarium de Citro Solutivum.

℞. *Foliorum Sennæ Orientalis mundatorum drachm.* vj.
Turbith electi drachm. v.
Corticis citri Saccharo conditi,
Conſervæ florum Bugloſſi &
Violarum.
Pulveris Diatragacanthi frigidi &
Dacrydii ana unc. ſem.
Seminis Fœniculi dulcis drachm. ij.
Zinziberis drachm. ſem.
Sacchari optimi in aqua Bugloſſi ſoluti, & in Electuariũ ſolidum cocti drach. ix.
Fiat Electuarium.

Methodus.

Electuarium hoc à cortice citri condito nomen deducit, etſi nullam vim purgantem illi hic inferat, uſui tantum ſit ad robur ventriculi ac partium principum adverſus noxam à purgantibus metuendam: Admodum varia eſt in Diſpenſatoriis illius deſcriptio, at præſens non minus Renodæo quam Authoribus Pharmacopœæ Londinenſis adprobata; adeo rationi conſona viſa eſt ut nequaquam immutari debuerit: Cum porro illius præparatio in omnibus conveniat cum illa quæ Diacarthamo debetur, deſcriptionem illius adducere ſupervacaneum eſt.

Electuarium hoc Purgans Catholicum cenſendum eſt, pituitam enim evacuat, ſicuti & utramque bilem, partes ſimul corroborando: Purgantia videlicet Senna, Turbith, & Scammonium alia præterea correctione non indigent: Quo fit ut creberrime Electuarium hoc præſcriptum reperiatur ad Febres Tertianas & Semitertianas, ad everrendum Ventriculum, eumque ab impuris humoribus liberandum, hypochondria infarctibus liberanda, appetitum revocandum, priſtinum corporis habitum inſtaurandum, ac viſcera omnia roboranda.

Quoad uſum hujus medicamenti omnino illi ſimilis eſt qui Diacarthami, eademque dozi exhibetur.

Electuarium de Succo Violarum.

℞. *Seminis Violarum & Dacridij ana. unc.* j.
Liquiritiæ & Roſarum rubrarum ana. unc. ſem.
Seminum quatuor frigidorum mundatorum ana drach. ſem.
Succi recentii Violarum unc. jx.
Sacchari optimi lib. j. *ſem.*
Fiat ex arte Electuarium.

Methodus.

Poſtquam trituratum fuerit ſemen Violarum, Liquiritia deraſa, Roſæ rubræ, Semina frigida & Dacrydium mundata modo à me non ſemel deſcripto, ſaccharum craſſo modo contundendum, quod impoſitum pelvi æneæ, intus ſtanno obductæ, additis ſucci violarum mundatarum recens expreſſi unciis novem, ſimul lento igne decoquenda erunt ad conſiſtentiam Electuarij ſolidi: poſtea pelvis ab igne removenda, ſaccharum leniter commovendum quouſque concretioni proximum ſit: quo tempore coagmentandi erunt Pulveres non minus diligenter quam accurate, adeo ut concinnari poſſint Tabellæ, eodem ritu procedendo quo ad confectionem Electuarij Diacarthami.

Electuarium hoc in gratiam præſertim eorum quibus pectus infirmum eſt & facillimè inflammationem contrahit, præſcribi ſolet: Commodum etiam illis quibus Jecur & viſcera impenſius calent: Succus enim violarum, adjuvante ſeminum frigidorum & violarum unctuoſitate, Diacrydii acrimoniam & vehementiam obtundit, prohibetque ne aliqua caloris impreſſio in partibus ſuperſit, interũ dũ vitioſos humores expurgat.

Tabellæ hæ quoad doſin & uſum affines ſunt Tabellis Diacarthami.

Electuarium de Succo Roſarum.

℞. *Succi Roſarũ rubrarũ depuratis & Sacchari optimi ana lib.* j. *ſem.*
Coquantur igne moderato in Electuarium ſolidum, cui ſemirefrigerato permiſce Pulverem ſequentem.

℞. *Scammonij electi drach.* xj.
Trium Santalorum & Maſtiches ana drach. iij.
Subtiliter pulverentur & Saccharo ex arte permiſceantur.

Methodus.

Deſcriptionis hujus Electuarij non minor diverſitas occurrit in Diſpenſatoriis quam Electuarij Diacarthami; Quidam enim augent pondus Santalorum, alij Scammonij; alij detrahunt de Succo Roſarum: nonnulli ſpodium vice Maſtiches uſurpant; alij Camphoram indunt, Neque ulli ſuæ rationes deſunt; at quanquam cæteras improbare nolim, hanc nulli poſtponendam judico,

Succus Roſarum rubrarum accuratiſſime depuratus accipiendus eſt, qui

qui ſaccharo commixtus,igne moderato decoquendus ad conſiſtentiam Electuarii ſolidi; demum remota ab igne pelvi, leniter piſtillo ligneo agitandum Electuarium donec ad concretionem vergat, tunc commiſcendi pulveres, diligenter & accurate, in omnibus procedendo ſicuti dixi in compoſitione Electuarii Diacarthami.

Electuarium è Succo Roſarum præſertim commendatur ad purgandos humores bilioſos, at vero etiamnum vacuat cæteros ipſis commixtos: Sicuti enim alias à me adnotatum vix, ex mea ſententia, ullum medicamentum unicum humorem intactis cæteris educere aptum natum eſt: Illud enim apud me ratum, maximam & potiſſimam differentiam quoad operationem medicamentorum purgantium eſſe penes majorem aut minorem eorum efficaciæ.

Doſis & uſus ratio hujus Electuarii non diſcrepant à cæterorum Electuariorum quantitate & uſu.

Caput hoc in majorem molem adducere potuiſſem, adjecto amplioři Electuariorum mollium numero,aut ſolidorum, quibus foecunda ſunt plurima Diſpenſatoria: At cum non dubitem præcepta à me tradita de his normam ſufficientem ſuppeditare, ſi quis ſuſcipere & perficere voluerit quæcunque præſcripta occurrent, ſuperſedendum eſſe credidi, poteſtate cuilibet facta quæ libuerit medicamenta præparandi, aut deſcriptiones alias exequendi.

Tragematum Caput adjicere potuiſſem, vel Bellariorum aliis dictorum, quorum conſiſtentia non procul abeſt ab illa quam obtinent Electuaria ſolida, ſicuti & illorum baſis, videlicet Saccharum: At cum perquam raro in uſum Medicum trahantur, & in uſus præparari poſſint ex pulveribus idoneis, ſaccharo, & mucilagine gummi Tragacanthi, nolui hanc Pharmacopœam ejuſmodi ſarcina gravare:

CAPUT XXI.

De Trochiſcis.

AD Græcorum exemplum, quicunque rem Pharmaceuticam explicarunt, Trochiſci nomen indere volui compoſito cuidam ſicca forma prædito, cujus præcipua medicamenta in pulverem tenuiſſimum contundi ſolent, quæ demum cum liquore quodam coeuntia in maſſam rediguntur, ex qua Paſtilli conficiuntur, quibus varia inditur figura, in aëre extra radios Solis poſtmodum exſiccandis & procul ab igne.

Trochiſcorũ tamen compoſitionem variæ pulpæ ſubingredi poſſunt,ac plurimę variæ viſcidę,at ejuſmodi materiæ difficulter in maſſam cõglobantur, quamobrem vix figuram & ſiccitatem, Trochiſcis idoneam adipiſcuntur, niſi addita fuerint quædam medicamenta ſubtiliter pulveriſata.

Etiamſi autem Trochiſci nomen uſitatiſſimum ſit, à quibuſdam, tamen Authoribus Latinis iidem vocati fuere Paſtilli, Rotulæ, Placentulæ, Orbes & Orbiculi pro varietate figurarum ipſis inditarum.

Excogitata Trochiſcorum formà non minus ad diuturnam virium quorundam medicamentorum conſervationem,quam ad plurium ſimul conjunctionem, Quamobrem poſt ſubtiliter pulveriſata medicamenta, quæ pulveris formam obtinere debent, illa pro more accedente quopiam ſucco ſimul concorporantur, ſyrupo alióve liquore, magis aut minus viſcido, quæ compinguntur in maſſam ſolidiuſculam, ex qua effinguntur exigui Trochiſci, depreſſi, figuræ rotundæ, triangularis aut quadratæ, vel oblongæ, aut granulatæ,papyro mundæ imponendi, in umbra procul à radiis Solaribus & igne exſiccandi, per vices illos convertendo, quo citius & æqualiter exſiccentur: demum in vaſis vitreis reconduntur, aut Faventinis, adſervanturque loco ſicco ad uſum depromendi.

Olim Trochiſcorum ingens numerus præparabatur, quorum deſcriptionibus magna Diſpenſariorum antiquorum pars referta eſt:At cum à Neotericis plurimi repudiati fuerint, è re viſum fuit eos ſolum huc conferre qui plurimo ſunt in uſu, & maxime ſunt neceſſarii.

Varios in ſcopos præparantur Trochiſci, Ex illis enim quidam præcipue ſpectant robur partium, aut venenorum oppugnationem, Alii ad purgationem & inciſionem idonei ſunt; Alii ad adſtrictionem: Quidam uſurpantur ad incraſſandum & detergendum, quo fit ut præſcribantur ad morbos Pectoris:Alii valent in affectibus Oculorum,abArabibus *Sief* nominati:Quidam ſpeciatim ſub Paſtillorum nomine veniũt,ad ſuaveolentiæ gratiam præſertim præſcripti, in ignem conjecti: Hi ut plurimũ conſtant ex reſinis odoratis, lignis commiſtis, vel aliis medicamentis aromaticis pulveriſatis,& cũ mucilagine gummi Tragacanthi concrẽtis.

Trochiſci de Agarico.

℞. Zinziberis albi contuſi drachm. ij.
Vini albi unc. iiij.
Infundantur frigide horis xxiv. *& colentur, poſtmodum.*
℞. Agarici electi in pulverem redacti lib.ſem.
Prædicto liquore humectetur, ut in maſſam ſolidiorem coëat, & ex illa fingantur Trochiſci, in umbra ſiccandi.

Metho-

Methodus.

Ut rite ſuccedat horum Trochiſcorum præparatio, candoremque adquirant, tempus ſerenum, calidum & ſiccum eligatur, adhibita diligentia conquirendo Agaricum rite mundatum, & album tota ſua ſubſtantia, leviſſimum & facile friabilem; In pulverem redigendus, illum affricando ſcobinæ exiguis foraminibus pertuſæ. Interim frigide infundantur per horas viginti quatuor drachmæ duæ Zinziberis albi à cortice mundati & optime contuſi, in unciis quatuor vini albi optimi, poſtmodum colatura facta infuſionis, hac humectandus Agaricus pulveriſatus, ac contuſione facta in mortario marmoreo, deducatur in maſſam ſolidiuſculam, ex qua exigui Trochiſci concinnabuntur, chartæ mundæ inſternendi, ſubdito illis cribro ſetaceo inverſo, exſiccandi in aëre libero procul à radiis ſolaribus.

Non omnes in horum Trochiſcorum compoſitione voti compotes fiunt, plurimi enim in coloris albi conſervatione aberrant, fuſcum illlis conciliantes; id quod contingit ob errorem in Agarici delectu, aut quia Zinziberis infuſio excalefacta fuit; vel quia maſſa plus nimium humorem imbibit, aut quia Trochiſci tempore imbrifero præparati ſunt, vel quia Soli aut igni expoſiti fuere.

Nonnulli his Trochiſcis Salem Gemmeum addunt, aculeum illis daturi, Zinziber autem in ſubſtantia correctionis gratia, Oxymel præterea ſimplex pro Zinziberis infuſione uſurpant, ut in maſſam deducatur Agaricum: Ejuſmodi præparatio admittenda videretur ſi hoc pacto candidus color in Agarico ſuperſtes eſſe poſſet, qui omnino conſervandus.

Præcipuus Trochiſcorum de Agarico effectus eſt Pituitæ expurgatio, etiamſi alios quoque humores, ſi commixti fuerint, educere valeant: Humores viſcidos & tenaces incidunt & detergunt, omniumque viſcerum obſtructiones aperiunt: Præſcribuntur ad ventriculum mundandum, Jecur, Lienem, Renes, & Uterum, contra inveteratam Cephalæam, Oculorum dolores, Aurium & Dentium; ad necandos Vermes, Aſthmaticis opem ferunt, & iis quibus humores viſcidi & craſſi bronchia pulmonum obſident & obſtruunt, reſpirationemque difficilem reddunt.

Exhibentur à ſcrupulo uno ad drachmam: raro ſoli exhibentur, at in infuſione potius quam ſubſtantia dantur, niſi ad pilulas admittantur, opiatas aliaſve compoſitiones.

Trochiſci Alhandal.

℞. Pulpæ Colocynthidis electæ & mundatæ quantum libuerit, Forfice minutim incide, guttis aliquot olei amygdalarum dulcium irrora: & in ſubtilem pulverem redige.

Ex Pulvere mucagine gummi Tragacanthi excepto fac maſſam, & ex maſſa Trochiſcos in umbra ſiccandos: Siccos iterum ſubtiliter tere, nova gummi Tragacanthi mucagine excipe, novos Trochiſcos finge, in umbra ſicca, & ad uſum ſerva.

Methodus.

Eligantur poma Colocynthidis candida & ſucci plena, abjectiſque ſeminibus, optime incidatur pulpa, quæ leviter guttis aliquot olei amygdalarum dulcium irrorata conteratur in magno mortario æneo, ac trajiciatur per cribrum ſericeum: Interim paratus fuerit pulvis Tragacanthi gummi, albiſſimi, ad drachmas duas, ante infuſus ſupra calidos cineres in unciis quinque aut ſex optimæ aquæ roſaceæ, ad omnimodam illius diſſolutionem, ac in mucilaginem æqualem ac conſiſtentiæ ſat mollis deductus: Tunc pulvis Colocynthidis mortario marmoreo immittendus, qui humefactus affuſa mucilaginum parte, piſtillo ligneo contundendus, in maſſam ſolidiuſculam deducendus, ex qua exigui Trochiſci fingendi, lentiformes, ſi volueris, in umbra ſiccandi: Qui optime exſiccati, iterum piſtillo ſubjiciendi, trajectoque pulvere per incerniculum ſericeum, iterum cum nova Tragacanthi mucilagine compinguendus, ad componendum maſſam, ex qua Trochiſci formandi, præcedentibus non abſimiles, qui in umbra ſiccati ad uſus ſervandi.

Quidam Gummi Arabicum addendum cenſuere gummi Tragacantho, ut & Bdellium, ad eliciendas mucilagines horum Trochiſcorum compoſitioni neceſſarias: Sed cum præcipuus ſcopus illorum qui hos Trochiſcos excogitarunt, fuerit Colocynthidis ſummam vehementiam obtundere, omneſque exiguas particulas exacte ſegregare, iterum atque iterum illam conterendo, ac iterato per cribrum traducendo, ſolum gummi Tragacanthum ſufficiens eſſe viſum fuit, cætera vero duo gummata inutilia.

Trochiſci hi purgant Pituitam, humoreſque craſſos & viſcidos, hos ex ſingulis corporis partibus attrahendo, ſpeciatim ex cerebro, pectore, carnibus, & articulis: quamobrem in Epilepſia ſæpe præſcribuntur, Apoplexia, Vertigine ac Cephalea inveterata; Contra Aſthma efficaces. Tuſſim inveteratam, Orthopnoeam, Iſchiadicum dolorem, Rheumatiſmum, omneſque Articulorum affectus, ſed ſpeciatim in Hydrope,

illo præſertim quem Aſciten vocant: Contra Colicum dolorem exci-tatum ab humoribus viſcidis & tenacibus.

Ob intenſum amarorem Boli ſolum forma fere adſumuntur: Actio-nis etiam vehementia efficit ut raro ſoli præſcribantur; ſed potius me-dicamentis lenioribus commiſti: Infuſio nihilominus ſolorum Trochiſ-corum, in vino albo facta, illis porrigitur qui à remedij ſumma amaritie non abhorrent; ſucceſſu felici.

Doſis ſolet eſſe ſcrupuli unius Trochiſcorum contuſorũ; infuſorũ in vi-ni albi unciis quatuor, qui liquor adſumendus trajectus per chartam em-poreticam, ter reiterata prædicta doſi,diverſis diebus:Sed ſi illorũ Tro-chiſcorum ſubſtantia præſcribenda veniat, doſis ſit à grano uno ad ſep-tem vel octo, aut ad ſummum ſemiſcrupulum pro robuſtiſſimis, ac mor-bis inſolentibus, illis præſertim in quibus natura opprimitur & oneri ſuccumbit, adeo ut functionibus omnino ſit impar.

Trochiſci Alhandal in plurimas Compoſitiones admittuntur, præſer-tim in varias Pilulas. Poſſunt quoque ubicunque Colocynthidis ſubſtan-tia convenit uſurpari, idque vel maxime quod Colocynthis in illis cum admodum ſubtilis facta ſit, ideo minus ventriculo adhærere valet & in-teſtinis quam ſi in Trochiſcorum formam deducta non eſſet.

Trochiſci Bechici albi.

℞. *Sacchari albiſſimi ſubtiliter pulverati lib.* j. *ſem.*
Amyli.
Ireos Florentinæ &
Liquiritiæ mundatæ, ſubtiliſſime pulveratorum ana unc. j.
Ambræ griſeæ &
Moſchi Orientalis ana gr. iiij.
Cum mucagine gummi Tragacanthi, in aqua roſarum extracta, fiat maſſa ſo-lidior, ex qua formentur Trochiſci, vel Baculi in umbra ſiccandi.

Methodus.

Subtiliter conterenda drachma una Gummi Tragacanthi albiſſimi, diſſolvatur ſupra cineres calidos in aquæ Roſaceæ optimæ unciis quin-que vel ſex, deducantur in mucilaginem, quæ ſervetur.

Eligatur optima Liquiritia,cujus cortex eradendus, adeo ut nihil niſi pars flaveſcens ſuperſit, ſeorſim ſubtiliſſime conteratur, ſicuti & amy-lum, Iris Florentina & ſaccharum albiſſimum: Simul triturentur Moſchum & Ambra griſea, admiſcendo circiter drachmas duas Sacchari Cantij, quo facilius ſuccedat partium diviſio: Demum cun-cti hi pulveres ſimul commiſceantur in mortario marmoreo; hæc

ſimul coagmententur cum quantitate neceſſaria mucilaginis gummi Tragacanthi ad conficiendam maſſam ſolidiuſculam ; ex hac finguntur Trochiſci, aut bacilli, in ſimbra exſiccandi, ad uſus neceſſarios ſervandi.

Quidam hos Trochiſcos donant nomine Succi Liquiritiæ Albi, cujus deſcriptio raro occurrit in Officinis : Ii Medicamenta etiam nonnunquam mutant, admiſcendo ſaccharum cantium, aut ſaccharum metatum, augendo vel imminuendo aliorum dozin, Quibus in rebus unuſquiſque ſui arbitrii eſt, aut ægrorum voluntati obſequi poteſt.

Frequens eſt uſus horum Trochiſcorum contra fluxiones acres & ſalſas, è cerebro in pulmones decumbentes : Tuſſientibus multam opem ferunt, aut quibus pectus libere non expanditur ; Quavis hora poſſunt adſumi, ore detenta ut ſenſim liqueſcant : Conducunt & oris ac anhelitus ſuaveolentiæ.

Trochiſci Bechici nigri.

℞. *Succi, ſive Extracti Liquiritiæ inſpiſſati unc.* viij.
Pulveris Ireos Florentiæ.
Amyli &
Liquiritiæ mundatæ ana. unc. ij.
Cinnamomi acutiſsimi. drach. j.
Sacchari albiſsimi.
Candi &
Penidiati pulveratorum ana. lib. j.

Cum mucagine gummi Tragacanthi, in aqua Hyſſopi extracta fiat maſſa ſolidior, & ex illa fingantur Trochiſci in umbra ſiccandi.

Methodus.

Hi Trochiſci Nigri à colore obſcuro vocantur:Non eadem illis,ac precedentibus gratia, ſed multo efficaciores ſunt : Qui ritam illorum præparationem deſiderant,accipiant Extractum Liquiritiæ præparatum uti ſuo loco dicturus ſum; Qui vero labori parcere voluerit, curæ ſaltem illi eſſe debet ut ſuccum liquiritiæ Hiſpanicæ optimum ſibi comparet, qui in aqua aliqua pectorali diſſolutus, demum per filtrum trajectus, igne lento exhalare debet, ad Extracti conſiſtentiam : Demum totius commiſtio fiat in mortario marmoreo piſtillo ligneo, quamdiu calebit adhuc Extractum, addita mucilaginis gummi Tragacanthi quantitate ſufficienti, ut omnia in maſſam ſolidiuſculam abeant, ex qua exigui Trochiſci erunt concinnandi, in umbra exſiccandi, & ad uſus neceſſarios ſervandi.

Hi Trochiſci præſcribi ſolent in affectibus Pectoris, iis præſertim in quibus opus eſt inciſione & deterſione pituitæ, & Anacatharſis promovenda : Uſus propemodum idem qui præcedentium, ſed minori quantitate una vice adſumuntur.

Poſſent

Poſſent illis addi Bolus Orientalis, Terra Sigillata & ſemen papaverinum, vel Extractum Opii, ſi concilianda fuerit facultas coërcendi & intercipiendi defluxiones quæ è Cerebro in Thoracem decumbunt, & Trochiſci exoptentur facultate reſpondentes Trochiſcis Terræ Sigillatæ & Carabes, Quovis tempore præparari poſſunt hi Trochiſci, quo fit ut ſatius ſit illos de novo præparare quam in corruptionis diſcrimen adducere ob diuturniorem aſſervationem.

Collyrium, aut Trochiſci albi Rhaſis.

℞. *Ceruſſæ aqua Roſarum lotæ unc.* ij. *ſem.*
Sarcocollæ lacte muliebri nutritæ & ſiccatæ drachm. vj.
Amyli unc. ſem.
Gummi Arabici &
Tragacanthi ana drach. ij.
Camphoræ drach. j.
Omnia in pulverem redacta aqua Roſarum excipiantur, in maſſam redigantur, & ex illa fiant Trochiſci.

Methodus.

Eligenda optima Ceruſſa Veneta, in porphyrite terenda cum aqua roſacea, ſicuti teruntur gemmæ; hæc cum in pulverem impalpabilem adducta fuerit, inſpergatur chartæ mundæ, ibíque exſiccari permittatur: Bis iterum exſiccanda erit Ceruſſa, affuſa alia aqua Roſacea, iterumque exſiccanda: Demum ſubtiliſſime terenda Sarcocolla, lacte muliebri humectanda; hæc in maſſam redacta inſternenda erit & aëri exponenda deſiccationis cauſa, demum conterenda & per ſericeum incerniculum tranſmittenda; Seorſim contundenda Gummata Arabicum & Tragacanthum, in magno mortario æneo, optime calente, itidem per ſericeum incerniculum traducenda; Separatim quoque pulveriſanda Camphora, additis guttis aliquot ſpiritus vini, ac poſtmodum conterendum Amylum cum Ceruſſa præparata, ac cæteris pulveribus commixta, cuncta tranſmittenda erunt per incerniculum ſericeum; pulvis vero mortario marmoreo commiſſus, irrorandus erit aqua roſacea, qui cum in maſſam deductus fuerit, effingendi erunt exigui Trochiſci, in umbra exſiccandi & ad uſum adſervandi.

At cum hi Trochiſci exſiccati in duritiem fere lapideam abeant, ab adjuncta parte caſeoſa lactis muliebris, & Sarcocolla, cum ſubſtantiis ſiccis pulverem componentibus, ſatius multo fuerit Pulverem perfectum adſervaſſe, quam Trochiſcos parare, quandoquidem ea

forma ſine labe conſervari licet, atque uſus tempore lac muliebre cum aqua roſacea adjici poſſunt.

Imo Sarcocolla aqua roſacea innutriri poſſet vice lactis muliebris, ſi hyeme conficeretur Pulvis,eo quod tunc temporis lac aceſcere poteſt & corrumpi antequam Sarcocolla fuerit exſiccata, unde deterior futura illius conditio potius quam ut vim aliquam inde mutuari queat.

Arabes his Trochiſcis nomen Sief impoſuere; Latini autem cum Gallis Collyria dixere; eo quod ad morbos Oculorum potiſſimum uſurpentur, quorum inflammationem demulcent, ulcera mundificant, ſiſtunt & exſiccant defluxiones.

Uſus quoque præſtant in Injectionibus ad inflammationes & ulcera urethræ & veſicæ,ſpeciatim ad Gonorrhoeas; Utrumque hunc in finem pulvis diſſolvendus in aquis, ſtillatitiis, aut decoctionibus, vel liquoribus quibuſdam adpropriatis: Hæc autem ſit proportio, ut aſſumatur ſemidrachma, aut ad ſummum drachma Trochiſcorum ad quatuor liquoris uncias: Poſſunt & doſes variæ fieri ſi admixta fuerit Tuthia præparata, Sal Saturni, Magneſia Opalina, Aloë, Vitriolum &c. pro vario Medici ſcopo.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ.

℞. *Labdani puriſſimi unc.* iij. *Benzoini unc.* j.
Reſinæ, ſtiracis unc. j. *ſem.* *Ligni Aloës drachm.* ij.
Moſchi Orientalis ſcrup. ſem.
Cum ſufficienti quantitate aquæ Roſarum, vel potius cum mucagine Gummi Tragacanthi, aqua roſarum extractæ, fiant Trochiſci in umbra ſiccandi.

Methodus.

Aliptæ Moſchatæ nomen hi Trochiſci gerunt à congerie rerum odoratarum & Moſchatarum ex quibus conſtant: Camphora neceſſaria viſa eſt non horum Trochiſcorum compoſitione, etſi in pleriſque aliis deſcriptionibus occurrat, reſpectu habito ad gravem illius odorem, imo cæteris manifeſtiorem, etſi ſuaveolentiores fuerint: Addere nihilominus illam licet in gratiam mulierum quibus grati odores diſplicent.

Lignum Aloës ſeorſum conterendum in magno mortario æneo, idque per incerniculum ſericeum trajiciendum: Seorſum quoque trituranda Ambra griſea, addita tantilla portione olei nucis Moſcha-

tæ; Et Moſchum, admixto pauxillo ſaccharo Cantio; Poſſet & cum Xylo aloës pulvere conteri.

Si Labdani puriſſimi copia ſuppeteret, liquefaciendum eſſet in grandi mortario æneo, non ſecus ac Storacis & Benzoini reſina depurata, ſi lacrymæ illorum occurrerent, neque tunc aquæ roſaceæ plurima additio neceſſaria foret, uti neque mucilaginis Gummi Tragacanthi, eo quod Reſinæ illæ liquefactæ facilem coctionem procurarent pulveris Xyloaloës, Moſchi & Ambræ griſeæ, quæ bitumen eſt liquefactionis capax: At cum Labdanum plerumque ſordibus plurimis ſcateat, ſicuti & Benzoinum, eapropter triturationi ſubjicienda & per cribrum ſericeum tranſmittenda ſunt, adhibendo quidpiam liquidum aut viſcidum, ut in maſſam coeant, effinganturque Trochiſci.

Reſina Storax qua ratione alias edocui præparanda, ſimul vero omnia medicamenta pulveriſata in grandi mortario æneo, prius excalefacto coagmentanda, eam quantitatem mucaginis gummi Tragacanthi adjiciendo quæ neceſſaria fuerit ut omnia in maſſam ſoliduſculam & tractabilem abeant, è qua exigui Trochiſci effingi queant, in umbra exſiccandi.

Trochiſci hi ob ſuaveolentiam admodum ſunt commendabiles, In uſum veniunt peſtilentiæ tempore adverſus aëris inquinamenta: ſed ad delitias frequentius veniunt in uſum; & ad robur cerebri partiumque principum: Geſtantur in exigua pyxide foraminibus pertuſa: comburuntur etiam exilibus prunis candentibus immiſſi, ad fumum excipiendum, aut ad cubiculi ſuffumigium, linteaminum, veſtium: Poſſunt & in Pulverem conteri, qui cum pauca aqua roſacea, aut florum arantiorum diluti, & acerræ odoratoriæ immiſſi, ſubditoque foculo, gratum in cubiculis, & ubique effundunt odorem.

Trochiſci Galliæ Moſchatæ.

℞. *Ligni Aloes optimi drachm.* v.
Ambræ griſeæ drachm. iij.
Moſchi Orientalis drachm. j.
Cum mucagine Gummi Tragacanthi in aqua Roſarum extracta fiant Trochiſci in umbra ſiccandi.

Methodus.

Hoc loco immoraturus non ſum in tradenda horum Trochiſcorum præparatione, quandoquidem præcedentium facta deſcriptio normam ſufficientem præbet: Suffumigatorum exemplo licet Moſchum

& Ambram griſeam ſuper porphyrite eum mucilagine gummi Tragacanthi lævigare, imo illi commiſcere Xylo aloën ſubtiliter tritum , ſed cum id fieri non poſſet quin portio quædam adhæreret porphyriti & lapidi verſatili, neceſſe præterea foret multam adjicere mucilaginem quo colliqueſcerent materiæ, & triturationi idoneæ evaderent,Qui mucaginum exceſſus non modo Trochiſcis impedimento eſſet,quorum ponderi inutile incrementum accederet, ſed præterea redundans humiditas prohiberet nè ex materia contrita effingi poſſent Trochiſci;imo etiamſi poſſibile eſſet, exſiccatio illorum diutius protraheretur, cum ſuaveolentiæ non parvo detrimento.

Meſuë his Trochiſcis Myrthi folii formam imponi voluit, ac ſigillum adponi; id quod uti non prohibendum, ita neque neceſſarium, cum nec à figura neque à ſigillo impreſſo viribus Trochiſcorum quicquam accedat aut decedat: Non eſt negligenda apicum digitorum illitio ex tantillo olei amygdalarum dulcium, cum effinguntur Trochiſci : maſſa etiam utcunque ſolida paranda: Trochiſcique minimi fingendi, ad citiorem & faciliorem exſiccationem , minorque ut ſuccedat ſuaveolentiæ & virium diſſipatio.

Omnium Authorum conſenſu plurimum valent hi Trochiſci ad robur cerebri,cordis,ventriculi,omniumq; viſcerum: In coercendo vomitu,facili efficienda reſpiratione, oriſque ſuaveolentia procuranda:Poſſunt ore contineri, in quo ſenſim colliqueſcere debent; aut pulveriſari & Acerræ odoratoriæ immitti, cum aqua roſacea aut florum Arantiorum,ſubdito igne leni, excipiendo vaporem,aut ad cubiculi ſuffimigationem , linteaminum, veſtimentorum; poſſunt & Comburi ſicuti Trochiſci Aliptæ Moſchatæ.

Horum Trochiſcorum maſſæ, vel præcedentium, adjici poſſet portio carbonum Salicis ſubtiliter pulveratorum, & ex his effingere armillas, & globulos filo connectendos, qui poſtmodum exſiccentur,brachiis geſtentur, aut indumentis adjiciantur.

Trochiſci de Karabe.

℞. Carabes unc. j.	*Maſtiches.*
Cornu Cervi uſti.	*Coralli rubri.*
Gummi Arabici.	*Gummi Laccæ.*
Tragacanthi.	*Seminis papaveris nigri ana ſcr. viij.*
Acaciæ veræ.	*Thuris.*
Hypociſtidis.	*Croci ana drachm. ij.*
Balauſtiorum.	*Extracti Opij drachm. j.*

Cum mucagine ſeminis Pſyllij in aqua Plantaginis extracta fiant ex arte Trochiſci in umbra ſiccandi.

Methos

Methodus.

Virtus adſtrictoria his Trochiſcis adſcripta, uſtioni Cornu Cervini locum aliquem præbet, quandoquidem eum in finem pars illius terreſtris expetitur, ſola ab uſtione ſuperſtes, quæ quicquid in prædicto cornu adeſt aqueum, ſpirituoſum, oleagineum, cum ſale volatili abſumit: Revera partes hæ non reluctantur egregiis effectibus quos ſpondent hi Trochiſci, imo proculdubio ſatius eſſet ſcobem Cornu Cervini adpoſuiſſe, quam idipſum uſtum, ſed hic loci citra detrimentum antiquis aliquid concedendum.

Excalefactio magni mortarii ænei, ejuſque piſtilli, requiſita ad faciliorem triturationem gummatum Arabici & Tragacanthi, præferenda eſt torrefactioni ab antiquis præſcriptæ gummi Arabici, per quam proculdubio abſumitur gummi illius viſciditas, ad adſtrictionem non inutilis: Uſtio Coralli rubri rejicienda eſt, quandoquidem ideo majorem vim adſtrictoriam non adipiſcitur; præterea ab igne plurimæ illi qualitates utiles decedunt. Uſtio ſeminis papaveris nigri omnino erronea eſt, quippe per quam omnino abſcedit quicquid in illo ſemine optimum continetur, in ſubſtantia illius ſulphurea poſitum, quæ qualitatibus extracti Opii, hic præſcripti, conjuncta, hæmorrhagias coërcere valet ac fluxiones intercipere.

Simul conterantur in magno mortario æneo Balauſtia, Acacia vera, Hypocyſtis, ſi optime ſicca ſint, cum ſemine papaverino: Super porphyrite terantur Corallum rubrum, Coran Cervi uſtum & Carabe, aqua piloſellæ illa irrorando, Herniariæ, vel alterius cujuſpiam plantæ adſtrictoria vi præditæ. Contundantur Gummi Arabicum & Tragacanthum in magno mortario æneo calefacto: Terantur Maſtiche, Gummi acacia, Thus, & Crocus, unumquodque ſeorſim: Trajiciantur per cribrum ſericeum, ſicuti cæteri pulveres: In unum corpus cogantur Extractum Opii cum circiter uncia una mucilaginis Pſyllii, & poſt admixtos pulveres ſimul in magno mortario contundantur, mucilaginis ſufficienti quantitate addita ad omnia in unam maſſam ſolidiuſculam compingenda, ex qua exigui Trochiſci formandi, in umbra ſiccandi, & ad uſum adſervandi.

Hi Trochiſci admodum utiles cenſentur in omni Hæmorrhagia interna, ſpeciatim in Hæmoptyſi, Pulmonum Ulceribus, Dyſenteria & affectione Cœliaca; In ſubtilem pulverem conteruntur; exhibendi ex aquis aut liquoribus adſtringentibus, procul à cibo.

Doſis eſt à ſcrupulo uno ad drachmam unam.

Trochiſci Gordonij.

℞. *Quatuor ſeminum frigidorum major. mundatorum.*
Papaveris albi. *Malvarum.*

Bombacis.
Portulacæ.
Cydoniorum.
Myrtillorum.
Gummi Arabici.
Tragacanthi.
Nucleorum Pineorum mundatorũ.
Piſtaciorum.
Sacchari Cryſtallini &
Penidiati.
Glychyrrhiſæ mundatæ.
Hordei mundati.
Amygdalarum dulcium &
Mucilaginis Seminis Pſyllij ana drachm. ij.
Boli Armenæ.
Lacrymarum Sanguinis draconis.
Raſuræ Eboris.
Roſarum rubrarum &
Myrrhæ Electæ ana unc. ſem.

Omnia pulverata Hydromelite excipiantur, & fiant Trochiſci, in umbra ſiccandi.

Methodus.

Proculdnbio hi Trochiſci corruptionem citam ſubirent ſi plurimi una vice adpararentur, nec in uſum cito ducerentur, Eapropter in Pharmacopoliis adſervare mos non eſt, ſed ſolum quo tempore ægro cuipiam præſcribuntur.

Copia ſeminum, aut fructum viſcidorum, quorum cauſa horum Trochiſcorum corruptio imminet, in cauſa etiamnum eſt ut diverſimode ad illorum compoſitionem præparentur: Seorſum enim conterendo Bolum Armenam & Sanguinis Draconis lacrymas, nonnulla ſemina frigida adjicienda ſunt, & quantum pulveris ratio poteſt admittere; Simul conterenda in magno mortario æneo Scobs Eboris, Liquiritia, Hordeum mundatum, Myrtilli, Myrrha, Roſæ rubræ & Semina malvarum, Cydoniorum, Portulacæ, Papaveris & Bombacis: poſſunt & commiſceri Gummi Arabicum & Tragacanthum, & ſeminum frigidorum quantitate convenienti ſtante pulveris formá; cui per cribrum ſericeum trajecto, addendum ſaccharum cryſtallinum, cum Pulveribus trituratis: Pinei nuclei minutim incidantur, Piſtacia & Amygdalæ cultello ſutoris, quoad omnia fere evadant impalpabilia; Tunc Pulveres omnes ſimul commiſceantur, quibus cum ſeminibus frigidis in unum corpus coactis, amygdalis, nucleis Pineis & Phiſticis contritis, addentur mucilagines Pſyllii, & Hydromel ea quantitate quæ ſufficiat ad omnia in paſtam utcunque ſolidam compingenda, ex qua fingantur Trochiſci in umbra ſiccandi: Sed cum hi Trochiſci gratia tantum alicujus ægri adparentur, ſatius ſane foret nullos formare Trochiſcos, atque ex maſſa ſolida quantum ſatis eſt aliquid decerpere illique præbere.

Gordonius horum Trochiſcorum Author, illos admodum laudat in Re-

Renum Ulceribus & Mictu ſanguineo,ut & ad Diabeten, Stranguriam, Gonorrhœam, Ulcera Veſicæ & Urethræ.

Exhibentur à drachma una ad duas, in pulverem deducti, in hydromelite diluti,vel lacte,vel aqua aliqua ſtillatitia,aut decocto idoneo:Venit & in uſum ad Injectiones in pudenda virilia aut muliebria, eodem modo diſſoluti: Trochiſci hi admodum etiam conducunt in pleriſque morbis Thoracicis, tum ad ſiſtendas fluxiones, tum ad harum obtundendam acrimoniam.

Trochiſci de Rhabarbaro.

℞. *Rhabarbari optimi drachm.* x.
Amygdalarum amararum excorticatarum unc. ſem.
Roſarum rubrarum exungulatarum drachm. iij.
Radicis Rubiæ Tinctorum. Aſari.
Spicæ Nardi. Seminis Apij &
Abſynthij majoris. Aniſi ana drachm. j.
Cum ſucco Eupatorij,ad mellaginem inſpiſſato fiant Trochiſci in umbra ſiccãdi.

Methodus.

Varia Eupatorij conſiſtentia, ab antiquis expetita ad compoſitionem horum Trochiſcorum, & quæ occurrit ejus diverſitas in magna parte deſcriptionum traditarum, videtur admodum inutiliter diſquiſita, cum ſatius ſit dictum ſuccum depuraſſe, ac deduxiſſe in mellis liquefacti conſiſtentiam, poſtea uſurpandam ad medicamenta in unam maſſam compingenda, hos Trochiſcos ingredientia, quam duas illius præparationes attuliſſe.

Cultelli apice detrahendus cortex Amygdalarum amararum; hæ conterendæ in magno mortario æneo una cum Rhabarbaro, Rubia Tinctorum, Aſaro, Spica Nardi, Abſinthio, Roſis,ſemine Apij & Aniſi, quæ pulverata per cribrum ſericeum tranſmittenda, commiſcenda poſtmodum in magno mortario cum ſucco Eupatorii, eo quo dicti modo præparati, hæc per aliquod tempus conquaſſando, quo cuncta medicamina ſimul ritè coëant, & adducantur in paſtam ſolidiuſculam, ex qua effingendi erunt exigui Trochiſci, qui in umbra exſiccandi, & in uſus ſervandi.

Trochiſci hi vulgo præſcributnur vſurpandi ſub finem chronicorum morborum, Icteri præſertim, Hydropis & Cachexiæ; Conferunt etiam illis qui doloribus Hepatis afficiuntur, Tumoribus aut Obſtructionibus ejuſdem,vel Lienis aut Meſenterij, Exhibentur hi in pulverem reducti ex vino albo, vel liquore aliquo idoneo.

Doſis eſt à ſcrupulo uno ad drachmam; Commiſcentur quoque Tabellis, Opiatis, necnon Potionibus,

Trochiſci de Capparibus.

℞. *Corticis Radicum Capparum & Seminis Agni Caſti ana drachm.* vj.
Gummi Ammoniaci drachm. jv.
Amygdalarum amararum mundatarum.
Seminis Nigellæ.
Naſturtij.
Summitatum Calaminthæ.
Radicum Acori veri.
Ariſtolochiæ rotundæ.
Cyperi.
Foliorum Rutæ & Scolopendrij ſiccorũ ana drach. ij.
Succi Eupatorij ad mellaginem inſpiſſati, quantum ſatis.
Fiant ex arte Trochiſci.

Methodus.

Extractus & depuratus ſuccus Eupatorii, lento igne decoquendus ad mellis conſiſtentiam: Simul conterendæ in magno mortario æneo radices Capparum, Acori veri, Cyperi, Ariſtolochiæ rotundæ; Semina Agni Caſti, Nigellæ, Naſturtij, Amygdalæ amaræ, Calamenthum, Ruta, & Scolopendrium ſiccata, contundantur ordine triturationis obſervato, cuncta per incerniculum ſericeum traducantur: Tum calefaciendum magnum mortarium æneum, ut & piſtillum, & poſt liquefactum in illo gummi Ammoniacum,additamque partem ſucci Eupatorij, paulatim pulveres admiſcendi erunt, affuſa iterum ſucci Eupatorij ea quantitate quæ ſufficiat ad omnia coagmentanda in maſſam nonnihil ſolidam; ex qua concinnandi erunt exigui Trochiſci, in umbra exſiccandi & in uſus neceſſarios ſervandi.

Trochiſci hi conducunt incidendis & attenuandis humoribus craſſis & Tartareis, referandiſque Jecoris Obſtructionibus, Lienis, Pancreatis & Meſenterij, ſicuti & Scirrhoſis illarum partium tumoribus emolliendis, necnon totius imi ventris, diſcutiendiſque Hypochondriorum & inteſtinorum flatibus: Exhibentur in pulvere diſſoluti ex liquore aliquo convenienti, vel aliis remediis commiſcentur,Opiatæ forma aut alterius medicamenti.

Dozis eſt à ſcrupulo uno ad drachmam.

Trochiſci de Myrrha.

℞. *Myrrhæ electæ.*
Lupinorum excorticatorum ana drachm. v.
Foliorum Rutæ ſiccorum.
Dictamni Cretici.
Mentaſtri.
Pulegij regalis.
Seminis Cymini.
Rubiæ Tinctorum.
Aſæ fœtidæ.
Sagapeni.
Opopanacis ana drachm. ij.
Cum ſucco Artemiſiæ, ad mellaginem inſpiſſato, fiant Trochiſci.

Me-

Methodus.

Simul conterantur in grandi mortario ęneo Lupini à cortice mundati, radix Rubiæ Linctorum,folia Rutę,Mentaſtri,Pulegii ac Dictamni Creteniſs,Cuminum & Myrrha:Eligantur lacrymæ Aſæ foetidæ, Sagapeni & Opopanacis puriſſimæ, paulatim liquefaciendæ in mortario æneo excalefaciendo, admiſcendo unciam unam circiter ſucci Artemiſiæ concreti, qui excipiat pulveres, adeo ut in maſſam ſolidiuſculam cuncta compingantur, ex qua concinnandi Trochiſci, in umbra exſiccandi, & ad uſum adſervandi.

Hi Trochiſci præſtantiſſimi ſunt in menſium retentione,ſanguinem enim tenuem reddunt,ejuſdemque concretionem præcavent: Humores quoque craſſos & viſcidos obſtructionum parentes incidunt, quo pacto meatus uteri reſerant: Lochia, ſecundinas, imo fœtum mortuum ex utero pellunt: Pulverantur ac exhibentur ex decocto baccarum Juniperis,vel cujuſpiam plantæ hyſtericæ.

Doſis eſt à ſcrupulo uno ad drachmam. Poſſunt etiam pulveriſari & excipi oleo Petrolei aut Succini, ac nodulo includi, naribus objiciendi mulierum affectibus hyſtericis tentatarum.

Trochiſci Diarrhodon.

℞. *Roſarum rubrarum recentium exungulatarum.*

Raſuræ Eboris.	*Maſtiches electæ drachm.* ij.
Santali Citrini &	*Croci drachm.* j.
Rubri.	*Camphoræ grana.* xij.
Radicis Liquiritiæ mundatæ ana drachm. iij.	*Aquæ Roſarum quantum ſatis.*
	Fiant ex arte Trochiſci.

Methodus.

Præſens deſcriptio nulli earum quæ in Diſpenſatoriis occurrunt inferior eſt,non parum diſcrepans tam ratione medicaminum quam doſium: In magno mortario æneo ſimul conterenda raſura Eboris,Santala & Liquiritia mundata, per cribrum ſericeum tranſmittenda: Crocus & Maſtiche ſeorſim trituranda, uti & Camphora, eadem ratione obſervata quam ſuperius indicavi: Eligantur Roſæ rubræ maximæ, non expanſæ, recentes,forficibus dematur pars albicans.Unguis nomine donata,conterantur in mortario marmoreo piſtillo ligneo, donec impalpabiles fiant, demum additis pulveribus, omnia aliquandiu contundenda ſunt, addita aquæ Roſaceæ quantitate ſufficienti, ut omnia in maſſam utcunque ſolidam abeant, effingendis exiguis Trochiſcis idoneam, in umbra exſiccandis & ad uſus ſervandis.

Hi Trochiſci ventriculum mire corroborant: jecur & inteſtina: Eorum dolores mitigant ac affectus inveteratos curant: Feliciter contra Dyſenteriam uſurpantur ac affectionem Cœliacam.

Doſi & uſus ratione cum prioribus conveniunt.

Trochiſci de Camphora.

℞. Roſarum rubrarum mundatarum & Mannæ Calabrinæ ana. unc. ſem.
Santali citrini.
Liquiritiæ mundatæ.
Raſuræ Eboris ana drach. iij.
Seminumquatuor frigidorum major. mundat.
Gummi Arabici.
Tragacanthi.
Nardi Indicæ.
Ligni Aloës.
Croci ana drachm. j.
Camphoræ ſcrup. ij.
Cum mucilagine ſeminis Pſyllii in aqua Roſarum extracta fiant Trochiſci.

Methodus.

Una conterantur in majori mortario æneo Santalum citrinum, Lignum Aloës, Liquiritia, Raſura Eboris, Spica Nardi, Roſæ rubræ, & Semina frigida mundata, pulverata trajiciendo per cribrum ſericeum: Seorſum pulveranda Crocus & Camphora; huic addendo guttulam ſpiritus vini: Eligatur Manna granata, cui contuſæ piſtillo ligneo in mortario marmoreo, addetur uncia una circiter mucilaginis ſeminis Pſyllii, illique paulatim remixto pulvere, ac mucilagine reſidua, ſi illa opus fuerit, omnia aliquandiu contundenda erunt, ac deducenda in paſtam ſolidiuſculam, ex qua formandi parvi Trochiſci, qui in umbra erunt ſiccandi, & ad uſus ſervandi.

Trochiſci hi præſcribuntur in Febribus ardentibus ad coërcendum ſanguinis æſtum & bilis; temperandam calidam Ventriculi & Jecoris intemperiem, ac ſitim immodicam compeſcendam: Valent in curando Ictero, Phthiſi, & Febre hectica.

Doſis & uſus idem qui aliorum Trochiſcorum: Admittuntur etiam in Clyſteribus hyſtericis à ſemidrachma ad drachmas duas, pulverati & liquore idoneo diluti.

Trochiſci Hedichroi, vel Aromatici.

℞. Mari.
Amaraci.
Aſpalathi.
Aſari ana unc. ſem.
Scœnanthi
Calami aromatici.
Phu Pontici.
Coſti.
Xylobalſami.
Opobalſami.
Cinnamomi ana drachm. vj.
Myrrhæ.

Folii

Folij Indi. | *Caſsiæ ligneæ ana unc.* j. *ſem.*
Nardi Indicæ. | *Amomi unc.* iij.
Croci. | *Maſtiches electæ drachm.* ij.

Cum vino Malvatico fiant Paſtilli.

Methodus.

Etiamſi hi Trochiſci ratione medicamentorum componentium æſtimandi videantur; non tamen huic capiti illos inſeruiſſem niſi ad antiquam Theriacam admitterentur; eoque libentius præterjiſſem, quod vix ad alicujus medicamenti compoſitionem præſcribantur, ac procli-ve eſſet, (ſicuti à me obſervatum cum de Theriaca mihi ſermo,) addere ingredientia horum Trochiſcorum, in Theriaca omiſſa, vitandi cauſa laboris & tædii in iterata præparatione horum Trochiſcorum, iterato cum cæteris medicamentis terendorum ad Theriaces confectionem: At ſive uſui ſint ne alteretur doſis medicaminum hos Trochiſcos ingredientium; ſive aliquid condonandum antiquitatis rigidis obſervatoribus, illorum deſcriptionem traditurus ſum, poſt ſuccinctam quorundam medicaminum deſcriptionem ibi præſcriptorum, quorum à me nondum in hac Pharmacopœa facta mentio.

Marum inſigni copia proferunt Inſulæ Hieræ prope Telonem Martium in Gallia; Excolitur etiam in hortis, ac præſertim in Horto Regio Plantis Medicinalibus deſtinato: Planta hæc inter minimas recenſetur, ad thymum magnitudine fere accedens, cui admodum ſimilis eſt, nonnihil lignoſa, plurimis rotundis ramuſculis donata, aliquantum hirſutis, præſertim circa cacumen, folia viridia gerit, leviter candicantia, admodum exigua, non ſolum acuta, ſed & lanceæ cuſpidis figuram referentia, ſibi ex adverſo reſpondentia, aliquando ſimplicia, aliquando ex utroque latere duplicia, nonnunquam plura mutuo inferuntur, ſed ſemper æquali utroque latere numero: In cacumine ſpicas gerit cujuſmodi fere lavendula, unde prodeunt exigui flores purpurei, admodum odorati: Marum ſaporis admodum eſt acris & mordacis, amarore etiam multo os perfundit, unde illi Mari nomen evenit, ab amaro derivatum; Sola cacumina florida plantæ ad compoſitionem horum Trochiſcorum admittuntur.

Aſpalathum Lignum eſt arbuſculæ ſpinis horridæ, grave, ſolidum, oleagineum, ſapore aliquantulum acre & amarum, coloris purpurei, maculis quaſi diſtincti, odoris ſat manifeſti, gravitate & figura ligno Aloës ſimile, cujus præcipuum diſcrimen hoc eſt, quod in Aloës purpureus non ſit color ſed fuſcus & obſcurus: Commodiſſimè tamen Aſpalatho ſubſtitui poteſt, ſi illud obvium non fuerit.

Calami aromatici admodum variæ ſunt apud Auctores deſcriptiones : In antiquis Pharmacopoliis exhibetur arundo quædam , nonnullas legitimi Calami Aromatici notas gerens ; at cum hodie in Gallia nullus recens occurrat, pro genuino admittendus , illi ſubſtituitur radix Acori veri , ex Tartaria ad nos tranſmiſſa , cujus odor & ſapor aromaticitate inſignes,præſtantiæ illius indicia ſunt;Eligenda eſt hæc radix admodum recens,quia cariem facillime contrahit,ſi in vetuſtatem abierit.

Aliis locis cæterorum medicaminum , hos Trochiſcos ingredientium, deſcriptionem tradidi , quorum , ut jam innui , præparatio inutilis futura eſt , ſi , ex mea ſententia , cæteris Theriacam ingredientibus medicamentis definito pondere addita fuerint : Si quis vero ſeorſim præparatos adſervare voluerit , electa & purgata omnia medicamenta ſimul in magno mortario æneo contundat , trajectumque per cribrum ſericeum pulverem , excipiat optimo vino malvatico , conficiatque maſſam nonnihil ſolidam , ex qua effingantur exigui Trochiſci, in umbra exſiccandi & ad uſum adſervandi.

Hi Trochiſci, præter uſum quem in Theriaca præſtant , ad venena profliganda admitti poſſunt , & ad curationem affectuum quibus deſtinata eſt Theriaca : Doſi & uſu non diſcrepant à cæteris Trochiſcis alterantibus.

Trochiſci Cypheos, vel Odorati.

℞. *Pulpæ Vvarum Damaſcenarum.*
Terebinthinæ Chiæ ana unc. j.
Myrrhæ electæ.
Schoenanthi ana unc. ſem.
Cinnamomi ſcrup. jv.
Calami aromatici.
Bdellij.
Spicæ Nardi.
Caſſiæ ligneæ.
Cyperi.
Granorum Iuniperi ana drachm. j.
Aſpalathi gr. 54.
Mellis optimi vino Malvatico diluti tantillum.
Fiant ex arte Trochiſci.

Methodus.

Cyphi,barbarum nomen, odoratum ſignificans,his Trochiſcis impoſitum eſt, ratione ſuavis odoris, quibus Ægyptii olim ad ſuffitus utebantur ; Hi Trochiſci ſolum ad Mithridatij confectionem componuntur, quod illos admittit, etſi præterea virtus adſignetur expurgandi Pulmonum Ulcera , Jecoris aliorumque viſcerum , ac fluxiones è cerebro in ſubditas partes irruentes cohibendi.

Subtiliter conterantur in magno mortario æneo Myrrha & Bdellium, una cum Schoenantho , Cinnamomo , Acoro vero , Spica Nardi, Caſſia lignea, Cypero, baccis Juniperi , Aſpalatho , imo & Croco , niſi ſeor-

ſeorſim pulverare malueris: Uvarum Damaſcenarum, dempto cortice & acinis, pulpa levi labore per cribrum ſericeum inverſum trajicitur,citra additamentum aut vini, aut alterius liquoris: Terebinthina Chia cum conſiſtentiam ſatis ſolidam obtineat,deſiccatione,igni illam exponendo, indiget, imo & abſtinendum, ne ea ratione præſtantiſſimæ illius partes, in oleo ſpirituoſo & æthereo ſitæ, in auras evaneſcant: Neque enim hac in re cum priſcis ſentio, uti neque illis, qui hac in pręparatione eorum ſequaces eſſe voluerunt: Interim & mellis & vini additamentum fere inutile eſt ut pulveres ſimul cohæreant, quandoquidem & Terebinthina & pulpa Paſſularum eapropter ſat idonea ſunt, ſi modo dextere in uſum veniant; vel eo præſertim nomine quod hi Trochiſci&præſtātiores futuri ſunt&citius ad ſiccitatem exoptatam venient.

Hi Trochiſci viribus proxime ad Mithridatium accedunt: Pulverati exhiberi poſſunt à ſcrupulo uno ad drachmam unam,ex vino aut liquore quopiam idoneo.

Trochiſci Scyllitici.

℞. *Scyllæ pane prius involutæ, & in clibano coctæ lib.* j.
Radicis Dictamni albi ſubtiliter pulveratæ unc. viij.
Simul ex arte miſceantur, in maſſam redigantur, & fiant Trochiſci in umbra ſiccandi.

Methodus.

Nemini mirum ſit ſi Orobi, ab antiquis ad horum Trochiſcorum cōpoſitionem uſurpari ſoliti, hic non recipiantur, quandoquidem nemo cum ratione aſſerere poſſet illos utili quapiam facultate pręditos eſſe, quę Scyllis facultatem aliquam indere valeat,aut quę viribus ad quodpiam medicamentorum Theriacam ingredientium vel tantillum accedat; ac præterea ſi in uſus Medicos veniant, ſolum admittantur cum Cataplaſmata paranda; cætera eſca ſint vel columbarum vel ſuum in œconomia domeſtica; At vero nemo non calculum adjiciet quod à me hic, vice Oroborum, præſcripta ſit radix Dictamni albi,quandoquidem radix hæc pulverata,non ſolum pręſtare poteſt id cujus gratia adponuntur Orobi, ſcilicet conſiſtentiam præbere Scyllæ, ut in Trochiſcorum formam deduci poſſit, ſed quia præterea vim ſuam cardiacam & alexiteriam his Trochiſcis impertit,ac proinde Theriacæ,quam hi Trochiſci ſubingrediuntur majori quam quodvis aliud medicamentum copia.

Zvvelferus optima ratione nixus Auctorū Pharmacopœæ Auguſtanæ à partibus ſtetit,cum radicū Dictamni albi Orobis prætulit;at vero pauciſſimos ſectatores habiturus eſt, cum Trochiſcis ſubſtituta voluit ſuccū aut pulpam Scyllę:nemo enim adeo fatuum exiſtimo qui cenſeat Scyllas

paſta ex qua uſitatus panis conficitur obvolutas,ac in furno coctas, viriū jacturam perpeti; quandoquidem abunde conſtat humorem inutilem in illis redundare, cujus abſumptio neceſſaria eſt; ac præterea coctio hæc ſit quædam maturatio partium,cujus beneficio illarum acrimonia manifeſte retunditur, ſicuti idipſum manifeſtum eſt in Cepis ſimiliter coctis, fideſque certiſſima fiet ſi ſapor cepæ crudæ cum coctæ collatus fuerit: adeo ut dubium eſſe non debeat quin ſuccus aut pulpa Scyllarum crudarum majori acredine prædita ſint quam præparatarum, ſicuti à me aſſertum.

Objectionem ab illo factam quod ſpectat, vix Trochiſcos effingi poſſe ex duodecim unciis laminarū Scillæ coctæ,& octo unciis pulveris radicū dictamni albi, ratione excedentis in dictis cepis humiditatis; Igne præterea ad id opus perficiendum opus eſſe aſſerens. Ego contrarium omnino adſtruo, experientia fretus, ac Trochiſcos nullo negotio effingi poſſe,& ad Solem exſiccari dico, non accedēte Ignis auxilio,imo neq;Solis.

Diminutionem ſubſtantiæ Scyllarum, quam illis accidere aſſerit cum Soli exponuntur, quod attinet, non levem illam eſſe concedo, at non ejuſmodi quam ſtatuit;quandoquidem ex duodecim unciis ſcyllarum coctarum, & unciis octo pulveris dictamni albi,ſuperſunt ultra decem unciæ Trochiſcorum, ut decet ſiccorum:Id præterea addo, etſi reſiduū ſuperflui illius humoris per ejuſmodi exſiccationem diſſipetur, viribus tamen nihil decedere, quin potius illas concentrari & aduniri viribus radicis dictamni albi, quæ illas amplexa eſt & ſinu ſuo excepit.

Cum plurimis commendatas admodum eſſe ſciam Scyllas albas, hoc inferam, ſi illæ eadem copia ac rubræ ad nos perferrentur; vel ſi Materialiſtarum noſtratium officinæ illis æque inſtructæ eſſent ac Anglicæ, non inutile fore ſi aliis præferrentur, ſicuti & præferri ſolent cepæ albæ rubris, at cum hæ non repudientur, atque in omnes uſus familiariter veniant, tam alimentarium quam medicamentarios, cenſeo de Scillis idem judicium eſſe ferendum; Vel eo potiſſimum nomine quod Scillæ, etſi quoad extimos cortices rubræ, interius, quando ignem expertæ ſunt, candicent.

Eligantur Scillæ ſucculentæ, firmæ,ſolidæ,craſſitie mediocri, è terra poſt decidua folia erutæ,id quod meſſium fere tempore accidit: Paranda paſta utcunque ſolida ex triticea farina, qua obvolvendæ Scillæ ad craſſitiem tranſverſi digiti,coquendæ in furno piſtoris una cum pane ſyncomiſto, tamdiu donec hic perfectam coctionem adeptus ſit: Poſtmodum furno eximantur,quibus frigefactis, & paſta liberatis,detrahentur tunicæ rubræ, quæ fere exſiccatæ adparebunt,adſervandoq;laminas candidas, abjicientur medulla & radix: Tunc pondere examinanda e-

rit harum laminarum quantitas, in mortario marmoreo piſtillo ligneo cõtundendarum, paulatim admiſcendo pulverem radicis Dictamni albi per incerniculum ſericeum trajectum; denique ex his diu conquaſſatis fiat maſſa, ex qua effingendi Trochiſci, in umbra exſiccandi, & ad uſus recondendi.

Maximus horum Trochiſcorum uſus eſt ad Theriaces compoſitionem, Virtutis judicantur alexiteriæ, cui non parum fovet dictamnus albus: Effectus autem omnium maxime conſpicuus eſt humorum craſſorum & viſcidorum inciſio & deterſio; quamobrem utiliter adhiberi poſſunt in Apoplexia, Epilepſia, affectibuſque omnibus à copia pituitæ oriundis: Eadem ratione in uſum adducendi qua cæteri Trochiſci.

Trochiſci Viperini.

℞. *Truncorum Hepatum & Cordium Viperinorum, in aëre libero extra Solis radios exſiccatorum quantum libuerit.*

In tenuiſſimum pulverem redige, deinde excipe vino Malvatico, in quo aliquid Gummi Arabici pulverati dilutum fuerit, & contunde in mortario marmoreo piſtillo ligneo, ut ex magmate mediocriter ſolido fiant Trochiſci in umbra ſiccandi, Balſamo Peruviano inungendi, & ſervandi.

Methodus.

Etſi præparationis horum Trochiſcorum meminerim cum de Theriaca antiquorum diſſerui, imo olim fuſe hanc materiam explicaverim, Tractatu meo de eadem Theriaca, Libro itidem Novorum circa Viperam experimentorum; Attamen cum inſignem locum in hoc Capite obtineant, variæque circa horum præparationem promulgatæ ſint ſententiæ, non poſſum non data occaſione hanc retractare materiam, plurimis animadverſionibus dignam, quarum dilucidatio proculdubio utilis futura eſt.

Antiquorum mos vituperandus non eſſet, ſi prætermiſſa Viperarum flagellatione, ſolum Caput & caudam illis abſcidiſſent, cute ſpoliaſſent & exenteraviſſent, adſervatis ſolum corde & jecore cum trunco corporis, ſi demum coctis his partibus in modica aquæ cum ſale & anetho quantitate, ægris tamquam alimentum præbuiſſent, aut, ut verius dicam, alimentum medicamentoſum, juſculumque iiſdem ſorbendum exhibuiſſent: Sal enim & anethum, parua inducta qualitatum illarum alteratione, inſipidum ſaporem emendaſſent, atque palato gratiores effeciſſent: At vero nulla me ratio in eorum ſententiam pertrahit, cum ab illarum flagellatione, capitis & caudæ detruncatione, excoriatione & exenteratione omnimoda, adeo ut ne cordi ipſi & hepati parcerent, deco-

ctionéque facta trunci cum ſale & anetho, quouſque caro ab oſſibus abſcederet,præceperunt adſumptis quatuor partibus carnis hujus elixæ, ac parte una panis biſcocti pulveriſati, effingi Trochiſcos: rati Viperarum vim præcipuam in hac carne deliteſcere; in juſculo vero nihil præter veneficam vim contineri, quam inique carni Viperinæ adſcripſere: quamobrem ejuſmodi juſculum,utpote noxium abjici voluere,atque panem biſcoctum pulveratum carni ſic elixatæ adjungi, à qua corpus quidem, aut conſiſtentia, accedere poteſt, ut inde efformari queant Trochiſci, uti & ponderis moliſque incrementum, nihil vero virium emergere poteſt.

Cum ſolertiſſima à me inſtituta fuerit veneni Viperini diſquiſitio, quoad ſingulas corporis illius partes, tum viventis, tum mortui; inſigniſque experimentorum numerus, Pariſiis factus tum publice, tum privatim, coram plurimis Medicis, ac non paucis Eruditis & curioſis acceſſerit, Omnino ex animo meo faceſſere juſſi opinionem veneni, partibus hujus animalis inpacti, ex ſententia tum antiquorum, tum plurimorum neotericorum; adeo ut flagellationem non improbare queam, eo demum fine inſtitutam ut venenum, phantaſiæ tantum opus, quippe quo plane carent, ex ſingulis corporis partibus ad caput impellerent. Tantum enim abeſt ut mihi probetur ejuſmodi flagellatio, quin potius ratum habeam alterationem ab illa in ſpiritibus Viperæ inductam, cómotis & irritatis à doloris ſenſu, proculdubio totius animalis corpori pravas diſpoſitiones inurere, imo ipſius ſubſtantiam depravare: quamobrem in illam omnino devenio ſententiam plane ab illa abſtinendum eſſe. Etſi enim ad compoſitionem horum Trochiſcorum, vel etiam Pulveris Viperini, ultro concedam abſcindi debere caput, caudam; detrahi fel, cutem, axungiam ac omnia viſcera, exceptis corde & hepate, Id non eo fine agendum cenſeo ut abſtrahatur venenum forte latitans, quandoquidem nulla non iſtarum partium innoxie ore adſumi poteſt, imo quævis reluctatur cacoëthiæ & virulentiæ morſus iſtius animalis; Sed quia minus puræ ſunt, guſtui inſuaviores iis partibus quæ in electionem venire ſolent, eſui utpote magis idoneæ aliiſque uſibus.

His addo, etiamſi abjiciantur hæ partes, neque in Theriaces compoſitionem admittantur, ſuis tamen illas pollere viribus ac ſingularibus proprietatibus; ac beneficio præparationis Chimicæ idem oleum illas effundere, eundem ſpiritum, idemque ſal volatile, quæ præcipue partes in Trochiſcorum compoſitionem venientes.

Is demum calculo ſuo adprobaturus eſt Viperarum in aqua decoctionem, quouſque caro ab oſſibus recedat, qui carnium præparationi nunquam

quam animum advertit,vel earum juſculum nunquam adſumpſit;quippe cum ex iis cuivis perſpicuum fiat id nequaquam fieri poſſe quin pars maxima facultatum Viperæ in juſculum tranſeat, caro autem ipſa exuat quaſcunque utiles partes in juſculum tranſmiſit : Illud præterea enuntio ſalis & anethi additamentum futile eſſe, atque intempeſtivum, niſi Viperæ in cibum venire debeant,vel ut juſculum earum ſorbeatur.

Additamentum Panis biſcocti pulveriſati quod attinet, concedo ad id adactos fuiſſe eos,qui errore ducij Viperas in aqua decoxerunt,vel ad materiam quampiam adfinem,quo caro Viperina Trochiſcorum formæ excipiendæ idonea fiat; Illud etiam admitto unciam unam Panis biſcocti pulverati poſſe, conſiſtentiam impertiri quatuor unciis carnis Viperinæ elixæ, ab oſſibus ſecretæ, ac tantiſper expreſſæ ; & cuncta hæc in mortario marmoreo contuſa,in magma extenſile abire, idoneum effingendis Trochiſcis: Id vero ſtatuo,ſi carni juſculum remixtum fuerit,unciam unam panis imparem fore illis colligendis,ſed augmentum eſſe neceſſarium,quamvis juſculum ad gelatinæ conſiſtentiam deductum foret: Etiamſi porro veroſimile non ſit à pane imminutum iri vim carnium,aut juſculi Viperini, non tamen exiſtimandum eandem eſſe ſubſtantiam, quin potius à pane tantum acceſſionem fieri ponderi & moli, non item Trochiſcorum facultatibus; has autem per accidens deteri, non ſecus ac vini robur aquæ infuſione & additione infringitur.

Id etiam compertum volo, quatuor uncias carnis Viperinæ elixæ, etiamſi expreſſæ, exceptas uncia una panis biſcocti pulveriſati, uncias ſolum duas Trochiſcorum producturas, ſi rite exſiccati fuerint;Præſcripta porro drachma una horum Trochiſcorum, ſemidrachmam tantum advenire judicandum eſſe,quandoquidem panis,cui per exſiccationem nihil demitur, mediam tantum partem conſtituit; ac præterea non abnuendum in juſculum ad minimũ duas tertias virium iſtius ſemidrachmæ ſeceſſiſſe : Adeo ut cum præſcriptæ fuerit drachma una Trochiſcorum Viperinorum dato modo præparatorum, idem futurum ſit ac ſi decem vel duodecim grana præſcriberentur:Imo neq; dubito quin grana duodecim Pulveris præparati, ſecundum artem præparati, præſtantiores effectus editura ſint quam drachma una ſimilium Trochiſcorum.

Sin,ne pereat Juſculum in gelatinæ conſiſtentiam hoc coctione deducatur,ac tantundem Panis biſcocti additum fuerit quantum ſatis eſt ad conficiendam maſſam idoneam producendis Trochiſcis; ac pondus panis, antequam juſculo remiſceatur, ſtatera examinatum fuerit, comperietur ad ſummum Trochiſcos exſiccatos, octava parte graviores eſſe pane biſcocto uſurpato : Adeo ut hæc correctio æque fere improbanda ſit ac antiqua Trochiſcorum præparatio ex carne elixata : Id præterea certum ſit Sal decocto additum, proculdubio in Trochiſcis

exſiccatis relictum iri, ac præter ſalſedinem ponderis incrementum effecturum.

Electionem carnis ab antiquis factam præ oſſibus Viperinis quod attinet, cum ex illa Trochiſcos concinnaverunt, id non minus ab illis factum facilitatis comparandæ gratia, ad conjungendam carnem elixam cum panis biſcocti pulvere, ac formationis Trochiſcorum ex hac miſtura, quam ad præcavendum ne ab adjunctis oſſibus inæqualitas maſſæ induceretur ac Trochiſcis aſperitas. Etſi huic incommodo obviam ire potuiſſent Oſſa in pulverem redigendo, ac per incerniculum ſericeum tranſmittendo.

Si quis porro in medium adducat ab ipſis repudiata eſſe Oſſa, quod nullis viribus prædita eſſe crediderint, mens illorum nequaquam detrahere valet dotibus à Natura illis conceſſis: Qua in re Antiquis aliquid condonandum, quibus ignotæ fuere particulæ ex quibus carnes & oſſa animalium conflata ſunt, non item Neotericis, quibus notum eſſe debet ex phlegmate, ſpiritu, oleo, & ſale volatili, parti terreſtri commixtis & conjunctis conſtare & componi; Oſſa vero cum ſubſtantiæ ſint denſioris, compactioris, gravioris ac ſolidioris quam carnes, eaſdem particulas, ſed majori copia obtinere: Nemo, niſi rerum Phyſicarum rudis, negaverit, carnes, oſſa, ſanguinem, cutem, ac partes omnes tum externas, tum internas animalium, unius ejuſdemq; ſeminis eſſe progeniem, ab iiſdem ſpiritibus vivificari; diverſitatem autem figuræ & conſiſtentiæ pendere à vario connexu, extenſione aut contractione particularum.

Rem qui penitius noſcere voluerit, cultro anatomico exploret, & diſſecet, meo exemplo, plurimas Viperas fœminas, quo tempore ova continent, ac ſeparatim, diſtinctiſque temporibus eas quæ magis aut minus à parturitione abſunt: Deprehenſurus eſt initio formationis Ovorũ materiam admodum æqualem & uniformem; aliquo poſt tempore in medio ovo conſpicuum illi erit quaſi punctum, ac poſtmodum id punctum incrementum cepiſſe in illis quæ partui proximiores ſunt; deprehendet in aliis fœtus viperinos conformationis ſpeciem obtinere, paulatim hos augmentum ſuſcipere, ac tandem perfectionem, quam partus ſubſequitur, donatus carne, oſſibus, venis, arteriis, omnibuſq; corporis partibus, ſicuti & vita ac motu, non ſecus ac adultæ viperæ: Conjuncta hæc experimentis à nobis factis de partibus utilibus, ope Chymica ex oſſibus Viperinis elicitis, ſilentium indicent iis qui oſſa in Trochiſcos admittere nequeunt.

Sed ut illis ſatis fiat qui non modo Chimiæ rudes, ab illa porro abhorrent, hos hortor culinam ingrediãtur, ac perpendãt num oſſa cum carnibus, è macello deſũpta, inutiliter juſculis incoquantur, ac num his minus, modo

modo non amplius utilis ſubſtantiæ quam ipſa caro impertiantur:Ut vero conſpicuum illis fiat carnem Viperarum, juxta antiquorum mentem elixatam ad compoſitionem Trochiſcorum,maximam virium partem in Juſculum transfudiſſe, ſaporem, ac nutritiam vim inditam juſculo carnium in examen deducant, tunc ſane manifeſtiſſimum illis erit hæc, nonniſi ſubſtantiæ & ſucco carnium & oſſium in juſculo diſſolutorum adſcribendum eſſe; ac demum impoſſibile futurum ut deinceps eædem carnes & oſſa iiſdem dotibus gaudeant, quas juſculum ſibi adſumpſit: Sed id amplius elucefcet ſi minutal ex carnibus diutius in aqua elixatis mandere non recuſarint, nec enim inficias ituri ſunt carnes illas ſapore fere exutas eſſe, inſipidum & ingratum eſſe minutal; etiamſi id genus carnium, quarum ſubſtantia compactiſſima eſt propriæ ſubſtantiæ & ſucci tenacior eſſe deberet, ac ægrius in juſculum illa dimittere, quam caro Viperarum, præ quarum mollitie & ſubſtantiæ tenuitate in cauſa ſunt ut ſi diutius in liquore quopiam ebulliente detineantur, utilium partium maxima pars in illum migratura erit.

Multa preterea nec inefficacia argumenta in medium proferre poſſem; niſi jam allata ſufficerent, ac mihi compertum eſſet plurimos judicio pollentes in meam pertrahi ſententiam, mirabundos tot ſæcula præteriiſſe, neque tamen animum quenquam huc advertiſſe.

Interea, etiamſi nonnulli,mihi reluctantes, cenſeant non omnes Viperæ partes veneni expertes eſſe, nemo tamen, credo, Pulverem Viperinum hoc crimine laborare dicet, quotidie & jampridem in uſus Medicos accerſitum, cujus ſalutares effectus in dubium revocari nequeunt, hic nihilominus, Pulvis ex ſolis corporibus cute nudatis conſtat, cordibus & jecoribus Viperarum, in aëre ſiccatis & in pulverem contritis: Hic neque Sal, neque anethum, neque ulla decoctio correctionis ergo admittitur, uti neque Panis biſcoctus ad molem augendam,neque cuiquam oſſium ſeparatio hactenus in mentem venit.

Cum porro admodum veriſimile ſit hunc Pulverem complecti quicquid virium obtinet Vipera, tantum vero abſit ut venenatum quidpiam in illo deliteſcat, quin potius vires admodum ſpecificas obtineat, quibus expugnare poſſitVenena in corpore noſtro deliteſcētia,quis non abſurde ad erroneam & riſu excipiendam Trochiſcorū præparationem cōfugiat? Cur cœcorum more antiquos ſectabimur,rerum naturam tam iniq; ſcrutantium? Quis ad apertum lumen caligabit? Certe ſummæ eſt cōtumaciæ evidentibus adeo rationibus reluctari;extremæ vero eſt dementiæ medicamentorum manifeſtas qualitates averſari, præ ſola antiquitatis veneratione: Spero autem futurum ut tandem errores exu-

lent & ratio dominium obtineat, ac Trochiſci Viperini ex ſolo Viperarum pulvere deinceps concinnentur, omnium conſenſu probato, è quo Trochiſci & facilius & majori cum ægrorum commodo parari poſſunt quam juxta antiquorum methodum.

Ad rectam horum Trochiſcorum præparationem, ſi hyems extrema mitis fuerit, Viperæ accipiantur Aprili exeunte, ſin minus Maij initio, ſexus nullum ſit diſcrimen, neque enim mares fœminis inferiores ſunt, quicquid tradant antiqui, vel neoterici; quandoquidem utplurimum agilitate ſumma illi donati ſunt, vividi & carnoſi, imo quadantenus fœminis anteponendi videntur, tunc temporis fere ſemper prægnantibus, ideoque & exſuccis & ſtrigoſis, Neque ob frequentiorem coitum mares excludendi; quandoquidem ad illum diſpoſitio, cum ſpirituum orgaſmű indicet,indiciű roboris ac probę animalis conſtitutionis exhibet; præterea mares Venerem abſque fœminis explere nequeunt, ſemen quoque proculdubio profundentibus; adde his curam fœtuum & geſtandorum & alendorum, quo fit ut tunc temporis minus quam mares hilares videantur,tum præſertim cum ovis grandioribus redditis Viperei fœtus ad incrementum & perfectionem tendunt.

Remotis igitur Viperis languidis, & illis quarum ova jam grandeſcunt, nullo facto ſexus diſcrimine, eligantur vividiſſimæ & agillimæ, quibus citra flabellationem aut irritationem forficibus amputanda erunt caput juxta collum, Cauda autem proxime locum per quem excrementa abjiciunt: Cute denudandum erit corpus initio à collo ducto, exemptiſque interaneis, præter cor & jecur, exſiccandæ erunt in aëre ſuſpenſæ, rite vero exſiccatæ minutiſſime incidantur, conterantur in majori mortario æneo, pulviſque per cribrum ſericeum trajiciatur.

Interea tantillum Gummi Arabici electi, in ſubtiliſſimum pulverem triturandum,ac diluendum vini malvatici optimi ſemi circiter Cyatho, cujus ſufficiens quantitas accipienda ad pulverem Viperinum compingendum; quæ cuncta ſimul in majori mortario æneo contuſa, piſtillo ligneo, in uniformem maſſam & ſolidiuſculam deducenda, ex qua fingendi Trochiſci, quibus imprimere licebit characterem aliquem,illos in vmbra ſiccando, poſtmodum Balſamo Peruviano inungendo, tum conſervationis gratia, tum odoris grati conciliandi.

Capita, Caudæ, Pellis, & interanea relicta non minores vires quam reliqua poſſident, quamobrem exſiccanda ſunt,ad Chymicam ſeparationem partium utilium in illis contentarum,juxta methodum à me tradendam ubi de præparatione Animalium illorumque partium;Axungia le-

leniſſimi ignis ope liquanda, quæ per tenuem linteum colata & expreſſa, ac in ampulla vitrea recondita, ad uſus ſervanda.

TrochiſciViperini,eo modo præparati,multo magis idonei ſunt conſervationi ipſo Pulvere, eo quod diſſolutio Gummi Arabici in vino Malvatico facta Trochiſcis ſoliditatem largitur ac ſubſtantiam compactam, conſtrictiſque illorum poris, aëris penetrationem arcet; cui rei non minimum confert inunctus exterius Balſamus Peruvianus.

Trochiſci hi adverſus Venena eximii ſunt,præſertim Serpentum morſus, ac omnium animalium venenatorum; Sæpiſſime in febribus Malignis præſcribuntur,ac cunctis morbis Epidemicis, ſicuti & illis quos inducit ſanguinis corruptio: Sed ſpeciatim Theriaces compoſitionem ingrediuntur, cujus etiamnum baſin conſtituunt, etſi ſatis eſſe queant Viperæ cum cordibus & jecoribus exſiccatæ, dimiſſo Trochiſcorum conficiendorum negotio.

Doſis eſt à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, quamvis innoxie robuſtis drachmæ duæ exhiberi poſſint: Ex vino dantur, aquis aut decoctis cardiacis, imo & juſculo: Induntur necnon Potionibus, Opiatis, variiſque aliis medicamentorum formulis.

CAPUT XXII.

De Pilulis.

PILULÆ hoc nomine inſignitæ ſunt à figura rotunda, ſimili exiguis globulis plumbeis: Vocantur etiam *Catapotia*, quia ſolidæ deglutiuntur:Medicamenti genus hoc excogitatum eſt in gratiam eorum qui medicamenta diſſoluta aut liquida reſpuunt, vel qui parvam medicamenti purgantis doſin deſiderant; ſicuti & cum requiritur remedium quod diutinam in ventriculo moram trahens, antequam in hoc diſſolvatur, paulatim è locis diſſitis vitioſos humores alliciat; ac demum per emiſſaria ſolita expellat.

Concinnantur & Pilulæ varios in fines,& diverſorum effectuum gratia,Aliæ enim Catharſi deſtinantur,aliæ Corroborationi Ventriculi,Cerebri aut alterius partis: Parantur & pro Pectoris affectibus,componuntur præterea & Anodynæ & Narcoticæ, tam mitigandorum dolorum cauſa, quam intercipiendarum fluxionum & quietis conciliandæ: Parantur & Hyſtericæ, Aperitivæ, Antinephriticæ &c.

Pilulæ Laxandi vi præditæ utplurimum pro baſi Aloën obtinent:Colocynthis, Scammonium,Agaricus,Turbith,Hermodactyli,Senna,Rha-

barbarum & alia Cathartica, multarum compoſitionem diverſimode ſubeunt, ſicuti & varia Gummata ac plurima Aromata, pro varietate ſcoporum eorum qui illas præſcribunt: Aloë ipſa plurimarum baſin conſtituit, rerum ſcil. quæ roborandis partibus dicatæ ſunt: Anodynæ & Somniferæ Opium pro baſi fere obtinent, rerum ſcil. quas comitantur aliquando medicamenta eundem finem ſpectantia, ſed perpetuo Aromata, corroborandis partibus principibus idonea dum operantur Pilulæ.

Pilularum ſapor amarus & ingratus, uti & odor utplurimum naribus moleſtus, ut auro vel argento integantur impellit, vel ſaccharo obvolvantur, vel nebulis, pulvere aliquo aut conditura: majores etiam aut minores effingi poſſunt, in omnibus quantum licet palato & viribus ægri obſequendo.

Non una ratione præparantur Pilulæ ſed varia pro diverſitate & natura medicaminum ipſas cōponentium: Subtiliter conteruntur Simplicia dura & ſicca, colliquantur aut diſſolvuntur Gummata craſſiora; Purgantur & condenſantur ſucci; Pulpæ per incerniculum ſetaceum trajiciuntur; Maſſa etiam ipſa diverſimode efformatur, modo enim concorporari poſſunt medicamenta pulverata, vel aliter præparata, in majori mortario æneo, citra liquoris additamentum illa conterendo: aliquando ſyruporum, mellis, ſuccorum aliorumve liquorum acceſſione opus eſt.

Maſſa effingendis Pilulis dicata, cujuſcunque ſint generis, diutiſſime in majori mortario æneo contundenda eſt, quo medicaminum commiſtio ſit intimior: Quæ circumſtantia nonnullos impulit ut crederent nomen Pilulæ huic compoſitioni inditum fuiſſe, quod nunquam ſatis ſuperque contundi queat in majori mortario, cui nonnulli nomen Pilulæ indiderunt: (*Contundere in mortario Galli vocant* Piler.) Pilulæ tamen ex Extractis paratæ contuſione in mortario non egent.

Pilularum maſſa non ea ſoliditate prædita eſſe debet qua Trochiſci, ea enim conſiſtentia concilianda ut digitorum ope Pllulæ effingi queant, nonnihil oleo quopiam prius inungendorum, ne Pilulæ his adhæreſcant: Cuncta vero hæc dilucidiora evadent tradita præparatione ſingulari maſſarum Pilularum ſubſequentium.

Pilulæ de Hiera ſimplices.

℞. *Cinnamomi electi.*

Santali Citrini.	*Croci.*
Aſari.	*Maſtiches ana drachm.* iij.
Spicæ Nardi.	*Aloës Succotrinæ electæ dracm.* L.

Cum Melle Roſato colato paretur ex arte maſſa.

Metho-

Methodus.

Hæ Pilulæ ex iiſdem conſtant medicamentis quibus Pulvis Hieræ ſimplicis, aut Electuarium ejuſdem nominis: Præcipua differentia in hoc ſita eſt quod hic Mel Roſatum Colatum in uſum veniat, vice mellis communis deſpumati: Mel autem Roſaceum minori multo copia indi debeat quam mel deſpumatum ad Electuarij compoſitionem, ob diverſam utriuſque medicamenti confiſtentiam.

In majori mortario æneo triturentur Santalum Citrinum, Spica Nardi purgata & inciſa, Aſarum & Cinnamomum: Seorſim contundatur Maſtiche granata, infuſis aliquot aquæ guttulis: Seorſim & conterendus Crocus, prius exſiccatus, niſi ſatius duxeris illum in minimo mortario æneo excalefacto triturare, quod una opera exſiccetur: Eligatur Aloës Socotrina puriſſima, odoris ſuavis, pellucida, limpida, coloris ad purpureum accedentis, infundendo guttas aliquot olei amygdalini dulcis: Conteratur in majori mortario æneo, ac tranſmittatur per cribrum ſetaceum, ſicuti & cæteri pulveres; accurate omnes ſunt commiſcendi; Hi immiſſi grandi mortario æneo, parum excalefacto, in unum corpus veniant addita ea quantitate mellis roſati quæ ſatis ſit ad omnia in unam maſſam mediocriter ſolidam compingenda, diutiſſime in eodem mortario contundendam, ac donec adpareat cuncta medicamenta perfectiſſime commiſta eſſe & adunita: Poſtmodum maſſa è mortario exempta, effingatur in metam, aut panis formam, rotundam & oblongam, aëri per biduum aut triduum exponendam, hanc maſſam recondendo.

In uſum adducere cum volueris, ex illa conficiantur Pilulæ magnitudinis convenientis pro ægrorum captu & arbitrio; at ſemper digitos extremos oleo amygdalarum dulcium illinendo cum Pilulæ concinnandæ fuerint, ne illis adhæreſcant: Effictæ obtegi poſſunt foliis auri vel argenti, aut ſaccharo obvolvi, aliove pulvere, vel nebulis madidis; aut indi uvæ agreſtæ, vel ceraſo crudo ablato nucleo, aut eidem condito, vel ovi vitello, aut condito quopiam liquido cum deglutiendæ ſunt, occultandi cauſa ſaporis & odoris.

Pilulæ hæ leniter humores bilioſos & pituitoſos è ventriculo & inteſtinis exigunt: Alvum laxam ſervant, ac menſtrua reſtitantia impellunt.

Doſis eſt à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, etſi drachma integra poſſet exhiberi, imo amplius, ſi ulterior purgatio neceſſaria eſſet. Ac cum illarum operatio ſegnis eſſe debeat ac moderatiſſima, uſuſque diuturnior, ſufficit minori doſi uſurpaſſe: Utplurimum vero in menſæ introitu, quo fit ut Pilulæ ante Paſtum vo-

centur: Licet & adſumere in exitu lecti, ante illius ingreſſum, imo quavis hora.

Pilulæ de Hiera cum Agarico.

℞. Specierum Hieræ ſimplicis jam præſcriptæ unc. j. ſem.
Agarici Trochiſcati unc. ſem.
Cum Melle Roſato colato fiat maſſa.

Methodus.

Cum præparatus fuerit Pulvis Hieræ, dicatus componendis Pilulis modo à me deſcriptis, ſatis erit admiſcuiſſe unciam ſemis Trochiſcorum Agarici, ſubtiliter pulveriſatorum, ſeſcunciæ ejuſdem Pulveris, eodem modo quoad omnia procedendo ac in præparatione Pilularum præcedentium.

Pilularum harum operatio quam præcedentium vehementior eſt, tam ad inciſionem craſſorum humorum, quam ad eorundem è partibus diſſitis attractionem, ac poſtmodum expurgationem; Incidendo enim & divellendo pituitam craſſam ventriculo inhærentem, alliciunt etiam quæ cerebro inſidet, illamque inde extrahunt per catharſin vacuandam.

Harum Pilularum uſus idem qui præcedentium eſſe debet, ac exigua dozi in menſæ introitu; ſed ſatius eſt augere doſin ad drachmam integram, imo ad quatuor ſcrupulos, ac adſumere procul à cibo, in introitu vel exitu lecti, ſi purgatio perfecta deſideretur.

Pilulæ de Agarico.

℞. Agarici albiſſimi.
Turbith electi, &
Specierum Hieræ picræ ſimplicis, ãã. unc. ſem.
Trochiſcorum Alhandal.
Sarcocollæ, ana drachm. ij.
Radicis Ireos,
Foliorum Praſſij albi,
Myrrhæ electæ, ana drachm. j.
Omnia in ſubtilem pulverem redacta, ſapæ ſufficienti quantitate excipiantur, & ex illis maſſa ſolidior fiat.

Methodus.

Eligantur Agaricus purgatus, albiſſimus, leviſſimus, & friabilis; Turbith recens, à medulla purgatum, intus candicans; ſimul conterantur in majori mortario æneo, una cum Radice Iridis, Trochiſcis Alhandal, Myrrha, Sarcocolla, & Praſſio albo; neque metus ſit ne à Gummatis medicamenta nimiopere lenteſcant; nam præterquam quod id futurum non eſt, præterea arcebitur pulverum diſſipatio: Pulvis per incerniculum ſericeum trajiciendus, demum commixto Pulvere Hieræ, ſimul in maſſam de-

deducantur,addita ea Sapæ quantitate quæ ſufficiat ut illa mediocriter ſolida evadat; diu contundenda in majori mortario æneo, ac donec omnium perfecta conjunctio accidat.

Pilularum harum maſſa paulo mollior eſſe debet quam Pilularum Hieræ, ſi præſertim diutius conſervanda ſit, quia cum ſapæ partes maxime ſubtiles diſſipationi obnoxiæ ſint, maſſa brevi tempore exſiccatur; cui eventui niſi præcautio adhibita fuerit, iterato contundenda erit, ac nova Sapæ affuſio facienda: Involvatur maſſa aluta, oleo prius madefacta, ſicuti & præcedentes, ad uſus ſervando.

Hæ Pilulæ Pituitam craſſam non ignave purgant è ventriculo &ventre inferiori,uti & è cerebro; Plurimum etiam conducunt expediendo Pectori, ideoque opem ferunt Aſthmaticis & Tuſſientibus à congeſta viſcida pituita.

Doſis eſt à ſcrupulo uno ad drachmam, imo & ad ſcrupulos quatuor, ſcilicet pro robuſtis.

Adſumi ſolent diluculo, vel ſtatim ſoluto primo ſomno, involutæ ſicuti cæteræ Pilulæ.

Pilulæ Aggregativæ, ſive Polychreſtæ.

℞. Aloës Socotrinæ.
Turbith electi.
Dacrydij ana drachm. vj.
Rhabarbari electi.
Myrobalanorum Citrinorum ana unc. ſem.
Trochiſcorum Alhandal.
Agarici albiſſimi.
Polypodij.
Myrobalanorum Chebulorum.
Indorum ana. drachm. ij.
Roſarum rubrarum mundatarum.
Maſtiches.
Epithymi.
Zinziberis.
Salis Gemmei, &
Seminis aniſi ana drachm. j.
Succorum Eupatorij, &
Abſinthij ad mellaginem inſpiſſat. unc. ſem.

Cum Syrupo Roſarum pallidarum fiat maſſa.

Methodus.

Hæ Pilulæ vocantur Aggregativæ, aut Polychreſtæ; eo quod aggregent vel colligant plurimos vitioſos humores eoſque vacuent, ex cunctis corporis partibus illos eliciendo; Poſſent & dici Catholicæ, quia cunctos vitioſos humores è corpore pellunt.

Contundantur ſimul in majori mortario æneo Turbith,Rhabarbarũ, Myrobalani mundati, Trochiſci Alhandal,Zinziber,Roſæ,Agaricus,Epithymus, Aniſum & Sal Gemmeum, cuncta per cribrum ſericeum tranſmittenda: Seorſum pulveriſandum erit Dacrydium, additis guttis aliquot olei amygdalarum dulcium; Seorſum quoque pulverari debet

Maſtichc, aliquot guttis aquæ inſtillatis : Extrahendi ſucci Eupatorii & Abſynthii, depurandi, ad liquidi uſque mellis conſiſtentiam condenſandi, aut Electuarii mollioris : Seorſum etiam terenda Aloë, affuſis aliquot guttis Olei amygdalarum dulcium, ſimulque accuratiſſimè commiſtis omnibus Pulveribus , effingetur Maſſa cum ſuccis depuratis & Syrupo Roſarum pallidarum in majori mortario æneo , diu contundenda , quo medicamentorum commiſtio & concorporatio fiat accuratior.

Cum illis non ſentio qui exſiccari jubent ſuccos Abſynthii & Eupatorii , donec in pulverem abire poſſint, eos trajiciendo per incerniculum ſericeum cum cæteris medicamentis : Nam cum accuratiſſime ſimul commiſceri queant obſervata mea methodo , non video quæ ratio compellat ad ejuſmodi exſiccationem , quandoquidem hac ratione plurimum decedit illorum viribus ; imò abſumpta omnimode horum ſuccorum humiditate (adde quod extranea cum in finem accerſenda ſit, ut maſſa conſiſtentiam legitimam conſequatur)neceſſe præterea eſt in perperam conſumpti locum alium humorem ſufficere : Augenda enim dozis ſyrupi Roſati , cujus minima quantitas majori ſemper potior eſt,niſi volueris auctis quantitate & pondere maſſæ, ſimul (obſervata ubique proportione) Pilularum dozin augere : Neque mirum ſi non drachmæ duæ ſolum utriuſque horum ſuccorum præſcriptæ fuerint ; ſed hic uncia ſemis veniat in compoſitionem, habita ratione ſuperſtitis humiditatis cum ſolum ad mellis conſiſtentiam excoquuntur.

Hæ pilulæ univerſim cunctos vitroſos corporis humores propellunt : Uſurpantur ad curationem affectuum Cerebri , Ventriculi , Jecoris aliorumque viſcerum , quorum referant obſtructiones ac avellunt Cacochimiam : Præſcribuntur etiam in crhonicis Febribus & complicatis, ac multis pertinacibus morbis.

Doſis illarum & uſus idem ſit qui Pilularum de Agarico : Recondatur & maſſa obvoluta aluta, oleo illita.

Pilulæ de Ammoniaco Quercetani.

℞. *Extracti Aloës Succotorinæ cum ſucco Roſarum parati unc.* jv.
Gummi Ammoniaci puriſſimi drachm. vj.
Myrrhæ electæ unc. ſem. — *Croci.*
Pulveris Diatrion ſantalor. — *Salis Fraxini.*
*Maſtiches electæ , ana drach.*j.*ſem.* — *Abſinthij, ana ſcrup.* ij.
Cum Syrupo Roſarum pallidarum fiat maſſa.

Methodus.

Subtili-

Subtiliter ſeorſum conquaſſentur Myrrha, Maſtiche & Crocus; poſtmodum modice excalefaciendum erit magnum mortarium æneum, eiuſdémque piſtillum: Eligendę erunt lacrymę Gummi Ammoniaci puriſſimi, in mortario colliquandi, cui, addito tantillo aceto Scillitico, emollito, addendum erit Extractum Aloës recentiſſime confectum, conſiſtentiæ paulo mollioris, ea ratione paratum quam traditurus ſum tertia iſtius Pharmacopœę parte, vbi de Extractorum pręparatione: Poſtea addenda erunt Salia Abſinthij, Fraxini, Myrrha, Maſtiche & Crocus pulveriſata, & remixta pulveri Diatrionſantalorum, ac quantitati ſufficienti Syrupi Roſarum pallidarum: Quo vero commixtio exactiſſima ſuccedat, diutiſſime cuncta conquaſſanda erunt in eodem mortario, deducenda in maſſam molliuſculam potius quam nimis ſolidam, cum hę Pilulę admodum exſiccentur diutius adſervatę.

Hæ Pilulæ plurimum commendantur ad quoſvis vitioſos humores e ſingulis corporis partibus expurgandos: Feliciſſimo ſucceſſu exhibentur in obſtructionibus Iecoris, Lienis & Meſenterij, ac febribus lentis inde oriundis: Plurimam opem âfferunt in Cachexia: ſed præſertim idoneæ ſunt eluendo impuro Vtero, ac menſtruis ſuppreſſis ſollicitandis, fluxuive ſolito intercepto revocando.

Doſis eſt à ſcrupulo vno ad duos, imo & drachmam in robuſtis: Adſumuntur mane jeiuno ventriculo, ſicuti cæteræ Pilulæ obvolutæ: In vſum crebrius aut rarius ducuntur pro re nata.

Pilulæ Cochiæ.

℞ Specierum Hieræ ſimplicis,	*Olei ſtillatitij ſtœchados vel Lavendulæ ℈ j.*
Turbith electi,	*Cum ſucco Abſynthij ad mellaginem inſpiſſato.*
Trochiſcorum Alhandal &	
Dacrydij ā ā. ʒß.	

Fiat Maſſa ad vſum.

Methodus.

Variæ circumferuntur Pilularum Cochiarum deſcriptiones, ſub nomine Majorum & Minorum, medicamentis & dozi admodum diſcrepantes; In quibuſdam præſcripta reperitur Stoechas; in aliis non ſecus ac Turbith reiicitur: Hieræ pulvis modo majore alias minore præſcribitur dozi: Abſunt vero olea diſtillata Stoechadis vel Lavendulæ, ſolummodo Syrupum Stoechadis aut Abſinthij quibuſdam vſurpantibus ad reliquorum in maſſam compaginem; Sed non immerito iudicatum eſt olea ſtillatitia Stoechadis vel Lavendulæ potiora eſſe, atque plus vi-

rium continere quam quinque drachmas ſtoechadis ſiccæ, a quibuſdam præſcriptas, parum vtilitatis adferentes, molem ſolummodo & dozin Pilularum augentes.

Exiſtimatum etiam e re non eſſe aliquid immutare in dozi medicamentorum ſiccorum e quibus conflatæ ſunt hæ Pilulæ, cum in eundem ſpectent finem ac ſibi mutuas tradant operas: Prælatum quoque eſt Extractum liquidum Abſinthij Syrupis, tum ad certiorem corroborationem Ventriculi & Iecoris, dum Pilulæ opus ſuum perficiunt, tum quod magis idoneum ſit eorum conſervationi, nec molem adeo adaugeant.

Hæ Pilulæ, etſi paucioribus conſtent, potentiſſime tamen vitioſos expurgant humores: Sed & præterea non immerito in vſum veniunt, tum ratione facilis præparationis, tum præſtantiæ effectuum quos edere ſolent, expurgando & liberando cerebrum, ventriculum & cuncta viſcera a redundanti cacochymia.

Doſis eſt a ſcrupulo ad drachmam vnam; Adſumuntur poſt primum ſomnum, vel mane jeiuno ventriculo.

Pilulæ de Cynogloſſo.

℞. Myrrhæ electæ ℥ vj.
Olibani ℥ v.
Radicis Cynogloſsi ſiccæ,
Seminis Hyoſcyami albi,
Extracti opii ãã. ℥ß.
Croci,
Caſtorei,
Reſinæ ſtiracis ã ã. ℥iß.
Cum tantillo Syrupi de Stoechade fiat maſſa ad vſum.

Methodus.

Rigidi cenſores plurima obiiciunt adverſus harum Pilularum compoſitionem, ratione ſeminis Hyoſcyami, Concedo totum Hyoſcyamum plantam eſſe eximie narcoticam, ac inter cunctas ſpecies in vſum medicum illam ſolum admitti quæ ſemen album profert: Neque illud mihi ignotum radices Hyoſcyami copia majori comeſtas iudicium & mentem percellere: Sed præterquam quod ſemen pars eſt plantæ quæ leniſſime præ cæteris operationes ſuas exercet, & familiariter in vſum venit, ſuffitu in os admiſſo ad dentium dolores, quantitas hoc loco præſcripta nimis exigua eſt, eiúſque vis tanta corrigentium copia retuſa, vt nequaquam infauſtus ſucceſſus metuendus ſit.

Cynogloſſi radix vere colligenda eſt cum in folia erumpere incipit; hæc mundata & ſiccata ſubtiliter cum caſtoreo a tunicis liberato, ac parte vnctuoſa liberatos, & ſemine hyoſcyami. Crocus ſeorſim tenendus erit

erit, ſicuti. Myrrha & Olibanum, Opii autem Extractum molliuſculum, leniter excalefiat magnum mortarium æneum cum ſuo piſtilo, in quo reſina ſtorax colliquanda erit, cui, commixto Opij extracto, adiungentur Pulveres, affundendo ſyrupi ſtoechados quantum ſatis eſt vt omnia coire poſſint in maſſam molliuſculam, diutius in eodem mortario contundendam, quo omnium medicamentorum commixtio accurata fiat; poſtea recondenda erit maſſa, aluta obvoluta, interius oleo madida, ad vſus.

Inſignis vſus ſunt hæ Pilulæ ad cohibendas teuues fluxiones e cerebro in thoracem decumbentes, ac ſubditas illi partes, ſicuti & oculos ac dentes. Mulcent dolores, accerſunt ſomnum, retuſa humorum illum impedientium acrimonia.

Procul a cibo exhibentur, ſed & quavis hora pro re nata; maxime verò opportunum tempus eſt hora ſomni. Doſis ordinaria eſt a granis duobus ad decem: Licet & eaſdem diſſolvere in Enematis ad mitigandos dolores Dyſentericos; aut Colicos vehementes, a ſcrupulo vno ad ſemidrachmam.

Pilulæ Fœtidæ.

℞. *Sagapeni,*
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellij,
Trochiſcorum Alhandal,
Seminis Rutæ,
Aloes Socotorinæ
Epithymi ãã. ℥ v.
Turbith electi ℥ß.
Dacrydij,
Radicis Eſulæ aceto præparatæ,
Hermodactylorum ãã. ʒij.
Zinziberis ʒiß.
Cinnamomi,
Spicæ Nardi
Caſtorei ãã. ʒj.
Cum melle optimo in ſucco Pomorũ depurato & cocto fiat maſſa ad vſum.

Methodus.

Euphorbij operatio tantæ vehementiæ & malignitatis eſt, notæ per effectus, vt mirum eſſe non debeat ſi ab his Pilulis fuerit expunctum, etiamſi præſcriptũ occurrat in cunctis deſcriptionibus Pilularum Fœtidarum in Diſpenſariis traditis. Sed & præterea iure merito faceſſere iuſſum eſt, eo quod hæ Pilulæ obtineant medicamenta idonea exſerere quoſcumque effectus ab his Pilulis expectandos, quorum præcipui ſunt generoſa expurgatio vitioſorum humorum; quandoquidem in ſui compoſitione admittunt Trochiſcos Alhandal, Dacrydium, Radicem Eſulæ, Turbith, Hermodactylos, & Aloëni, quorum præterea virtuti

robur accedit à Sagapeno, Opopanace, Ammoniaco & Bdellio, ſimul correctivi vicem præbentibus, vehementiorum horum catharticorum; quorum præterea viſcedinem ſua ſiccitate emendant.

Optime purgata & elota radix Eſulæ, leviter optimo aceto irrorata, exſiccanda eſt vt conteri queat in minori mortario marmoreo, vna cum Turbith, Hermodactylis, Zinzibere, Cinnamomo, Spica Nardi, Caſtoreo, & Trochiſcis Alhandal, quibus & licebit adjungere Bdellium & particulam aliorum Gummatū, quæ omnia grandulata eſſe debent: Seorſim contundendus erit Crocus, necnon Dacrydium & Aloë, ſicuti alibi a me dictum: Eliciendæ erunt & depurandæ vnciæ circiter quatuor ſucci Porrorum, quæ commixta æquali optimi mellis ponderi coquenda erunt in Electuarij mollis conſiſtentiam, ſpumam detrahendo: Poſtea parum excalefaciendum erit grandius mortarium æneum, ſicuti & piſtillum, in illo liquefaciendum erit paulatim reliquum Gummatum, quæ pulueri conjuncta non fuere, & commiſcenda mellis præſcripta quantitas; adiiciendo paulatim pulveres, & mellis quantum ſatis eſt ad omnia in maſſam laudabilis conſiſtentiæ conglobanda, diutiſſime conquaſſandam in eodem mortario, ſicuti in præparatione aliarum Pilularum monui, & aluta intus oleo oblita involvendam ad vſus.

Pilulæ Fœtidę multum commendantur ad purgandam Pituitam craſſam & viſcidam, ac affectus ex hac oriundos, cuiuſmodi ſunt Arthritis, Rheumatiſmus & Artuum quicunque morbi: Admodum quoque valent ad curationem morborum ventriculi & inteſtinorum ab iiſdem humoribus genitorum: Valere & cenſentur contra Lepram, affectúſque omnes cutaneos; ſed præſerrim ad excitandos menſes latentes, Vterum ab impuris humoribus eluendum, vaporéſque diſcutiendos.

Dosis Illarum eſt a ſcrupulo vno ad drachmam; Vſus idem qui cæterarum Pilularum: Poſſunt & ex his confici noduli, naribus obiiciendi adverſus vapores ab vtero ſuſcitatos.

Pilulæ Rufi.

℞. *Aloes Socotrinæ electæ* ℥ ij.	*Croci* ℥ß.
Myrrhæ ℥ j.	*Cum vino malvatico fiat maſſa.*

Methodus.

Aloë, Myrrha, Crocus, ſeorſim conterenda erunt, acuratéque commiſtus Pulvis in grandi mortario æneo, in maſſam deducendus erit in magno mortario æneo addita optimi vini malvatici ea quantitate quæ ſufficiat debitæ conſiſtentiæ conciliandæ: quæ maſſa diutius conquaſſa-

ta ad vſus ſervanda.

Quidam has Pilulas Peſtilentialium nomine donavere, alii Communium: Leniſſime eluunt,& fere inſenſibiliter, ventriculi impuritates, arcent etiam humorum corruptionem, quo fit vt Peſtilentiæ tempore plurimo ſint in vſu, & cum epidemici graſſantur morbi.

Adſumi poſſunt prima menſa, vel in lecti ingreſſu, vel jejuno ventriculo: Doſis pro varietate ſcoporum varia eſt: ſi enim ad alvum lubricam ſervandam adſumantur, dozis eſſe poteſt a ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam; Sin fortiorem effectum velis, dari poteſt drachma integra, imo ſeſquidrachma, robuſtis; illas exhibendo poſt primum ſomnum vel horis matutinis.

Pilulæ Aureæ.

℞. Aloes Socotrinæ,
Dacrydij āā. ʒ v.
Roſarum rubrarum mundatarum,
Seminis Apij āā. ʒ ijß.
Maſtiches,
Seminum Aniſi,
Fœniculi āā. ʒ iß.
Trochiſcorum Alhandal, &
Croci āā. ʒ j.
Cum Syrupo Roſarum laxativo fiat Maſſa,

Methodus.

Vna trituranda erunt Semina Aniſi, Apij & Fœniculi, cum Trochiſcis Alhandal, Roſis rubris, tranſmittendo Pulverem per incerniculum ſericeum: Seorſum conterantur Dacrydium, Maſtiche, & Crocus, deinde commixtos omnes Pulveres commiſcebis addita Syrupi Roſati quantitate ſufficienti ad fingendam maſſam legitimæ conſiſtentiæ, diu conquaſſandam in magno mortario æneo, quæ eodem modo ac cætera Pilularum maſſæ cuſtodiatur.

Aureæ nominantur hæ Pilulæ a colore; Leniter evacuant humores bilioſos & pituitoſos e ſingulis corporis partibus: Præſcribuntur ad curationem morborum Ventriculi & Inteſtinorum, ſi præſertim comites adfuerint flatus.

Doſis eſt a ſcrupulo ad drachmam: Adſumuntur a primo ſomno, vel ſummo mane.

Pilulæ ſine quibus.

℞. Extracti Aloes Socotrinæ cum ſucco Roſarum pallidarum parati ℥ xiv.
Dacrydij ʒ v j.
Agarici albiſſimi
Rhabarbari electi, &

Foliorum Sennæ mundatorum āā. ʒß.
Roſarum rubrarum exungulatarum,
Summitatum Abſinthij
Seminis Violarum
Cuſcutæ
Maſtiches āā. ʒ j.
Cum Syrupo e ſucco fœniculi cum melle parato fiat Maſſa.

Methodus.

Pilulæ hæ aliter atque aliter deſcribuntur in variis Diſpenſatoriis, præſertim quoad dozes medicamentorum, Sed ſi quis præſentem deſcriptionem attente perpendat, illi proculdubio manifeſtum erit nulli inferiorem eſſe, dummodo legitima adfuerit præparatio.

Conterantur in magno mortario æneo Rhabarbarum, Senna, Agaricus, Roſæ rubræ, Abſinthium, Cuſcuta, & Semina Violarum: Seorſum pulverentur Dacrydium & Maſtiche, Demum adſumptis depurati ſucci Fœniculi vnciis circiter quatuor, cum æquali pondere optimi mellis in Electuarij conſiſtentiam coctis, calefaciendum erit magnum mortarium æneum, vt & piſtillum, In illo, poſt liquefactum Extractum Aloës, commixtámque huic portionem Syrupi Fœniculi, paulatim commiſcendi erunt Pulveres, addendo eam quantitatem Syrupi Fœniculi quæ ſufficiat cunctis in maſſam debitæ conſiſtentiæ redigendis; quæ diu in eodem mortario conquaſſata ad vſum reponenda erit.

Harum Pilularum præſtantia effecit vt Nomen *Pilularum* ſine *quibus eſſe nolo* illis inditum fuerit, ſuppreſſis vtplurimum vltimis duabus vocibus: Pituitam optime expurgant ac Bilem vtramque: Plurimum commendantur in affectibus cerebri, ſed præſertim Aurium & Oculorum.

Sumuntur poſt primum ſomnum, aut mane jeiuno ventriculo: Doſis eſt a ſcrupulo vno ad drachmam, imo & ſcrupulos quatuor.

Pilulæ de Rhabarbaro.

℞. *Specierum Hieræ picræ ʒ x.*
Rhabarbari electi,
Myrobalanorum Citrinorum
Trochiſcorum de Roſis
Succi Abſinthij concreti āā. ʒ iij.
Succi Liquiritiæ
Maſtiches,
Seminis Aniſi,
Fœniculi, āā. ℈ j.
Cum ſyrupo Fœniculi cum melle parato fiat Maſſa.

Methodus.

Non minus diſcrepat deſcriptio horum Pilularum quam alterius cujuſvis

juſvis in Diſpenſariis occurrentis : Varietas hæc ſingulari diſquiſitione digna fuit, quam deſcriptio præſens excepit, probanda ob medicamentorum & probam electionem juſtam dozis, vnde proculdubio expectandi optimi effectus ab hac compoſitione.

Simul conterantur in grandi mortario æneo Rhabarbarum, Myrobalani citrini mundati, Semina Apij & Fœniculi ; Trochiſci Diarrhodon, & Succus Liquiritiæ, ſi ſiceatus fuerit ; Tranſmiſſo demum per cribrum ſericeum pulvere,commixtoq; Pulvere Hieræ,excipiantur omnia,in magno mortario æneo ſucco Abſynthij ad mellis conſiſtentiam cocto, ac ſyrupi fœniculi quantum ſatis eſt vt omnia deduci poſſint in maſſam debitæ conſiſtentiæ, diu in eodem mortario contundendam ad vſus adſervandam.

Hæ Pilulæ leniter purgant craſſos humores & viſcidos: Sæpe in vſum veniunt ad curationem morborum chronicorum, quos comitantur dolores: pertinaciſſimas enim Iecoris obſtructiones reſerant & Lienis: Admodum etiam conducunt inchoante hydrope; maxime vero juvant in fine febrium Tertianarum & Quotidianarum.

Doſis eſt a ſcrupulo vno ad quatuor: Vſus idem eſt qui Pilularum ſine quibus.

Pilulæ Stomachicæ.

℞, Aloës Socotrinæ electæ ℥ iß.
Roſarum rubrarum exungulatarum
Maſtiches electæ āā. ℥ß.
Cum Syrupo de Abſynthio fiat Maſſa.

Methodus.

Inter plurimas deſcriptiones Pilularum Stomachicarum, in Diſpenſariis exhibitas, quæ ſimpliciſſima, omnium optima viſa eſt : Aloë, Roſæ rubræ, & Maſtiche ſeorſim quæque triturari debent, ac demum accurate commiſceri, poſtea in magno æneo mortario cum ea Syrupi de Abſynthio quantitate quæ ſufficiat vt in maſſam debitæ conſiſtentiæ abire poſſint excipi, adſervandam demum, poſt diuturnam conquaſſationem, ſicuti cæterarum Pilularum.

Stomachicarum nomen gerunt hæ Pilulæ, eo quod vno eodémque tempore ab impuris humoribus ventriculum vindicent ac ad obeundas functiones idoneum reddant: Vocantur quoque Pilulæ ante cibum, quia ante paſtum adſumi ſolent, neque vllo ſingulari regimine opus habent : Multas quoque dejectiones vna vice non promovent, quia exi-

gua

gua doſi exhibentur, ac fere a ſemi ſcrupulo ad ſemidrachmam: Ideoque vſus repetendus quoties neceſſitas poſtulat.

Pilulæ Hyſtericæ.

℞. *Facularum Bryoniæ,*	*Rutæ,*
Myrrhæ electæ	*Camphoræ ā ā.* ℈ ij.
Vitrioli Martis,	*Extracti mollioris Aloës cum ſucco Artemiſiæ parati* ʒ x.
Salis Artemiſiæ ā ā. ʒ ij.	*Fiat ex arte maſſa.*
Caſtorei electi	

Methodus.

Caſtoreum a pelliculis purgatum, & parte mucilaginoſa, cum Ruta & parte Myrrhæ conterendum; huius reliquum ſeorſum conterendum, ſicuti & Camphora, guttas aliquot ſpiritus vini huic commiſcendo, vt melius in pulverem comminui queat: In parato eſſe debet Extractum Aloës, ſicuti ſuo loco indicaturus ſum; ac dum conſiſtentiam adhuc molliuſculam hoc obtinebit, immittendum magno mortario æneo, admixtíſque Vitriolo Martis, Sale Artemiſiæ, Fæcula Bryoniæ pulveriſatis, cæteríſque aliis pulveribus, omnia in maſſam redigentur; diu accurate in mortario contundendam, in aluta oleo madida cuſtodiendam ad vſus neceſſarios: Sin forte Aloë Extractum ſufficienti humiditate donatum non eſſet ad cætera medicamenta colligenda, in vſum poſſet adduci Mel vulvariæ, huius quantitatem ſufficientem adiiciendo.

Aloës extractum, in his Pilulis præſcriptum ad authorum mentem, qui has Pilulas tradidere, in ſucco Roſarum præparandum eſſet, Sed ſatius viſum eſt ſuccum Artemiſiæ admiſcere, ad præcavendum effectum contrarium, ex roſarum odore, nonnullis mulieribus infeſto metuendum.

Etſi paucioribus medicamentis hæ Pilulæ conſtent, melius tamen ſcopo ſatisfacient, ob quem excogitatæ fuere quam plurimæ ſimiles deſcriptiones. Neque enim vt plurimum inſigni medicamentorum numero æſtimandum aliquod compoſitum, ſed potius ab eorundem proba electione & efficacia.

Pilulæ hę ſpecificę ſunt non ſolum ad diſcutiendos vapores ab vtero elatos, ſedandoſque tumultus inde elatos ac prę cavenda ſymptoma oboriri ſolita, ſed præſertim ad illum ab impuris humoribus liberandum, & promovendum cohibitum fluorem menſtruum, quem in ſcopum diutius illarum vſus producendus.

Matutinis horis, jeiuno ventriculo adſumantur, ſuperbibendo tres aut quatuor vncias Aquę Artemiſię, lento paſſu per horam integram deambulando, quovis cibo per bihorium integrum abſtinendo:

Doſis drachmam ſemis non tranſcendat, quia vſus diuturnior eſſe debet.

Pilulæ Meſentericæ D. D. D'AQUIN.

℞. Extracti Aloës cum ſucco Fumariæ parati.
Gummi Ammoniaci electi ãã. ℈j.
Croci Martis aperientis, &
Dacrydij ã ã. ʒß,
Myrrhæ electæ,
Croci, &
Salis Tamariſci ãã. ℈ij.
Salis Martis Riverij ʒ ij.
Cum ſufficienti quantitate Syrupi de Cichorio compoſiti cum Rheo fiat maſſa.

Methodus.

Pulveriſari debent prius ſeorſim Myrrha, Crocus & Dacrydium; Pręparandum Extractum Aloës molliuſculum cum ſucco Fumariæ, ea ratione quam oſtenſurus ſum capite de Extractis: Mediocriter excalefaciendum erit grande mortarium æneum, vt & piſtillum, in quo lente colliquefacien dum Gummi Ammoniacum granatum; cui cum Aloës extracto optime commixto paulatim adiiciendi erunt Pulveres, prius Croco Martis aperitivo & Salibus Martis ac Tamariſci commixti, affundendo præterea Syrupi de cichorio cum Rheo quantum ſatis eſt vt omnia in maſſam mediæ conſiſtentiæ deducantur, aluta oleo madida involvendam, diu prius in magno æneo mortario contuſam, ſicuti de cæteris Pilulis ante monui.

Dominus Primarius Majeſtatis Regiæ Medicus Meſentericas vocavit has Pilulas; quia potentiſſime obſtructiones in Meſenterio latentes aperiunt: Efficaciæ etiam ſunt ſingularis in referandis cæterorum viſcerum infarctibus; colliquant enim materias Tartareas, ac leniſſime eaſdem expurgant, robur ſimul adferendo partibus nutritioni efficiendæ dicatis: Quamobrem felici ſucceſſu preſcribi poſſunt in quavis cachexia, hydrope, febribus chronicis intermittentibus, chloroſi, menſtruo fluxu ſuppreſſo, &c.

Doſis ſit a ſcrupulo vno ad drachmam, ſi juſtá operatio deſideretur; at ſemidrachma ſufficit iis qui mediæ ſunt conſtitutionis, ac in vſu pergere volunt.

Pilulæ Mercuriales.

℞ *Rhabarbari electi*
Trochiſcorum Alhandal,
Dacridij &
Mercurij ſublimati dulcis āā ʒj.
Terebinthinæ Venetæ, oleo proprio dilutæ, quantum ſatis.
Fiat ex arte maſſa.

Methodus.

Simul contundantur in magno mortario æneo Rhabarbaro cum Trochiſcis Alhandal, addito quopiam e ſeminibus frigidis maioribus mundato: ſeorſim conterenda erunt Scammonium & Mercurius dulcis; Tranſmiſsíque cuncti Pulveres per incerniculum ſericeum, accuratéque in grandi mortario æneo commiſti, excipiantur Terebinthina Veneta pauco oleo proprio diluta, omnia in maſſam debitæ conſiſtentiæ deducendo, diu in eodem mortario conquaſſandam, ad vſus neceſſarios.

Vix hodie Pilulæ vſitatiores occurrunt quam Mercuriales, & quamvis in plurimis Diſpenſatoriis multæ earundem obviæ ſint deſcriptiones, peculiares tamen multo numeroſiores ſunt, nec tamen ad artis normam omnes concinnatæ: Mitto diverſas Mercurij præparationes ad illas advocatas: Idvero compertum volo, deſcriptionem hanc, etſi ex pauciſſimis conflatam, quoad dozes ad amuſſim conſtructam eſſe, ac vix meliorem repertum iri.

Hæ Pilulę ad curationem morbi Venerei præſertim pręſcribuntur: humores virulentia infectos è ſingulis corporis partibus deducunt, per alvum humores vt plurimum evacuant, etſi nonnunquam ptyaliſmum in delicatioribus excitent, atque hac ratione virulenti humoris partem per os excludant; Qua in re Medici prudentia non parum vtilis eſt, ad effectus magis aut minus accelerandos pro re nata; ſicque Naturæ viam maxime adcommodam, ac ægri temperamento morbíque conditioni conſonam patefaciendo.

Harum Pilularum doſis eſt a ſcrupulo vno ad duos, imo & ad drachmam; pro iis qui maxime robuſta corporis conſtitutione donati ſunt: Adſumuntur mane jeiuno ventriculo, in vſu pergendo iuxta neceſſitatem.

Pilulæ ad ſiſtendam Gonorrhœam.

℞. *Radicum Biſtortæ.*
Tormentillæ &
Nymphææ,
Baccarum Hederæ

Seminum

Seminum Lactucæ
Rutæ
Agni caſti,
Succini,
Sanguinis hirci,
Maſtiches,
Olibani,
Lacrymarum ſanguinis Draconis
Nucis Moſchatæ āā. ℥ß.
Cum Terebinthina Veneta fiat maſſa.

Methodus.

Vna contundi poſſunt in majori mortario æneo radices Tormentillæ, Biſtortæ, & Nymphææ, cum baccis Lauri, Seminibus Lactucæ, Rutę & Agni caſti, Sanguine Hirci, Draconis, granato Succino, imo & Olibano: Maſtiche ſeorſim trituranda, Riteque commixti cuncti Pulveres, excalefacto prius magno mortario æneo, eiuſque piſtillo, excipiantur, Terebinthina Veneta, ac in maſſam debitę conſiſtentię deducantur diu conquaſſandam in eodem mortario, & ad vſus aluta oleo madida obvolvendam.

Non indagandi Dracones mortui aut vivi pro comparando Sanguine ad compoſitionem harum Pilularum prȩſcripto, quandoquidem lacrymę hoc loco nominatę, Sanguinis Draconis nomine venientes, Gummi ſunt procerę arboris in quadam Canarienſium Inſularum naſcentis, quam Portum Sanctum vocant, producentis fructum ceraſo admodum ſimilem, in cuius tunica ambiente, inferiore parte, manifeſta eſt, tam affabre a Natura effecta, Draconis effigies ac ſi a ſculptore eſſet delineata; prolixum enim conſpicuum adeſt collum, cauda oblonga, os hians, ſpina dorſi longis ſpinis horrida, cum pedibus & reliqua corporis parte manifeſtis, Eiuſmodi figura fructui impreſſa arbori nomen indidit, ſicut Gummi a rubeo colore ſanguinis vocabulum obtinuit; adeo vt æque nomen Sauguinis Draconis impoſitum fuerit lacrymis ſponte ex prædicta arbore prorumpentibus, quam illis quæ per inciſionem manant, inter quas puriſſimę, & maxime vivido colore præditæ optimæ habentur.

Reiiciendus vero quidam Sanguis Draconis fictitius, compoſitus quippe ex gummi Ceraſino vel amygdalino, diſſolutis & coctis in tinctura ligni Braſiliani, a quo rubrum colorem adipiſcitur, acceptus ſolum hippiatriæ, & pro equorum affectibus externis.

Non minor numerus deſcriptionum Pilularum adſtringentium obvius eſt quam Mercurialium: Vnicuique licet præparare, & in pretio habere proprias, ſed harum præſtantia nemini dubia eſſe debet, dummodo ſincera & legitima adhibeantur medicamenta, debitáque adſit præparatio, ſed & præcautio adſit ne porrigantur priuſquam vniverſa

malignitas expugnata fuerit, at ſolum quando Gonorrhœæ fluor intercipiendus.

Adſumuntur mane & veſperi procul a cibo; Vſus vero ad plures dies protrahi debet,ſi præſertim inſignis vaſorum adfuerit debilitas: Doſis eſt a ſemidrachma ad integram.

Cum porro ſæpenumero occurrant Gonorrhœæ pertinaciſſimæ, remediis nequaquam cedentes, ob ſummam cacoethiam, e re viſum fuit ſequentem deſcriptionem inſerere, vtpote efficaciſſimam in extinguendis veneni impreſſionibus,iiſque abolendis,ad cætera medicamenta rebellibus.

Pilulæ contra Gonorrhœam Virulentam.

℞. Antimonij Diaphoretici recenter parati,
Cinnabaris nativæ, & Antimonij
Terræ ſigillatæ,
Radicis Iridis Florentinæ Liquiritiæ
Succini albi &
Oculorum Cancrorum præparatorum āā. ℥ß.
Myrrhæ electæ,
Olibani
Maſtichis, &
Croci āā. ʒ ij.
Cum Terebinthina Veneta fiat maſſa.

Methodus.

Præparatio Antimonij Diaphoretici, & Cinnabaris Antimonij occurrunt tertia parte hujus Pharmacopœæ: Eligatur Cinnabaris mineralis quam puriſſima, a terreſtribus partibus libera ac quam graviſſima: Subtiliſſime in porphyrite ſuccinum album & oculi cancrorum terantur: Seorſim terantur Myrrha vti & Maſtiche granata, Olibanum, Crocus, Cinnabaris mineralis, & cinnabaris Antimonij, ſicuti & Antimonium diaphoreticum: Vna contundantur in magno mortario æneo radix Iridis, & Liquiritia; Tranſmiſſi pulveres per incerniculum ſericeum,accuratéque commiſti immittantur magno mortario æneo excalefacto cum piſtillo, excipiantúrque Terebinthina, vt fiat maſſa debitæ conſiſtentiæ, diutius in eodem mortario conquaſſanda ad vſus.

Mira præſtant hæ Pilulæ in curatione Virulentæ Gonorrhœæ, ſi præſertim præceſſerint remedia vniverſalia ad ejuſmodi affectus vſurpari ſolita: Adſumuntur mane & veſperi procul a cibo, in vſu pergendo juxta mali gravitatem, qui & ad aliquot ſeptimanas producitur; quapropter vix vltra ſemidrachmam qualibet vice porrigere moris eſt, etiamſi nihil vetat quin ad ſcrupulos duos doſis aſcendat, imo & ad drachmam,

ſi citior effectus & certior deſideretur: Inſenſibiliter fere operantur hæ Pilulæ quarum optatus ſucceſſus ex effectis fere ſolum manifeſtus,& ab vſu diuturniore.

Pilulæ de Terebinthina cocta.

℞. *Terebinthinæ Venetæ in aqua raphani, vel baccarum Alkekingi ad duritiem coctæ* ℥ iv.
Liquiritiæ mundatæ ſubtiliter pulveratæ ℥ j.
Fiat ex arte maſſa.

Methodus.

Lento igne coquenda erit Terebinthina in aqua ſtillatitia Raphani aut Baccarum Halicacabi, vel alterius cujuſpiam plantæ diuretica vi præditæ, donec dureſcat,adeo vt ex illa concinnari poſſint Pilulæ, Tunc effundenda vniverſa a coctione Terebinthinæ aqua ſuperſtes, & priuſquam refrigeſcat commiſcendo Liquiritiam ſubtiliſſime pulveriſatam, ex quibus rite malaxatis fiat maſſa ad vſus ſervanda.

Hæ Pilulæ frequenter in vſum veniunt in Iſchuria, ſive vrinam intercipiat phlegma viſcidum, ſive arenæ, aut originem trahat a malignitate quapiam venerea, Admittuntur etiam initio Gonorrhœæ vt ſemen impurum effluat: mane porriguntur jejuno ventriculo a drachma vna ad duas, vſum ad aliquot dies producendo.

Pilulæ pro morbo Colico D. D. D'Aquin.

℞. *Aloes Socotrinæ electæ, in ſucco Roſarum pallidarum extractæ & inſpiſſatæ* ℥ iij.
Agarici electi ℥ iß.
Extracti Rhabarbari ℥ j.
Hepatis Lupi præparati ℥ vj.
Summitatum Abſinthij ℥ß.
Pulveris Diarrhodonis Abbatis, &
Salis Abſinthij
Nucis moſchatæ ãã. ʒ iß.
Cum Syrupo de Cichorio compoſito cum Rheo fiat Maſſa.

Methodus.

Præparationes Extractorum Aloës & Rhabarbari traduntur tertia hujus Pharmacopœæ parte: Accipiatur Iecur Lupi recens cæſi, a quo removenda cyſtis pellea; id probe lotum vino albo immittatur vaſi fictili vitreato, quod cum operculo probe luto oblito imponendum furno Piſtoris, pane exempto, obſeratóque oſtio ad aliquot horas ſinatur

vas, poſtmodum decruſtandum, Iecur autem invertendum, atque iterum operculum indendum loricandúmque, vas rurſus furno committendo quando panis eductus ex illo fuerit,in quo æquali vt prius temporis ſpatio detinendum, toties immittendo donec ſufficienter exſiccatum adpareat,vt conſervationi idoneum fiat loco ſicco repoſitum.

In magno mortario æneo terantur Abſynthium, Agaricus, Nux moſchata, & Iecur Lupi, quorum pulvis per ſericeum cribrum traducatur; hinc leviter calefaciendum erit magnum mortarium æneum cum piſtillo, vt paulatim colliqueſcant Extracta Aloës & Rhabarbari, quibuſcum commiſcendus Pulvis addita Syrupi de cichorio cum Rheo compoſiti ea quantitate quæ ſufficiat ad cuncta in maſſam legitimæ conſiſtentiæ deducenda,diu in mortario tundendam, & ad vſus reponendam.

Laudati effectus ab his Pilulis manantes ad curationem & mitigationem dolorum Colicorum, illorum præſertim quos a loco, vbi affectus endemius, Pictavienſes vocant, impulere Dominum D'Aquin, primarium Regiæ Majeſtatis Medicum, vt deſcriptionem hanc plurimis aliis, in hac Pharmacopœa obviis, quam publici juris eſſe voluit, adjungeret: Leniter purgant humores ſeroſos & bilioſos, dolorum ejuſmodi parente, illorum congeſtionem præcavendo & fermentationem paroxyſmi cauſam inhibendo: Huic affectui obnoxij alternis diebus ſcrupulum vnum adſumant, vſum ad aliquot tempus protrahendo ad mali mineram extirpandam: Alvum laxam ſervant hæ Pilulæ, leniter vacuant & inſenſibiliter humores colicum dolorem inducentes: Harum doſis augenda ad drachmam vnam ſi larga evacuatio deſideretur: Mane jeiuno ſtomacho ſumantur.

Pilulæ Catholicæ Poterij.

℞. *Aloës Socotrinæ electæ* ℥ß.
Myrrhæ electæ ʒ ij.
Maſtiches ʒ j.
Croci ʒß.
Magneſiæ Saturninæ meteoriſatæ ʒ j.
Cum ſyrupo Roſato ſolutivo fiat maſſa.

Methodus.

E re viſum fuit hic adjungere deſcriptionem harum Pilularum ob egregios effectus ab illis expectandos: Antimonij flores albi, quos *Poterius* obſcuro nomine *Magneſiæ Saturninæ Meteoriſatæ* involvit, generoſum aculeum cæteris medicamentis impertiuntur: Etiamſi vero ſolitarij ſi exhibiti fuerint, vi emetica inſigni præditi ſint, ab hujuſmodi tamen conjunctione qualitatem illam exuunt, adeo vt per inferiora tantum

tum operentur, non ſecus ac cætera medicamenta quibus adſociata ſunt; Horum Florum præparatio extat tertia parte hujus Pharmacopœæ.

Omnia medicamenta electa ſint, ſeorſim vnumquodque conteratur, per cribrum ſericeum tranſmittatur Pulvis, qui exacte commiſtus excipiatur Syrupi quantitate ſufficienti vt in maſſam debitæ conſiſtentiæ abeat, queę diu in mortario conquaſſata adſervanda ſicuti cæteræ Pilulæ.

Poterius harum Pilularum author illas magnifacit adverſus Colicum dolorem, Aſthma, Hemicraniam; Vertiginem, Epilepſiam, imo & ad ſedandos dolores Podragricos: Doſis eſt a granis quindecim ad viginti quatuor, Adſumantur mane jejuno ventriculo.

Pilulæ Hydropicæ Bontij.

℞. *Aloes Succotrinæ* ℥ ijß.
Gummi Gotte ſubtiliter pulverati, & cum vino malvatico ſoluti, lævigati & ſiccati ℥ iß.
Dacrydij eodem modo parati ℥ i.
Gummi Ammoniaci electi ℥ iß.
Tartari vitriolati ℥ iß.
Cum Syrupo roſarum fiat Maſſa.

Methodus.

Trituranda erit Aloë Socotrina in magno mortario æneo, ac traducenda per cribrum ſericeum, Eligendum Gummi Gambodia puriſſimum, ac Dacrydium optimum, quæ ſubtiliſſime ſuper porphyrite lævigata, aut commixta, aut ſeorſum cum æquali vini malvatici pondere poſtea exſiccabuntur: Demum Gummi Ammoniacum granatum & puriſſimum in calefacto modice magno mortario æneo, vt & piſtillo, colliquandum erit; diluendum Tartarum vitriolatum cum omnibus pulveribus æquali ponderi Syrupi Roſarum ſolutivi admiſto, paulatim ſimul omnia ſubigendo; addita iterum Syrupi ea quantitate quæ ſufficiat cunctis jn maſſam debitæ conſiſtentiæ deducendis, diutius contundendam in eodem mortario, in aluta oleo imbuta ad vſus poſtmodum cuſtodiendam.

Præparatio Tartari vitriolati tradetur Tertia parte iſtius Pharmacopœæ, inter Tartari pręparationes.

Harum Pilularum author eſt *Bontius*, olim Principis Auriaci Medicus, qui magni illas faciebat ad exhauriendas Hydropicorum aquas: Eximia quoque illarum eſt efficacia ad reſerandas Iecoris obſtructiones, Lienis

aliorumque viſcerum; Adſumuntur mane jejuno ventriculo à ſemi-ſcrupulo ad integrum.

Pilulæ Tartareæ Bontij.

℞. *Aloës Succotrinæ electæ* ℥ iij.
Lacrymarum gummi Ammoniaci, pauco aceto ſcyllitico dilutarum ʒiß.
Tartari vitriolati ʒß,
Fiat ex arte Maſſa

Methodus.

Subtiliter ante omnia trituranda Aloe, excalefaciendum mortarium æneum, vt in eo colliqueſcant lacrymæ gummi Ammoniaci, pauco aceto ſcyllitico infuſo emoliendæ, hoc excipiatur Aloë pulveriſata cum Tartaro vitriolato; Cuncta in debitæ conſiſtentiæ deducantur maſſam, diutius in eodem mortario contundendam, ac in aluta oleo madida ſervandam.

Multæ extant Pilularum Tartarearũ apud plurimos auctores deſcriptiones, ac inter cæteras vna multifariæ compoſitionis in Quercetani Pharmacopœa occurrit; cui prior proculdubio eſſet inferior ſi a numero ingredientium deducenda eſſet medicamentorum præſtantia: poſterior tamen potior cenſetur, quę cum ſimpliciſſima ſit, neque arduæ præparationis, non minores tamen effectus editura eſt: Hæ enim Pilulæ vtramque bilem optime expurgant, humoréſque craſſos & tartareos, ab intimis corporis partibus eos educendo.

Præſcribuntur felici ſucceſſu in Furore, ac effectibus Melancholicis, in Hypochondriis præſertim fomitem nactis: Valent adverſus Lepram, Cancrum, Febrem quartanam & morbum Venereum; Reſerando enim omnium viſcerum meatus, educendóque vitioſos humores, vniverſam maſſam ſanguineam puriorem reddunt.

Doſis eſt a ſcrupulo vno ad drachmam: adſumuntur mane jejuno ventriculo, imo in ipſo menſæ introitu.

Pilulæ Tartareæ Schroderi.

℞. *Aloës lucidæ in ſucco fragorum extractæ* ℥j.
Lacrymarum gummi Ammoniaci ℥ ijß.
Magiſterij Tartari purgantis, in aqua bugloſsi aliquoties ſoluti & coagulati
Extracti Gentianæ ãã. ℥ ij.
Salis martis ſubdulcis
Extracti Croci aa. ℥j.
Cum Tinctura Tartari fiat Maſſa.

Methodus.

Methodus.

Hæ Pilulæ ad tertiam partem hujus operis ablegandæ videbantur, eo quod ex præparationibus Chimicis vtplurimum conſtent, at cum Tartarearum nomen inditum ſit, inter Pilulas locum conceſſum illis volui.

Eligatur Aloë Socotrina pellucida; paretur ex illa Extractum ope ſucci Fragorum rite depurati, eadem via procedendo quam indicavi vbi de Extractorum præparatione, quo in loco etiam occurrent Extracta radicis Gentianæ & Croci: Adeſt & præparatio Salis Martis Riveriana, admodum conſona ſcopo authoris harum Pilularum, quandoquidem Acidum ſpiritui vitrioli inexiſtens, ad diſſolutionem Martis neceſſarium, ſi præparatione comparare volueris id quod vocant Sal, non mellius edulcorari pôteſt quam a ſpiritu volatili ſpiritus vini illi addito: quo in loco Lector rationes meas deprehenſurus eſt circa prædicta: Præparationem & Magiſterij purgantis Tartari, ejuſque Lincturæ eodem loco traditurus ſum.

Schroderus harum Pilularum author ſcribit tandem, diutius apud ſe ſuppreſſam harum Pilularum deſcriptionem, ob effectuum præſtantiam & certitudinem, publici juris feciſſe, vt pote remedii admodum idonei ad evacuandos humôres tartareos & mucilaginoſos imo ventre conceptos, ac feliciter expugnandos affectus ex iiſdem originem ducentes: Adſumendæ ſub veſperam initio cœnæ ſemiſcrupuli pondere, effectum poſtridie mane expectando.

Pilulæ de Sagapeno Camilli.

℞. *Lacrymarum Sagapeni* ℥ vj.	*Dacrydij* ʒß.
Ammoniaci ʒ iij.	*Salis Gemmei* ʒ iß.
Extracti Trochiſcorum Alhandal ℥ j.	*Cum Syrupo violato acidulo fiat Maſſa.*

Methodus.

Poſtquam paratum fuerit Extractum Trochiſcorum Alhandal, ſicuti ſuo loco demonſtraturus ſum, & ſubtiliter trita fuerint Diacridium & Sal Gemmeum, Gummata non ſicuti præcipit author diſſolvenda ſunt & coquenda, ſed adſumendæ lacrymæ puræ, ac in grandi mortario æneo modice excalefacto, cum piſtillo, paulatim liquefaciendæ ſunt, deinde commiſcendum Extractum Trochiſcorum Alhandal, vt & pulveres Dacrydij & Salis gemmei, addendo quantitatem ſufficientem Syrupi vio-

lacei, acidiuſculi redditi ab affuſo pauco ſpiritu vitrioli;cuncta deducendo in maſſam debitæ conſiſtentiæ, eadem via procedendo ac ad cæterarum Pilularum præparationem.

Has Pilulas magnifacit Camillus, atque eum,ſequutus Quercetanus, ad Febris Quartanæ curationem, adſumendam jubentes Pilulam vnam piſi magnitudine inchoante paroxyſmo, in vſu pergendo donec cauſa morbifica exhauſta fuerit, Inſenſibiliter enim diſſolvunt humores tenaces & viſcidos, eoſdémque per ſolitas vias educunt: Meliorem autem ſortientur effectum ſi ante, & in ipſo Pilularum vſu, alia remedia præſcripta fuerint,præparandis & vacuandis humoribus idonea.

Inſertas nolui huic loco Pilulas quaſdã deſcriptas & laudatas a Quercetano,quarum baſis eſt Euphorbium, a quo nomen deducunt: Tum quia facultates ab illo adſcriptæ communes ſunt plurimis aliis Pilulis;tum quod Euphorbium interius adſumptum, etſi ad mentem authoris præparatum, proculdubio ſtragem in corpore (ſi priſtinam reſumat naturam) editurum eſt.

Etſi enim præparatio a *Quercetano* inſtituta rationi admodum conſona ſit, ac verum ſit Euphorbij acrimoniam, partibus volatilibus quibus turget inſitam, commodius obtundi non poſſe quam per admiſtionem acidorum, id quod conſequi ſperat affuſo ſucco Citri aut Spiritu Vitrioli, Id tamen compertum eſſe debet volatilia, etiamſi naturam exuere videantur cum acida illis adjuguntur, atque quoad minimas particulas commiſta ſunt, ob intimam affinitatem inter vtraque intercedentem, & arctam illam conjunctionem,primo quidem occurſu obtundere poſſe actionem quam vnumquodque ſeorſum edere valebat, nihilominus priſtinam naturam nequaquam exuere; adeo vt acidum Euphorbio additum, ſi in ventriculo forte occurrat cuipiam alteri volatili, cum proculdubio ſtatim illi adhæreſcat, non ſecus ac ſi Euphorbio ſeſe adjunxiſſet; hoc autem liberatum & extricatum ab Acido cui conjunctum fuerat, protinus priſtinam indolem reſumat, neque minores tumultus editurum ſit quam ante initum cum illis commercium; quod hebeſcere demum poteſt ab occurſu in ventriculo cujuſpiam alterius acidi, à quo ſaturari & inebriari, vt ita dicam,queat; adeo vt a cæteris purgantibus ſejungatur ac cum excrementis extra corpus educatur, antequam perniciem qua donatum eſt exſerere valeat: Quibus rationibus iterum inductus a priore ſententia non recedo, ſcilicet ſatius eſſe omnino abſtinere ab interno vſu Euphorbij, quam adhibito ſtudio inquirere media per quæ indolem mutet; quæ ad tempus domita videtur, revera tamen malitiæ tenax eſt, niſi præcipuæ illius partes ad interitum deductæ fuerint.

Neque

Neque etiam præſens caput in molem devenire volui additis plurimis aliis Pilularum deſcriptionibus, olim admodum vſitatis, quas cuilibet in vſum adducere licet; Sed adde quod in illarum præparatione nihil ſingulare occurrit, ac diverſum a commemoratorum compoſitione, cenſeo me ſufficientem adduxiſſe numerum quo Pharmacopolium abunde inſtruatur.

PHARMACOPOEÆ REGIÆ GALENICÆ

Liber Secundus.

De Præparationibus & Compoſitionibus Medicamentorum Externis.

Caput Primum.

De Oleis per Expreſſionem elicitis.

Remediorum internorum & externorum vſus cum vnicum finem habeat, hominis ſanitatem; Ea vero inter vtraque ſit adfinitas, vt plurima illorum quæ in priorum categoria referuntur ad poſteriorum quoque vſum revocari queant, non facilis fuit diſtinctio compoſitionum vſus externos ſpectantium ab illis quæ internos, quin exceptiones ſæpenumero occurrant: Sicuti id manifeſtum in Confectione Kermeſina, quæ vt plurimum ore adſumitur ad cordis & principum partium robur, attamen epithematis formà & cordi & ventriculo vtiliſſime admovetur: Vt in Oleo Scorpionum compoſito, contra venena uſurpari ſolito, quod præſertim valet cordis regioni, ventriculi, temporibus illitum &c. Sed & etiamnum ore ſumendum exhibetur eundem in finem: mitto plurimas alias compoſitiones, & multa particularia mixta, intus & extra locum habentia; adeo vt nequaquam mirum eſſe debeat ſi inter Compoſitiones, Externis acceſeri ſolitas, nonnullæ occurrant vſibus internis idoneæ, quandoquidem ore etiam vſurpantur, ac in ſpecie plurima Olea, & præſertim Olivum, quod præterquam quod frequentiſſime exterius in vſum ducitur, crebróque in alimentum venit, ſæpiſſime etiam potandum datur, ſeorſim aut aliis medicamentis commixtum.

His poſitis, initio ducto enumerationis Remediorum Externorum ab Oleis, id prius dixero, Olei nomen inditum fuiſſe Liquoribus craſſis, oleagineis & inflammabilibus, ſponte fluentibus, vel ex rupibus, ſicuti

ſicuti Oleum Petroleum, aut ex Plantis, vt Opobalſamum; aut qui artificio e plurimis mixtis extrahuntur, frequentiſſime vero ex vegetabilium familia, quorum varietas non minor eſt quam mixtorum illos ſuppeditantinm: Ad Oleorum genus non revoco pinguedinem Animalium, etſi vnctuoſa ſit & inflammabilis, ac ſæpenumero plurimorum Oleorum, cum variis animalium partibus compoſitionem ingrediatur: Caput hoc adſignatum præcipue erit Oleis per Expreſſionem eductis, aut Decoctionem, aut illis in qua vnius aut plurium mixtorum facultas transfertur, quibus cognomen Simplicis aut Compoſiti imponitur; de Stillatitiis Oleis acturus, eorumque præparatione tertia iſtius Pharmacopoeæ parte.

Fructus, Baccæ, Semina, partes ſunt plantarum quæ maxime Oleo pollent, etſi cæterę partes illo non careant; Sed inter cæteros fructus Oliva omnium maximam profundit Olei quantitatem, cuius vbique ſumma vbertas eſt: Huius non minor eſt ad alimenta quam medicamenta vſus, cui ob frequentiam κατ' ἐξοχὴν Olei, citra Olivi additamentum nomen impoſitum eſt: Ex illorum eſt genere quæ Expreſſione educuntur: Maximus & præcipuus illius vſus eſt ad excipiendas & continendas vires diverſarum partium plantarum aut animalium, eorum deinceps nomine inſigniendi baſin præbendo maximæ parti oleorum ſimplicium & compoſitorum, quorum præparatio per infuſionem aut decoctionem in Pharmacopoliis ſolennis eſt.

Supervacaneum eſt huc inferre modum olei ex Olivis extrahendi, tum quod hujuſmodi præparatio in regionibus ſolum Orientalibus locum habeat, in quibus Olivæ familiares ſunt, tum quia incolis, omnibus pene ruſticis id operis committitur.

Plurimi authores cenſuere Oleum quo vetuſtius eo ad vſus medicos aptius eſſe, adeo vt aliquando Oleum centum annorum præſcriptum fuerit; Locorum tamen incolæ, vnde Oleum ad nos defertur, recens & puriſſimum cuicunque alteri præferunt, præſertim in vſum culinarium, quod vt plurimum & dulcius ſit & guſtui gratius: Etſi vero bienne aut trienne, imo nec quadrienne in contemptum veniat, id tamen experimento conſtat olea vltra dictos terminos adſervata tandem craſſeſcere, atque tantam ſpiſſitudinem nanciſci vt ſolum vnguentis conficiendis idonea ſint, Emplaſtris, aut Saponi.

Olei duplex genus præparandum præcepere antiqui, quorum vſitatiſſimum eſt id quod ex olivis perfectam maturitatem adeptis extrahitur; alterum vero ex immaturis; poſtremum hoc Omphacini nomine donantes, quod ſtatuunt priori majorem adſtringendi & refrigerandi facultatem obtinere, hoc admittentes ad compoſitionem Oleo-

rum aliorúmque remediorum in quibus hujuſmodi qualitates expetebantur: At vero vnde repetendum hoc oleum Omphacinum, vix quiſpiam divinarit, quandoquidem Olivæ immaturæ pauciſſimum effundunt Oleum; in regionibus quippe feracibus Olivarum, ars ignota eſt ex Oleis maturitatem nondum conſequutis Oleum extrahendi: Sed quanquam hoc Oleo antiquorum Omphacino deſtituamur, Olea ex olivis maturitatem adeptis elicita viribus illis æquiparanda erunt; quandoquidem in noſtra eſt poteſtate illa donare qualitatibus vix diſſimilibus illis quæ Omphacino adſignantur, ope lotionum aut infuſionum, imbutarum viribus quibus Oleum efficere intendimus, dummodo id quod præparandum venit puriſſimum ſit, omnis alienæ qualitatis expers.

Oleum Amygdalarum dulcium.

℞. Amygdalarum dulcium, putaminibus & cute membranoſa purgatarum, quantum libuerit.

Contundantur exactiſſime in mortario marmoreo piſtillo ligneo, deinde Sacculo forti cannabino incluſæ torculari committantur, & dein primo lente, dein fortiter exprimantur, ſervetúrque expreſſum Oleum.

Methodus.

Ex cunctis Oleis per expreſſionem elicitis in Pharmacopoliis occurrentibus, nullum eſt Amygdalino dulci vſitatius; cuius educendi ratio etiamſi tyronibus committenda videatur, Magiſtris tamen curæ eſſe debet vt ſecundum artem extractio procedat: Eligantur Amygdala quam recentiſſima, ſucculenta, rite ſicca, putaminibus liberata; rariori cribro verſentur excutiendi gratia pulveris; aquæ calidæ immergantur, in qua detinenda donec cuticula molleſcat, ac ſoli digitorum preſſui cedat, hac abjecta inſternantur amygdala linteo mundo exſiccationis caufa: Poſtmodum immittantur mortario marmoreo, piſtillo ligneo contundenda donec maſſa æqualis fiat, oleumque effundere incipiat: Paſta hæc poſtmodum ſacculo novo cannabino forti immittatur, cuius ore probe conſtricto, inter duas laminas e ſtanno puro confectas reponatur, vel duos aſſeres ferro albo intus munitos: Torculari hæc committantur, leniter primo comprimendo, deinceps validiſſime; diu ſaccum in torculari detinendo, vt oleo exitus tempus concedatur; Si quis præ impatientia initio fortiorem compreſſionem amygdalinæ maſſæ adhiberet, magmatis ille partem per ſacci poros exprimeret, oleúmque turbidum eliceret; id quod nequaquam metuendum ſi methodo meæ ille inſtiterit.

Præceptum

Præceptum fuit antiquorum in Maris Balneo, aut alio quopiam, ex-calfieri debere Amygdala alióſque eiuſmodi fructus, præmiſſa illorum contuſione, antequam prælo ſubderentur, ad majorem olei copiam prolectandám, Concedo equidem hac ratione vberius oleum emanaturum, guſtui vero id futurum eſt inſuavius, minori refrigerandi vi donatum; Neque tamen omnino neceſſe eſt cuticula amygdala ſpoliaſſe, in vſum videlicet eorum quibus palatum minus delicatum eſt, dummodo prius ſucco ex tela denſiori facto incluſa fuerint, diutiúſque ad nonnullam deglubationem ac pulveris excuſſionem conquaſſata; Vel ea præſertim ratione quod maſſa amygdalina melius intra clauſtra contineatur, nec per ſacci poros evadat, cortice exitum prohibente, ſoliditatem æque illis præbente, Oleum vero eductum non minus oculis & guſtui gratum ſit.

Oleum Amygdalinum dulce in magna eſt commendatione ad leniendas Tracheæ arteriæ & Pulmonum aſperitates: Dolores Colicos ſedat, præſertim Nephriticos, Vrinæ difficultati medetur; Partum facilem reddit: Tormina hunc ſubſequi ſolita demulcet: Tuſſis moleſtiam in adultis æque ac juvenibus mitigat; ventris dolores infantium ſiſtit: Paucis, ſuccurrit in genere affectibus quibuſcunque lenitione, emollitione, lubrificatione aut temperatione caloris vel acrimoniæ humorum egentibus.

Vſus illius vel internus eſt vel externus: Seorſum procul a paſtibus exhibetur: Commiſcetur etiam Eclegmatis, Syrupis, Emulſionibus, & Potionibus.

Doſis eſt a ſemuncia ad unciam integram, imo & binas: Admittunt & hoc Enemata anodyna & lubricantia ab vncia vna ad duas vel tres: Venit etiam in vſus externos, ſeorſum, aut vnguentis Pomatis commixtum, vel Linimentis, lęvigandæ ergo cutis, ac conciliandæ Pectoris muſculis relaxationi, ſi ægrius moveantur.

Oleum Amygdalarum Amararum.

℞. Amygdalarum amararum quantum libuerit.

Contundantur exactiſsime in mortario marmoreo piſtillo ligneo, moderate deinde calefiant & torculari exprimantur.

Methodus.

Eadem ratione qua Amygdalinum dulce poſſet præparari, at cum admodum raro in vſum internum veniat, ac ſolummodo in affectibus in quibus palati ratio non habenda, nulla ratio impellit ob quam cortice

ſint liberanda : Imo modice excalfieri poſſunt poſt triturationem, cum torculari exponenda, eodem tempore laminas calefaciendo : Sed illico valida manu non premenda, ob rationem allatam cum de dulcibus fuit mihi ſermo : Amaror hæc Amygdala a dulcibus dirimens, in parte tantum craſſa & terreſtri ſitum habet, adeo vt oleum ex his expreſſum non minus quam cæterorum dulce ſit, ſuperſtite in magmate amaritie, quod etſi homini, plurimíſque animalibus innoxium ſit, Gallinis tamen præſentiſſimum eſt venenum.

Oleum Amygdalarum amararum admodum convenit emolliendis duritiebus, inflammationibus & conſtrictionibus collo vterino ſupervenientibus : Plurimam quoque opem fert Renum vitiis laborantibus, a quadam pituitæ congeſtione, arenularum, calculorum, vt & iis qui ſtranguria aut dyſuria laborant : Cephalalgiæ medetur, Surditati & Aurium tinnitui ; Faciei maculas delet, cutíſque lenit aſperitates, præſertim valet in herpete miliari & farinaceo.

Exterius adhibetur, ſeorſim, aut Linimentis commixtum, vel vnguentis Pomaceis ; Interius adſumitur a ſemuncia ad vnciam integram, ſolum aut Emulſionibus commixtum, aliiſve Potionibus : Poteſt & commiſceri Clyſteribus carminantibus, ſicuti & Oleum Amygdal. dulcium.

Oleum Nucum Iuglandium, & Avellanarum.

Nucum Iuglandium & Avellanarum Olea, eodem modo quo oleum Amygdalarum dulcium parari poterunt.

Oleum Iuglandium vulgarium, & Avellanarum non diſpari ratione ac amygdalinum parandum eſt : Sed maſſa excalefacienda non eſt ſi hæc olea internis vſibus deſtinentur, aut in Coſmeticen veniant : quo pacto Oleum & palato gratius futurum eſt, & naribus, minoríque calefaciendi vi pollebit.

Oleum Nucum juglandium ſingulare eſt adverſus quemvis Colicum dolorem præſidium, præſertim a flatibus oriundum : Nec minus valet in Contuſionibus & Puncturis nervorum, Scabie, Impetigine & Tumoribus : Exterius etiam vſurpatur contra faciei fuſcedinem a Sole inductam ; Sæpius præcautionis gratia menſe Martio illam illinendo : Eundem in finem puellarum recens natarum vultus inungitur.

Doſis & vſus ratio prope eadem quæ Olei Amygdalini dulcis, In Enematis tamen nonnunquam ad vncias quatuor, imo & libram ſemis admittitur, vehementi dolori Colico ſedando dicatis, vrinæ commiſcendo aut vino Hiſpanico.

Facul-

Facultates Olei ex Avellanis expreſſi cum viribus Olei Nucum juglandium admodum conveniunt: In vſum adducitur adverſus articulorum dolores, tum potu tum illitu, imo & contra venena ac morſus Serpentum, vnciæ vnius pondere præbendo: Commodiſſime etiam præſcribitur ſolum aut remixtum axungiæ vrſi, vel vnguentis Pomaceis, ad pilorum incrementum aut deficientium ſupplementum.

Oleum Cryſomelinum, ſeu ex Nucleis Malorum Armeniacorum & Perſicorum

Olea Perſicorum & Armeniacorum per expreſsionem vt prædicta olea extrahuntur.

Methodus.

Expreſſione educuntur Olea ex nucleis malorum Perſicorum & Armeniacorum; non ſecus ac prædicta.

Parum viribus diſcrepant ambo hæc Olea: Admodum probatur illorum vſus in doloribus, Obſtructionibus & Aurium Tinnitu, imo & in Surditate, ſi calide ex pauco goſſipio immiſſa fuerint; Dolores Hæmorrhoidum demulcent, Tumores in illis obortos diſcutiunt, vſurpanturque in curatione vulnerum & vlcerum inibi ſuborientium: Multum etiam commendantur in necandis lumbricis & infantium & adultorum, adſumpta a drachmis duabus ad vnciam vnam: Cui rei etiam conducunt ipſi nuclei malorum Perſicorum & Armeniacorum, contriti & Emulſionis forma exhibiti, quinimo & Ictero in vtroque ſexu, ſi diutius in vſum veniant.

Oleum Balaninum.

Oleum Balaninum eodem quo præcedentia modo paratur.

Fructus Ben, quem Balanum Myrepſicam vocant Græci, Latini Glandem vnguentariam, oleum per expreſſionem emittit, ſicuti fructus antedicti; Ben fructus eſt triangularis fere formæ, corticis pallidioris, tenuioris, lenis & fragilis: Fructus ſubſtantia alba eſt, ſicuti & illius Oleum, quod non ſolum inodorum, ſed etiam maxime idoneum facile excipiendis odorum impreſſionibus, ipſi committendis: Id etiam ſingulare obtinet quod non ſicuti cætera olea rancorem contrahit, ac incorruptum diutiſſime perſeverat: Quamobrem ſuffumigatores illo vti ſolent ad excipiendum & conſervandum odorem quorundam florum, quibus illis carendum eſſet niſi accederet hoc Oleum.

Ad multa vtile dicitur Oleum Fructus Been, ſed præcipue ad faciei Lentigines delendas, cæterarumque corporis partium, ſeorſum aut vn-

guentis Pomaceis remixtum: Aurium dolores demulcet, bombóſque illarum diſcutit, commixtum axungiæ anſerinæ, illiſque inditum: Vtile eſt ad referandas obſtructiones, emolliendas & digerendas Iecoris & Lienis, aliorumque viſcerũ durities, interius vſurpatum: In vſum quoque ducitur in affectibus nervorum frigidis & articulorum, imo ipſa arthritide, partibus ægris id admovendo.

Doſis eſt a ſemidrachma ad drachmas duas ex vino albo aliove liquore.

Iuxta eandem methodum Oleum plurimorum ejuſmodi fructuum ac ſeminum non diſſimilis naturæ elicere licet, exempli gratia Phiſticorum, nucleorum Pineorum, Seminum frigidorum majorum, Malorum Aurantiorum, & Citriorum, Seſami, Ricini, Pæoniæ, Cannabis, Sinapi, Ebuli, Hyoſcyami, Lactucæ, Papaveris, Carthami &c. quibus ſingulis ſuæ ſunt dotes, etſi in officinis Pharmaceuticis illa adſervare in more non ſit, at vſus ſolum tempore præparentur.

Oleum Seminis Aniſi per Expreſsionem.

Semen Aniſi mundatum & pulveratum, ſupra cribrum inverſum ſub lance ſtannea vapori aquæ fervcntis per horæ ſemiquadrantem exponatur, vt vaporibus fervidis omnino penetretur & bene calefiat; tunc forti & denſo ſacculo diligenter incluſum prælo calido citiſsime exprimatur, & extillabit Oleum viride guſtui gratiſsimum.

Methodus.

Hujus Olei præparatio extat in prima editione Tractatus cujuſdam Chymici, a me compoſiti, alienoque nomine emiſſi ante duodecim vel tredecim annos: Sed id ſcio apud nullum authorem, qui me anteiverit, illam deſcriptionem repertum iri; me enim primum inventorem eſſe palam facio.

Eligendum eſt ſemen Aniſi quam recentiſſimum, ſicciſſimum, ſucci plenum; eodem modo purgandum ac ſi in compoſitionem aliquam admitti deberet, conterendum & per incerniculum ſetaceum denſum tranſmittendum: Accipiatur libra vna huius Pulveris, impleatur hoc lancis pars concava, quæ cum marginibus infra cribrum ſetaceum collocari queat: Cooperiatur lanx parte cribri infima, admotaque vna manu parti ſetaceæ cribri, quod contingere debet ac cooperire lancem pulvere Aniſi oppletam, altera manu convexæ lancis parti, cuncta ſubito invertantur, adeo vt pulvis ſede mutata cribri parte ſetacea excipiatur, lance autem cooperta ſit: In parato eodem tempore eſſe debet ſartago

cuprea

cuprea, proportione reſpondens, eóque modo fabrefacta vt cribrum Pulverem excipiens inniti illi queat,neque tamen in fundum ſecedere: Illi infundantur aquæ tres circiter Pintæ; impoſitàque ſummæ fornaci ſartagine, fervefactàque aqua curandum vt pulvis Aniſi huius vaporem excipiat per octavam horæ partem, aut donec vapores ex aqua fervente ſuſcitati pulverem intime ſubierint,nec manus appoſita æſtum lancis coo-perientis tolerare queat: In parato interim fuerit etiam ſacculus canna-binus validus & denſus, cui calefacto quam citiſſime fieri poterit immit-tendus erit Pulvis Aniſi; arctéque conſtrictus ſupra pulverem ſacculus prelo erit immittendus inter duas laminas calentes, exprimendúmque oleum citiſſima & quam validiſſima manu fieri poterit: Quo pacto ex libra vna Aniſi ſeminis extrahetur vncia vna & ſemis, imo vnciæ duæ olei, virentis admodum coloris, dulciſſimi & gratiſſimi, ſaporem aniſi manifeſte præ ſe ferentis.

Non dubito quin eorum plurimi quibus ignota hæc præparatio, aut nunquam viſa, mirabundi ſint, Pulverem piſtillo adeo renitentem, tan-tæque ſiccitatis, oleum per expreſſionem effundere poſſe; adde quod ve-riſimilius videatur ex Caryophyllis aromaticis, qui vnctuoſi magis vi-dentur, ac nihilominus hac methodo nihil emittunt, oleum poſſe elici; Nihil tamen obſtat quin itidem ex ſeminibus ſubſtántia & partium ſimi-litudine Aniſo propemodum reſpondentibus oleum obtinere liceat.

Oleum Aniſi plurimi fit ad flatus imo ventre conceptos diſcutiendos, mulcendóſque Colicos dolores ex tali cauſa excitatos: Valde etiam ido-neum eſt ad corroborandum ventriculum, alimentorum digeſtionem promovendam, iuvandámque probi illorum ſucci in ſingulas corporis partes diadoſin.

Concedo equidem Oleum dicto modo præparatum minus purum eſſe, minus penetrabile quam id quod per diſtillationem extrahitur,ſed minori acrimonia præditum eſt, ac minori quantitate exhibere id licet, imo ad drachmam vſque integram ex vino, juſculo, liquore quo-piam idoneo; Ad Illitus etiam vſurpari poteſt,ventriculi, vmbilici, ab-dominis, in colico dolore flatulento: Licet & guttas aliquot pulticulis infantium infundere ſi tormina ventris illos infeſtaverint.

Oleum Nucis Moſchatæ.

Eligantur Nuces Moſchatæ pleniores, pinguiores & ponderoſiores; ſubtiliter pulverentur, & eodem modo quo ſemen Aniſi aquæ ferventis vapore calefactæ, & ſacculo incluſæ, torculari calido diligenter & fortiter expro-mantur, & ſervetur Oleum.

Methodus.

Iſtius Olei præparatio nihil quicquam diſcrepat a præcedenti ſeminis Aniſi: Sin cura adfuerit eligendarum Nuciſtarum ſucculentarum, pinguium & gravium, trajectus fuerit illarum pulvis per incerniculum ſetaceum denſiſſimum; ac ad vnguem ſervata methodus a me præſcripta ad extractionem Olei ſeminis Aniſi per Expreſſionem facti, certiſſimum eſt ſucceſſum facillimum fore, ac certiorem quam ſi alia ratio adhiberetur; atque Oleum puriſſimum ſtillaturum, gratiſſimi coloris, ſuauiſſimíque odoris, ac futurum vt Nuces Moſchatæ majorem olei quantitatem, imo plus parte media quam Aniſum profundant: Oleum hoc liquidum adparet & limpidum expreſſionis tempore, ſicuti cætera olea, ac dum adhuc calet, ſed ambienti frigido expoſitum illico concreſcit, colorémque tunc flavum elegantem exhibet, ad rubrum vergentem, conſiſtentiæ vtcunque ſolidæ.

Hujuſmodi præparationem Olei Nucis Moſchatæ, olim juxta hanc Methodum, Tractatu a me de Theriaca edito, publici juris eſſe volui; quo loco illis ſuccenſui, quibus, quorundam antiquorum præcepta ſequutis, ſatis eſt in ſartaguncula Nuces moſchatas contritas calefeciſſe, ac calide proliciendum oleum expreſſiſſe; Eo quod eiuſmodi incaleſcentia proculdubio accerſat diſſipationem partium tenuiſſimarum, maxime volatilium & odoratiſſimarum Nucum moſchatarum, Inſignem imminutionem quantitatis olei, alias majoris expectandæ, ac Coloris manifeſtam immutationem: Neque illis etiamnum aſſentiendum iudico, qui cum Oleum Nucis Moſchatæ numero expreſſorum accenſuerint, abſque igne id elici jubeant; In ea enim ſum ſententia eos qui talia conſcripſerunt, incogitanter ſimilia emiſiſſe, operi manum nunquam admoviſſe, neque ab altero admotam vidiſſe: Illos prætermitto qui præparationem illius aliquam tradituri a recta deflexerunt via, neque præceptis meis auſcultarunt.

Oleum Nucis Moſchatæ aptiſſimum eſt emendandæ ventriculi intemperiei humidæ & frigidæ, vt & partium principum: Modice enim excalefaciendo humores diſcutit ac partibus ſimul robur addit, vomitus ſiſtendo, ac ventriculum & inteſtina officio priſtino reſtituendo: Præſcribitur ad anhelitus fœtorem emendandum, oriundum a putridis humoribus in ventriculo latentibus; ad concoctionem promovendam, appetitum ciendum, & Venerem ſegnem inſtigandam.

Interius adſumitur ex carnium juſculo, ſex granorum pondere, imo & ad ſcrupulum vnum; Venit & in vſus externos, illinendo regionem ventriculi

triculi ſupernam, id prius liquefaciendo in cochleari aut diſco: Genitalia etiam inunguntur ad rem Veneream excitandam: Vtiliſſimum præterea cenſetur contra cerebri frigidos catarrhos, tempora inungendo ac cranij ſuturas: Inungitur & vmbilicus in colico dolore: Commodiſſimi eſt vſus in Balſamis Apoplecticis vocatis, quorum baſin conſtituit, tum ob ſuaveolentiam, tum ad robur cerebro partibúſque principibus conciliandum, vel ad vteri vapores diſcutiendos.

Oleum Florum Nucum moſchatarum, Macis vocatarum; iiſdem propemodum facultatibus donatum, per expreſſionem etiam extrahi poteſt; Poteſt & diſtillationis ope vtrumque elici; Has autem præparationes in tertiam Pharmacopœæ partem remitto.

Oleum Ovorum.

Accipe Ova recentia N°. C. vel quantum libuerit, coquantur in aqua communi donec penitus induruerint, reiectiſque albuminibus, vitellos comminutos igne moderato in ſartagine aſſa, ſpathula vel cochleari oblongo ſæpius movendo donec rufeſcant, & veluti pinguedinem exudent: fer- ventes ſacculo forti cannabino excipe, prelo calido commiſſos feſtinanter exprime, expreſſúmque Oleum vſui ſerva.

Methodus.

Eligantur Ova recentia, vel ſaltem non vetuſta; in aqua elixentur ad perfectam duritiem, poſtea demptis putaminibus & albuminibus, vitelli comminuantur, immittantúrque ſartagini, igne carbonum moderato accenſo; ex intervallis ſpathula agitentur, vel oblongo cochleari, imo circa finem continuo, inibi detinendo donec rufeſcant, oleúmque fundere incipiant: Tum leniter pauco ſpiritu vini irrorati indendi erunt ſacculo ex tela cannabina denſa prius calefacto, qui arcte conſtrictus, & prelo inter duas laminas commiſſus, valide comprimatur, Oleum celeri & dextera manu eliciendo, ad vſus.

Oleum Ovorum præſtantiſſimum cenſetur ad delendas cicatrices cutis illiùſque nævos, præſertim ſuperſtites à Variolis aut Ambuſtionibus: Aurium dolores mitigat ſicut & hæmorrhoidum; capillorum incrementum promovet, Scabiem ſanat & Impetiginem, reſolvit & abſumit tumores in ore oriundos: admodum convenit fiſſuris mammarum, manuum, pedum & ani ſanandis: Expurgat quoque vlcera, eorumque ſedat dolores ſicuti & omnium partium nervoſarum: Admovetur & Ambuſtis ad curationem.

Quibus ab empyreumate metus eſt, quod a ſartagine Oleo Ovo-

rum imprimi poteſt, ij commodiſſime vti poterunt vaſe fictili vitreato ad ovorum torrefactionem, ſi præſertim oleum Coſmeticum faciei eſſe debeat: quem in ſcopum, vt oleo omnis empyreumatis inuſtio decedat, & refrigerandi vi id polleat; ac ſimul candorem inducendo idoneum id fiat Pomaceorum vnguentorum compoſitioni, id Oleum Menſe Maijo parandum, idque nocturno rori & matutino exponendum, atque illic detinendum donec gravis odor recedat, ac color candorem nactus ſit; Matronis Galliæ Narbonenſis ignota non eſt præparatio.

Oleum Laurinum.

℞. Baccarum Lauri recentium perſecte maturarum quantum libuerit.

Tritæ & lebeti commiſſæ in aqua ſufficienti quantitate per ſemihoram bulliant, colentur, & fortiter exprimantur, Refrigeratúmque Oleum pinguedinis inſtar aquæ ſupernatans colligatur: Expreſſum vero magma iterum teratur, & in aqua ſuperſtite, & recentis portione aliqua iterum per ſemihoram bulliat, coletur & exprimatur, vt prius, collectumque ſupernatans Oleum ſeorſim ſervetur.

Methodus.

Oleum hoc vix recte præparabile alibi quam in regionibus calidioribus, vbi Lauri ſuppetit copia; Antiqui, necnon plurimi Neoterici, jubent Baccas Lauri antequam aquæ committantur prius contundi; Alij volunt integras prius in aqua fervere dummodo admodum recentes ſint & perfectam adeptæ ſint maturitatem: Vtramque Methodum probo, exiſtimans Baccas integras, cum in ſuperficie ſua maximam & optimam Olei partem obtineant, earum vero cortex ſat tenuis ſit, facillime illud oleum exudaturum, nulla accedente contuſione, nova vero accedente fervefactione prædictarum Baccarum, iterum Oleum ex illis elici.

Satius vero eſſe exiſtimo illas contriviſſe, poſtquam pars prodiit Olei, ad faciliorem reliqui extractionem, quod in maxime compacta Baccarum parte reſidet, aquæ ſupernataturi, procedendo ea ratione quam indicavi: Interim nemini dubium eſſe debet quin prius Oleum e Baccis eliciendum, & ſaturatiorem obtinere debeat viridem colorem, & purius futurum ſit, & præſtantius illo quod poſtremo extrahendum eſt; quamobrem conſultum eſt ſeorſum vtrumque recondere.

Eadem ratione eliciendum cenſeo Oleum Baccarum Lentiſci, Myrtillorum & aliarum oleaginearum.

Oleum

Oleum Baccarum Lauri emendat frigidam intemperiem omnium corporis partium, tum ſimplicem,tum compoſitam, cum pituita aut flatibus: Emollit, attenuat, aperit, & diſcutit: Medetur affectibus Cerebri frigidis, Nervorum & Articulorum, ſicuti & Ventriculi, Inteſtinorum, Iecoris, Lienis, Renum, Vteri; Adverſus Paralyſin efficax eſt, nervorum & muſculorum imbecillitatem: horrores febriles mitigat,inungendo ſpinam dorſi: Mulcet etiam dolores Iſchiadicos,Aurium & Capitis inveteratos,Humorum acrium tranſpirationem promovet, ad corporis habitum tranſmiſſorum,quo fit vt maxime conveniat adverſus omne Scabiei & Herpetum genus: Lumbricos etiam & Pediculos necat.

Interius exhiberi poteſt a decem ad duodecim guttas ex liquore quopiam idoneo: Præcipuus vero illius vſus eſt ad Inunctiones: Poteſt etiam admiſceri clyſteribus a ſemuncia ad vnciam integram,imo & duas, adverſus colicum dolorem a flatibus aut frigidis humoribus & pituitoſis oriundum.

CAPVT II.

De Oleis per Infuſionem aut Decoctionem factis.

Oleum Abſinthij.

℞. *Abſinthij majoris recentis contuſi* ℔ j.
Succi eiuſdem ℥ iiij.
Roſarum rubrarum ſiccarum ℥ ij.
Olei Communis ℔ iiij,

Macerentur ſimul per triduum in vaſe fictili vitreato cooperto ſuper tepentes cineres,vel ad Solis radios,deinde in Balneo Mariæ per ſemihorã bulliant, colentur & exprimantur: Expreſsioni novum Abſinthium, novus ſuccus & novæ Roſæ eadem quantitate addantur, per triduum macerentur, deinde bulliant,colentur & exprimantur: Tertia quoque vice nova Abſinthij, ſucci eiuſdem & Roſarum Rubrarum maceratio, coctio, colatura, & expreſsio repetantur, & vbi ſubſederint fæces depuratum oleum ad vſus ſervetur.

Methodus.

Qui regiones Meridiei proximas incolunt,in quibus Solis radij cum perpendiculariter fere incumbant, æſtum inſignem cient, menſibus Maijo & Iunio,quo tẽpore Abſinthiũ maximo vigore pollet;hujus Olei cõmodã ij hanc occaſioné arripiant,non modo macerationis inſtituendę,

ad hujus Olei confectionem, neceſſarię ſed & etiam plurimorum aliorum, varias plantarum partes admittentium, vel Animalium ad ſui compoſitionem; At vero cum Lutetię Pariſiorum, ac pluribus aliis in locis, magis aut minus a Meridie diſſitis, perquam raro contingat vt per plures ex ordine dies Solares radij terram feriant, neceſſe eſt ad Ignis calorem confugere, qui viribus Solem imitetur ad Olei iſtius macerationem inſtituendam, necnon & paucas alias, ſępiſſime requiſitas.

Equidem novi nonnullos accuratiſſima cura & ſtudio iſtius Olei pręparationem ſingularem molitos eſſe, vt & aliorum quorundam; Imo etiam pręcepiſſe materias Cucurbitę vitreę indendas, alembico cooperiendę; hanc vero Balneo Marię committendam, ad extractionem humiditatis exſtillandę, iterum affundendę Oleo expreſſo, demum ſeparandę: At cum Oleum Abſinthii, illíque ſimilia, ad inunctiones tantum exteriores veniant, non exiſtimo diſſipationem cujuſpiam partis volatilis, quam illi metuunt, vix quavis adhibita cura conſervandę, imo mediis ſupra propoſitis, alicujus eſſe momenti; quandoquidem obſervata ratione a me propoſita, proculdubio in oleum tranſiturum eſt quicquid Abſinthium & Roſę pręſtantiſſimum continent, ac maxime idoneum vſibus in quos Oleum Abſinthij fuit excogitatum.

Accipienda Abſinthij majoris libra vna, cum floridum eſt; id optime in mortario marmoreo contuſum, ac ollę fictili vitreatę, ſtricti orificij indendum, cum ſucco ejuſdem Abſinthij, Roſis & Olei libris quatuor pręſcriptis, Exacte illa cooperienda, ac ſupra furnum Piſtoris collocanda, poſt triduanam moram, vas Marię Balneo immittendum, in quo poſtquam ferbuerit per ſemihoram, cuncta erunt colanda & fortiter exprimenda; Poſtea oleum expreſſum eidem vaſi infundendum, cum ęquali Abſinthij quantitate, Succi ejuſdem & Roſarum rubrarum: demum vaſe accurate cooperto, ac iterum impoſito ſummę Furni parti, renovata ebullitione in Marię Balneo, colatis & expreſſis ſicuti prius materiis, eędemmet operationes terna vice repetendę erunt: Tandem Oleum, poſt quietem viginti quatuor horarum, ac ſeparationem fęcum, & humiditatis; ſi quę ſuperflua, ad vſus recondendum.

OleumAbſinthij commendatiſſimum eſt in frigidis Ventriculi affectibus; illum enim excalefacit & admodum corroborat, functiones adjuvando & appetitum revocando: Flatus diſcutit, Colicóſque dolores inde oriundos ſedat: Lumbricos interficit, morbiſque Aurium opem fert, ſi guttę aliquot ex goſſipio inditę fuerint: Ventriculi regio illinitur & abdominis: Admiſcetur etiam Enematis ab vncia vna ad duas vel tres.

Eodem

Eodem modo pręparanda Olea Menthę, Salvię, Anethi, Rutę & ſimilium.

Oleum Roſarum ſimplex.

℞. *Roſarum rubrarum recentium,*
Succi earundem ℔. ß.
Olei communis ℔. v.

Vaſi fictili vitreato cooperto commiſſa omnia, radiis ſolaribus, ſi fieri poſſit, per quadraginta dies exponantur; deinde in Balneo Mariæ ferventi coquantur, ſerveturque Oleum colatum ad uſus.

Methodus.

Non ardui eſt negotij hujus olei præparatio, cum ex unica Roſarum maceratione inſtituta ſit; Non mediocris tamen illarum adeſt copia pro Oleo ſimplici, ſed uſus non exigui: Præparatio adeo eſt expedita ut deſcribi non mereatur: Viribus à ſequenti non procul recedit, proxime una cum ratione trahendi in uſum deſcripto.

Oleum Roſarum Completum.

℞. *Roſarum rubrarum recentium contuſarum* ℔. j.
Succi Roſarum Rubrarum ℥. iiij.
Olei communis ℔. IV.

Vaſi fictili vitreato anguſti orificij committantur; obturatoque vaſe Soli per dies quatuor exponantur, deinde in Balneo Mariæ ferventi per horam ſtent, colentur & exprimantur; Expreſſioni eodem vaſe exceptæ ſimilis ſucci & Roſarum quantitas addatur; Obturatoque vaſe maceratio, coctio, colatura & expreſſio repetantur, factáque tandem Succi & Roſarum rubrarum additione, omnium maceratione, coctione, colatura & expreſſione, depuretur Oleum & ſervetur.

Methodus.

Iſtius Olei præparatio, ut & illa quæ debetur Oleo Abſinthij valde ſimilis eſt, ſi dozes, quæ variantur, excęperis; uti & macerationum ſpatium: Cùm vero Pariſiis per plures ex ſerie dies non illuceſcat Sol, perficiendis macerationibus præſcriptis ſufficiens, collocandum erit vas accurate coopertum ſupra furnum Piſtoris, uti ſuperius dixi de oleo Abſinthij verba faciens; Eadem enim via procedendo, præſtantiſſimum parabitur Oleum.

Neque interim metuenda partium volatilium Roſarum diſſipatio, a macerationibus & decoctionibus præſcriptis,eò quod ejuſmodi particulętam intime adhuc cōmixtę ſunt parti aqueę & terreſtri, vt nec ab igne validiori Balnei æſtuantis quid ſimile immineat; cujus rei evidens eſt argumentum,quod Roſæ Rubræ odoris fragrantiam exſiccatæ demum depromant; quę ut rite exſiccentur,Solaribus radiis ardentibus exponuntur, qui cum ſolam humiditatem Roſarum ſuperfluam attingat, hac abſumpta nullum detrimentum ſuaveolentiæ Roſarum, uti neque illarum viribus infert, ſolæ quippe expetuntur: Interim,etiamſi peracta Olei decoctione ſuperſtes eſſe queat quæpiam humiditas, ſegregatio difficilis futura non eſt, quandoquidem infra oleum poſita ſemper ſubſidet.

Oleum iſtud admodum idoneum eſt mitigandis & diſcutiendis fluxionibus in partes externas decumbentibus, Inflammationes enim extinguit, humorum defluxum intercipit,doloreſque mitigat: Ventriculi calorem temperat, Renumque æſtus: Capitis dolores ſiſtit imo & deliria, ſomnumque accerſit, mulcendo humorum acrimoniam;Vigilias inducentem.

Tepefaciendum eſt antequam partes illinantur; Poteſt & interius adſumi ad necandos vermes, & Dyſenteriam ſiſtendam, a ſemuncia ad unciam unam: Venit etiam in uſum ad Fracturas & Luxationes, partes affectas inungendo; Parantur Oxyrrodina additis æquis partibus Aceti Roſacei, caput prius deraſum illinendo, ad deprimendos vapores in cerebrum irruentes in febribus ardentibus, inſomnia & deliria patientibus:Commiſcetur & ſæpenumero hoc Oleum Linimentis ac Cataplaſmatis anodynis & reſolventibus: Si Emplaſtra cerati conſiſtentia donanda ſint, commode illis remiſcetur.

Olei iſtius pręparatio norma eſſe poterit ad conficienda Olea Nymphęę, Liliorum, Violarum, uti & Chamomillæ, Meliloti, Sambuci,Myrrhæ & Similium.

Oleum Iaſmini.

℞. *Fruſtula Panni denſioris albi, vel flocculi goſſipini, aut lanei albiſſimi, oleo Balanino leviter imbuti, in Lance latiore extenſi recentibus Iaſmini floribus mediocriter operiantur, ſtatimque ſimili Lance tegantur: Tertia vel quarta quaque hora renoventur flores rejectis prioribus,eademque florum renovatio decies aut duodecies repetatur, expreſſiſque deinde panni fruſtulis, vel goſſipinis floſculis, effluxum flagrans Oleum ad uſus ſervetur.*

Methodus

Methodus.

Florum Iaſmini odor & vires adeo ſuperficiariæ ſunt & volatiles, vt minimi etiam caloris impatientes ſint,illiſqúe citiſſime exuantur, adeo ut neque infuſio neq; decoctio utiliter inſtitui queat,uti neque ulla obviæ eſt ratio illorum fragrantiam in ullam ſubſtantiam ; una contritam, vel quenpiam liquorē ignis beneficio transferendi,quinimo neque quiſpiam gloriari queat diſtillationis ope id poſſe ſe conſequi: Has ob cauſas, & tam inſignis ſuaveolentię conſervandę deſiderium, incitati fuere Artifices ad aliorum mediorum indagationem, isque fuit ſucceſſus, ut absque calefactione, aut contritione florum, ratio adinventa fuerit florum odorem in olea, unguenta, pomatas, chirothecas, aliasque res transferendi, imo diutius in illis detinendi quam in ipſis floribus, qui ſtatim ac aruerunt illo exuuntur.

Flocculi goſſipini carminati, albiſſimi accipiantur, aut ſegmina panni per alumen dealbati, cujusvis odoris expertia, leniter imbuantur oleo Balanino absque igne extracto; hæc cooperiant pelvim Faventinam, ſtanneam aut argenteam, insternantur flores Iasmini recens collecti, ad altitudinem transverſi digiti; cunctis his coopertis pelvi æqualis priori magnitudinis, involucrum præterea adjiciendum ex panno aut denſiore linteo, exactoque trihorio aut quadrihorio, abjiciendi erunt hi flores, ſubſtituendo recentes; repetitaque decies aut duodecies recentium florum impoſitione; torculari committantur fruſtula panni, au flocculi goſſipini; Eo pacto absque ignis ope prodibit oleum non mediocriter imbutum odore florum, illiusque diu tenax, dummodo ampullæ accurate occluſæ impoſitum fuerit.

In vicem flocculorum goſſipinorum, aut ſegmētorum pannorum,oleo Balanino imbutorum, venire poterit ipſe fructus,Balanus Myrepſica, purgata, craſſo modo contuſa, pelvi illam inſternendo, ac floribus Iasmini cooperiendo, Cunctis his præterea aliam pelvim æqualis magnitudinis cum panno ſuperjiciendo; eadem enim ratione ac cum oleo procedendo, totiesque renovata florum adjectione, Oleum per expreſſionem absque igne eductum ex prædictis Balanis, ejusmodi odore imbutis, priori non minus odoriferum erit, neque minus durabile.

Eam in rem uſurpari poſſunt etiam Amygdalæ dulces, craſſe contritæ, vel illarum oleum eodem modo quo Balaninum, ſed multo ſatius erit ſolum fructum, ejusdemve oleum uſurpaſſe, quandoquidem oleum amygdalinū ad aliquod tēpus adſervatum rācorem cōtrahit,hinc depravatio inducitur Iasmini ſuavis odoris: Id quod non accidit oleo Balanino,

(*Bertaldus, Pharmacopoeus Taurinenſis,in ſua Pharmacopoea utitur nucleis ceraſorum, ubivis familiarium, quorum proventus eſt eodem tempore quo flores Iaſminum; Illi oleo id ſingulare ineſſe ait, ut numquam ranceſcat.*)

Antiqui, imo nonnulli Neoterici, Oleum Iasmini præparari jubent per iteratas infuſiones florum in Oleo Amygdalino, aut Olivo, eandémque procedendi viam oſtendunt quam in Oleo Roſaceo:Sed quibus non odor ſuavis curæ eſt, qui in Iaſmino ſolus gratus & acceptus, at ſolum pars herbacea & terreſtris, illi huic methodo inſiſtant. Cum vero pauciſſimæ vires in ejusmodi Oleo deprehendantur, parvique fieri ſoleat, nullus credo peritus artis hac ratione præparandi uſurus eſt.

Qui porro per diſtillationem Oleum Iaſmini extrahere ſatagunt, eadem methodo procedendo ac ad comparandum Oleum Roſarum, ſicuti nonnulli tradunt, ii in poſterum abnegaturi ſunt ea quibus experientia non respondet.

Eadem ratione qua Oleum Iasmini confici poſſunt Olea florum Arantiorum, Citriorum, Violarum, Cariophyllorum hortenſium, Roſarum & plurimorum aliorum:Sed ſicet per diſtillationem educere Olea florum Arantiorum, Citriorum, Roſarum, aliorumque compactiorem ſubſtantiam obtinentim quam Iaſmini flores.

Odoris gratia & lenitas præſertim commendat Oleum Iasminum; ideóque potius ad delitias admittitur benevalentium, quam ad reſtaurationem ſanitatis ægrorum, etſi odor jucundus illos reficere queat, cerebrum parteſque principes roborando.

Oleum Cydoniorum.

℞. *Cydoniorum nondum maturorum contuſorum.*
Olei communis ā ā. ℔. iij.
In vaſe fictili vitreato anguſti orificij collocentur, & ſuper cineres calidos horis viginti quatuor infundantur, deinde in Mariæ Balneo ferventi per horam decoquantur,colentur & exprimantur:Expreſſum vero Oleum cum novorum Cydoniorum contuſorum ℔ iij. *in eodem vaſe fictili cooperto infundatur, decoquatur, coletur, & exprimatur ut prius, depuratúmque uſui ſervetur.*

Methodus.

Accipiantur mala Cotonea adhuc immatura, contundantur in mortario marmoreo, demum immittantur vaſi fictili vitreato, ſtricti orificij

orificij, una cum oleo; Accurate coopertum vas detineatur per viginti quatuor horas ſuper cineres calidos, demum in Balneo Mariæ ferventi per horam integram,poſtmodum colandæ & fortiter exprimendæ materiæ: Deinceps colato Oleo adjiciatur æqualis quantitas Cydoniorum non maturorum,contritorum,ac poſt repetitam infuſionem & decoctionem, ac demum colaturam & expreſſionem,ſicuti prima vice, a fæcibus oleum,ſegregandum & ad uſus adſervandum.

Oleum Cydoniorum ſat temperatæ eſt qualitatis: Corroborat & adſtringit; quamobrem utile eſt in imbecillitate ventriculi, hepatis, & inteſtinorum: Robur etiam conciliat ventri inferiori, ſicuti & nervis ac muſculis relaxatis: Vomitus ſiſtit, cohibet Diarrhoeam, Dyſenteriam, Leienteriam: Sudores præterea immodicos reprimit illitum pectori & ſpinæ dorſi: Vſus præcipuus eſt ad inunctiones partium exteriorum, & ſi nihil vetat quin per os adſumi queat, ſi modo electum Oleum puriſſimum fuerit: Poteſt etiam remiſceri Enematis adſtringentibus & detergentibus,ab uncia una ad duas.

Oleum de Capparibus.

℞. *Corticis radicum Capparum &*
Fructuum eorundem an. ℥ iiij.
Corticis radicum Tamariſci &
Sũmitatum ejus floridarum ãã ℥ij.
Foliorum Rutæ recentium,
Cicutæ.
Ceterach
Seminis Agni Caſti &
Oculorum Geniſtæ ãã ℥ i.
Aceti fortis &
Vini albi ãã ℔ ß.
Radicis Cyperi &
Gentianæ ãã ℥ß.
Olei communis ℔ iij.

Contundenda contundantur, & vaſe fictili vitreato excepta omnia, cooperto vaſe horis viginti quatuor ſuper cineres calidos infundantur, deinde in Balneo Mariæ ferventi,fere ad vini & aceti conſumptionem decoquantur, colentur & exprimantur,purumque Oleum ad uſus ſervetur.

Methodus.

Neque in diſpenſatorijs antiquis, neque in neotericis, reperire eſt deſcriptionem Olei Capparum ad leges artis concinnatam, Eapropter Dominus Primarius Regis Medicus novam excogitavit ac praſtantiſſimos edituram effectus,iſti oleo adſignatos ab Autoribus.

Diverſitas medicamentorum hanc compoſitionem ingredientium variam methodum inſinuare videtur ad illorum infuſionem & decoctionem: At vis incidendi, aperiendi & diſcutiendi hic requiſita,

vix fundamentum habitura eſt in partibus volatilibus,facile exhalabilibus, at potius in fixis,quæ moram in corpore trahentes, idoneum ad exſerendum effectum tempus obtinent : Infuſio nycthemerina, coctionem præcedens, ſufficienter referat medicamenta ſubſtantiæ compactioris, adeo ut eo pacto idonea fiant tranfundendis in Oleum viribus:Præterea, cum infuſio , ipſáque decoctio, igne moderatiſſimo perficiantur, in vaſe cooperto; partes præterea aceti acidæ , paucas volatiles quæ in quibuſdam occurrunt medicamentis compeſcant , diſſipationis illarum nullus ingruit metus;ideòque inutiles ſunt diſtinctæ infuſiones aut decoctiones , ſi præſertim præparandum veniat medicamentum ad uſus externos.

Craſſe contundantur radices Capparum, Tamariſci, Cyperi, & Gentianæ : Incidantur folia & thyrſi plantarum ; conterantur in mortario marmoreo Oculi Geniſtæ & Capparum, ac in mortario æneo minori , ſemina Agni caſti : Omnia conjiciantur in ollam fictilem vitreatam, ſtricti orificij,unà cum Oleo, Vino & Aceto præſcriptis : Coopertum vas ſupra cinerescalidos detineatur per viginti quatuor horas, poſtea imponendum Balneo fervido,ibi dimittendum donec vinum & acetum propemodum abſumpta ſint : Poſtea omnia colanda erunt,& valida manu exprimenda : A fęcibus vero liberatum Oleum ad uſus recondendum.

Oleum Capparum admodum utile eſt in omnibus Splenis doloribus, ac reſolvendis tumoribus ſcirrhoſis illum obſidentibus : Incidendi enim vi præditum eſt , attenuandi,ac potentiſſime reſolvendi humores tenaces & contumaces,reſerat poros cutaneos ac partium ſubditarum ; flatus ibi concluſos diſcutit, exterius illinendo regionem Lienis.

Oleum Maſtichinum.

℞. Maſtiches electæ ℥ vj.
Olei Roſati ℔ ij.
Vini generoſi ℥ ij
Omnia vaſe fictili vitreato anguſti orificii excepta, in fervido Balneo ad integram Maſtiches in Oleo diſſolutionem detineantur, deinde colentur,purumque Oleum ad uſum ſervetur.

Methodus.

Oleum Maſtichinum neque diuturna neque valida coctione indiget, gummi quippe hoc non difficulter in oleo ſolvitur, ob ſubſtantię videlicet ſimilitudinem. Tantillum adjectum eſt vini , ne Oleum & Maſtiche ab igne per coctionem extraneum aliquid concipiant : Non unciæ quatuor vini ad libram unam olei & Maſtiches uncias tres affuſæ,

affuſæ, ex quorundam præcepto; neque decoctio omnium ad vini uſque conſumptionem producta; metuenda alias inſignis volatilium partium Maſtiches diſſipatio,ac olei non mediocris alteratio; nihil quippe ſingulare expectandum a vini majori copia, quandoquidem optima ejus portio, volatilis ſcilicet, citiſſime in auras abit, ſuperſtite parte aquea & terreſtri omnino inutili: Eapropter ſatis fuit vini unciam unicam ad tres uncias Maſtichis infudiſſe.

Eligatur Maſtiche recentiſſima, cujus lacrymæ ſint puriſſimæ; hæc craſſe contuſa immittatur vaſi fictili vitreato anguſti orificij, affuſóque oleo & vino præſcriptis, accuratéque cooperto vaſe, hoc immittatur Mariæ Balneo ferventi, id detinendo ad diſſolutionem uſque Maſtichis omnimodam in oleo: Demum exempto vaſe ab igne, & colatura facta diſſolutionis calentis per linteum tenue, ad paucum tempus quieſcere ſinatur, ſeparatáque & abjecta pauca humiditate reſidua, Oleum ad uſus ſervetur.

Oleo Maſtichis inſunt vires cerebrum corroborandi, nervos & articulos; Ventriculum debilem firmat, vomituſque compeſcit. Jecori etiam robur conciliat, doloréſque illius ſopit: Plurimum quoque commendatur adverſus Dyſenteriam & Lienteriam, tam exterius illitum ventriculi regioni & univerſo abdomini, quàm Clyſteribus inditum, ab uncia una ad duas.

Oleum Nardinum.

℞. *Spicæ Nardi minutim inciſæ & contuſæ* ℥ iij.
Vini generoſi ℥ iiij.
Simul per duas horas in vaſe fictili vitreato cooperto macerentur in loco temperato, deinde ſuperfundatur Olei communis ℔ j ß.
Iterúmque cooperto vaſe omnia ſuper cineres calidos per tres horas ſtent, deinde in fervente Balneo ad proximam vini conſumptionem coquantur, colentur & exprimantur, depuratúmque oleum ſervetur ad uſus.

Methodus.

Siccitatis ratione,& duritiei Spicæ Nardi, maceratio per duas horas in vino præſcripta eſt, ut humectetur, molleſcat, reſeretur,atque adeo facilius oleum excipiat,poſtmodum illi affundendum: Sed admirationi locus quod nonnulli ex Antiquis ſex ſolum olei uncias præſcripſerint ad uncias tres Spicæ Nardi pro iſtius Olei compoſitione: Neque

enim fieri poteſt ut ſex olei unciæ admittere queant,ac intra ſe excipere vires trium unciarum Spicæ Nardi : Illud enim pro comperto habendum, quando menſtruum aliquod ſufficienter imbutum eſt ſubſtantia rerum in illius ſinum transfundendarum, poſtmodum majoris quantitatis non eſſe capax, ſi præſertim materiæ ſiccæ infundendæ ſint, quæ facile majorem menſtrui copiam ſuſcipiunt : Quamobrem abſurdum foret Spicę Nardi uncias novem immittere librę uni & ſemis Olei, quandoquidem uncię ſex ſufficiunt imbuendę illi olei copię, Etiamſi vero Spica Nardi poſtremum inter aromata locum non obtineat, immineátque metus diſſipationis partium volatilium a decoctione ; ſi nihilominus perpendas Spicam Nardi a vicennio in Pharmacopoliis adſervatam odoris & ſaporis eſſe acerrimi, ſubſtantiam vero illius,ut ut tenerrimam, id tamen ſingulare obtinere ut & durior & compactior ſit quam cujuſvis aromatis, nulli dubium eſſe debet quin huic infuſioni par eſſe queat, uti & decoctioni in ferventi Balneo citra detrimentum particulę cujuſpiam utilis ſubſtantię: Imo id quivis judicaturus eſt vix fieri poſſe ut vires Spicę Nardi in oleum beneficio minus intenſi caloris tranſire poſſint.

Minutiſſime incidantur uncię ſex Spicę Nardi, quę optimę contritę in magno mortario æneo, immittantur ollę fictili novę vitreatę, anguſti orificij; ac humectatę affuſis vini optimi unciis quatuor, accuratéque cooperto vaſe,hoc in loco temperato per bihorium detineatur; poſtmodum infundenda erit ſeſqui libra optimi Olei, exactéque occluſum vas immitatur Balneo maris ferventi, donec vinum propemodum fuerit abſumptum : Dein omnibus colatis, & valide expreſſis, Oleum a fęcibus ſeparandum & in uſus recondendum.

Oleum iſtud excalefacit, attenuat, & digerit, adſtrictionis modicæ particeps, quamobrem utile eſt in affectibus frigidis & flatulentis Cerebri, Ventriculi, Jecoris, Lienis, Renum, Veſicæ & Vteri : Naribus ex goſſipio inditum cerebrum liberat & expurgat ſuperfluis, uti & auribus ſi immiſſum fuerit illarum ſedat dolores : Vtile eſt in Paralyſi, nervorum tremore; in tumoribus, ſuffocationibus & uteri erroribus, illi infuſum. Injectionibus etiam remiſcetur ad veſicę dolores ſedandos.

Oleum Hyperici.

℞. Summitatum Hyperici floridarum, ad maturitatem vergentium, contuſarum ℔ ij. *vaſe fictili vitreato exceptis ſuperfundantur Olei communis* ℔ IV.

Cooperta

Cooperto vaſe horis viginti quatuor ſuper cineres calidos detineantur, deinde in ferventi Balneo per duas horas ſtent, poſtea colentur & fortiter exprimantur;

Expreſsio novis Hyperici Summitatibus contuſis in eodem vaſe ſuper infundantur, eadémque maceratio & coctio, colatura & expreſsio repetatur: Tertia etiam vice ſimiles operationes peragantur, purúmque tandem Oleum cum Terebinthina Veneta ℔ ij. *uniatur illis Tincturæ Croci* ℥ iij, *permiſceantur, Oleúmque uſui ſervetur.*

Methodus.

Accipiantur ſummitates Hyperici floridæ, ſemenemittere paratæ, his optime contuſis in mortario marmoreo, ac immiſſis vaſi fictili vitreato anguſti orificij, affunde vinum & oleum præſcripta, alte hæ demergantur, cooperiaturque vas, per viginti quatuor horas ſupra cineres calidos detinendum, poſtea per bihorium in fervente Balneo; materiæ incluſæ per vices ſpathula lignea verſandæ, demum omnia colanda & fortiter exprimenda: Interim eidem vaſi eadem quantitas ſummitatum hypericonis optime contuſarum immittendá, oleóque expreſſo calente illis affuſo, nova inſtituenda maceratio ſuper cineres calidos, ac decoctio in Balneo fervente: Demum hæc colata, ac valide expreſſa, additis recentibus cacuminibus Oleo expreſſo, novæ exponentur macerationi & expreſſioni: factáque colatura, & valida totius expreſſione, ac ſeparatione Olei a fæcibus & humore reſtibili: moderatiſſimo igne commiſcendum id erit, ac concorporandum Terebenthinæ Venetæ libris duabus, extra ignem, addendo Tincturæ Croci uncias tres, oleum ad uſus ad ſervando.

Tincturæ croci deſcriptio ſuo loco occurret, tertia videlicet parte hujus Pharmacopoeæ.

Præparatio poteſt fieri Olei Hypericonis abſque additamento Terebenthinæ & Croci, quod vocant oleum Hyperici ſimplex; at prior ad omnia utilior.

Occaſione data erroneas quaſdam deſcriptiones, Olei Hypericonis perſtringere poſſem, apud nonnullos Authores occurrentes; at ſatius credidi accuratam tradere addita illius præparandi ratione; ratus hanc præferendá quibuſcunq; illarum quarũ vel tyro errores detegere poteſt.

Oleum Hypiriconis eo modo præparatum Balſami efficaciſſimi vices ſupplere poteſt; Excalefacit, attenuat, diſcutit, exſiccat, quo fit ut in quovis dolore à frigida cauſa prognato utile eſſe queat, ac præſertim in cunctis articulorum morbis, Iſchiade, quavis Arthritide, imo & in Dentium dolore, quem demulcere ſolet: Quodvis vulnerum genus, imo & nervorum perſanare potis eſt, hos enim glutinat & cicatrice

obducit ſicuti & Ambuſta ſanat: Vtile eſt & contra Vermes & Convulſiones: Valet illitu, partibus affectis admovendo: Remiſcetur etiam injectionibus Vulnerariis, medicamentis digeſtivis, cataplaſmatis aliiſve remediis externis.

Oleum Irinum.

℞. Radicum Iridis recentium,
Florum ejuſdem ā ā ℥ 1 ß.
Olei communis ℔ v.
Omnia vaſe fictili vitreato excepta, horis viginti quatuor ſuper calidos cineres macerentur, deinde in fervemti Balneo coquantur, poſtea colentur & exprimantur: Expreſſo Oleo novi flores, novaque radices Ireos addantur, macerentur, coquantur, colentur & exprimantur, ut prius; Idque etiam additis floribus & radicibus novis tertia vice reiteretur, Oleum tandem depuretur & ſervetur.

Methodus.

Probe contundantur, aut minutim incidantur radices Iridis, ob ſubſtantiæ ſoliditatem; demum cum floribus leviter inciſis immittantur ollæ fictili vitreatæ, affusáque olei præſcripti quantitate, ritéque cooperto vaſe, ſuper calidos cineres per horas viginti quatuor hoc detineatur, demum in Balneo maris fervente bihorio integro, omnia dein decolando & valide exprimendo: Iteratis adhuc vicibus duabus repetenda erit maceratio & decoctio novarum radicum & florum Iridis, in cunctis ſicuti prima vice procedēdo: Colatum tandem fortiterque expreſſum oleum, ac à fæcibus accuratè ſeparatum, ad uſum recondatur. Eo modo præparatum non modo viribus ſed & odore Iridis imbutum habetur Oleum.

Præcepêre nonnulli dum infuſiones & decoctiones iſtius olei præparantur, admiſceri decoctum radicum & florum Iridis: At vero tantum abeſt ut ab hoc utile quid expectandum ſit, ut omnino res oneri futura ſit, quandoquidem radices & flores Iridis ſufficiens humidum inter ſe obtinent cui ſi amplius accederet, futurum ut dum illius cum oleo conſumptio inſtituitur, ſua veolentia & omnium facultates ſecederent.

Oleum Irinum excalefacit, emollit, attenuat, digerit, ac potentiſſime reſolvit: Inſignis illi penetrabilitas, congeſtas materias concoquit & ad maturitatem perducit, Aurium dolores mitigat, Izænam emendat, Catarrhum concoquit, Aſthmaticis auxilium affert, Tuſſimque ſedat pectori illitum; Tumores Scrofuloſos reſolvit, duritiéſque Iecoris ac Lienis, ut & articulorum, quorum dolores compeſcit· Inteſtinorum tormina

tormina ſedat, Ilei præſertim; vtile etiam eſt contra Hydropem; ſed ſpecifica vi pollere creditur adverſus Cicutę & Fungorum venenum ore adſumptum pondere duarum triúmve unciarum. Eadem quantitas adiici poteſt Enematis adverſus inteſtinorum morbos.

Oleum Lumbricorum.

℞. Lumbricorum, terreſtrium, craſſiorum, lotorum &
Olei communis ãã ℔ iij.
Vini albi ℔ ß.
Macerentur horis viginti quatuor in vaſe fictili vitreato, deinde in ferventi Balneo coquantur, donec major humiditatis pars conſumpta fuerit, colentur & exprimantur, defæcatumque Oleum ad uſus ſervetur.

Methodus.

Accipiantur Lumbrici terreſtres craſſiſſimi, per triduum detineantur in vaſe fictili cooperto, ut terram ingeſtam omnem expuant; rite eluantur, ac Linteo mundo deterſi, excipiantur vaſe fictili vitreato, affuſiſque oleo & vino præſcriptis, coopertum vas ſuper cineres calidos per horas viginti quatuor detineatur; demum per horam in Balneo fervente, vel quoúſque humiditatis pars maxima in auras abierit: Omnibus deinde colatis & rite expreſſis, Oleum defæcatum ad uſus recondendum.

Nonnulli majorem vini copiam infundunt, ſed inconſulto; cum humiditas vermium, juncta ſemilibræ vini, macerationi ſufficiat & decoctioni, ut & virium in oleum traductioni.

Curioſus Lector tertia parte iſtius Pharmacopoeæ Olei Lumbricorum præparationem Chymicam nanciſcetur; & inſimul Salis eorundem ac Spiritus volatilium, ſicuti & vires ac rationem in uſum ducendi.

Oleum Lumbricorum ſuperius deſcriptum præcipue in uſum ducitur in Articulorum affectibus: Admodum etiam confert ad curationem vulnerum, contuſionum, ac quorumvis affectuum nervorum & muſculorum: Vſus præcipuus eſt externus.

Oleum Caſtorei.

℞. Pinguedinis in Cyſtiae vero Caſtoreo adhærentis contentas.
Vini generoſi, ãã ℥. iiij.
Olei communis ℔. j.

Macerentur horis viginti quatuor in vaſe fictili vitreato cooperto, deinde in Balneo inter tepidum & fervens fere ad vini conſumptionem detineantur, colatúmque & depuratum Oleum uſui ſervetur.

Methodus.

Liquor unctuoſus ſeorſim in veſicula intra teſticulos Caſtoris concluſâ, videtur præſertim dicatus ad hujus Olei præparationem, ob ſubſtantiæ pinguedinem, oleo multo magis conformem parte ipſa teſticulorum carnea, ad uſus internos ſervanda: Odor partis iſtius unguinoſæ penetrabilis eſt & ſat ingratus, neque multum ab illo diſſimilis eſt quem fundit pars carnea, adeo ut viribus non multum inferior ſit, præſertim ad uſus externos; vel maxime ſi tres unciæ, ſicuti hic, præſcriptæ fuerint, a quibus idem, imo major effectus expectandus eſt quam ab unica uncia partis carneæ Caſtorei, quæ nonnullis Autoribus ſatis fuiſſe viſa eſt in parilem olei quantitatem.

Apud plurimos Authores reperire eſt deſcriptiones Olei Caſtorei compoſiti ex multis Aromatibus & Gummatibus quibuſdam aqueis, è quibus virtutem elicere ſategerunt addita multa vini quantitate; At vero ij non animadverterunt Gummata aquea etſi in vino diſſolubilia, oleo incommiſcibilia eſſe, virium particulam tantummodo in illud transferendo; cui rei vini quantitas nimia erat obſtaculo, quandoquidem hoc abſumendum fuit;at vero interim una cum illo pars maxime utilis Gummatum in auras proculdubio abit, uti & aromatum, magis adhuc volatilis: Eapropter ſatius multo fuiſſet unam vel alteram tantum vini unciam addidiſſe, eamque ſolum quantitatem quæ prohibere poſſet rerum empireuma, in id enitendo ut Diutina maceratione, lentáque decoctione vis aromatum in oleum tranſeat. Etiamſi Guttæ aliquot Oleorum ſtillatitiorum, præcipuorum aromatum, ab illis præſcriptorum præſtantiores multo effectus edituræ eſſent Oleo Caſtorei immiſtæ, quam optimæ etiam macerationes aut decoctiones aromatum ab ipſis inſtitutæ.

Oleum Caſtorei præſtantiſſimum eſt adverſus morbos Cerebri frigidos, Tremores & nervorum Contractiones, Spaſmum & Paralyſin, præſidium partibus affectis illitum, præſertim ſpinæ dorſi: Singularis quoque eſt efficaciæ ad prohibendos aut mitigandos horrores & rigores febriles.

Oleum Scorpionum Simplex

℞. Olei amygdalarum amararum ℔ iij.

Scorpiones vivos N° LX.

Suffocentur Scorpiones in oleo, ſimulque in vaſe fictili vitreato, deinde in Balneo inter tepidum & fervens fere ad vini conſumptionem detineantur colatúmque & depuratum Oleum uſui ſervetur.

Methodus.

Non ita facile eſt hoc Oleum parare aliis in locis quam ubi naſcuntur, Scorpiones, cum plurimi dum longe transferuntur, in via intereant; Ideoque ſatius eſt uti opera viri cujuſpiam ingenui & periti, qui Oleum dictis in locis præparet, quam adſumere Scopiones languidos, aut in via extinctos, qui præter alterationem, viribus proculdubio inductam, corruptionem omnimodam forte ſubiere.

Interim ſi recte judico,antiquorum pręcepta circa hujus Olei pręparationem,rectead examen deducta non ſunt;cenſentium ſatiseſſe Scorpiones oleo immacerari toto Canicularium dierum decurſu, adſervato poſtmodum oleo colato & expreſſo: Impoſſibile quippe judico Solem eoúſque excalefacere poſſe oleum, adeo ut Scorpiones permeare valeat, ſquamoſa cute, duriſſima,incruſtatos,pręſertim hoc in climate:Sed & eo pręſertim nomine quod etiamſiSolis calor ſatis validus eſſet adjuvandam penetrationem olei in ſingulas Scorpionum partes, inſufficiens tamen futurus eſt abſumendęviſcidę cuidam humiditati in eorum corpore latitanti; quę corruptionem ſubiens utiles dictorum animalium qualitates infringit; atque Oleo odorem fœtidiſſimum imprimit.

Qui accurate hæc animadvertere voluerint, ii facile judicaturi ſunt præparationem hoc loco præſcriptam præſtantiorem eſſe ac magis idoneam, tum transmittendæ in oleum Scorpionum virtuti,tum conſervandæ, tum & celeriori olei præparationi.

Immittantur Ollæ fictili vitreatæ, anguſti orificij Olei Amygdalarum amararum libræ tres, vas vero Balneo maris ferventi ; Quando Oleum extreme incaluerit, immergantur Scorpiones ſexaginta, maximi & vivaciſſimi quos comparare licuerit; additíſque vini optimi unciis octo;accurate cooperiatur vas, Balnei efferveſcentiam producendo donec humiditas omnis fere conſumpta ſit: Demum colatura fiat & valida Scorpionum expreſſio; accuratéque ſecretis ab oleo fæcibus, hoc cuſtodiendum in lagena accurate obſerata ad uſus.

Caniculę tempore Oleum hoc pręparandum eſt, quo tempore Scorpiones maximo vigore pollent.

Oleum Scorpionum maximæ vtilitatis cenſetur in vrinæ difficultate : Imo, ex ſententia quorundam Authorum, Calculo in renibus atterendo par eſſe poteſt, quinimo & lapidi in veſica, exterius illitum, aut in veſicam per meatum vrinarium infuſum : Valet & adverſus Scorpionum ictus, ſed preterea peſtem & venena, tum externo vſu, tum interno, adſumendo ex vino a drachma ſemis ad duas.

Oleum Scorpionum Compoſitum.

℞ *Olei veteris* vj.
*Foliorum Hyperici virentium m.*iiij.
Summitatum Chamædryos
Calaminthæ &
Cardui benedicti āā j.
Herbæ contuſæ Oleo commixtæ, vaſe fictili vitreato, anguſti orificij excipiantur, obturatoque vaſe per dies duodecim inſolentur, deinde in Balneo Mariæ tepido per tres dies macerentur, & tandem fervente Balneo per horam unam coquantur, colentur & exprimantur tunc.
℞ *Florum Hyperici recentium, rejectis ſtipitibus, contuſorum m.* vj.
Eodemque vaſe fictili excepti Oleoque expreſſo permixti, obturatoque vaſe Soli per dies duodecim exponantur, in Balneo deinde tepido per tres dies macerentur, fervente poſtea Balneo per horam coquantur, colentur & exprimantur, Expresſioni eodem vaſe exceptæ adde
Granorum Hyperici floribus ſpoliatorum ſemine turgentium, contuſo m. IX.
Obturato vaſe inſolatio, maceratio, coctio, colatura & expresſio ut prius celebrentur, hiſque peractis
℞ *Foliorum Scordij recentis m.* j.ß.
Calaminthæ
Cardui benedicti
Verbenæ
Dictamni Cretici &
Comarum Centaurij minori ā ā m. ß.
Radicum Zedoariæ,
Dictamni albi,
Gentianæ
Tormentillæ
Ariſtolochiæ rotundæ āā ʒ iij.
Contunduntur omnia & Oleo expreſſo permixta in eodem vaſe recte obturato per tres dies in Balneo tepido macerentur, per horam poſtea ferventi Balneo coquantur, colentur & exprimantur ut prius, Tunc

Scorpiones

℞. Scorpiones trecentos, diebus canicularibus captos, quos in eodem vaſe incluſos ſuper cineres ſatis calidos detine, donec præ calore ſudare & iraſci cœperint, illóque tempore oleum ex prædictis omnibus expreſſum illis ſuperinfunde, obturatúmque vas Balneo tepido horis viginti quatuor committe, deinde ferventi Balneo per duas horas quoque, poſtea cola & exprime, expreſſoſque Scorpiones abjice, Tandem.

℞. *Cinnamomi electi* ℥ ix.	*Myrrhæ electæ,*
Styracis calamitæ	*Aloës Socotrinæ* ana ʒiij.
Benzoini ana ʒ vj.	*Nardi Indicæ,*
Baccarum Iuniperi	*Nigellæ Romanæ* ana ʒij.
Santali citrini,	*Iunci odorati,*
Theriacæ,	*Cyperi*
Mithridatii ana ℥ß.	*Croci* ana ʒiß.
Rhabarbari,	

Contundantur omnia, illiſque in prædicto fictili Oleum ex Scorpionibus expreſſum ſuperfundatur, obturatóque vaſe in Balneo tepido per horas viginti quatuor, deinde ferventi per ſemihoram detineantur, poſtea colentur, & fortiter exprimantur, Oleúmque calore & quiete depuratum in lagena recte obturata ad uſus ſervetur.

Methodus.

Deſcriptio hujus Olei eadem fere eſt cum ea quam attulit Matthiolus, quoad doſes; Si quid veró immutatum, id in Oleo præſertim contigit, hic loci media parte, nec immerito auctiore: nam adde quod omnino impoſſibile eſt libras tres Olei in ſe excipere & colligere ſingulas vires adeo inſignis medicamentorum copiæ, futurum præterea ut maxima Olei pars pereat per iteratas colaturas & expreſſiones: Nam ad ſummum libræ quinque ſuperſtites futuræ ſunt, oleo perfecto ex ſex libris præſcriptis.

Sed præterea & temporis & infuſionum compendium factum eſt, imo majori acciſioni forſan locus fuiſſet, niſi habita fuiſſet ratio diverſarum partium plantæ Hypericonis, illic admiſſarum quæ cum non uno eodémque tempore colligantur; Infuſionum in longum tempus productioni anſam præbent, adeo ut ad dies caniculares perventum fuerit, Scorpionum captationi electum.

Theriacam, Mithridatium, aliáque medicamenta, quæ Matthiolus jubet in Oleo relinqui, peractis cæteris omnibus infuſionibus, colaturis & expreſſionibus, quod attinet, præterquam quod facillimum eſt eorum vires in oleum transferre, non relicta illorum ſubſtantia, conſpicuum eſt

futurum, ut fundo quaſi fæces eadem detineantur, citra virium ullum incrementum; At vero obſervata hac methodo, oleum quoad omnes ſui partes & purum & elegans erit, ac viribus inſigne.

Conducet etiam ſingula Aromata in ultimam infuſionem adſervare, minúſque calori quam cætera medicamenta exponere, conſervandarum gratia utiliſſimarum illorum partium, admodum volatilium.

Vino interim ad infuſiones carere licet, quandoquidem Hypericum, cæteræque plantæ ſufficientem ad inſolationes ſuſtinendas ſuppeditant humorem, macerationes & decoctiones in Balneo; adde quod hic humor augmentum ſuſcipit ab illo quem præbent Scorpiones, pacem non ſolum coctioni, ſed & præveniendæ diſſipationi partium ſulphurearum Aromatum.

In choante Iunio accipiantur foliorum Hypericonis recens collectorum manipuli quatuor, ſummitatum Chamædrios, Calaminthæ & Cardui benedicti ãã manipulus unus: Optime contundantur hæc plantæ in mortario marmoreo, exceptíſque vaſe fictili vitreato anguſti orificii affundantur ſex libræ Olei Olivarum, duorum aut trium annorum, defœcatiſſimi; Accurate obturatum vas radiis Solaribus exponendum erit per dies duodecim, ac per triduum Balnea maris tepido committendum, excitatóque Balnei fervore per horam, cuncta colanda erunt & valide exprimenda.

Poſtea accipiendi erunt foliorum Hypericonis recens collectorum, à ſtipitibus optime mundatorum manipuli ſex: his optime in mortario marmoreo contuſis, ac vaſi immiſſis, ſuper infundendum erit Oleum ex priori infuſione prolectum: Demum recte obturatum vas, inſolationi iterum exponendum per dies duodecim; quibus exactis, vaſe per triduum Balneo tepido impoſito; Deinde in Balneo fervente per horam integram detento, cuncta colanda erunt & fortiter ſicuti priori vice exprimenda.

Tunc accipiantur Granorum Hyperici, aut globulorum, ſemine fere maturo turgentium, quando flores decidui fere ſunt manipuli novem; hi rite contriti, ac vaſe una cum oleo ex prioribus expreſſionibus elicito, eóque accurate occluſo, repetendæ erunt inſolatio, maceratio, & coctio in Balneo ſicuti prius, cuncta colando & exprimendo.

Deinde accipienda quantitas præſcripta foliorum recentium Scordii, Calaminthæ, Cardui benedicti, & Verbenæ, Summitates Dictamni Cretici & Centaurii minoris: Radices Zedoariæ, Dictamni albi, Gentianæ, Tormentillæ, & Ariſtolochiæ rotundæ; quæ optime contuſæ & vaſe una cum oleo expreſſo exceptæ hoc probe obturendũ erit,

triduo toto in Mariæ Balneo tepido detinendum : Poſt à fervore Balnei horæ ſpatio, colandæ erunt & valide experimendæ materiæ.

Tum adſint trecenti Scorpiones albi, maximi, & vivaciſſimi, per dies Caniculares capti : Illi vaſe concludentur, quod præcedentibus infuſionibus locum conceſſerat, hoc cineribus feruentibus imponendum erit, ſæpius commovendo & ſuſque deque verſando Scorpiones, donec exſudare cernantur & æſtuare, quo tempore illis affundendum Oleum expreſſum; demum accurate occludendum vas, & per horas viginti quatuor in Balneo maris tepido detinendum, Balneique fervor adhuc per horam producendus; Dein colati, ac fortiter expreſſi Scorpiones abjiciendi erunt, adſervato Oleo.

Demum probe contundenda erunt Cinnamomum, Storax, Benzoin, Baccæ Iuniperi, Santalum Citrinum, Rheubarbarum, Myrrha, Aloë, Spica Nardi, Nigella Romana, Iuncus odoratus & Crocus, vaſeque una cum Theriaca & Mithridatio præſcriptis excepta, ac Oleo expreſſo, accurate id obturandum erit, quo Balneo Mariæ tepido nychthimeri ſpatio commiſſo, ſequutoque ejuſdem per ſemihoram circiter fervore, omnia colanda, valideque comprimenda, tranſmittendaque per telam denſam & validam; factaque accurata defæcatione & humidi ſuperflui detractione, Oleum in lagena optime obturata ad uſus adſervandum.

Oleum iſtud admotum arteriis temporum, carporum & pedum, auribus, regioni cordis & orificij ventriculi, tertia quaque hora iterando inunctionem; imo bis in die adſumptum, à ſcrupulo ſernis ad drachmam ſemis, adverſus quodvis veneni genus efficaciſſimum eſt, dummodo ex Cathæreticorum genere non fluerint. Valet adverſus morſus Viperarum, Aſpidum ac omne jobolorum animalium genus, uti & ad Peſtis præſervationem & curationem: utiliſſime etiam in uſum venit in Variolis, Morbillis, cunctiſque morbis epidemicis, & contra Epilepſiam ac pleroſque Cerebri affectus, ſpeciatim vero vermibus infeſtum eſt, venenumque Napelli atque aliorum Aconitorum.

Oleum Vulpinum.

℞. *Vulpem adultam, pelle exutam. exenteratam & in partes diſſectam,*
Salis communi vnc. iiij,.
Aquæ fontanæ quantum ſatis ad Vulpis conſumptionem.
Coquantur igne lento in vaſe fictili vitreato cooperto donec ab oſsibus caro recedat, Coletur deinde Iuſculum, & Vulpes expreſſa rejiciatur. Tunc

℞. *Summitatum Thymi,*
Anethi recentium, ãã. m. ij.
Salviæ,
Roriſmarini &
Chamæ pytios ãã. man. j.

Omnia in eodem vaſe fictili cum ſuperiori juſculo collocentur, coopertóque Vaſe in Bilneo Mariæ tepido horis viginti quatuor colentur & exprimantur, expreſſumque Oleum facibus omnibus purgatum ad uſus ſervetur.

Methodus.

Etſi ex mente Antiquorum præparandum ſit iſtud Oleum Vulpem in Oleo decoquendo addita aqua & ſale requiſitis, attamen ratio illam primo in aqua cum Sale elixandi potius admittenda videtur, tum vitandæ ergo alterationis ab igne Oleo inducendæ per diutinam coctionem; tum ad faciliorem ſubſtantiæ Vulpis extractionem, quæ multo facilius in aqua abſque oleo diſſolvitur, quam hoc adjecto: Agat nihilominus quilibet pro arbitrio, ſatis enim mihi in publicum expoſuiſſe modum maxime mihi probandum.

Herbas aromaticas quod ſpectat, virium illarum diſpendium multo minus futurum eſt, ſi demum ab affuſo oleo immiſſæ fuerint; illarum infuſionem & elixationem perficiendo in oleo & juſculo, ſicuti præſcriptum; meliore proculdubio ſucceſſu quam ſi initio decoctionis Vulpis una cum oleo imponerentur, ſicuti Antiqui præceperunt.

Accipiatur Vulpes juvenis, mediocris nec tamen minima, carnoſa, pinguis; hæc cute ſpoliata, exenterata, in fruſta diſſecetur, immitatúrque ollæ fictili intus vitreatæ, capacitatis convenientis, cum Sale preſcripto, repletóque aqua Vaſe, non ſecus ac ſi aliquis alius cibus elixandus eſſet, operculum adponatur; Igne lento decoquatur Vulpes, donec caro ab oſſibus abſcedat.

Aquæ quantitatem decoctioni neceſſariam præſcribere arduum eſt, plus enim aut minus requiritur pro varia animalis magnitudine, ſufficitque id præſtitiſſe ut iuſculi ſatis ad perficiendam coctionem adſit, & ut ſuccus plane exhauriatur.

Colandum erit Iuſculum, Vulpes valide exprimenda, à perfecta elixatione; poſtea reaffuſo in ollam juſculo, additóque oleo cum herbis præſcriptis, operculum ſuperponatur Vaſi, quo per horas viginti quatuor in Mariæ Balneo tepido collocato, poſtea per bihorium fervor erit conciliandus; hinc colatis & fortiter expreſſis omnibus, rite Oleum à fæcibus ſecernendum erit, & ad uſus ſervandum.

Oleum

Oleum Vulpinum digerit & potentes diſcutit humores frigidos in partes corporis nerveas & membraneas decumbentes: Admodum idoneum eſt cunctis affectibus frigidis articulorum, valet in Rheumatiſmo, Iſchiadico dolore, Podagra frigida; Seorſim admovetur partibus affectis, vel commiſcetur vnguentis aliiſque Oleis adcommodatis.

Oleum Viperinum.

℞. *Viperas viventes magnas, pingues & vividas* N°. xij.
Olei communis puriſſimi libr. ij.
Vini albi generoſi unc. ij.

Omnia vaſe fictili Vitreato ſatis anguſti orificij excepta, cooperto vaſe fere ad humidi conſumptionem in ferventi Balneo decoquantur, deinde colentur & exprimantur, purúmque oleum ad uſus ſervetur.

Methodus

Similis præparatio pro Oleo Viperino quæ pro Vulpino præſcripta fuiſſet, niſi Viperæ ſubſtantiam teneriorem obtinerent, decoctimi facilius quam caro & oſſa viperina obedientem: Affundatur Olivum puriſſim in vas figulinum, intus vitreatum, anguſti orificij: hoc imponatur Balneo ferventiſſimo; In illo excalefiat Oleum donec immiſſus digiti apex calorem non toleret: Tum Viperæ ſucceſſive Oleo immergendæ; quibus ſuffocatis, addito vino præſcripto, operculatóque vaſe, Balnei fervor producendus donec Viperarum humiditas propemodum abſumpta ſit: demum omnibus colatis, fortiterque expreſſis, à fæcibus probe liberatum oleum in uſus idoneos ſervandum erit.

Olei viperi uſus totus fere externus eſt, in infectionibus cutaneis, præſertim Impetigine, Tinea, leproſiſque ulceribus: Maxime etiam utile perhibetur in ulceribus à virulentia Venerea inductis: Seorſim adhibetur, aut Linimentis commixtum, unguentis Pomatis: Plurimum quoque valet ad mulcendos Hæmorrhoidum dolores, ac partum facilem reddendum, ſi univerſus imus venter illinatur.

Oleum Serpentum, vel Anguinum, iuxta hanc methodum præparari poteſt, proportione habita olei ad ſerpentum magnitudinem & craſſitiem, cuius uſus & utilitas eadem quæ Viperini, etiamſi efficacia multo minor ſit.

Chymica arte Oleum præparatur, elicitum è Viperis per retortam exſiccatis, quod in Recipiente Phlegmati & Sali volatili commixtum reperitur: Methodum aperiam tertia huius Pharmacopoeæ parte.

Oleum Lacertarum

℞. *Olei expreſſi nucum Iuglandium depurati lib.* iij.
Vini albi unc. iij.
Vaſe fictili vitreato ſatis anguſti orificij excipiantur, & vaſe in Balneo Mariæ collocato, urgeatur ignis donec Balnei *calorem manus ferre queat, Tunc.*
Accipe Lacertas, viventes, virides & vividas N° xij. *vel* xv. *vel* xx. *pro ratione magnitudinis; Illas in oleo calente ſuffoca, & vaſe optime clauſo fervente* Balneo, *fere ad humidi conſumptionem decoque, deinde cola & exprime, purumque Oleum ad uſus ſerva.*

Methodus.

Iuſtus numerus Lacertarum quæ ad iſtius Olei compoſitionem venire debent definiri nequit, ob magnitudinis illarum varietatem; quo fit vt Pharmacopoei induſtriæ hæc committantur, qui numerum ſufficientem, quo oleum ut par eſt ſaturetur, immiſſurus eſt.

Neque tamen ad iſtius Olei compoſitionem, uti neque Viperini & Anguini, antiquorum quorundam methodo inſiſtendum, qui præcipiunt, poſtquam hæc animalia in oleo ſuffocata fuere, vas per plurimos dies inſolari: proculdubio enim citiſſima horum animalium corruptio ſubſequutura eſt, ac oleo fœtor abominandus imprimetur, exule ſalutifera omni virtute: Incommodum hoc metuendum non eſt ſi quomodo præſcripſi res executioni demandata fuerit; Supervacaneum enim iudicavi methodum exactiorem huc inferre, quandoquidem alia eſſe non debet quam quæ pro Oleo Viperino à me tradita fuit, admodum idonea rite in oleum transferendæ facultati à Lacertis expectandæ.

Oleum Lacertarum jampridem commendatum eſt ad provocandos capillos atque ad illorum incrementum, Specificum quoque habetur in Enterocele,eapropter primo reponendum erit inteſtinum, calide pars oleo inungenda; demum admoto fruſto Omenti cuiuſvis animalis, hoc oleo madentis, pulvere quopiam adſtringendi vi prædito ſuper aſperſo, ſplenium conveniens admovendum erit, cum perizomate idoneo: Arcanum quidam hoc remedium venditant, experimento confirmandum cum ab uſu nihil immineat periculi.

Oleum Myrrhæ per Deliquium.

℞. *Ova recentia* N°. xij. *vel quantum libuerit coquantur in aqua communi ad duritiem, per mediam longitudinem incidantur, excmiſque vitellis, Myrrha electa pinguis pulverata cavitates albuminum impleantur; Illorum partes*

tes inciſæ iterum junctæ filo leviter conſtringantur & in loco humido ſuſpendantur, ita ut Myrrhæ liquor in vas aliquod vitreum ſubmiſſum per deliquium diſtillet.

Methodus.

Præparatio hujus Olei ſimpliciſſima cum ſit & facillima, Galenicis proculdubio adnumeranda; Chimicam tamen ſuo loco adducturus ſum: Accipiantur, exempli gratia, ova duodecim recentia, indureſcant aquæ ferventi immiſſa; dempto cortice per medium ſecundum longitudinem dividantur, exemtiſque vitellis, ſubſtitutaque Myrrha electa ſubtiliter trita, albuminum cavitati immiſſa; ſibi invicem committenda dicta albumina diviſa, filoque circumcirca conſtricta, in cella vinaria ſuſpendantur, vel alio loco frigido, adeo ut vaſculo idoneo vitreo excipi queat liquor diſtillans; qui nihil aliud futurus eſt quam diſſolutio plurimæ partis Myrrhæ, in parte aquea albuminum ovorum facta:

Liquor hic in exiguam Cucurbitam Vitream infundendus; quæ Balneo Maris impoſita, curandum ut quarta circiter pars in vapores abeat, inutilis quippe humor liquori oleagineo corruptionem inducturus, ſi mora concederetur.

Oleum Myrrhæ eximium cenſetur in infectionibus omnibus cutaneis: utiliſſime in uſum venit ad delendas maculas & cicatrices faciei, ſicuti & ad ſcabiei curationem, Herpetum, imo & Vlcerum: Vſus externus ſolummodo eſt; Seorſim utplurimum adhibetur, ſed & unguentis Pomaceis remiſcere licet, ac Injectionibus vulnerariis.

Diſpenſatoria tum nova tum antiqua plurimas alias oleorum deſcriptiones continent, ab inventoribus non qarum collaudatas, ſed abſit ut in hanc Pharmacopoeam illa, inveham ne ſic in immenſam excreſcat molem.

CAPVT III.

De Balſamis.

Balſamorum tractationem huc inferre volui ob intimam illorum cum Oleis, Linimentis & Vnguentis adfinitatem de illorum præparatione acturus: Naturalia ſunt aut Artificialia; Balſama naturalia cum

præparatione non indigeant, illis non immoraturus ſum; Artificialia ſolum attingam, illa vero ſunt remedia compoſita, in uſus externos potiſſimum venientia, quorum nonnulla conſiſtentiam vulgatis unguentis ſolidiorem obtinent, odoris potiſſimum gratia præparationem obtinentia, recreationis & corroborationis partium principum: Alia multo liquidiora ſunt, conſiſtentia inter Olea & Linimenta mediæ, vulneribus præcipue dicata, etſi & quædam ad eoſdem fere affectus ad quæ Linimenta & vnguenta præparentur.

Præparentur & Balſama diſtillata, ex multis aromatibus & variis oleis diſtillatis concinnata, Hæc Chymica potius ſunt quem Galenica, in uſus internos aeque ac externos accerſita: Supervacaneum porro foret in hanc Pharmacopœam adducere deſcriptiones parum uſitatas, quæ in Diſpenſatoriis occurrunt.

Oleum è Nuciſta expreſſum, ratione ſoliditatis qua gaudet cum fixum eſt, vulgatiſſima eſt materia in uſum veniens corpus præbendo Balſamis odoratis, compeſcens Oleorum ſtillatitiorum fluiditatem illorum compoſitionem ingredientium, prohibens ne dicta Balſama pera geſta diffluant: At vero ad quædam Balſama, non ſuaveolentiæ gratia ſolum requiſita, cum prætcrea ſumptibus parcendum eſt, aliquando cera alba admittitur, aliquando pinguedo agnina, nonnunquam caprilla; alias medulla cervina, aut vitulina, aliquando manna granata.

At vero cum odoris carentia in illis materiis præſertim requiratur, quo nullo proprij veſtigio relicto, oleorum ſtillatitiorum aut aliarum ſubſtantiarum aromaticarum, ipſis commiſſarum, fideliter excipiant, atque ad nares genuinum & ſincerum odorem deferant, in auxilium acceſſiri ſolet ſpiritus vini Tartariſatus, affundenbus Oleo nucis Moſchatæ expreſſo, aut ceræ, aut pinguedinibus, aut medullis, adeo ut illis emineat ad digiti tranſverſi altitudinem; præmiſſaque triduana digeſtione, igne lentiſſimo extrahitur ſpiritus vini, atque in fundo ſubſidet materia candida, omnis omnino odoris expers.

Balſamum Apoplecticum.

℞. *Olei Nucis moſchatæ expreſſi, vnc.* j. *Zibethi veri ſcrupul.* iv.
Reſinæ Styracis. drachm. ij. Moſchio *Orientalis drachm.* j.
Balſami Indici *Olei ſuccini recificati drachm. ſem.*
Ambræ griſeæ ãã. *drachm.* i. *ſem.* *Olei Cinnamomi ſtillatitij ſcrup.* j.
Oleorum ſtillatitiorum Lavendulæ.
Maioranæ *Citri.*
Rutæ *Arartiorum & Ligni Rhodij* ãa *ſcrup.*
Garyophyllorum ãã *gr.* xv *ſem.* *Gagatis drachm.* vj.
Fiat ex arte Balſamum.

Methodus.

Præparatio Olei nucis Moſchatæ tradita eſt cum cæteris Oleis ex-preſſis, Reſinæ vero ſtyracis in præparatione medicamentorum The-riacam ingredientium: Accurata debet eſſe electio medicamentorum ſimplicium, Oleorum exacta præparatio, ſicuti loco proprio demon-ſtraturus ſum.

Subtiliſſime primo terantur moſchum & Ambra griſea in exiguo mortario æneo, infuſa guttula cujuſpiam olei ſtillatitii; Colliquatio Olei nucis moſchatæ expreſſi facienda in ſcutella argentea ſubdito igne modiciſsimo; id cum liquatum fuerit, ſubtracto igne, ſemique refrige-rato oleo, commiſcenda erunt reſina Storax, Balſamus Peruvianus, moſchum, Ambra griſea, demum addendum zibethum cum Oleis ſtil-latitiis, cunctis rite permiſtis Balſamum exſurget.

Si cui manus volæ calor ſufficiens fuerit, & patientia acceſſerit, in illa medicamenta omnia commiſceri poterunt; emollito primo paula-tim Oleo Nucis moſchatæ, crebrius illud verſando, atque manui appri-mendo ope ſpathulæ argenteæ: Illi demum commiſcendo Reſinam ſtoraceam & Balſamum Peruvianum: His adjiciendo moſchum & Ambram griſeam pulveriſata, ſicuti & zibethum, ac tandem Olea di-ſtillata; Quo pacto Balſami minus periclitabuntur partes tenuiores quam ſi ignis adhibitus fuiſſet.

Apoplectici nomen huic Balſamo inditum, cum admodum in cunctis cerebri morbis conducat, quod potentiſſime corroborat, ſicuti & par-tes omnes nobiles: Fragrantiæ præterea gratia commendabile eſt, vel eo potiſsimum nomine, quod inquinamentis aeris obſiſtat, vel fredos odores ſupprimat: minima doſi auxilium adfert, ſiquidem dimidii gra-ni pondus ſatis eſt cum ſuaveolentiæ gratia uſurpatur: Sed maior quan-titas admittitur ſi ad morbos cerebri in uſum accerſendum; Imo illitus ſit poteſt fieri temporum, capitis ſuturarum; nec non auribus ex goſſipio immittere licet.

Balſamum aliud Apoplecticum.

℞. *Olei Nucis moſchatæ expreſſi, & Ceræ albæ āā. unc.* j.

Oleorum Roriſmarini.

Salviæ	*Rutæ,*
Lavendulæ,	*Maiorane,*
Succinuſi	*Gagatis & Garyophyllorum āā drachm.* j.

Balſami Peruviani drachm. ij.

Fiat ex arte Balſamum.

Methodus.

Balſamum hoc eadem methodo qua præcedens præparari poteſt, at vero vix alia ratione quam ignis beneficio cera alba emolliri poterit, ut rite cum hac cetera coaleſcant, etſi & id conſequi liceat, ſi octava demum hujus compoſitionis partis una vice præparatio ſuſciperetur.

Eadem odoris gratia in hoc Balſamo atque in præcedenti non occurrit; at nihilominus inſignium eſt virium in cunctis cerebri affectibus, in impuro aëre convenientiſſimum. Sed præterea non exiguarum eſt virium ad vapores uteri coërcendos.

Balſamum Hypnoticum.

℞. *Olei Nucis moſchatæ expreſſi & Vnguenti Populei āā unc.*j.
Medullæ cervinæ
*Olei Roſati & Nymphææ āā drachm.*iij.
Oleorum expreſſorum ſeminis hyoſcyami & Papaveris albi.
*Extracti Opij & Croci āā drachm.*ij.
Ambræ griſeæ,
Moſchi
Zibethi & Olei ſtillatitii ligni Rhodij āā. gr. viij.
Fiat ex arte Balſamum.

Methodus.

Extracta Opii & Croci cum tantillo ſpiritus vini optimi diluantur, demum paulatim moderatiſſimo igne adhibito oleo Nucis moſchatæ commiſcenda, medullæ cervinæ & vnguento Populeo; deinceps adiicientur olea; ac denique Moſchum & Ambra griſea; pulveriſata ſicuti monui in præparatione Balſami Apoplectici, ac cum zibetho concorporata.

Balſamum hoc fuit excogitatum ad ſomnum ægris placidum conciliandum, ac mulcendos capitis dolores, febrium continuarum vt plurimum comites, imo & nonnunquam intermittentium: Eapropter tantillum naribus & auribus immittitur, arteriæ in temporibus & carpis illinuntur, nec non plantæ pedum: Remiſceri etiam poteſt medicamentis capiti, aut fronti dicatis, ſiccis vel humidis, vel leviter imbui poteſt pars lintei exterior, fronti admovendi, continendis frontalis materiebus dicati.

Balſamum

Balſamum Stomachicum.

℞. *Olei nucis moſchatæ expreſſi* ℥ ij
Abſinthij vulgaris
Maſtichini
Nardini &
Ceræ albæ ãã ʒ vj.
Oleorum ſtillatitiorum Abſinthij
Menthæ criſpæ,
Cinnamomi,
Cariophyllorum
Thymi &
Macis ãã ʒ j.
Fiat ex arte Balſamum.

Methodus

In Balſami iſtius præparatione nullo alio artificio opus eſt quam ut moderatiſſime igne colliqueſcat cera alba cum oleo Nucis Moſchatæ, atque ut extra ignem olea præſcripta coaleſcant.

Corroborando ſtomacho admodum conducit ac calefaciendo, quamobrem ad vomitum compeſcendum utiliſſimè uſurpatur, concoctionem juvandam, appetitum acuendum, ventriculi dolores ſiſtendos, Colicos & Dyſentericorum tormina mitiganda : Non minimæ etiam eſt efficaciæ ad cunctos Cerebri & Nervorum affectus, partes calide inungendo.

Balſamum Uterinum.

℞. *Sevi Hircini* ℥ ij.
Lacrymarum Galbani &
Aſſæfœtidæ
Pinguedinis in Cyſtide Caſtoreorum contentæ ãã ʒ j ß.
Oleorum ſtillatitiorum Succini
Gagatis,
Rutæ &
Sabinæ ãã ʒ ij.
Fiat ex arte Balſamum.

Methodus.

In excalefacto mediocri mortario æneo, piſtilloque calido, ſenſim colliqueſcant Galbanum & Aſæ fœtidæ lacrymæ,his cogmentatis cum parte Caſtorei unctuoſa & olei, diſtillatis in ſartaguncula liquefaciendum erit Sevum hircinum, cui antequam refrixerit cætera commiſceantur, ſic perfectum erit Balſamum.

Balſamum hoc cavo umbilico admotum, nucis teſta dimidia exce-

ptum illico,adverſus hyſtericos vapores, efficax eſt remedium;Illius do-lores ſedans : Tantillum etiam indere licet naribus ac faucium partem exteriorem illinere ; conducit nec non menſtruo fluori provocando.

Balſamum pro Puerulis Dentientibus.

℞. *Butyri Maialis non ſaliti* ℥ iij.
Pinguedinis Gallinæ &
Anatis ana ʒ ij.
Succi Cancrorum fluviatilium contuſorum cum aqua florum Cyani extracti &
Mucilaginis radicis Althææ ana ℥ ij.
Coquantur igne lento in vaſe fictili vitreato ad humidi conſumptionem, colaturæ adde
Sacchari Candi ſubtiliter pulverati ℥ iij.
Vitellum unum ovi
Moſchi & Ambræ griſeæ ana *gr.* vj.
Fiat ex arte Balſamum.

Methodus.

Contundantur duo vel tres Aſtaci fluviatiles vivi in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, ex illis pauca aqua Cyani irroratis exprimantur Succi unciæ duæ. Præparandæ etiam unciæ duæ Mucilaginis radicum Althææ, hæc omnia excepta vaſe fictili vitreato, additis unciis tribus Butyri Majalis,& drachmis duabus pinguedinis Gallinæ,ac tantumdem Anatis, operculato vaſe,coquantur lentiſſimo igne, quouſque humiditas propemodum abſumpta ſit;his demum per linteum tranſcolatis commiſcenda erunt procul ab igne ovi vitellum cum Sacchaго candо, Moſcho & Ambra griſea pulveriſatis, ſic Balſamum erit perfectum.

Balſamum hoc experientia confirmatum eſt ad emolliendas Dentientium infantium gingivas valere, ſi modo nutrix ſæpius gingivis affricuerint: Commodiſſimi eſt uſus, cum enim inſuave non ſit, nullam noxam etiam deglutitum inferre valet.

Balſamum egregium pro manibus

℞. *Saponis Veneti in ſucco Limonum diluti* ℔ ß.
Mellis virginei albi ℥ ij.
Talci Veneti
Sacchari Candi &
Radicis Ireos ſubtiliter pulveratorum ana ℥ ß.
Salis Tartari
Boracis &
Spermatis Ceti recentis ana ʒ ij.

Balſam-

Balſami Peruviani ʒ j.
Olei ligni Rhodij
Cinnamomi
Cariophyllorum āā ℈ ß
Moſchi Orientalis
Ambræ griſeæ āā gr.xij.
Fiat miſtura ad formam Balſami.

Methodus.

Accipiantur Saponis Veneti unciæ ſex, minutim incidantur, excipiantur vaſe fictili vitreato, diſſolvantur igne moderatiſſimo additis unciis duabus ſucci limonum: Demum adjicienda Mel, poſtea Sperma Ceti cum Balſamo Peruviano, ſubtractoque vaſi igne paulatim coagmententur Pulveres, ac tandem Moſchum, Ambra griſea & Olea ſtillatitia.

Facilis erit tritura Talci Veneti ſi fruſtum illius mediocre luculento igni expoſitum fuerit per horæ ſemiquadrantem, inque mortario magno æneo, ſimulque piſtillo optime calefactis, non ignava manu contundatur priuſquam mortarium refrigeſcat; eodemque tempore per denſiſſimum incerniculum ſericeum denſiſſimum pulveratum tranſmittatur.

Balſamum hoc candefacit cutique lævorem certius quam ulla paſta, vel unguentum Pomatum inducit; Illinendæ manus & afficiendæ; uſus idem qui aliarum Paſtarum ejuſmodi, illotas manus ab illitu ſervando.

Balſamum ſulphuris commune.

℞. *Olei Nucum juglandium expreſſi* ℔ ß.
Florum ſulphuris ʒ j
Salis Tartari ℈ ij.
Vini albi ʒ ij.
Macerentur per octiduum calore moderato in Cucurbita vitrea deinde lentiſſimo igne arenæ ad vini conſumptionem coquantur, & refrigeratis omnibus Balſamum per inclinationem ſeparetur & ſervetur.

Methodus.

Sal Tartari commodiſſime his adjicitur ad juvandam diſſolutionem florum Sulphuris, ac Balſamo colorem rubicundiorem conciliandum.

Flores Sulphuris & Sal Tartari primo excipiantur exigua cucurbita vitrea; poſtea affundatur Oleum Nucum cum vino albo, his optime commixtis, imponatur cucurbita Igni digeſtionis moderatiſſimo, in quo linquatur toto octiduo, materias per vices concutiendo;

poſtea igni intenſiori paulo reddito, decoquendum erit Balſamum quouſque humiditas propemodum ſit abſumpta: Tum Cucurbita ab igne removenda, materiisque plane frigefactis, decantandum erit Balſamum limpidum à fœcibus liberatum, in lagena vitrea denſa, optime occluſa adſervandum ad uſus.

Suo loco tradenda eſt præparatio Florum Sulphuris, uti & Salis Tartari.

Balſamum Sulphuris inſignis eſt utilitatis, ad digerendum, diſcutiendum, ac reſolvendum materias crudas influxas, & in quapiam corporis parte congeſtas, Valet uſu externo: Baſim præbet Emplaſtro Diaſulphuris, cujus deſcriptio tradenda eſt capite de Emplaſtris.

Uſurpant nonnulli oleum Amygdalarum dulcium, Seminis Papaveris albi, aut Terebintinæ vice olei nucum Juglandium, ad compoſitionem hujus Balſami, quæ ſubſtitutio immutationem facultatum non infert, at vero quiſque ſuo ſe arbitrio regat.

Nonnulli Balſamum hoc compoſitum magis efficiunt additis Myrrha, Aloë, Croco, variisque aliis medicamentis, pro varietate ſcoporum ipſis propoſitorum, ſed plurimas ejuſmodi deſcriptiones huc adferre inutile judicamus.

Balſamum Sulphuris Aniſatum.

℞. *Florum Sulphuris* ℥ j.

Olei ſeminis Aniſi expreſſi ℥ vj.

Excipiantur matratio, illudque diligenter obturatum digeſtioni moderati caloris committatur, uſque ad integram fere florum Sulphuris in oleo diſſolutionem; Refrigeratisque omnibus Balſamum per inclinationem à fæcibus ſeparatum in phiala forti vitrea recte obturata ad uſus ſervetur.

Methodus.

Olei Aniſi volatilitas jubet Matratium, quo materiæ excipi debent, accurate occludi; Vas hoc committendum Balneo Cinerum moderate calido, inibi detinendum quouſque flores Sulphuris in oleo fere omnino diſſolvantur, ac Balſamum intenſe rubeſcat; Interim ſedulo verſandæ ſunt materiæ per intervalla, ad promovendam florum diſſolutionem, perfectum vero Balſamum ut refrigeſcat finendum, quod per inclinationem vaſis à fæcibus ſecretum, recondendum in forti phiala, accurate ad uſus occludenda.

Oleum Aniſi ſtillatitium in Balſami hujus compoſitionem admitti poſſet, at cum nimiæ ſit volatilitatis, faciliusque in auras abeat quam Oleum expreſſione eductum, ac vix adeo accurate occludi queat matratium quin Balſamo plurimum in quantitate decedat, ideo Oleum expreſſum uſurpandum.

Ex quorundam ſententia Balſamum iſtud nativo plurimum viribus accedit, quod modice excalefaciat, exſiccetq;ue ac à corruptione vindicet, Eximij quoque uſus eſt in cunctis Pectoralibus affectibus, ac præſertim contra Tuſſim, Aſthma, Pleuritidem & Pulmonum ulcera: Nec minimum conducit in ventriculi debilitate & Apoplexiæ, excitat appetitum languentem, flatus diſcutit ac quemcumque colicum dolorem mitigat: Valere etiam cenſetur in Peſte, ac cunctis morbis epidemicis, affectibus Venereis, Febribus continuis & intermittentibus, ac Epilepſia: Interius adſumitur ex liquore convenienti à tribus ad decem vel duodecim guttas: Valet etiam illitum ventriculo aut umbilico, in affectibus ventriculi aut colico dolore.

Balſamum Arcæi.

℞. Sevi Hircini ℔ ij.
Terebenthinæ Venetæ & Gummi Elemi āā ℔ j. ß.
Axungiæ Porci ℔ j.
Fiat ex arte Balſamum.

Methodus.

Liquefiat Gummi Elemi minutim conciſum igne moderatiſſimo; addenda Terebenthina, Sevum Hircinum, & axungia Porcina; cum omnia optime diſſoluta fuerint tranſmittenda erunt per telam novam, ad ſeparationem ſordium admixtarum, præſertim Gummi Elemi: Balſamum ea ratione colatum recondatur frigefactum ad uſus.

Balſamum Arcæi ſæpiſſime in uſum venit, nec immerito, omne enim vulnerum & ulcerum genus carnæ replet & coire facit: Valet etiam in fracturis & oſſium luxationibus, ſicuti & contuſionibus ac vulneribus nervorum. Uſitatiſſimnm eſt hoc Balſamum etſi in pauciſſimis diſpenſatoriis deſcriptum occurrat.

Balſamum Hiſpanicum.

℞. Frumenti integri
Radicum Valerianæ &
Cardui benedicti contuſarum āā ℥ j.
Vini albi ℔ j.
Omnia in vaſe fictili vitreato anguſti orificij collocentur, obturatoque vaſe ſuper tepentes cineres horis viginti quatuor macerentur, additiſque deinde
Olej Hyperici ℥ vj. *in Balneo-Mariæ fervienti coquantur ad vini conſumptionem, deinde colentur & exprimantur, Poſtea:*
℞. Thuris electi ſubtiliter pulverati ℥ ij.
Terebinthinæ Venetæ ℥ viij.
Lento igne paulatim coeant, prædictóque Oleo miſceantur & factum erit Balſamum.

Methodus.

Fabritius ab Aquapendente ſæpiſſime hunc Balſamum in uſum duxit felici eventu, quamobrem illius author à quibuſdam creditus: Mira præſtare perhibetur ad curationem quorumvis vulnerum, imo & partium nervoſarum, quæ ſpatio horarum viginti quatuor, ſi fides, perſanat, modo ſequenti procedendo.

Primo vulnus optimo vino albo frigide eluendum, demum vulnus univerſum illinendum hoc Balſamo calente; illius labia conjungenda, & ad ſe mutuo adducenda, ope ſpleniorum, faſciarum & ligaturarum; eodem tempore inungenda vulneris labia, & vicina prædicto Balſamo, ſuper impoſito ſplenio eodem Balſamo intincto; & altero ſuper injecto auſtero vino imbuto & expreſſo; & tertio omnino ſicco.

Balſamum viride Metenſium.

℞. *Olei ſeminis lini expreſſi & Olivarum* ãã ℔ j.
Laurini ℥ j.
Terebenthinæ Venetæ ℥ ij.
Simul igne lentiſſimo liqua, Refrigeratiſque permiſce.
Olei ſtillatitij baccarum Iuniperi ℥ ß.
Viridis æris ſubtiliter pulverati ʒ ij.
Aloes Socotrinæ ſubtiliter pulveratæ ʒ ij.
Vitrioli albi ʒ j ß.
Olei Cariophyllorum ʒ j.
Et factum erit Balſamum.

Methodus.

Accipiantur Olea Olivarum & Lini optime defæcata, ſimul committantur igni moderatiſſimo, in ſartaguncula, unà illis concorporentur Terebintina cum Oleo Laurino, poſt ſubducta ab igne ſartaguncula, omnibúſque plane refrigeratis; paulatim commiſceantur Viride æris, Vitriolum album & Aloë Socotrina ſubtiliter trita; addenda demum Olea diſtillata Cariophyllorum & baccarum Iuniperi, cunctiſque ritè permiſtis exſurget Balſamum.

Schodenus in ſua Pharmacopœa hujus Balſami deſcriptionem tradit, quam mutuo ſe accepiſſe tanquam optimum remedium, revera probatiſſimum, à Dom. Cloſſæo, Medico Mediomatrice, ait, nullus ſane dubio erit locus, ſi modo notum ſit non aliud id eſſe à Balſamo illo viridi, tantopere Pariſiis decantato ante aliquot annos, cujus deſcriptionem nonnulli ſibi propriam & arcanam eſſe voluerunt, etſi veriſimiliter à prædicto authore deſumpſerint, vel ab illis mutuati ſint qui ab hoc fonte hauſerunt.

Utut vero ſit, ratum illud eſſe debet præſtantiſſimum eſſe illum

Balſamum

Balſamum ad cujuſvis vulneris curationem, ſive ab igne ſive ferro inflicti; Vſus vero ratio hæc eſto, vino calente eluatur vulnus, demum calide allinatur hoc Balſamum, immittendo penicillos illo imbutos, cunctis ſuperponendo Emplaſtrum ſticticum à me mox deſcribendum.

Balſamum hoc vim nactum eſt purgandi, Vulnera, carne eadem implendi & cicatrice claudendi: Nec minorem præſtat opem adverſus animalium, morſus ulceraque fiſtuloſa & maligna.

Balſamum Samaritanum.

℞. *Olei communis,*
Vini generoſi ãã partes æquales,
Coquantur ſimul igne lento in vaſe fictili vitreato ad vini conſumptionem; & ſervetur Balſamum ad uſus.

Methodus.

Hoc Balſamum nomine Samaritani, aut Evangelij donatum fuit, eo quod Samaritanus miſericors, obvium cum habuiſſet quendam vulneribus variis confoſſum, & moribundum, alio uſus non fuerit remedio: Quovis tempore parabile eſt hoc remedium adſumendo partes æquales vini optimi & Olei Olivarum, ſimul coquendo lento igne in vaſe fictili, ad omnimodam uſque vini conſumptionem.

Balſamum hoc etiamſi ſimpliciſſimum, contemptim non habendum; felici enim ſucceſſu in uſum ducitur ad purgationem & conſolidationem vulnerum ſimplicium, præſertim recentium.

Balſamum Balſaminæ

℞. *Florum, foliorum & fructuum Balſaminæ ãã ℥iij.*
Radicum Conſolidæ maioris
Ophiogloſſi
Striſtolochiæ rotundæ
Valerianæ maioris ãã ℥ij.
Viſci in folliculis Vlmi reperti
Succi Cancrorum fluviatilium
Foliorum Pervincæ
Saniculæ
Summitatum floridarum Hyperici
Galij Lutei ãã ℥ i ß.
Olei Olivarum ℔ iv.
Contundenda contundantur, omniáque vaſe vitreo cooperto excepta Soli æſtivo per duodecim dies exponantur deinde in ferventi Balneo ad humiditatis conſumptionem decoquantur, poſtea colentur & exprimantur; Oleóque depurato permiſceantur, Olei vernicis ſtillatitij ℔ ß.
Et factum erit Balſamum.

Methodus.

Medicamenta hoc Balſamum componentia quam electiſſima & recentiſſima ſint; Contritis vero cunctis conterendis in mortario marmoreo, omnibuſque oleo commiſtis in vaſe vitreo, aut fictili vitreato, anguſti orificij, hoc Soli per duodecim dies exponatur: Quo demum Balneo Mariæ impoſito, hoc fervefaciendum quouſque id quod humidum medicamentis ineſt abſumptum fere fuerit: Deinde colandæ erunt, fortiterque exprimendæ materiæ, riteque ſecreto à fæcibus Oleo, commiſcenda erit ſemilibra Olei è Gummi Sandaraca diſtillati, hinc proditurum eſt Balſamum.

Oleum iſtud adſervandum in lagena vitrea forti, bene obturata, Admodùm commendatur ad curationem omnium Vulnerum, ſpeciatim vero partium nervoſarum: Nec minores vires ad Combuſtiones obtinet; Dolores Hæmorrhoidum demulcet, illáſque conſolidat, ſi præſertim tantillum Camphoræ additum fuerit; Cicatrices etiam oleo Ovorum commixtum in cute exterit.

Balſamum dolorem levans.

℞. *Foliorum vrticæ urentis,*
Plantaginis.
Mercurialis & Maioranæ ā ā man. iij.
Olei Nucis Iuglandis expreſſi ℔ x.
Vini albi generoſi ℔ ij.

Herbæ contuſæ vaſe fictili vitreato exceptæ, cum oleo & vino, cooperto vaſe ſuper calidos cineres, horis viginti quatuor macerentur, poſtea lento igne coquantur, deinde colentur & exprimantur, defæcatúmque Balſamum ad uſus ſervetur.

Methodus

Prius optime contundantur herbæ in mortario marmoreo, quæ vaſe fictili vitreato anguſti orificij excipiantur, cum oleo Nucum & vino albo præſcriptis, accurate hinc vas cooperiatur. Prægreſſa vero maceratione ſupra cineres calidos ſpatio horarum viginti quatuor, materiæ lento igne decoquantur, donec vinum fere exhauſtum ſit, demum omnibus colatis, & rite expreſſis; ſecretum à fæcibus Balſamum ad uſus recondatur.

Balſamum hoc ſingulare eſt ad mitigandos dolores Articulorum, tum eos quos induxit aliquod vulnus, punctura, aut contuſio, tum quos invehit cujuſpiam humoris acris in partem aliquam diffuſio: Externe inungitur, præſentiſſimo ſolatio, ſi præſertim pars excoriata fuerit.

CAPUT

CAPUT IV.

De Balſamatione, vel conditura Cadaverum.

Ex corruptione, & intenſo fœtore, non raro obſervando in tumulis Magnatum, Principum, imo & Regum, etſi ſummum adhibitum ſit ſtudium cadavera incolumia ſervandi, colligere mihi licuit inanem illum ſucceſſum avaritiæ ſolum aut inſcitiæ adſcribendum eſſe illorum qui condiendi vel Balſamandi curam ſuſceperunt. Ideoque non inutile fore credidi ſi hoc capite publici juris facerem medicamenta, & methodum, qua non raro uſus ſum in Balſamatione Cadaverum nonnullorum utriuſque ſexus, imo & Principum; eo fine ut qui famæ conſulunt, omnemque operam navant quo eventus votis reſpondeat, id conſequi valeant ut Cadavera, quæ à corruptione vindicare ſtudent, per plurima ſecula citra corruptionis metum perennia eſſe queant.

Hoc loco immoraturus non ſum circa modum condiendi Cadavera antiquis aſſuetum Ægyptiis, aliiſque nationibus; qua de re nonnulli quædam ſcriptis tradidere, ac inter cæteros Petrus Belonius, Maynenſis, Tractatu edito Pariſiis anno 1555. *De medicato funere*: Etſi enim hodie ſuperſint non obſcura indicia induſtriæ antiquorum in Balſamatione cadaverum Perſonarum Illuſtrium; ac in variis Authoribus occurrat ſeries præcipuorum medicaminum ad id opus ipſis familiarium, non adſcriptæ tamen ſunt doſes, neque ratio legitima qua ipſi vſi fuere.

Neque etiam diſquiram varias Authorum ſententias circa Mumiæ nomen, quandoquidem nihil quod animum curioſum expleat inveniré eſt, Id vero noviſſe ſufficiat vocabulum Mumiæ inditum fuiſſe, modo Cadaveribus medicamentis aromaticis imbutis & conditis; modo illis quæ arenis in Lybiæ deſertis obruta ab æſtu Solis arefacta fuere; Modo liquori è monumentis vel tumulis in quibus Magnatum cadavera condita jacebant exſudanti, ac in ſepulchris exſiccato, adeo ut duritiem æqualem corporibus Balſamatis æmularetur.

Miſſis ergo antiquorũ ſententiis, imo & Neotricorum, ſtatuo, quandoquidem Cadaverum corruptio non alia ratione contingit quam ab exceſſu exuberantis in illis humidi, quod adauget aër ambiens, In primis curæ eſſe debere ut abſumatur humidum illis innatum, prohibeaturque acceſſus & introitus ambientis: A calce viva quidem quicquid ſuperfluum in corpore redundat abſumi poteſt, imo

quodammodo prepædiri aëris admiſſio; At cum deſtructoria & cauſtica vi polleat, qua molliores corporum mortuorum partes abſumendæ eſſent à ſolo ſuperſtite ſcelero, ejuſmodi auxilium inutile eſt, niſi ſolorũ oſſium cuſtodiendorum cura incumbat: Adſervari quoque ad aliquod temporis ſpatium poſſent cadavera exenterata, beneficio Muriæ pluri-mo ſale pregnantis; vel etiamnum in ſpiritu vini eadem reponi, ſi modo vas idoneum præſto eſſet, accurate obturabile: At cum idipſum perenne eſſe nequeat, requirantur autem media ſtabilia nec caduca, nemini non gratum futurum ſpero ſi hoc loco tradantur.

Id porro mihi curæ cum ſemper fuerit corpora defuncta figura externa ſalva tueri, præſertim, vultus, imo præſtare, ſi conceſſum eſſet ut in perpetuum durabilia eſſent, ideo ſemper prohibitus fui ab uſu pulveris coriariorum, cinerum calcis, quibus plerumque abutuntur qui turpi lucro inhiant, conſcientiæ vero & famæ nequaquam attendunt, poſthabitis querelis & exprobrationibus de infelici & improſpero ſucceſſu ipſis morientibus: Etiamſi enim prædictus coriariorum pulvis, ex ſe ſat aridus, idoneus videatur abſorbendo humori redundanti partium quibus admovetur, deſtitutus nihilominus eſt quavis utili dote quam ſecum transferre queat in cadavera; ipſe vero putredini obnoxius, quam tandem contrahit ab humido quod abſorpſit, Cineres quod ſpectat, etſi Sal ipſis cómixtum aptum videatur conſervandis cadaveribus, non ſufficienti tamen hoc illis ineſt quantitate qua id præſtare valeat, ac proculdubio dominium in illud obtinet colliquatio ſenſim contingens partium mollium cadaverum, Imo diſſolventis potius cujuſpiam vice fungitur ratione partium carnoſarum aut pinguium quas attingit, quam remedij corruptionem prohibentis: Calcem cur exulare juſſerim rationem ut reddam nulla impellit neceſſitas, ſatis fuerit tradidiſſe media, ratione & experientia duce à me optima confirmata, quorum ut copiam omnibus facerem juſſit Dominus d'Aquin.

Etiamſi forſan ſpes affulgere poſſet cadavera labis immunia conſervari poſſe, ſi includantur feretro plumbeo; obvoluta Pulvere compoſito ex partibus æquis Myrrhæ, Aloës & Salium, ſpecificavi donatorum; profuſe vero affatim inſperſo Pulvere, eoque optimo vini ſpiritu humectato; feretri autem commiſſuris accuratiſſime occluſis, Eademmet autem methodo uſus fuerim erga cadaver Illuſtris Matronæ, ex ipſius ante obitum juſſu, Ratio tamen omnium probatiſſima hæc eſto.

In Cranij poſtea parte, ſeu occipitio, excavandum foramen magnitudinis volæ manus, aut circiter, per quod Cerebrum eximendum eſt; Cranij autem cavitas, Pulvere inferius deſcribendo opplenda, demum foramen occludendum, adpoſita parte inde exempta; futuræ ope pan-

niculum

niculum carneum diviſum & à Cranio divulſum data operâ, conjungendo.

Cutis, & partis adipoſæ illi ſubjectæ inciſio facienda à ſummo ſterno ad umbilicum extremum; Eadem vero cutis tranſverſim quoque dividenda ad ſeſquipedalem circiter longitudinem, quæ in aperto ponat regionem Jecoris, Lienis & Ventriculi: cunctiſque his à Sterno cadaveris novacula *liberatis* inciſo, & à coſtis ſeparato Sterno, hinc inde, in locis cartilagineis: Eodem Sterno ad vultum uſque adducto, eximantur Lingua Oculi, Pulmones, Cor, Jecur, Lien, Ventriculus, Inteſtina, parteſque omnes, corporis cavitatibus concluſæ detrahantur: Duæ etiam vel tres altæ inciſiones ſecundum brachii longitudinem faciendæ, ac utriuſque ſuræ, magis aut minus penetrando pro ratione corporis, obeſioris aut ſtrigoſioris: Neceſſariæ eædē diviſiones cutis, ſed profundiores, & numeroſiores, in natibus & femoribus: Similes requiruntur ſecundū longitudinem à ſummo dorſo ad nates excurrentes, novacula etiam partes adipoſæ à carneis ſeparandæ: Quinque etiam aut ſex in collo faciendæ, duæ item per longitudinem, in unaquaque pedum planta & manuum vola: Occurrere poſſunt corpora adeo obeſa, carnibus & adipe farcta, ut locus ſit detractioni ſuperfluæ carnis & adipis; viſceribus commiſcendæ; ſed prætermitti poteſt illa ablatio, dummodo nihil prætermittatur illorum quæ requiruntur ad corporis conſervationem.

Sanguis & ſerum, ſi quæ forte in corporis cavitates influxerint, aliaſve partes novacula adapertas, ſpongia ſedulo abſorbeantur & abſtergantur; Singulæ deſignatæ partes generoſo vini ſpiritu madeſcant, ac demum leviter optimo ſalis ſpiritu imbuantur, Magnetis, vices ſubitura, qui aciditate ſua attrahens tum Salia fixa tartari & tamariſci, tum volatilia in aromatibus latentia, ex quibus Pulvis componendus eſt, eorum intimiorem conjunctionem effecturus eſt, ac magis idoneos redditurus qui cadaveri coaptentur: univerſa demum hæc capacitas, cunctique excitati hiatus, tota intercapedo cutis adipoſæ, carnium & & oſſium, ſicuti & cranij ſpatium ac panniculi carnei, necnon oris cavitas; faucium, buccarum, narium & orbitæ oculorum, impleantur Pulvere ſequenti.

Pulvis ad implendas cadaverum cavitates.

℞. *Myrrhæ,*
Aloes ãã. lib. xvj.

Salis Tartari &
Tamariſci,
Aſphalti
Summitatum ſiccarum Abſinthij.
Scordij &
Centaurij minoris
Radicum ſiccarum Imperatoriæ
Gentianæ.
Angelicæ,
Carlinæ,
*Ariſtolopchiæ rotundæ āā. lib.*iij.
Cardamomi vulgaris,
Piperis nigri,
*Zinziberis āā. lib.*jv.
Cinnamomi,
Garyophillorum,
Labdani &
Acori veri āā. lib. ij.
Fiat ex arte omniū Pulvis ad uſum.

Methodus.

Quantitas præſcripta hujus Pulveris modum non excedet ſi corpus Balſamandum magnum fuerit, ac præſertim ſi cuncta viſcera condienda, ſicuti nonnunquam mihi contigit faciendum; Media tamen pars ſatisfactura eſt ſi corpus condiendum parvum fuerit: At Pulveris nunquam conditorem Cadaveris parcum eſſe decet, Sed ſedulo indagando cunctas cavitates novacula diviſas; omnino illæ adimplendæ, & per vim Pulvis adigendus, quantum illius cutis capax eſſe poterit: Demum irorratione facta ſupernæ partis Pulveris optimo vini ſpiritu, quo utcunque concorporari queat & coaleſcere, adductaq;hinc inde cute,& ſuturis conjuncta omnium inflictorum vulnerum, accurate univerſum corpus inungendum erit Balſamo Peruviano, cui aſpergenda eſt Pulveris ſequentis quantitas ſufficiens, ut inde exſurgat quædam cruſta denſa, ſpiſſitudinis tranſverſi digiti, corporis univerſam ſuperficiem obtegens.

Pulvis ad Cadavera loricanda.

℞. *Styracis,*
Benzoini,
Ireos Florentiæ āā. lib. iiij.
Summitatum Majoranæ,
Florum Arantiorum &
Lavendulæ
*Tacamahacæ odoratæ āā.lib.*ij,
Ligni Rhodij,
*Acori veri, āā. lib.*j.
Labdani,
Caſsiæ, Caryophyllatæ āā. lib. ſem.
Fiat ex arte omnium Pulvis craſsior ad uſum.

Methodus.

Vniverſo corpori Pulvis iſte inſpergendus ſed ſucceſſive, poſtquam ſcilicet pars quæpiam Balſamo Peruviano inuncta fuerit, adeo ut undi-

undiq; ſuffuſum ſit corpus, & circumquaq; ad ſpiſſitudinem tranſverſi digiti, ſicuti jam ſupra innui: Demum involutum Cadaver tela incerata, ac commiſſum feretro plumbeo, cujus commiſſuræ optime ferruminentur, proculdubio ad diſſitiſſimas regiones transferri poterit in ſecula ſeculorum durabile adverſus omnem corruptionis metum tutum.

Sin Cadaver ad aliquod tempus feretro non incluſum adſervandum fuerit, imo per plures hebdomadas exhibendum vultu patulo, in lecto ad pompam exſtructo, veſtibus indutum, cheirothecis, tibialibus & calceis inſtructum, præparanda erit tela incerata alba, odorata, dividenda in longiſſimas tęnias, tres aut quatuor digitos latas, quibus ſeorſim obvolvenda brachia, femora, tibiæ, demum univerſum corpus, oblique illas ſupra Pulverem circumducendo, quo pacto Cadaver non ſecus ac corpus vivens indui poterit, capillos depromendo, vultumque prodendo, dummodo ſæpiſſime ſpiritu vini optime rectificato eluatur; imo lintea eodem ſpiritu imbuta, quo tempore non exhibetur Cadaver, admoveantur; Poteſt & ſupponi capiti cervical Pulvere aromatico deſcripto oppletum, minora itidem Pulvinaria lateribus & pedibus ſupponenda: Telæ inceratæ hæc eſt compoſito.

Tela Cerata aromatica.

℞. *Ceræ albæ lib.* vj. *Olei expreſſi Nucis moſchatæ*
Oleorum Stillatitiorum Lavendulæ
Corticis Arantiorum & *Citri ana unc.* ij.
Ceræ igne lentiſſimo liquatæ permiſceantur Olea, illiſque Tela linea imbuatur pro uſu jam dicto.

Methodus.

Minutim prius manibus dividatur Cera alba, lentiſſimo igne colliqueſcat in ſartaguncula ſtanno interius obducta, ſuperna parte latiſſima, inferna in conum vergente; demum commiſtis Oleis æqualiter & undique imbuatur tela alba & rariſſimæ texturæ.

Cerebrum quod ſpectat, omneſque interiores corporis partes, imo carnes & adipes, quæ detrahere è re viſum fuit; condiri hæc poterunt priore Pulvere inſperſo, Eapropter probe elotis inteſtinis, longiſque ac altis inciſionibus Cordi inflictis, Pulmonibus, Jecori, Lieni & Renibus; adparatoque doliolo plumbeo dimenſo, hujus fundum Pulveris portone cooperiendū; irroratiſq; cunctis partibus optimo vini ſpiritu hæ

in doliolo ſeorſim collocandæ,Pulvere ubique ſuperaddito;ſedulo quoq; vulnera Cordi, Jecori &c.Inflicta eodem Pulvere infarcienda ; partium repoſitionem ſucceſſive continuando, Pulvere affatim injecto, quoad omnia incluſa fuerint, ac doliolum Pulvere omnino oppletum ſit: Poſtmodum dolioli commiſſuræ accurate ferruminabuntur; quo pacto cunctæ illæ partes in maſſam coagmentabuntur, non minus ipſo doliolo durabilem : Cor balſamatum, ſicuti ſuperius dixi, pyxidi plumbeæ dimenſæ committi poteſt, ſeorſimque cuſtodiri.

CAPVT V.

De Linimentis, Vnguentis & Ceratis.

Linimenta, Vnguenta & Cerata, Medicamenta ſunt compoſita, Vnctionibus præſertim, aut adplicationibus exterioribus diverſarum corporis partium dicata, tam ad illarum affectarum curationem, quam mitigationem ſymptomatum accidentium.

Linimenta, Vnguenta, Cerata, conſiſtentia præſertim à ſe invicem diſcrepant, mediumque obtinent Vnguenta, adeo ut Vnguenti nomen utrique ſæpe adaptetur. Olea baſis ſunt uſitata Linimentorum, Vnguentorum & Ceratorum; Adduntur Cera, Axungiæ, Sebum variæque plantarum partes, animalium, & mineralium, tam ratione virium quas illis largiuntur, quam ut Oleis conſiſtentia adveniat, componanturque remedia, quæ diutius partibus inhærentia facultatem ſuam paulatim in illas transfundant: Poſſunt equidem præparari Linimenta & Vnguenta ex variis adipibus, citra Olei additamentum & Ceræ, ſicuti exempli Gratia plurima Vnguenta Pomacea; Imo & plurima componi queunt abſque Oleo, Pinguedine & Cera,cujuſmodi eſt Vnguentum Ægyptiacum, ſed multo plura occurrunt Vnguenta, quorum Oleum baſis eſſe debet & materia præcipua, conſiſtentiam à Cera mutuantia, quam quæ neque Oleum neque Ceram in ſui compoſitionem admittunt. Legitimum tamen Ceratum abſque cera confici nequit, ab hac ſiquidem determinationem accepit.

Proportio uſitata Olei & Ceræ in Vnguentorum compoſitione, eſt ut ſint tres unciæ Ceræ ad duodecim Olei uncias: Sin vero Pulveres admiſcendi, poſſunt hi admitti ab uncia una ad duas; imo proportio dicta non ſemper obſervatur,quandoquidem Ceræ quantitas aliquando augetur; Quatuor Ceræ libræ ad duodecim Olei libras ad Cerati compoſitionem accipiuntur; Cum Ceræ unciæ duæ ſufficiant ad duodecim

Olei

Olei libras pro Linimento componendo. Tempeſtatis tamen anni ratio habenda, æſtate enim paulo major Ceræ quantitas neceſſaria eſt quam hyeme.

Quandoquidem vero Vnguentorum deſcriptiones conſtant ex reſinis, axungiis, ſebo aut gummatibus, ceræ vicem fere obtinentibus, neceſſe eſt Pharmacopœum huc animum advertere, proportionem inter hæc obſervandam, adeo accurate medicamenta omnia commiſcendo, ut debita & legitima commiſtio & conſiſtentia emergant: Requiritur etiam probum ignis regimen, quo aliquando omnino carendum pro natura conficiendorum Vnguentorum: At vero circumſtantias has, quivis ex deſcriptionibus & præparationibus ſequentibus obſervaturus eſt.

Vnguentum Roſatum.

℞. *Axungiæ Porci maſculi purgatæ & ſæpius lotæ*
Roſarum rubrarum recentium contuſarum āā. unc. iiij.

In vaſe fictili vitreato anguſti orificij permiſceantur, & recte obturato vaſe, in Balneo Mariæ ſatis calido per ſex horas macerentur, deinde fervente Balneo per horam coquantur, colentur & exprimantur, Vnguente percolato permiſce.

Roſarum pallidarum recentium contuſarum lib. jv.

In eodem vaſe recte obturato nova omnium maceratio & coctio per idem tempus, ſimiliſque colatura & expreſſio perficiantur; Vnguentumque fæcibus omnibus purgatum ad uſus in loco temperato ſervetur.

Methodus.

Etiamſi deſcriptiones Vnguenti Roſacei in Diſpenſatoriis occurrentes omnes propemodum cum illa quam tradidit Meſuë coincidant, ac antiquorum venerabundi Sectatores illam citra errorem amplecti queant; non uſquequaque tamen à Pharmacopœis hodiernis obſervatur, unuſquiſque enim ſui arbitrij eſt in illius præparatione; admittunt enim quidam Roſas expanſas, alij Gemmas ſolum; alij Roſas rubras præferunt, alij pallidas: nonnulli albas potiores credunt; nonnulli Moſchatas, Damaſcenas dictas: Integræ etiam à quibuſdam uſurpantur, ab aliis contuſæ; plurimi ſuccum addunt: Nonnulli etiam Roſas axungiæ porcinæ commixtas Soli exponunt macerandas; Alij contra cellæ vinariæ immittunt: Alij contra in unguento colorem candidum axungiæ conſervare ſtudent, alij rubicundum præferunt; Cum vero in Roſis colori ille deſideretur in Vnguentum transferendus, ad anchuſæ radicem confugiunt, quam lente cum unguento decoquunt per octa-

vam videlicet horæ partem antequam id percoletur ac ultimo expri-matur: Sed ſinamus quemque ſui iuris eſſe, nullam ſingularem præpa-rationem impugnaturus ſum, etiamſi occaſio occurrat; ſatis mihi fue-rit verba feciſſe de præparatione Vnguenti hic præſcripti: id vero auſim aſſerere nulli inferiorem eſſe neque viribus neque odoris gratia;

Cura non debet eſſe Pariſiis hyeme de anticipanda axungiæ por-cinæ præparatione, ad iſtius Vnguenti compoſitionem, quando-quidem quovis anni tempore illic porci mactantur; adde quod quævis axungia recens vetuſtæ anteponenda eſt: Illud etiam in confeſſo eſt axungiam Suis maſculi compactiorem eſſe, ideo eligendam præ pin-guedine Scrofæ: Liberanda eſt hæc à tunica, fruſtillatim dividenda, diligenter aqua frigida eluenda, colliquanda in vaſe fictili vitreato, anguſti orificij, igne moderatiſſimo, per vices id quod colliquefactum eſt linteo tranſmittendum, adſervando pro conficiendis Vnguentis ca-lidis axungiam poſtremo liquatam & percolatam.

Accipienda eſt prior hæc pinguedo probe lota, hac commiſta æqua-li ponderi majorum gemmarum roſarum rubrarum, optime contrita-rum; Cuncta excipiantur vaſe fictili vitreato anguſti orificij, quod be-ne cooperculatum, detineatur per horas ſex ſuper Balneum inter te-pens & fervidum medium, demum fervor huic per horam integram conciliabitur, omnibuſque percolatis, fortiterque expreſſis, accipiatur æqualis quantitas Roſarum pallidarum recens expanſarum, quibus op-time contritis, & commiſtis axungiæ per expreſſionem eductæ, in eo-dem vaſe, hoc rite obturatum per ſex horas detinebitur in Balneo ne-que tepido neque æſtuante, ſed neutro & inter utrumque, poſtmo-dum percolanda omnia, & valida manu exprimenda; refrigeratum autem Vnguentum, & defæcatum ad uſus adſervandum.

Interim ſi Vnguentum iſtud colore roſeo donandum ſit, horæ qua-drante priuſquam ultimo percoletur, immittendæ ſunt unciæ duæ ra-dicum Anchuſæ; imo paulo plus ſi intenſiorem deſideres colorem; alte enim immerſæ illæ radices, ac cum Vnguento agitatæ; proculdubio prædictum colorem transfuſuræ ſunt, nullo plane virium Vnguenti de-trimento.

Sin Vnguento colorem album conſervari velis, Roſarumque odo-rem fragrantem conciliari, res ſucceſſum habitura eſt uſurpando ſo-lum Roſas Damaſcenas, dimiſſa Anchuſa, eadem methodo proceden-do quam innui ad compoſitionem Vnguenti Roſati vulgaris.

Si quis antiquorum imitator huic Vnguento adderet Olei amygdala-rum dulcium ponderis ſextam partem, Linimenti conſiſtentiam illi imperti-

impertiretur: ac paucis admodum hoc modo gratum futurum eſt, quin pluribus conſiſtentia minus liquida magis arridet ; cum etiam in regionibus calidioribus plurimi tantillum Ceræ albæ adjiciant ut conſiſtentiam ſolidiuſculam Unguentum adquirat: Poſſent quinimo ſolum Roſæ rubræ in uſum adduci, ſed manifeſtum fiet ab addita media parte Roſarum pallidarum, hic præſcriptarum, Unguento ſuaveolentiam majorem conciliari, neq; tamen de refrigeratoria vi quidquam illi decedere.

Poteſt etiam abſque igne præparari Unguentum Roſaceum, non alia ratione ac Unguentum Pomaceum Jaſmineum, modo videlicet ſequēti.

Accipe duo vaſa Faventina lata & depreſſa, in únum quodque illorum infunde axungiam ſuis maſculi liquefactam,probe elotam,ac præparatam ſicuti pro Unguento Roſaceo vulgari; ea tamen ratione ut univerſa vaſorum capacitas illam admittat ad craſſitiem fere tranſverſi digiti: Adimple vacuum ambo illa vaſa interjacens, immittendo folia mundata Roſarum Damaſcenarum, ſummo mane collectarum & recens expanſarum: impoſitoque vaſe vaſi, adeo ut ſe mutuo cooperiant in conclavi optime clauſo dimitte uſque ad veſperam, abjectiſque Roſis prædictis recentes ſubſtitue, & commiſſa ſibi invicem vaſa repone ad diem uſque ſequentem. Perge in prædicta Roſarum innovatione donec animadvertas axungiam ſufficienter admiſiſſe odorem Roſarum; ſic conſequuturus es Unguentum candidiſſimum & odoratiſſimum, cui cognomen Unguenti Pomacei Roſati imponere licebit, loco frigido cuſtodiendum in vaſe Fictili aut Faventino, accurate occludendo: Iuxta hanc methodum præparari poſſunt Unguenta Pomacea, ex violis,caryophyllis hortenſibus, Ionquillis ac quibuſvis floribus odoratis.

Unguentum Roſatum uſitatiſſimum eſt contra omnes inflammationes externas, præſertim Phlegmonas, Eryſipelata & Herperes; valet in dolore capitis, lenem ſomnum accerſit; Ventriculi ardorem intenſiorem temperat; uti & Jecoris ac Renum; Hæmorrhoidum dolores demulcet; Ignem volaticum faciem invadentem extinguit,ac diſcutit puſtulas, curatque ulcera in illa ſuborientia; Reprimit etiamnum ſerum acre, extinguit inflammationes genitalium in utroque ſexu; delet rubores & puſtulas infantes faſciis obvolutos infeſtare ſolitas: Præſcribitur etiamnum Unguentum Roſaceum tanquam baſis Unguentorum & Pomatarum contra ſcabiem præſcribi ſolitorum.

Vnguentum Album, ſeu de Ceruſa.

℞. Olei Roſati lib. iij. Ceruſæ Venetæ lib. j.
Ceræ albæ lib. ßx. Camphoræ drachm. ſem.
Fiat ex arte Vnguentum.

Methodus.

In omnibus Diſpenſatoriis reperitur Vnguenti iſtius deſcriptio, variat vero in ſingulis admodum doſis, non ſolum ratione proportionis Olei ad Ceram, ſed etiam ipſius Ceruſæ; Priorum proportionem quod ſpectat, non revera recedit à regulis Vnguentorum generalibus; Ceruſæ vero ratione proculdubio anomalia adeſt, quandoquidem ſuperat Pulverum proportionem vulgatam, etiamſi admittatur; tum ratione exiguæ molis Ceruſæ, tum quia ab hac expectandus & Vnguenti color & vis præcipua.

Nullatenus vero illis aſſentiri poſſum qui Ceruſſam, non aqua lavandam præcipiunt, ſed cum aceto ſtillatitio decoquendam, poſtmodum exſiccandam antequam in iſtius Vnguenti compoſitionem veniat: Perſpectum enim mihi Aceto ſtillatitio vim quidem ineſſe reſerandi, imo diſſolvendi Ceruſſam, illamque in ſubſtantiam acido ſaccharinam deducendi, albam, cryſtallinam, ſalis ſpeciem præ ſe ferentem; imo & per longas digeſtiones, ſeparationes, ac iteratas affuſiones aceti diſtillati pene totam Ceruſſam in ejuſmodi Sal abire poſſe, At vero ſal iſtud legitimum non eſt Sal Ceruſæ, ſed potius Sal aceti Ceruſæ coadunitum, à ſpiritu aceti diſſolutæ: Præterquam quod vero acetum illud diſtillatum, Ceruſæ remixtum, nullo modo idoneum eſt promovendæ ulli partium illius ſeparationi, quandoquidem confuſæ ſunt omnino Ceruſſæ ubi exſiccata fuit, Id certiſſimum eſt tantum abeſſe ut Ceruſa vim refrigeratoriam ideo majorem nanciſcatur, quin potius inſignem ab aceto acrimoniam adquirat.

His perſpectis, in eam inclino ſententiam, ut anteferendam cenſeam ad hujus Vnguenti compoſitionem, lotionem Ceruſſæ antiquis uſitatam ejuſdem in aceto decoctioni, à neotericis quibuſdam propoſitæ: Etiamſi enim aceti diſtillati adjectio forte inutilis non eſſet, ſi iſtiuſmodi Vnguentum conficeretur ad curationem Vlcerum à bile ſalſa & aduſta oriundorum, aut ſale quopiam fixo vel volatili, eo quod veriſimile ſit ab acido aceti edulcorandas eſſe ſubſtantias illas Salinas dum ſe arcte illis adjungeret, nihilominus tamen ejuſmodi effectus expectandus non eſt à Ceruſa cum aceto decocta, poſtquam phlegma & acidum aceto inexiſtentia abſumpta fuere, quandoquidem in Ceruſa non illa quidem reperire eſt ſed tantum Sal fixum & corroſivum ejuſdem aceti, cum admodum mihi veriſimile ſit Ceruſſam lotionum ope omnino liberatam ab acidorum acrimonia per quæ in calcem deducta fuerat, ac empyreumate inutili, illi ab igne impreſſo, plane idoneam factam eſſe abſorbendis, imo & extinguendis humoribus bilioſis aut ſalinis, ſicuti & acidis à quibus forte genita fuere Vlcera, Nihil tamen obſtiterit, ſi

humoris

humoris indoles Ulcus patientis innotuerit,quin ad ſpecifica tranſire liceat,ſeorſim uſurpanda, aut huic Vnguento commiſcenda, iuxta indicationum varietatem.

Ad id quod nonnulli objiciunt, lotionem Ceruſæ abſtrahere poſſe portionem aliquam Salis illius Saccharati ab aceto diſſoluti, quando plumbum in Ceruſam converſum eſt, Reſpondeo portiunculam tantum Ceruſæ forte deceſſiſſe, adnexam quibuſdam reliquiis Salis aceti, cujus detractio proculdubio utilis eſt, ratione particularum acrium illi conjunctarum: Id quoque adſtruo, Ceruſam calcinationem expertam, ſubſtantiam non eſſe in aqua diſſolubilem;neq; verendum ne ab aqua communi,neque ab aqua roſacea, quicquã de propria illius ſubſtantia detrahatur, quandoquidem ab aceto ſolum diſſolubilis eſt, aut alio quopiam corroſivo, eorumque beneficio figuram Salis aut vitrioli Ceruſæ induit, quæ nihil aliud eſt quam diſſolutio, commiſtio & concorporatio illius ſubſtantiæ cum ſpiritibus corroſivis; cum Plumbum ab eodem Sale ſecerni queat, ac iterum idem plumbum in Ceruſam deduci, ſicque id plumbum iterata metamorphoſi quoties libuerit tranſmutare conceſſum ſit.

Albumina Ovorum quod attinet, in plurimis hujus Vnguenti deſcriptionibus præſcripta, cenſeo poſſe illa commiſceri quo tempore in uſum adducitur Unguentum, ſi neceſſarius illorum incidat uſus; ſatius vero eſſe abſtinere in præparatione iſtius Unguenti ſi conſervationi ſtudendum, quod ovorum albumina corruptioni obnoxia ſint: Poterit & ſine Camphora confici hoc Unguentum, hanc illi neceſſitate poſtulante adjiciendo, eo quod odor ingratus plurimis tædio eſſe queat.

Accipienda Ceruſa Ueneta albiſſima, gravis & friabilis, Pulveranda erit, vel africanda telæ cribri ſetacei inverſi, Pulverem excipiendo charta cribro ſubdita: Exceptus iſte Pulvis vaſe fictili ſat capaci iteratis vicibus elvendus erit aqua pura ſæpius affuſa, Pulveratam Ceruſam crebro ſpathula lignea agitando, aquam vero decantando cum Pulvis ad fundũ ſeceſſerit: quando vero aqua à lotionibus reſidua inſipida adparuerit, ultimo aqua roſacea abluenda erit Ceruſa,per vices hanc agitando; aquæ moram quinque aut ſex horarum concedendo, tandem per inclinationem effundendæ; Ceruſam vero charta coopertam in umbra exſiccando; Tunc injicienda Cera alba infricata, cum Oleo præſcripto, in vas fictile vitreatum; hoc autem Balneo ferventi immittendum: Statim vero ac Cera liquefacta fuerit, remoto à Balneo vaſe, diſſolutio hæc piſtillo ligneo concutienda erit, donec craſſitudinem naniſci videatur, quo tempore immittenda erit Ceruſa trita, Unguentum tunc ſubigendo donec penitus ferè refrixerit.

Camphoram addere ſi cui libuerit, hanc liquefaciat in Olei portiuncula, Unguento hæc commiſcendo cum frigefactum fuerit: Poterunt & tunc ovorum albumina adjici, ſi placuerit; Unguentum ſedulo commovendo ut omnium accuratiſſima exſurgat commiſtio.

Plurimi eſt uſus iſtud Unguentum ad Ambuſtiones curandas, Eryſipelata, Scabiem ac pleraſque infectiones cutaneas, à pituita ſalſa genitas aut bile aduſta: Admodum etiam conducit ad demulcendos Pruritus, ac extinguendam Ulcerum intemperiem calidam, ad excoriationes ſiccandas, tollendos rubores (intertrigines) infantibus familiares, in femoribus aliiſve locis; ſicuti & ad contuſiones ac vulnera levia conſolidanda: refrigerat enim, adſtringit, exſiccat, & cicatrice obducit vitia illius indiga,

Vnguentum Populneum.

℞. Gemmarum Populi nigræ contuſarum lib. j. *ſem.*
Axungiæ Porci maſculi lib. iiij.
Simul permixta vaſe fictili vitreato excipiantur, coopertoque vaſe in cella vinaria ad Maium vel Iunium uſque menſem detineantur, Balneo poſtea ferventi commiſſis permiſceantur.
Foliorum contuſorum Violariæ
Vmbilici Veneris — *Hyoſcyami,*
Rubi, — *Solani,*
Papaveris nigri, — *Lactucæ,*
Mandragoræ, — *Sempervivi majoris & minoris &*
Bardanæ majoris aa. unc. iiij.
Omnia ſimul in eodem vaſe ſere ad totius humidi conſumptionem eodem calore coquantur, poſtea colentur & exprimantur, purumque Vnguentum ad uſus in loco temperato ſervetur.

Methodus.

Uarietas tempeſtatum cui attendendum ad collectionem Simplicium hujus Unguenti compoſitionem ingredientium, in cauſa eſt ut manum operi ad minimum bis admovere neceſſe ſit; quando enim oculi Populi erumpunt, ſola violariæ folia, atque aliæ quæpiam herbæ fere ſemper obviæ occurrunt, quo fit ut commodius ſit illorum commiſtionem differre donec cæteræ omnes plantæ præſto ſint.

Colligantur gemmæ Populi cum dehiſcere incipiunt ac foliorum cacumina depromere; optime cõtundantur in mortario marmoreo, demum ſenſim liquefacta axungia in vaſe fictili vitreato capacitatis convenientis, igne moderatiſſimo, rite commiſceantur; accurateque coopertum vaſe in cella vinaria, aut loco frigido detineatur, donec cunctæ herbæ neceſſariæ collectioni idoneæ ſint, præſertim ſolanum, planta tardiſſime

diſſime erumpens.

Nonnulli Populi infuſionem Soli exponunt, at vero frigus magis idoneum videtur Unguento refrigerationi dicato; adde quod id tantum præſtandum ut conſervetur facultas oculorum Populi, atque cum cæteris decoquantur.

Quando herbæ omnes ſimul & ſemel colligi poterunt, his optime in mortario marmoreo contritis, vaſe autem infuſioni populi dicato Balneo Mariæ impoſito, illoque cooperto, continuandus Balnei fervor, materias ſpathula lignea per vices agitando, vaſe iterum cooperto, donec humidum herbarum omne fere abſumptum ſit: Tum remoto à Balneo vaſe, percolandæ erunt & fortiter exprimendæ omnes herbæ; demumque frigefacto Unguento fæces ab illo ſecernendæ cum humido ſuperfluo, id in vaſe Faventino ad uſus recondendo.

Nonnulli jubent vinum Unguento, dum decoquitur, addi; Alij ad ſuccum Solani confugiunt & aquam Roſarum. Sed ſi ſimul & ſemel cunctæ herbæ in Unguentum, quando id coquendum eſt, conjectæ fuerint, eæque recentiſſimæ, illæ humidi quantum ſatis eſt ad Unguenti decoctionem ſupeditaturæ ſunt; ſuppetetque quantum requiritur temporis ut Unguentum ſufficienter imbuatur colore & facultatibus cunctorum ſimplicium.

Maxima etiamnum Auctorum pars præcipiunt macerari herbas octo aut decem diebus ante confectionem Unguenti; Sed mera temporis jactura, quandoquidem herbæ recentes, optimè contuſæ, proculdubio in Unguentum vires ſuas ſufficienter transfundunt decoctionis beneficio, adeo ut prævia nequaquam eſſe debeat maceratio, neque procul neque iuxta ignem; adde quod pars reſinoſa gemmarum Populi cum facillime in prædicto Unguento diſſolvatur, etiamnum illorum virtus integra ejuſdem decoctionis beneficio infunditur.

Sententiam illorum quod attinet, qui cenſuere medicamenta omnia Unguenti Populei frigida eſſe, ſi ſapori & odori aromatico oculorum Populi fides, ut & parti illorum reſinoſæ & inflammabili, illud ratum eſſe debet partes calidas in illis non abeſſe, ſicuti neque in Bardana: At vero hoc nequaquam prohibet quin merito hoc Unguentum in frigidorum cenſum veniat, quandoquidem plantæ calidæ quæ in illo occurrunt, præcipuarum, vi refrigerandi præditarum, vim non infringunt, quinimo illarum penetrationem adjuvant, adde quod illud uſu compertum remedia, quæ mere frigida cenſentur, ſi ſola in uſum veniant raro optatos effectus producere, niſi intermiſtum fuerit medicamentum quodpiá calidum quantumvis exigua quantitate; Id quoq; experientia comprobat remedia calidiſſima feliciſſime in uſum venire, ſpeciatim ſpiritum

vini & ſuccum ceparum ad Combuſtionum curationem,vice iſtius Unguenti,eapropter decantatiſſimi.

Unguentum Populeū, ſolum, vel Unguento Roſaceo cōmiſtum, fronti &temporibus admotum,ſomnum lenem provocat;febricitantiū Cephalalgiam demulcet, cor æſtumq; febrium carpis manus & plantis pedum admotum temperat; Sæpiſſime in uſum accerſitur ad hæmorrhoidum inflammationem compeſcendam; Curandas, ſicuti præmonui, combuſtiones , Eryſipelata omneque ignis volatici genus: ad diſcutiendum Mammillarum lac; quem in uſum mel illi aliquando remiſcetur, cera flava,plurimaque alia medicamenta.

Unguentum Pompholigos.

℞. *Olei Roſati unc.* xx.
Succi granorum viridium ſolani unc. viij.
Coque ſimul lentiſſimo igne vaſe fictili vitreato cooperto , fere ad integram ſucci conſumptionem, deinde in Oleo liqua.
Ceræ albæ unc. v.
Ab igne remotis , & ſemi refrigeratis permiſce
Ceruſæ lotæ pulveratæ unc. iiij.
Plumbi leviter uſti & Pulverati
Pompholigis, vel Tuthiæ Alexandrinæ præparatæ ana unc. ij.
Thuris ſubtiliter Pulverati unc. j.
Et factum erit Unguentum.

Methodus.

Hujus Unguenti deſcriptiones, apud Authores pleroſque proſtantes qui de re Pharmaceutica aliquid cōnſcripſere , non multum à ſe invicem recedunt quoad numerum & nomina medicamentorum ; ſed ratione dozeon diſſimilitudo aliqua adeſt, præſertim Olei & Ceræ: Accurata eſt quoad omnia hæc deſcriptio, ac proculdubio Unguenti præparatio optima futura eſt ſi methodo ſequenti quis inſtiterit.

Colligenda ſunt grana Solani vulgaris, antequam maturitatem adepta ſint , ex his in mortario marmoreo contuſis exprimendus ſuccus, cujus quantitas præſcripta infundatur vaſi fictili vitreato, cum viginti unciis Olei Roſacei ; vaſe rite cooperto : Omnia ſimul igne moderatiſſimo decoquenda erunt , donec ſuccus omnino fere abſumatur;tum vaſi ignis ſubtrahendus, ſecretiſque & abjectis omnibus fæcibus , in oleo, igne quoque lentiſſimo , liquefacienda erit cera fruſtillatim diſcerpta, quæ ſtatim ac colliquata fuerit , extra ignem commovendum erit

Unguen-

Unguentum piſtillo ligneo quouſque craſſeſcere incipiat ; demum ad-
jiciendus erit Ceruſæ Pulvis lotus , una cum Plumbo, Pompholige aut
Tuthia præparata , ac Thure , rite omnibus contritis , non dimiſ-
ſa Unguenti agitatione donec omnino id refrigeſcat, ad uſum ſervan-
dum.

Dimiſſis hoc loco variis Auctorum ſententiis de Plumbi præparatio-
ne ; prætermiſſiſque variis mediis quibus eam in rem uſi ſunt , exiſtimo
omnium ſimpliciſſimam præparationem , ac facillimam cæteris antefe-
rendam.

Accipiatur magnum cochlear ferreum , in illo colliqueſcat igne car-
bonum Plumbi circiter libra una, per vices longa ſpatula ferrea verſan-
dum donec omne fere faceſſat in Pulverem cineriti coloris, traji-
ciendum per incerniculum ſericeum , ut ſuppetat neceſſaria quan-
titas.

Pompholix Pulvis eſt albus & levis , eductus & elatus ad ſummas
fornaces in quibus liquatur & depuratur Cuprum , farinæ pollini non
abſimilis, nonnunquam in ampullas effictus : Uocant quoque *Nihil*
& Nihili ; Tuthia ex eodem cupro prodit , eodemque quo Pompholix
tempore, ſed præ gravitate infra circa fornaces recidit , in quibus col-
lecta reperitur ad craſſitiem ſemicoronati argentei , imo aliquando
majorem, ſuperiori parte granulata, coloriſque cinerei obſcuri.

Pompholigi & Tuthiæ eædem fere vires adſignantur , quod utraque
Cupri progenies ſit , etſi veriſimiliter Pompholix levitatis gratia præfe-
renda videatur : Græci Spodij nomine Tuthiam donavere , quod
Arabes impoſuere radicibus Cannæ combuſtis Neoterici vero quidam
Ebori uſto.

Rectiſſima erit Tuthiæ præparatio ſi ter in crucibulo igniatur, igne
carbonum luculento , toties eadem in aqua roſacea extinguátur, poſt-
modum in porphyrite aut marmore læviganda erit donec in alkool
abeat, non ſecus ac conteruntur Gemmæ.

Unguentum Pompholigos calorem ulcerum extinguit , humidum il-
lorum abſumit , malignitatem domat , dolores eorum demulcet , ea-
demque, præſertim tibiarum percurat.

Unguentum Opthlalmicum.

℞. *Butyri recentiſſimi unc.* xvj.

Coque in ſartagine Cuprea igne admodum lento , donec Butyrum nullum amplius ſtrepitum edat , tum paulatim & partitis vicibus Butyro permiſce.

Aceti Roſacei accerrimi unc. iiij.

Coque iterum eodem igne donec nullus ſtrepitus audiatur, Butyrum deinde cola & exprime, illoque in mortarium æneum mundum effuſo permiſce Tuthiæ Alexandrinæ, ter in aqua roſarum extinctæ & præparatæ unc. jv. *continue agitando donec Vnguentum, ad uſus ſervandum, refrigeretur.*

Methodus.

Si quis perpendat in præparatione Butyri ad uſum quotidianum, quantumvis ſedula adhibeatur cura, nunquam tam accurate ſecerni ſerum & caſeum, quin aliqua portio reliqua ſit; Idem vero ſi noverit poſtremas has ſubſtantias omnino eſſe inutiles in Unguentorum oculis deſtinatorum cōpoſitione, demiraturus non eſt Butyrum hoc loco præparari ea ratione ut cunctę partes ſeroſæ omnino faceſſere jubeantur, procurando ſcilicet conſumptionem ſeroſæ partis decoctione Butyri; caſeoſam autem in linteo cohibendo per quod tranſcolatur; id quod neque lotionibus neque alia via obtinere liceat: Id etiam pro comperto habendum confectum Unguentum ex Butyro, eo pacto decocto & colato, multo diutius conſervari, tardiuſque rancorem contrahere illo quod cum Butyro recenti componitur, etſi & recentiſſimo & quam elotiſſimo, quando in uſum adducitur.

Additionem Aceti quod attinet, ac Butyri in vaſe cupreo rubro aut flavo decoctionem, verendum non eſt ne ideo Unguento vitioſa quæpiam conciiietur qualitas aut noxia nam præterquam quod poſtquam Aceti humiditas conſumpta fuit, pars illius terreſtris in linteo ſubſidet cum parte butyri caſeoſa, Unguentum exinde contrahit qualitatem admodum idoneam corroborandis oculis, vimque adipiſcitur deterſoriam & expurgatoriam ob cupri particulas, quas beneficio aceti illas diſſolventis ſibi adſumit Butyrum; à cujus præſentia nihil periculi iminet. quandoquidem Tuthia iſtius Unguenti baſis, æris progenies eſt, felici ſucceſſu in oculorum morbis ærugo, quæ ferri rubigini proportione reſpondet, non ſecus ac vitriolum in uſum trahitur, etſi innata illi corrodendi vis augmentum accipiat à particulis cupri quas in terræ viſceribus ſibi adſumit.

Eapropter animadvertendum eſt, etiamſi Oculi inter partes corporis eximij ſint ſenſus, & texturæ delicatiſſimæ, illos nihilominus plurimis ferendis pares eſſe quæ & lingua & ſtomachus vix tolerant, cujuſmodi ſunt plurima remedia è variis mineralibus petita, ac quibuſdam plantarum partibus, ſicuti & animalium, Olei nihilominus olivarum impatientes, quod in uſum quotidianum ut alimentum venit.

Accipien-

Accipiendum Butyrum recentiſſimum quantitate præſcripta, huic liquefacto, & lento igne decocto in ſartaguncula cuprea, rubra vel flava, quouſque perſtrepere deſinat, paulatim affundendum acetum, pergendo in butyri decoctione donec nullum edat ſtrepitum,quo indicio humidi abſumptio omnimoda detegitur: Tunc Tuthia præparata pondo expendenda, ſicuti innui in Unguento Pompholigos, huicque mortario æneo convenientis magnitudinis immiſſæ, affundatur Butyrum coctum, per linteum denſius & mundum traductum, fæces abjiciendas cohibiturum, facta Butyri in eo expreſſione; demum in mortario verſanda erunt Butyrum & tuthia commiſta, quouſque Unguentum plane refrigeſcat; id quod ſedulo præſtandum ad prohibendum ne Tuthia à Butyro divortium faciens, innata gravitate ad vaſis fundum ſecedat.

Neque præter rem addidi partitis vicibus acetum Butyro affundendum eſſe, cum ſtrepitum edere prima vice deſinit, ſi enim affatim in Butyrum fervens infunderetur; eo ipſo momento adeo inſignis cum crepitu tumultus excitaretur, tantaque ebullitio, ut non ſolum ora vaſis excederent contenta,ſed & maxima illorum pars exundaret & periret,quod periculũ non imminet ſi ratio à me preſcripta obſervata fuerit.

Plurimæ apud varios Auctores Unguentorum Ophthalmicorum deſcriptiones occurrunt, imo non pauci privatas penes ſe adſervant, à me non vituperandas: Præſentis vero Unguenti præſtantiam comprobant diuturna experimenta,à me olim & nuperrime facta,mira præſtat in extinguendis inflammationibus & oculorum pruritu, ſicuti in expurgatione puſtularum, in illis & palpebris ſuborientium, quas ad cicatricem perducit: etiam confirmatum eſt in exſiccatione oculorum lippientium & gramioſorum, præſertim in decrepitis: In interceptione etiam & exſiccatione fluxionum lippitudinem parientium locum habet, præcavetque ne ſibi invicem committantur palpebræ: In lecti introitu angulis oculorum affectorum immittatur magnitudine exigui piſi, palpebras eodem tempore claudendo donec Unguentum omnino colliqueſcat, Illico levis punctio in oculo percipitur, ſed fugax: Si quis ad experimenta confugiat, vera me attuliſſe is deprehenſurus eſt.

Vnguentum Nutritum.

℞. *Lithargyri auri ſubtiliter pulverati. lib ſem.*
Aceti fortis unc. viij.
Olei communis lib. j. *ſem.*

Agitetur Lithargyrum in mortario æneo, viciſſim affuſo modo

Oleo, modo Aceto, donec omnia bene unita Vnguenati debitam adqui- rant craſſitiem.

Methodus.

Subtiliter prius contritum Lithargyrum diutius in majori mortario æneo agitetur, addita Olei communis ea quantitate quæ ſufficiat ad modicam humectationem; hæc ubi recte ſimul coaluerint, pauxillum aceti infundendum eſt; productaque agitatione donec acetum non amplius conſpicuum ſit, Oleum iterum affundendum, in Unguenti agitatione pergendo ac aceti & Olei alternis affuſionibus, quouſque Lithargyrum utriuſque præſcriptam quantitatem abſorpſerit, omniaque Unguenti debitam conſiſtentiam adepta fuerint: Cum porro Olei quantitas acetum excedat,ideo dicta obſervata proportione unaquaque vice plus Olei quam aceti adfundendum: Si labori non parcatur, atque agitationis Unguenti diuturnæ tædium non obrepat, non modo conſiſtentiam debitam habiturum eſt, ſed etiam candore Unguentum Ceruſæ æmulaturum eſt.

Crudi quoque nomen Nutrito inditum eſt, eo quod coctionem non admittat: De Lithargyro, ob baſin quæ Lithargyrum eſt, & Triapharmaci, quod tria tantum medicamenta admittat.

Nonnulli quidem præparationem hujus medicamenti meditantur, iſtud Unguentum in mortario marmoreo agitando, virium incrementum exinde ſperantes, Sed detrimentum potius quam utilitas expectandum eſt, quandoquidem cum Lithargyrum nihil aliud ſit quam plumbum metamorphoſin paſſum, illud Unguenti ſubſtantiam ſubiens, vires eaſque ſufficientes ſuppeditat quæ à plumbo expectandæ, adeo ut ſupervacaneum ſit vim ſoli phantaſiæ efficacem inquirere, adde quod color fuſcus à mortario Unguento impreſſus, artificem abſterrere debeat.

Ij à quibus Lithargyri in aceto diſſolutio tentata eſt, quovis tempore, citiſſime nullóque fere labore Nutritum optimæ conſiſtentiæ,neque minus priori efficax parare poterunt, diſſolutionem hanc frigide anatiéæ Olei quantitati commiſcendo: In aceto eadem facilitate diſſolvi poſſunt minium, aut ceruſa, ſi hæ diſſolutiones oleo remiſceantur, in uſum venire poterunt vice Linimenti Saturnini,præparari ſueto cum ſale Saturni, Oleo & Aceto.

Succi quoque Solani,Plantaginis, Sempervivi ac plurimarum aliarum herbarum refrigerantium loco aceti accerſuntur, præparanturque Unguenta Nutrito ſimilia, remiſcendo Lithargyri & Olei proportionem neceſſariam;at vero Unguenta hæc facillime in corruptionem abeunt ob ſuccorum humorem redundantem, quo fit ut in rem præſentem

tantum

tantum modo præparentur, officinale vero ſolum ſit quod cum aceto compoſitum eſt.

Præcipuus Unguenti Nutriti eſt Scabiei repreſſio, Herpetis, aliorumque affectuum cutem deturpantium: Convenit etiam ad ulcerum curationem, eorum præſertim quæ induxit pituita ſalſa, eo quod lithargyrum, conjunctum acido aceti, humori illi ſalſo ſe adjungens eundem mortificat, unde ad cicatricem ulcera poſtmodum perveniunt.

Unguento huic eximia vis refrigeratio & exſiccatoria ineſt: In plures menſes durabile ſi ex arte præparatum fuerit,

Vnguentum Deſiccativum Rubrum.

℞. *Vnguenti communis lib.* ij.
Ceræ albæ lib. ſem.
Simul liqua igne lento; ſemirefrigeratis ſequentia Pulverata permiſce.

℞. *Lapidis calaminaris &* *Ceruſæ venetæ ana unc.* iij.
Boli armenæ ana unc. jv. *Camphoræ unc.* j.
Lithargyri auri & *Fiat ex arte vnguentum.*

Methodus.

Etiamſi Unguentum Deſiccativum rubrum hodierna die multo ſit in uſu, apud plurimos tamen Auctores ejuſdem non extat deſcriptio: Sicubi vero reperiatur, doſeon proportio accurata non obſervatur: Etſi enim hoc Ulcerum exſiccationi præſertim dicatum ſit, ea propter vero Pulverum major quantitas admitti poſſe videatur, ſi proportionum aſſueta regula ſervata fuerit; nihilominus ſi ad libram unam Olei Ceræ unciæ quinque ponerentur; ſicuti antiqui præſcripſerunt, Unguentum extraordinarie ſolidam conſiſtentiam adipiſceretur: Eapropter etiam doſes Olei & Ceræ ad eandem proportionem deductæ ſunt ac quam cætera Unguenta; una vero ſolum Ceræ pars ad quatuor Olei præſcripta eſt; Eo enim pacto Oleum & Cera faciliùs Pulveres admittunt & amplectuntur; quorum præterea cauſa Unguentum hoc cæteris conſiſtentiam multo ſolidiorem quam cætera omnia obtinet.

Lævigentur Lapis calaminaris & Lapis Armenus ſuper porphyrite ſicuti de Tuthia prędixi, Ceruſa vero cribrum ſetaceum inverſum tranſmiſſa ſubtiliterque trito Lithargyro, commixtiſque ſimul Pulveribus, liqueſcat Cera in Oleo igne moderatiſſimo, remotoque igne, ſubigantur piſtillo ligneo quoad incraſſentur, quo tempore adjiciendi Pulveres in agitatione pergendo donec Unguentum plane refrixerit: Tunc Camphora adjici poterit, in Pulverem deducta, additis guttis aliquot ſpiritus vini, ſic perfectum erit Unguentum.

Vnguentum hoc vi pollet refrigeratoria, exſiccante, corroborante & adſtringente; admodum quoque idoneum eſt intercipiendis catarrhis, in pectus decumbentibus, digerendiſque & abſumendis humoribus ſuperfluis vulnerum, quæ ad cicatricem deducit & curat,

Vnguentum Stypticum.

℞. *Olei communis, lib.* ij.
Myrtillorum ſiccorum contuſorum lib. j. *ſem.*
Aluminis rupei lib. ſem.
Succi myrtillorum &
Sorborum immaturorum ana lib. j.
Omnia vaſi fictili vitreato cooperto commiſſa in fervènti Balneo coquantur ad integram fere humoris conſumptionem, deinde colentur & fortiter exprimantur, Oleumque fæcibus liberetur, Tunc.

℞. *Olei illius lib.* iij. *Ceræ albæ unc.* jx.
Eodem Balnei calore inciſa Cera in Oleo liquatur, ſemique refrigeratis ſequentia pulverata permiſceantur.

℞. *Nucum Cupreſſi,* *Balauſtiorum,*
Myrtillorum, *Corticum Granatorum &*
Glandium,
Acinorum Vuæ, *Maſtiches,*
Oſſis è crure Bovis calcinati, *Acaciæ,*
Granorum Sumach, *Alluminis uſti, &*
Corticis mediani Caſtanearum ana drach. vj.
Fiat omnium Pulvis Vnguento permiſcendus,

Methodus.

Apud nonnullos Auctores reperitur deſcriptio Vnguenti Styptici, ſicuti & alterius dicti Comitiſſæ, in praxi commendatiſſimi; Sed ſi ad examen revocentur cunctæ illæ deſcriptiones; quædam occurrent cenſuram quæ merentur; imo æquum videbitur alia ut tradatur, eaque exactior & efficacior,

Aſtrictio quam antiqui Oleo, id Aqua aluminoſa eluendo, conciliare voluerunt, inſignis eſſe non potuit, quandoquidem vis aluminis adſtrictoria terreſtri illius parti præſertim inſidet, aſcenſui per diſtilationem inhabili: Aqua autem hoc pacto ab Alumine elicita ſolitario, aut ſucco cujuſpiam plantæ adſtringentis commixto, nihil aliud

liud fere eſt quam phlegma, pauciſſimum ſpiritum continens, ac præterea eadem aqua omni fere adſtrictione tum reali tum apparente deſtituta eſt.

Manifeſtum porro fiet Aluminis adſtrictoriam vim in Unguentum vix commeaturam niſi accedat pars illius terreſtris; Electionem autem, doſes & præparandi rationem tum alumen, tum cætera omnia medicamenta, proculdubio Artis regulis magis conſona eſt quam deſcriptiones in Diſpenſatoriis occurrentes ad ſimilium Unguentorum compoſitionem, Variæ enim lotiones Oleorum decoctionibus adſtrictoria vi pollentibus factæ, cujuſmodi præſcribuntur ad Unguentum Comitiſſæ, qualitatem ſtypticam illis impertiri nequeunt æque efficacem eædemmet decoctiones illis concedunt quum ſimul decoquuntur,ac uti neque tam inſignem quam accipit Unguentum ad admiſtis medicamentis ſtyptica facultate donatis, in pulverem deductis, quorum ipſa ſubſtantia admittitur.

Ad probam iſtius Unguenti compoſitionem, primo optime conterantur Myrtilli, poſtea iidem vaſi fictili vitreato, quod capacitate reſpondeat materiis continendis immittantur,His affundatur Oleum præſcriptum, demum Alumen, prius in ſuccis Sorborum & Myrtillorum diſſolutum, ſi modo occurrant; coopertum autem vas Balneo ferventi committatur, donec ſuperfluus humor pene omnis abſumptus fuerit: Poſtea omnia percolanda & fortiter exprimenda; hinc Olei à fæcibus ſecreti accipiendæ libræ tres, in quibus eodem vaſe,eodemque balneo liquefaciendæ erunt Ceræ albæ fruſtillatim diviſæ unciæ novem: Poſtea ſubtracto à Balneo vaſe Unguentum piſtillo ligneo commovendum erit; cum vero in ſpiſſitudinē abire animadvertetur,commiſcendi erunt Pulveres modo ſequenti præparati; Os Femoris Bubuli igne culinario calcinari poteſt, Alumen autem comburi patellæ ferreæ commiſſum ad omnimodam uſque exſicationem; hæc ſimul conterantur in majori mortario æneo cum cæteris omnibus medicamentis, Maſtiche vero ſeorſim pulveranda erit, omnes Pulveres per incerniculum ſericeum tranſmittendo.

Pars terreſtris & adſtrictoria Oſſis Femoris Bubuli cum ſola ad hoc Unguentum requiratur, non verendum ne calcinationis vi comburatur phlegma, ſpiritus, ſal & oleum volatilia quibus os iſtud à natura inſignitum eſt,non ſecus ac cæteræ omnes partes animalium:Neque etiamnum metuenda diſſipatio partium aquearum aut ſpirituoſarum Aluminis, cum ſola pars illius terreſtris expetatur.

Si quis iſtud Unguētum ex arte paratum habuerit,Unguento Comitiſſę carere poterit, cujus & præparatio ardua & vires inferiores.

Unguentum Stypticum lumbis admotum illos corroborat necnon & uteri ligamenta, cujus Prolapſum prohibet ſicuti & Abortum, vulvam, infimumque ventrem undique inungendo: Commodiſſime & in uſum adduci poteſt ad conſtringendam à partu vaginam uterinam, ac conſolidandam divulſionem difficilem nonnunquam conſequentem, Admodum quoque utile eſt ſi relaxatum fuerit inteſtinum rectum, exterius illud admovendo ac in anum intrudendo; ſicuti & ad cohibendas immodicas uteri hæmorrhagias, lumbis adplicando, regioni Jecoris, universoque ab abdomini: Inungitur etiam Ventriculus urgente vomitu: Nulla ab adhibitione illius ſuperſunt caloris veſtigia,tandem ſicubi adſtringendi, occurrat neceſſitas, commodiſſimus eſt illius Unguenti vſus.

Vnguentum Pomatum officinale.

℞. *Radicum Ireos Florentinæ unc.* iij. *Ligni Rhodij &*
Santali citrini & Florum Lavendulæ ana. drachm. j.
Benzoini ana unc. j. *Acori veri &*
Reſinæ ſtiracis unc. iij. *Garyophyllorum ana drach. ſem.*
Craſſiuſcule omnia trita ſacculo lineo includantur, deinde.

℞. *Axungiæ porci maris purgatæ & lotæ lib.* iij.
Sevi heredini recentis lib. j.
Poma recentia cortice & parte interiori liberata, & in partes ſecta Numero xij.
Aquæ Roſarurum lib. ſem.
Florum Arantiorum unc. iv.
Omnia vaſe fictili vitreato anguſti orificii cooperto excepta, ferventi Balneo fere ad totius humoris conſumptionem coquantur, deinde colentur, & mediocriter exprimantur, refrigeratumque Pomatum,fæcibus omnibus purgatum, in loco frigido ad uſus ſervetur.

Methodus.

Medicamenta Unguentum hoc Pomaceum cõponentia ea proportione concurrunt ut odoris admodum gratij ſit, coloris candidi, debitæque conſiſtentiæ,Etſi vero maxima Pharmacopoeorum pars deſcriptionem aliquam ſingularem venditent, exiſtimo plurimis iſtam prolatum iri.

Contrita prius ſimul cuncta Aromata in majori mortario,æneo,tranſmiſuſq; per cribrum rariuſculum ex illisparatus Pulvis, includatur ſacculo ex tela denſiſſima & tenui, adeo ut tamen arctius non concludatur

ur, ut facilius in Unguentum Pomaceum commigrare queat. odor & facultas aromatum;Accipiendæ pinguedines Porci maſculi & Hoedina; lotæ & preparatæ eodem modo quem dixi ad confectionem unguenti Roſati: Accipiantur & duodecim Poma Renetia a medulla & cortice liberata,per taleolas diſſecta; cuncta hæc immitantur vaſi fictili vitreato anguſti orificij, una cum aromatibus ſacculo incluſis, Aquis Roſacea & Florum Arantiorum : Vas optime coopertum committatur Balneo ferventi, quouſque humor ſuperfluus fere conſumptus ſit: Demum omnia tranſcolanda & leviter exprimenda: Frigefactum autem Unguentum Pomaceum, ſecretis prius fæcibus, recondendum in vaſe vitreo aut Faventino, rite cooperiendo, loco frigido ad uſus ſervandum.

Unguentum Pomatum in uſum præſertim adducitur ad ſananda vitia naribus innaſcentia, ſpeciatim vero ad rimas & fiſſuras labiorum, papillarum, pedum, manuum aliarumque corporis partium: Valet etiam ad emolliendam & humectandam cutis nimiam ſcabritiem.

Poteſt & confici Unguentum Pomatum Rubrum, conſiſtentiæ ſolidioris, Labiis deſtinatum, cujus hæc ſit formula.

Liquefiant in vaſe argenteo, aut Faventino, Balneo Mariæ calido, ceræ albæ diſcerpræ, medullæ bubulæ cujuſque uncia una, cum unciis tribus prioris Unguenti Pomati, additaque drahcma una radicis Anchuſæ, prius irroratę pauciſſimo ſpiritu vini optimo, committatur iterum vas eidem Balneo, Pomatum per vices agitando ſpathula lignea, donec admodum rubeſcat: Demum omnia per linteum tennius tranſmittantur, aſſervando Uuguentum hoc ſicuti pæcedens ad uſus.

Confici etiam poteſt Unguentum Pomatum ex Ovorum vitellis modo ſequenti.

In vaſe Faventino, Mariæ Balneo liquefiant Ceræ albæ uncia una, ſpermatis Ceti tantundem in unciis quatuor Olei ovorum puriſſimi; quæ operatio inchoante menſe Majio perficienda; vas autem linteo mundo tenuiſimoque coopertum aëri plurimis noctibus exponatur, quouſque unguentum ſummum candorem adquirat.

Unguentum hoc Pomatum præſtantiſſimum eſt ad conſervandum vultus nitorem, ejus cicatrices delendas, cavitateſque variolas ſequentes explendas, ſi præſertim facies aqua ſpermatis Ranarum elota fuerit, in qua Boracis tantillum diſſolutum, Nec minus conducit idem Ungentum curandis Papillarum rimis, labiorum & ani, addito præſertim Olei Ceræ ſtillatitii tantillo.

Facile eſſet huc inferre plurimas Vnguentorum Pomatorum deſ-

criptiones, diverſimode extructas, ſive ex medulla pedum verveci-norum, aut axungia vitulina vel hoedina; vel oleis ſeminum frigido-rum papaveris aut amygdalarum dulcium, Ceræ albæ commixtorum, vel Ceti ſpermati: Quæ & idonea eſſe poterunt candori & lævori cuti conciliando, additis Margaritis aut Talco præparato aut Mercurio aliquo albo, Biſmutho &c. Sed cum ejuſmodi unguentorum Pomatorum præparationes uſitatiſſimę ſint, omnibus notæ, illas prætermittimus.

Vnguentum Martiatum.

℞. Radicum Althea &
Enulæ campanæ,
Seminis Fœnugræci &
Cumini, ana unc. jv.
Nardi Indicæ unc. ij.
Foliorum Roriſmarini,
Lauri,
Rutæ,
Majoranæ,
Ebuli,
Sabinæ,
Menthæ hortenſis &
Aquaticæ,
Menchaſtri,
Baſilici,
Salviæ,
Primulæ veris,
Polij Montani,
Calaminthæ,
Artemiſiæ,
Abſinthij majoris,
Origani,
Betonicæ,
Brancæ Vrſinæ,
Herbæ venti,
Coſti hortenſis,
Sambuci,
Millefolij,
Chamædryos,
Hyperici,
Centaurij minoris,
Tetrahit,
Cardui benedicti,
Abrotani Maris &
Fœminæ
Caprifolij,
Ivæ moſchatæ,
Florum Stoechados Arabicæ,
Chamæmeli &
Buphthalmi, ana m. ij.

Contuſa omnia in vaſe fictili vitreato ſuper calidos cineres horis viginti quatuor cooperto vaſe macerentur Cum,
Olei communis lib. vj.

Deinde lento igne coquantur, per vices materias ſpathula movendo donec totus plantarum humor fere conſumptus fuerit, poſtea colentur, & fortiter exprimantur, Et in expreſſo oleo defæcato liquefiant,

Ceræ albæ lib. v.
Butyri Maialis,
Axungiæ Vrſi &
Gallinæ,
Medullæ cervinæ &
Terebinthinæ Venetæ, ana unc. viij.
Semirefrigeratis permiſce
Styracis liquidæ unc. iiij.

Myr-

Myrrhæ, *Olibani, &*
Maſtiches pulveratorum ana unc. ij.
Fiat Vnguentum ad uſus ſervandum.

Methodus.

Deſcriptiones Unguenti Martiati quæ in Diſpenſariis reperiuntur inter ſe ſunt ſimiles, Sed ſi accurate expenſæ fuerint manifeſtum fiet non immerito plurima ſimplicia hic exulare, qualitate frigida aut tempe-rata, à quibus calidiorum effectus potius impediretur quam ut juvari poſ-ſet vis Unguenti; Illud quoque adparebit ea quæ dictis ſubſtituta fuere iure hic locum ſibi vendicare.

Probe expurgentur & contundantur partes omnes Plantarum Un-guentum iſtud componentium; excipiantur vaſe fictili vitreato, angu-ſti orificij, affundatur Oleum præſcriptum, accurate occludatur vas, ſupra cineres calidos per viginti quatuor horas detinendum, quibus exa-ctis intenſior reddatur ignis, materias lente elixando, ac per vices ſpa-thula lignea agitando quouſque humore fere omni deſtitutæ ſint: poſt-modum omnia colanda & fortiter exprimenda, ac in defæcato Oleo li-quefacienda erit moderatiſſimo igne Cera fruſtillatim diviſa; deinceps adjicientur Butyrum, Axungia, Medulla cervina & Terebinthina: cum vero Unguentum ſemirefrigeratum fuerit, immittantur Styrax liquidui & Gummata ſubtiliter pulveriſata, Unguentum poſtea leniter donec refri-geratum fuerit verſando, ad uſus ſervandum.

Unguentum Martiatum frequentiſſimo in uſu eſt adverſus morbos omnes frigidos capitis, ventriculi, jecoris aliorumque viſcerum, ac par-tium omnium corporis, ſpeciatim convulſiones & nervorum infirmita-tem, Iſchiadicum dolorem, ac quamvis Arthritidem, & Rheumatiſ-mum à frigida cauſa ſubortum: Emollit & diſcutit durities, præſertim Jecoris & Leinis, doloreſque mitigat: Admodum commendatur in Hy-drope, potiſſimum Tympanite, toti ventri illitum: modo ſeorſum uſur-patur, modo commiſtum ſpiritui vini, Oleis aliiſve Unguentis, imo & Theriacæ, inungendo partes affectas.

Vnguentum de Althæa.

℞. *Radicum Althææ recentium mundatarum & minutim inciſa-rum unc.* vj.
Seminum integrorum Lini &
Fœnugræci.
Laminarum Scyllæ minutim inciſarum ana unc. jv.

Aquæ fontanæ lib. viij.

Super ignem exiguum horis xxiv. ſimul macerentur ſpathula lignea ſæpe agitando, poſtea lento igne coquantur, donec mucilaginis denſioris gradum coctione & agitatione acquiſiverint, deinde colentur & fortiter exprimantur, expreſſaq; mucilago cum

Olei communis lib. jv.

Lento admodum igne coquatur ad humoris aquei conſumptionem, Colentur iterum & in colato Oleo liquefiant,

Ceræ flavæ lib. j.

Colophoniæ,

Reſinæ, ana lib. ſem.

Colentur rurſus, ſemiq; refrigeratis permiſceantur,

Terebinthinâ Venetæ,

Galbani puri &

Gummi Hederæ pulverati, ana unc. ij.

Et factum erit Vnguentum, ad uſus ſervandum.

Methodus.

Præparatio mucilaginum ad huius Unguenti compoſitionem neceſſariarum aberrandi occaſionem plurimis Auctoribus præbuit, quorũ maxima pars præſcripſit doſes ſimpliciũ immodicas è quibus mucilagines extrahendę, imo eaſdem educere conati minima aquæ quantitate affuſa.

Nonnulli erroris anſam declinantes dozin ſubticuerunt, ſicuti & aquę, quibus ſatis fuit mucilaginum certam quantitatem præſcribere. Alii harum præparationum parum gnari præceperunt eadem ſimplicia probe contundi, erroneè rati mucilagines alia ratione extrahi, non poſſe.

Sed dimiſſis variis hjs præparationibus, in ea ſum ſententia Pharmacopœum, qui juxta artis principia & leges operationes ſuas moderatur, ſi ſequenti viæ inſtiterit, officio & votis ſatisfacturum, tum quoad dozin ſimplicium, mucilaginum ſufficientem quantitatem ſuppeditaturorum, tum aquæ ad extractionem neceſſariæ, quin etiam methodum, ut res ſucceſſum obtineat obſervandam.

Eluantur & incidantur radices Altheæ recẽter collectæ, ſicuti & laminæ Scillæ, immiſſis pelvi cupreę, ſtanno intus obductę, cum ſeminibus lini & fœnugræci, ſuperaffunde aquæ communis libras octo; omnia macerentur per viginti quatuor horas igne leniſſimo, per vices materias ſpatula lignea verſando: demum hæc leniter elixanda ſæpius repetita agitatione, donec mucilagines ſufficientem adeptæ videantur craſſitiẽ: Colatura demum facta & expreſſione per linteum forte & denſum, additoque Oleo præſcripto, omnia igne moderatiſſimo decoquenda ad humidi mucilaginum ſuperflui conſumptionem: His factis, ite-

iterumque tranſcolato Oleo, in illo liquefacienda Cera flava, Colophonia & Reſina fruſtillatim diviſa: Sin cunctis liquefactis fæces in fundo pelvis ſubſidere adhuc deprehendantur, iterata colatura fiet, aut ſaltem per decantationem purum ab impuro ſeparabitur, dum materiæ probe adhuc calent: Demum Unguentum piſtillo ligneo movendum, quod ubi inſpiſſari cognoveris, addenda erunt Terebinthina, Galbanum, purificatum & condenſatum cum Gummi hederæ ſubtiliter trito, prius optime ſimul concorporatis; pergendo in Unguenti agitatione donec omnino refrigeratum fuerit.

Unguentum Althea humectat, emollit & leviter calefacit; Flatus efficaciſſime diſcutit; Serum inter pectoris muſculos oberrans inſenſibiliter abſumit: Laterum etiam dolores mitigat, Viſcerum durities emollit, ſicuti & Nervorum, ac Tumores in variis corporis partibus exorientes: Parotides præſertim abſumit, eoſque qui circa collum emergunt: Seorſim adhibetur, nonnunquam remixtum aliis Unguentis, Oleis aut Cataplaſmatis.

Unguentum Baſilicum.

℞. *Ceræ flavæ,*	*Picis navalis &*
Sevi Arietini,	*Terebinthinæ Venetæ, ana. lib. j.*
Reſinæ,	*Olei communis lib. v.*

Liquefiant omnia in Oleo, colentur & ſervetur Unguentum ad uſum.

Methodus.

Fruſtillatim diviſa Cera flava, Sebum arietinum, Reſina & Pix nigra ſimul cum Oleo liquefiant in pelvi cuprea igne leniſſimo; demum his per linteum craſſius tranſmiſſis, commiſcenda erit Terebinthina, ſic Unguentum perfectum erit.

Plurimi Auctores mediam tantum Olei neceſſarii partem præſcripſere ad hujus Unguenti compoſitionem, minime animadvertentes adeo exiguam Olei quantitatem ſufficientem non eſſe ad conciliandam omnibus Unguenti conſiſtentiam, inexperti ea procedendi ratione Unguentum tantam ſoliditatem adipiſci ut nonniſi ægerrime è vaſe eximi queat: Alii Pharmacopœi arbitrio commiſere Olei proportionem, Sed è re fuerat dozin determinaſſe, ſicuti & aliorum medicamentorum, in Tyronum gratiam, ad præparationem Unguenti omnium uſitatiſſimi.

Baſilici nomen huic Unguento impoſitum fuit, aut Regii, tum viriũ ratione, tum quod crebro in uſum veniat: Vocatur etiam Suppuratoriũ, èo quod materias concoquat, eaſque ad ſuppurationem deducat: Leniſſima eſt illius actio, imo dolores demulcet exoriri ſolitos cum pus fit: Ad cicatricem etiam ulcera deducit pure excreto, ſolum ex penicillis admovetur, nonnunquam remixtis ovorum luteis, Terebinthinæ aliiſve Unguentis, Oleis aut Emplaſtris.

Vnguentum Aegyptiacum.

℞. *Æruginis Aeris unc.* x.
Aceti acerrimi unc. xjv.
Mellis optimi unc. xxviij.

Ærugo contuſa aceto diluatur, per ſetaceum trajiciatur & igne lento ad unguenti mollioris conſiſtentiam cum melle coquatur.

Methodus.

Moleſtiæ quæ olim mihi obtigerunt, cum ſequutus antiquorum methodum, ut & Neotericorum, Viride Æris ſiccum conterebam in hujus Unguenti præparationem, è quo exurgebat pollen, quo oculos & nares ſubiente intolerabilis ardore in illis excitabatur, partes dictas corrodendo, cautum me reddidere, ac ut dicta pericula declinarem impulere: Cum facillimam animadverterem Viridis Æris cum aceto & melle commiſtionem, credidi in aceto non difficilem fore diſſolutionem, aut ſaltem dilutionem, adeo ut una cum aceto facillime per cribrum ſetaceum tranſmiti poſſet, hærentibus ſuper cribrum cupri fragmentis, aut racemorum acinis illi commiſtis; Res adeo ad votum ſucceſſit ut deinceps hac ratione ſemper uſus fuerim, quam publici juris eſſe volui.

Ad hujus Unguenti cõpoſitioné neceſſe eſt imponere Viridis Æris unc. xj. cum decem tantũmodo alias præſcribãtur, ut refarciatur defectus moleculaṙum cupri, aut acinorum Uvarum plerumque remixtorũ: Excipiantur ergo unciæ undecim Viridis Æris; vaſe cupreo, igni moderatiſſimo impoſito; illa ibidem contrita piſtillo ligneo, & optime diſſoluta in Aceti unciis quatuordecim præſcriptis, ſimul tranſmittantur per cribrum ſetaceum: Sin quidpiam Viridis Æris cribro adhæſerit, vaſi cuncta iterum immittenda erunt, in quo cum eiuſdem aceti portione conterenda & diluenda, per cribrum rurſus eadem trajiciendo, adeo ut ſolæ partes cupri inutiles cum racemorum acinis ſubſiſtant: Tum lentiſſimo igne hæc diſſolutio Viridis Æris cum melle præſcripto coquenda erit, per vices movendo donec Unguenti mollioris conſiſtentiam adipiſcantur & colorem rubicundum.

Nonnulli medicum quempiam Ægyptium hujus Unguenti Auctorem conſtituunt, à quo nomen adeptum ſit: Alii à colore nomen Ægyptiaci traxiſſe cenſent: Vt ut vero fuerit præcipuus illius uſus eſt ad abſumẽdas carnes putridas ac ulcerum & vulnerum ſuperfluitates probæ carnis generationem prohibentes. Generoſum eſt medicamentum, comite dolore effectum depromens, quo fit ut ſuccedaneum illi ſit Unguentum Apoſtolorum ſi tam inſignis effectus non expetatur: Satis fuerit turundas & penicillos dicto Uuguento illeviſſe.

Vnguentum Apoſtolorum.

℞. *Ceræ Citrinæ*, *unc.* iiij.
Reſinæ,
Terebinthinæ &
Ammoniaci, ana drachm. xiv.
Lithargyri Auri drachm. ix.
Olibani,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Bdellij, *ana drachm.* vj.
Myrrhæ &
Galbani ana unc. ſem.
Opopanacis &
Viridis æris, ana drachm. ij.
Olei communis lib. ij.
Fiat ex arte Unguentum.

Methodus.

Iſtius Unguenti nomen potius æquali numero medicamentorum illud componentium deducendum quam credendum Sanctis illis Viris familiarem fuiſſe dicti Unguenti uſum, quandoquidem ægri à morbis per illos vindicabantur citra medicamentorum adminiculum.

Antiquæ hujus Unguenti deſcriptiones, imo etiam Neotericorum, non majorem Ceræ quam Reſinæ & Terebinthinæ quantitatem recipiunt: Plurimi etiam auctores Litargyrum cum parte Olei decoqui, plerique autem. Gummata in aceto diſſolvi & decoqui præcipiunt, Revera perfici poſſet hujus Unguenti præparatio nullo incremento ponderis Ceræ facto, ſive Lithargyrum cum Olei parte decoquendo, imo abſque decoctione, ac Unguento gummata permiſcere,præmiſſa illorum in aceto diſſolutione & decoctione, Sed ſatius exiſtimo aliam inire viam: Ceræ adjectio improbanda non eſt, quandoquidem ſi obſervaretur uſitata proportio in Unguentorũ compoſitione, ſex nnciæ admittendæ eſſent pro duabus Olei librispræſcriptis; atque veriſimile eſt prędictam quantitatem præſcribendam fuiſſe, niſi habita fuiſſet Reſinæ, Gummatum, Lithargyri,aliorumq; pulverum unguento quandam conſiſtentiam conciliare valentium: Neque verendum ne ab addita Cera,cujus utiles dotes omnibus perſpectæ, viribus Unguenti detrimentum accedat, cujus hæc eſto præparatio.

Subtiliter ſeorſim terantur in majori mortario æneo radices Ariſtolochiæ,ſicuti & Lithargyrum,Thus, Myrrha Bdelliũ,& Viride æris:Eligantur Gummi Ammoniacum,Galbanum, Opopanax pura & granata, quibus liquefactis in magno mortario æneo calefacto cum piſtillo, commiſcenda erit Terebinthina: Interim in Oleo, igne leniſſimo colliqueſcant Cera & Reſina fruſtillatim diviſa, ſordes terreſtres

reſinam plerumque inficientes, abjiciendo: quo peracto,ea quæ magno mortario excalefacto commiſſa fuere eruenda, quibus exceptis ſartaguncula cuprea, moderatiſſimo igne ſubdito, paulatim & repetitis vicibus commiſcenda erunt Cera & Reſina diſſoluta, cuncta leniter piſtillo ligneo commovendo quoad ſimul optime cojerint: Statim vero vas ab igne removendum, agitationem Unguenti producendo donec ſpiſſitudinem adipiſci incipiat, adjiciendo protinus viride æris pulveriſatum, demum cæteros Pulveres ſimul prius confuſos; cum vero cuncta debite coaluerint, ac refrigerata fuerint, Unguentum ad uſus ſervetur.

Vix credo certiorem methodum ad hanc præparationem repertum iri, tum ad virium medicamentorum conſervationem, tum ad eorundem rectam commiſtionem. Si quis nihilominus Pharmacopoeus commodiorem illud præparandi rationem comminiſcatur, de publico bene merebitur, illam grato animo,quod & præſtiti, emittens.

Vnguentum & Apoſtolorum plurimo in uſu eſt ad expurganda ulcera vulnera, illorum enim putredinem ſiſtit & quicquid ſuperfluum adnaſcitur abſumit, ac ſuperficiem debitam illis conciliando illa deſiccat & ad cicatricem perducit; Idem hujus qui Unguenti Ægyptiaci uſus, imo frequentius uſurpatur, quod adeo inſigni corroſione donatum non ſit.

Vnguentum Aureum.

℞. Olei communis, lib. ij. ſem. *Colophoniæ, ana unc. j. ſem.*
Ceræ citrinæ lib. ſem. *Olibani,*
Terebinthinæ Venetæ unc. ij. *Maſtiches ana unc. j.*
Reſinæ, *Croci drachm. j.*
Fiat ex arte Vnguentum.

Methodus.

Id nominis gerit ob colorem aureum quo donatum eſt iſtud Unguentum, ſi præſertim Cera,Reſina & Colophonia eleganti colore prædita fuerint,ſintque pura,Crocus autem recens.

Illius compoſitio facillima cum ſit, nullam ſingularem animadverſionem meretur: Seorſim quæque ſimplicia triturentur, Olibanum, Maſtiche & Crocus; Igne lentiſſimo colliqueſcant Cera, Reſina & Colophonia in Oleo præſcripto; ſubtracto vaſi igne diſſolvatur Terebinthina, Unguentum leniſſime commoveatur donec inſpiſſari incipiat,quo tempore adjiciendi Pulveres, pergendo in Unguenti verſatione quouſque omnia probe coaleſcant.

Unguentum Aureum præſertim in uſu eſt ad carne replenda vulnera & ulcera, eademque cicatrice veſtienda.

Vnguentum Mundificativum de Apio.

℞. Foliorum Apij m. iij.
Hederæ terreſtris,
Abſinthij majoris,
Centaurij minoris,
Chamædryos,
Salviæ,
Hyperici,
Plantaginis
Millefolij,
Vincæ Pervincæ
Conſolidæ majoris &
Mediæ
Betonicæ,
Caprifolij,
Verbenæ,
Veronicæ,
Galij lutei,
Centinodij,
Ophioglosſi,
Pimpinellæ ana m. j.
Olei communis lib. viij.
Picis albæ,
Sevi arietini,
Ceræ Citrinæ &
Terebinthinæ, ana lib. ij.
Herbæ contuſæ in Oleo, Cera, Sevo arietino, Pice alba & Terebinthina, igne lente coquantur, ſæpius omnia movendo, donec totus plantarum humor fere conſumptus fuerit; poſtea colentur & fortiter exprimantur: Expreſſioni fæcibus omnibus liberatæ, & ſemi refrigeratæ permiſceantur.
Pulveris myrrhæ electæ
Aloes Socotrinæ ana unc. iiij.
Radicis Ireos Florentinæ &
Ariſtolochiæ rotundæ ana unc. ij.
Et factum erit Vnguentum.

Methodus.

Mundificativum de Apio à Neoteticis quibuſdam tantum deſcribitur, atque diverſimode, tam ratione medicamentorum, quam dozium & præparandi rationis: Si Deſcriptio hæc ad accuratum examen revocata fuerit, ni fallor ad artis leges concinnata videbitur, tam ratione electionis Plantarum partium, quam proportionis ſubſtantiarum liquidarum, aut earum quæ à calore in liquorem abire poſſunt, recipiendis & continendis illarum facultatibus dicatarum, ut & Pulverum ſub fine demum adjiciendorum: Vt res ad votum ſuccedat hæc ſit procedendi ratio.

Dictæ plantæ, ſi liceat, una eademque die colligendæ, cum maxime vigent: Optime conterantur in mortario marmoreo, colliqueſcant in Oleo, igne moderato, Cera, Pix alba, & Sebum arietinum ſtillatim diviſa, cum Terebinthina, in ſartagine cuprea ſtan-

no obducta: Illis immergantur herbæ contritæ, omnia lentiſſime igne decoquantur, materias per vices ſpathula lignea commovendo: Cum vero herbarum humiditas cuncta fere abſumpta videbitur, percolanda omnia & fortiter exprimenda erunt; Refrigeratumque Unguentum,ad accuratam fæcum & humidi ſuperflui ſecretionem, lentiſſime liquefaciendum erit, quo tantiſper refrigerato & condenſato, addenda erunt Myrrha, Aloë, Iris Florentina & Ariſtolochia rotunda ſubtiliter pulveriſata: ubi vero cuncta probe coaluerint, Unguentum erit factum.

Nonnullis Unguentum mundificativum præparaturis,ſatis fuit ſuccum quarundam plantarum extraxiſſe, illum cum Oleo & aliis medicamentis liquabilibus decoxiſſe: Sed præterquam quod Succi ſolitarij vim ſuam in medicamenta ſufficienter transferre nequeunt, neque eadem efficacia ac cum plantarum aliæ partes, è quibus eliciuntur,in auxilium veniunt, id experientia notum neque in hoc Unguentum, neque alia ejuſmodi viridem colorem transfundi, niſi herbæ integræ contritæ cum aliis materiis decoquantur.

Unguenti iſtius cognomen præcipuam facultatem illius præ ſe fert: Convenientiſſimum eſt ad deterſionem Ulcerum, eorumque ichores abſorbendos, necnon ad illorum proventum inhibendum; multum commendatur adverſus morſum canis rabidi, ſicuti & ad expurganda & carne implenda omnia vulnera.

Unguentum Mundificativum de Reſina.

℞. *Olei communis lib.* j.
Reſinæ,
Terebinthinæ &
Mellis communis ana. lib. ſem.
Fœnugræci,
Thuris & maſtiches ana unc. j.
Ceræ flavæ unc. iij.
Myrrhæ electæ,
Sarcocollæ,
Farinæ ſeminis Lini &
Fiat ex arte Unguentum.

Methodus.

Cum non omni tempore plantæ Unguentum mundicativum de Apio componentes occurrant, neceſſe fuit excogitare atque illi ſubſtituere mundificativum de Reſina, quod plurimo eſt in uſu: In cujus præparatione Cera & Reſina fruſtillatim dividenda; colliquefacienda in oleo præſcripto igne lentiſſimo; ſecretiſque & abjectis ſordibus forte admixtis, piſtilloque ligneo Unguento ſubacto, quouſque ſemi refrixerit, adjiciantur mel & Terebinthina, deinceps farinę ſeminis lini & fœnugræci, cum Gummatibus ſubtiliter pulveriſatis; quæ poſtquam optime coiverint Unguentum erit perfectum.

Vnguentum hoc ſuccedaneum eſt mundeficativi de Apio , nec minus eſt notus, vti neque viribus inferius eſt.

Vnguentum Agrippæ.

℞. *Radicum Bryoniæ lib.* jv.	*Ireos unc.* iij.
Cucumeris Aſinini lib. j.	*Filicis, Ebuli &*
Scyllæ lib. ſem.	*Tribulorum aquaticorum ãã. unc.* iij.

Mundentur, laventur, & contundantur omnes radices, & in.

Olei communis puri lib. vj. *in vaſe fictili vitreato ſuper calidos cineres, horis viginti quatuor cooperto vaſe macerentur, deinde lento igne coquantur, ad proximam humeris conſumptionem, colentur & fortiter exprimantur, & in puro Oleo liquefiant.*

Ceræ citrinæ unc. x v i i j.

Et factum erit unguentum.

Methodus.

Cum manifeſtum fuerit impoſſibile eſſe ut quatuor Olei libræ, quas ſolummodo antiqui præſcripſere, ſuſcipiant & complectantur vires copiæ radicum hic præſcriptarum, immutatio dozis facienda fuit, ac pro quatuor libris ſex numeratæ ſunt, Ceræ pondere ad eam proportionem adaucto.

Vnguenti nomen miſſum facio , quod nonnulli deductum volunt à Rege Agrippa, Divi Pauli coætanæo , illum inventorem ſtatuentes, Id vero præſertim ſciendum, poſtquam cunctæ radices optime expurgatæ fuere, lotæ, ac contuſæ in mortario marmoreo, ac exceptæ vaſe fictili vitreato , anguſti orificij, illis affundendum eſſe oleum præſcriptum; accurateque coopertum vas detinendum per horas viginti quatuor ſuper cineres calidos, lento igne elixando materias , eaſque per vices ſpatula lignea commovendo , operculo vaſi qualibet vice ſuperpoſito , donec radicum humidum propemodum abſumptum ſit; poſtea omnibus colatis & fortiter expreſſis , ſeparatoque & remoto humido quod forte oleo remiſtum ſupereſt, immitandam ceram flavam fruſtillatim diviſam, in illis igne lentiſſimo liquefaciendam, poſtmodum ſub ducto ab igne vaſe, leniter unguentum agitandum piſtillo ligneo donec fere refrigeſcat, ad uſus ſervandum.

Huic Pharmacopoeæ iſtud unguentum intuli, non tam quod pluri-mo ſit in uſu , rarius enim in officinis Pharmaceuticis præparatur, quam ratione inſignium virium in ſanando hydrope ſi univerſum abdomen illitum fuerit, ac ſpleniticis opem ferendo, ſi loco dolenti admoveatur: Admodum etiam conducit ad reſolvendos & diſcutiendos Tumores œdematoſos in muſculis & nervis genitos, ſicuti ad mitigandos Renum dolores: Infantium ventrem etiam emollit & laxat ac co-

rum qui tenerioris ſunt conſtitutionis, adplicatum regioni ventriculi & umbilico.

Vnguentum Neapolitanum.

℞. *Axungiæ Suillæ lib.* ij.
Argenti vivi lib. j.
Terebinthinæ Venetæ unc. jv.
Axungiæ viperinæ
Olei Laurini & de Spica
Ceræ flavæ &
Styracis liquidæ ā ā. unc. j v.
Fiat ex arte Vnguentum.

Methodus.

Unguenti iſtius deſcriptiones admodum diſcrepantes occurrunt in plurimis diſpenſariis, etiam ſub variis nominibus, ac ſimplicium majori cum numero: Sed ſatius viſum fuit aliquam partem detraxiſſe, ea vero ſolum intuliſſe quæ ſimul conjuncta edere valent omnes effectus ab hoc unguento expectandos.

Eligatur Mercurius puriſſimus, traducatur per alutam ex caprâ ſylveſtri paratam; cum Terebinthina ſubigatur, diu ſimul commixta in majori mortario æneo commovendo; Cum vero Terebinthina univerſum Mercurium abſorpſerit, adjiciatur Storax liquidus, ac paulatim pinguedo Porcina, in qua colliquata fuerit Cera fruſtillatim diviſa, addendo Axungiam Viperinam & Olea Spicæ ac Laurinum; quæ poſtquam diutius verſata fuerint, ac probe ſubacta, unguentum ad uſus neceſſarios erit recondendum.

Exiſtimarunt nonnulli ad accuratiorem Hydrargyri in hoc unguento commiſtionem, diſſolutionem illius in Aqua forti eſſe faciendam, qua poſtmodum igne leniſſimo in auras ſoluta, cum cæteris Mercurium ea via exſiccatum eſſe confundendum; aut Aquæ illius exhalationem, Mercurio prægnantem, cæteris medicamentis remixtam eſſe procurandam: Sed præterquam quod nulla difficultate intima poteſt fieri in Mercurij unguento commiſtio, ſi modo labori non parcatur, ac cum Terebinthina is ſedulo agitetur, demum cum Storace ac cæteris omnibus medicamentis, abſonum eſt in huc unguentum Aquæ fortis partes, corrodendi vi præditus adducere, quas non impune ferrent qui teneram nacti ſunt corporis conſtitutionem.

Mercurij dozin quod attinet, poteſt illa maior aut minor eſſe pro vario Medici ſcopo, ac eorum conſtitutione quorum gratia unguentum conficitur: adeo ut ſi illinendi ſint robuſtam conditionem corporis à natura ſortiti, aut qui Mercurij penetrationi reluctantur, poſſit augeri doſis, tertia, aut etiam dimidia parte addita, ſicuti & Terebinthinæ eadem obſervata proportione, ut commiſtio accuratior ſit: cum ex oppoſito unciæ quatuor ſufficiant, aut etiam minor quantitas Mercurij pro ijs qui delicatiores ſunt; aut ſi unguentum uſurpandum ſit ſolum ad pediculos ne-

candos

candos aut ſanandam ſcabiem.

Unguentum iſtud plurimo eſt in uſu ad luis Venereæ curationem, quando præſertim illius virus in univerſum corporis habitum diffuſum eſt : Præcipua vis à Mercurio deducenda, qui attenuat, diſſolvit, emollit & fluidam reddit pituitam craſſam cui venenum Venereum inſidet, illudque ut plurimum per ptyaliſmum foras propellit : unguento iſto inungi ſolent lue infectorum brachia, femora, crura,nates ac ſpina dorſi univerſa : Cum porro Mercurius nervorum infenſus hoſtis cenſeatur, unguento adjecta ſunt remedia maleficam illius vim quoquomodo retundere apta nata, cujuſmodi ſunt Olea Laurinum & Spicatum, Axungia viperina,Storax liquidus,imo & Terebinthina,quæ nervis robur conciliando, Mercurij ſimul penetrationem ad jntima promovent : At vero etiamſi non expectandum ab iſtis medicamentis, quanquam ſelectiſſimis, ut à Mercurio inducta nocumenta prorſus deleantur, aut arceantur ; vero tamen ſimile eſt minus gravia illa futura : Sed & plane illa ſuperare dabitur, aut ſaltem maximam partem,Ptyaliſmo peracto extundere. Si generoſiora diaphoretica in uſum accerſantur, nominatim ſalia volatilia ex animalibus petita, ac inter hæc Sal Ammoniacum, cujus mirandorum effectuum ipſemet teſtis ſum, experimento facto in quodam quem Mercurius peſſime affecerat, ejuſmodi effectus adſcribendi videntur ſalium dictorum volatilitati & eximiæ penetrandi vi, quæ vi caloris Ventriculi in univerſum corporis ambitum propulſa,ac in multo majorem particularum numerum quam Mercurius diviſa, dum exitum per poros cutaneos moliuntur, per eaſdem vias ſecum obvias Mercurij particulas abducunt: eaſque cum ſudoribus, ab illis excitatis, commixtas & diſſolutas foras eliminant : Idoneum etiam eſt hoc unguentum ad pediculos necandos, ſcabiem ſanandam, emolliendoſque ac diſcutiendos tumores calli duritiem adeptos, & ad alia remedia pertinaces, ſpeciatim vero Venereos.

Vnguenta Aregon & de Arthanita, cum rariſſime in uſum veniant, inutilis vero plurimorum medicamentorum congeries in illis obſervanda veniat,prohibeor huc illorum deſcriptionem & præparationem inferre; Miſſa etiam facio multa alia unguenta obſoleta, in plurimis Diſpenſatoriis occurrentia, ut ſui quiſque ſit arbitrij concedens, in electione & præparatione illorum quæ utilia viſa fuerint; dummodo cautiones à me adductæ in præparatione ſuperius exhibitorum obſervatæ fuerint.

Ceratum Refrigerans.

℞. *Olei Roſati lib.* j. *Ceræ albæ unc.* iij.

Vaſe fictili vitreato excepta in Balneo Mariæ liquentur, Piſtillo ligneo agitentur, & aqua frigidiſſima ſepius renovata laventur, ſerveturque Ceratum ad uſus.

Methodus.

Cerati nomen Vnguentis aliquando imponitur, quod conſiſtentia ab illis vix recedat. Ad probam præparationem eligatur cera albiſſima, quæ in ſegmenta diviſa, cum oleo præſcripto vaſe fictili vitreato excipiatur; vas in Mariæ Balneo calente detinendo donec in oleo accurate diſſoluta ſit, poſtea ſubtracto igne vaſi, Indeſinenter piſtillo ligneo commoveatur donec refrixerit, quo tempore affundendæ circiter aquæ puriſſimæ vnciæ duæ, pergendo in agitatione; cum vero aqua prædicta propemodum ab unguento abſorpta videbitur, recens adjicienda erit, agitationem non intercalando, aliamque Iterum aquam infundendo donec Ceratum candorem ſufficientem adeptum ſit, & aqua frigida inebriatum ſit: Poſtmodum per decantationem univerſa aqua à cerato abſtrahenda, ad uſus adſervando.

Nonnulli Aceti ſtillatitij unciam unam remiſcent, augendæ penetrationis gratia,

Ceratum iſtud in officinis admodum uſitatum eſt. Exterius admovetur omnibus partibus quæ refrigerio indigent: valet præſertim in Renum æſtu ſedando, adverſus Phlegmonas,Eryſipelata & Herpetes:Plurimum etiam commendatur ad mulcendos hæmorrhoidum dolores, excoriationes ſanandas, ac extinguendas inflammationes & intertrigines in femoribus, aliiſque infantium partibus contingentes, imo etiam adultorum: Valet etiam in Fiſſuris papillarum extrema afficientibus, anum aliaſve corporis partes: Nec inutile eſt ad Ambuſtionum curationem, ſolum aut cæteris unguentis commiſtum, uti & ad Hypochondriorum ardorem temperandum: Unguento Ceruſæ aliquando remiſcetur, ſicubi deſiccatione & adſtrictione opus eſt.

Ceratum Santalinum.

℞. *Olei Roſati lib.* j.	*Ceræ albæ unc.* jv.

Vaſe fictili vitreato excepta in Balneo Mariæ calido liquentur, ſemique refrigeratis ſequentia pulverata permiſceantur.

℞. *Roſarum rubrarum unc.* x ij.	*Boli Armenæ drachm.* vij.
Santali Rubri dragm. x.	*Spodij unc. ſem.*
Albi &	*Caphuræ dragm.* ij.
Citrini āā. drachm. vj.	*Fiat Ceratum.*

Methodus.

Huic compoſito duplici de cauſa Cerati nomen adſignandum, tum quia Ceram admittit, tum quia majori quantitate quam in unguentorum compoſitione illa adſumitur, & concurrentibus pulveribus, non exigua quantitate advocatis, Cerato conſiſtentiam largitur, mediam inter unguenta & Emplaſtra.

Contundantur Santala in majori mortario æneo, aqua roſacea per vices illa humectando, quo Santalis albo & citrino rubeus color adprime concilietur, illorumque ſuaveolentia intendatur: his per cribrum ſericeum traductis, in eodem mortario ſeorſim contundendæ Roſæ rubræ exſiccatæ, demum commiſcendi pulveres cum ſpodio, hoc eſt Ebore vſto, Bolo orientali ſuper Porphyrite lævigatis, una cum camphora, cui inter terendum tantillum ſpiritus vini adjectum fuerit: Demum probe comminuta Cera alba, cum oleo in maris Balneo liquefacienda erit in vaſe fictili vitreato, ac tandem procul ab igne piſtillo ligneo commovendum erit Ceratum donec ſpiſſeſcere incipiat, cum quo Pulveres optime ſubigendi, Ceratum ad uſus idoneos recondendo.

Ceratum iſtud à Santalis nomen deſumpſit: plurimi eſt uſus ad curationem phlegmonarum, ac extinctionem intemperiei calidioris ventriculi, Jecoris ac Renum, quamobrem vel ſeorſim admovetur, aut commixtum æquis portionibus unguenti Roſati; Fronti etiam & Temporibus nonnunquam ideo illinitur, remixtum unguento Populneo, ac tantillo Extracti opij liquidiuſculi, tam ad ſomnum provocandum quam cephallagiam ſedandam.

Ceratum Stomachicum.

℞. *Olei cydoniorum lib.* j. *ſem.*
Ceræ albæ unc. vj.
Foliorum Abſynthij ſiccorum drachm. x v.
Nardi Iudicæ drachm. x.
Maſtiches electæ, &
Roſarum rubrarum ãã. drachm. xx.
Fiat ex arte Ceratum.

Methodus.

Præceptum fuit antiquorum ut poſtquam liquefacta fuerit Cera alba in oleo Roſato, iterum atque iterum lavaretur hæc miſtura aqua roſacea; qua iterum liquata, rurſus ſucco cydoniorum & vino auſtero eluetur. At cum ab ejuſmodi lotionibus, ſicuti jam ante innui, ejuſmodi remediis pauciſſima concilietur adſtrictio, è re fore magis viſum oleum cydoniorum vſurpare, in quo ſuccus eorundem elixatus fuerit, oleo vero roſaceo abſtinere, quandoquidem Roſæ rubræ hanc compoſitionem non minima ingrediuntur copia, Illa vero hujuſmodi fit.

Colliqueſcat Cera alba fruſtillatim diviſa in Oleo Cydoniorum,excepta vaſe fictili vitreato, igne modico,quibus commotis quouſq; ſpiſſitudinem adquirant, commiſcenda erunt omnia medicamenta ſubtiliſſime trita, ſicuti ſæpiſſime alias prædixi, Ceratumque obtinebis perfectum.

Maſtiche quidem in Olei portione liquari poſſet, atque hæc poſtmodum diſſolutæ ceræ commiſceri, ſi puræ maſtiches lacrymæ ad hujus Cerati compoſitionem occurrerent; At cum maſtiche quæ in uſum ventre ſolet, plurimis partibus & ligneis & terreſtribus ſcateat, ideo ſeorſim rituranda in mortario æneo, aliquot aquæ guttis illam irrorando; pulvis autem per incerniculum ſericeum traducendus, cujus parti ſupernæ partes heterogeneæ adhæreſcunt; pulvis autem commode poſtmodum cæteris commiſceri poteſt, ac cum cæteris concorporari.

Stomachici nomen hoc Ceratum gerit, eo quod ad morbos ventriculi præſertim uſurpetur, quem corroborat alimentorum in illo concoctionem promovendo, appetitum ciendo, vomitum ſiſtendo,flatus diſcutiendo, vitioſos humores abſumendo, ac expulſionem illorum facilem efficiendo, quamobrem calide ventriculi regioni admovetur.

Ceratum Diaſulphur.

℞. *Olei Nucum Iuglandium expreſſi lib.* j.

Florum ſulphuris unc. ij. *Salis Tartari unc.* j.

Simul digerantur in Cucurbita vitrea igne arenæ moderato, ad Florum ſulphuris in Oleo diſſolutionem, Deinde in illo claro per inclinationem in aliud vas effuſo liquefiant.

Ceræ citrinæ unc. jv. *Colophoniæ unc.*iij.

Illiſque ſemi refrigeratis.

Myrrhæ electæ ſubtiliter pulveratæ ad pondus omnium addatur, & factum erit Ceratum.

Methodus.

Diſſolutione facta florum Sulphuris in Oleo Nucum cum ſale Tartari, in Cucurbita vitrea igne Arenæ moderato, liquore autem claro decantato in ſartaginem cupream ſtanno obductam,in illa liquefiant igne lentiſſimo Cera flava & Colophonia in exigua fruſtula diſcerpta; demum exempto ab igne vaſe,commotiſque materiis uſque quo ſpiſceſſere incipiant, illis concorporanda erit Myrrha ſubtiliter trita, Ceratumque perfectum erit.

Cera-

Ceratum hoc efficaciſſime emollit & diſcutit Tumores Scrophuloſos, ac quaſcunque congeſtiones exteriores humorum frigidorum vixque reſolubilium; Specificum etiamnum eſt ad reſolutionem & diſſipationem Tumorum in Teſticulis excitatorum ab aliquo veneno venereo, ut & ad expurgationem quorumvis ulcerum, illa ad cicatricem deducens: Linteo ſuperinducitur, aut alutæ, partibuſque affectis admovetur: Emplaſtrum autem ope faſciæ, cui byrſa appenſa ſit cohibendum, ſi Teſticulis Ceratum adplicandum fuerit:

CAPUT VI.

De Emplaſtris.

EMplaſtra compoſita ſunt medicamenta, exterius admovenda, quorum idem eſt uſus qui Vnguentorum & Ceratorum, At vero illorum conſiſtentia multo ſolidior eſſe debet, ut in cylindros aut magdaleones deduci queat, cum cocta ſunt & refrigerata; quæ charta obvolvere ſatis eſt cum adſervanda ſunt, cum Vnguenta & Cerata vaſis concludi ſoleant, ob mollitiem, præ qua vix alias conſervantur.

Cum de Vnguentis & Ceratis mihi fuit ſermo, dixi illis quam Oleis conſiſtentiam ſolidiorem fuiſſe conceſſam, quo diutius partibus affectis adhærere queant quam Olea, eoque pacto facilius vires ſuas diffundere : Eundem in finem excogitata fuiſſe Emplaſtra ſtatuo, quæ ideo ſcopos prædictos efficacius explent, ſoliditatis ſcilicet quam obtinent cauſa; quapropter etiam aëris injuriis diutius obſiſtunt, atque per plures annos citra virium detrimentum perennant.

Olea, Pinguedines, Cera, Pix, ſicuti & Reſinæ ſicciores, Terebinthina; quæ Reſina eſt liquida, & Gummata, emplaſtrorum materiæ uſitatiſſimæ ſunt, quibus ſæpiſſime adjiciuntur Lithargyrum, Ceruſa, Ærugo, varij Pulveres, & Liquores.

Cum multiplex Emplaſtrorum ſit compoſitio, uti & ſimplicium medicamentorum eadem componentium, vix generales regulæ, ſingularem proportionem rerum illa ſubingredientium ſpectantes, conſtitui poſſunt; cum dicta proportio vix percipi queat quam ex deſcriptionibus particularibus diverſorum Emplaſtrorum, in quorum præparatione deprehendere eſt quicquid obſervandum venit tam ad cujuſque medicamenti particularem diſpoſitionem, quam totius coctionem & commiſtionem.

Durities à decoctione & aëris frigore contracta, in cauſa eſt ut ſi cuipiam parti admovenda fuerint, & alutæ; linteo aut panno aliquo ſuperinducenda, calore opus ſit quo molleſcant & ductilia fiant.

Illorum uſus eſt ad curationem vulnerum,&ulcerũ uti & ad mulcẽdos, dolores partium, ac ad robur illarum quæ debilitatem contraxere; ad cohibendas Fluxiones,Vomitus & Hæmorrhagias:Conducunt ad roborandum Cerebrum, & Renes, Abortum præcavendum, ad reſolvendum, diſcutiendum, Tumorum internorum & externorum ſuppurationem promovendam, abſumendos vapores ex utero elatos: Auxilium ferunt in Iſchiadico dolore, Rheumatiſmis, Vſui ſunt ad veſicas in cute excitandas, Partibus à fractura debilioribus robur inferunt, aut oſſium diſlocatione; valent & ad plurimos alios ſcopos, quos recencere prolixum eſſet.

Emplaſtrum Album, Sive de Ceruſa.

℞. *Ceruſæ Venetæ, &* *Aquæ Fontanæ lib.* ij.
Olei Roſati ãã. lib. iiij. *Ceræ albæ unc.* viij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Etſi iſtius Emplaſtri præparatio perfici queat Ceruſæ libras tantummodo tres adjiciendo, ſicuti præcipiunt antiqua Diſpenſaria, idque lento igne decoquendo, imo nullo addito humido extraneo; cenſeo nihilominus Ceruſæ additamentum Emplaſtri vires adaugere, ſicuti ab aqua candor illi procuratur, faciliorque fit præparatio.

Cuivis Pharmacopoeo, quantumvis rudi,notum Ceruſam Lithargyrum, & Minium, calces eſſe Plumbi diverſimode præparatas; Ceruſam eſſe plumbum in calcem albam deductum, ope vaporis aceti; Lithargyrum eſſe plumbum in calcem auream vel argenteam converſum, cum ab Argento cui commiſtum fuerat depurationis gratia, ſecernitur, Minium autem Plumbum eſſe ad rubedinem calcinatum igne reverberij: Id quoque ratum eſſe debet Plumbum in varias has calces tranſmutatum iterum priorẽ induere poſſe formam,qua calcinatio illud ſpoliaverat, Cunctarum iſtarum Calcium vires propemodum eaſdem eſſe, nulloque errore ſibi mutuo ſuccedaneas eſſe poſſe: Minium tamen ad hujus Emplaſtri confectionem non admittitur, ne color ruber illi concilietur, cum albus expetatur; Lythargyrum tamen rite præparatum in uſum adduci poſſet, ſi enim accurata adfuerit præparatio, non minus utile Emplaſtrum haberi poſſet, ejuſdemque fere candoris ac id quod cum cera conficitur, ad cujus compoſitionem hac via procedendum:

Eligatur Ceruſa albiſſima,gravis, pura & friabilis;In pulverem deducatur maſſam illius adfricando cribro ſetaceo inverſo, ſicuti in unguenti Ceruſæ compoſitione præmonui; Excipiatur ſartagine cuprea, capaci, ſumma ſui parte latiori,verſus fundum coniformi, interiori parte ſtannô obducta; Inibi, abſque igne, oleo&aquæ præſcriptis, erit commiſcenda verſando continuo ſpathula lignea ſolida, bipedalis longitudinis, in extremo trium digitorum tranſverſorum latitudinis; demum imponatur ſartago igni carbonum luculento, in fornace idonea accenſo,ſimul prędicta coquendo, nequaquam remiſſa agitatione, donec materiæ, quæ ab ebullitione aliquandiu intumuere, ſubſidere incipiant,non ob caloris decrementum, ſed aquæ in tumorem illas efferentis conſumptionem: Non diu poſt ſartago igni ſubtrahenda ad explorandam Emplaſtri conſiſtentiam,quod ſi ſufficientem coctionem nondum obtinuerit,aliquandiu leniori igni committendum, ut in vapores abeat,aſſidue commovendo, quicquid humoris ſupereſſe ac Emplaſtro conſiſtentiam denegare valet: Quod cum debitam conſiſtentiam adeptũ fuerit,ceramq;albam diviſam & liquefactam admiſerit,in agitatione extra ignem pergendo,quouſque pene refrigeratum fuerit,effundatur maſſa ſuper menſam lævem humectatam, quæ in magdaleones longitudinis,& craſſitiei fere digitalis deducenda erit, charta obvolvendos & ad uſum ſervandos.

Juxta hanc methodum, quandiu aqua diludium quoddam eſt inter Oleum & Ceruſam, ac ignem, materias has ſublevans & propemodum ſuſpenſas tenens, prohibetque alienas qualitates, forte illis imprimendas,Emplaſtrum intra horæ unius ſpatium,vel ſeſquihoræ abſolvi poteſt, &ad ultimam deduci perfectionem ac albedinem;Ea ratione declinãdo tædioſam & prolixam antiquorum præparationem, infauſtũq;ſucceſſum plerumq;metuendũ; Eo quoq; pacto nulla incumbet neceſſitas Ceruſam eluendi,ſicuti nõnulli præcipiunt,quandoquidem aqua,quæ cum cæteris ferbuit,dum coctio Emplaſtri peragitur,utiles Ceruſæ qualitates retinet, unde multo melior expectandus effectus quàm à crebris illis lotionibus.

Ex quorundá mente Emplaſtro Acetum diſtillatum addendum eſt,unáque decoquendum, cenſentium ea ratione melius referari Ceruſam, ideoque commodius oleo cohærere: at vero inutilis eſt hæc cura, quandoquidem & Ceruſa, & cæteræ Plumbi calces facillime cum Oleis coaleſcunt, accedente coctione & agitatione, etiam non præſente aceto,aliquando quidem inutili, nequaquam in iſta præparatione: Salis marini adjectionem ab illis propoſitam quod attinet, nullo ſuo merito huc accerſiri exiſtimo, quandóquidem præcipuus illius effectus alius futurus non eſſet quam moleſta punctio partium quibus Emplaſtrum admoveretur, ad effectuum Cutaneorum curationem præ-

ſertim excogitatum, excorationes & exulcerationes ſanandas, vulnera & ulcera ad cicatricem perducenda, inflammationeſque extinguendas: Multum etiam conducit ad Ambuſtorum curam perficiendam.

Emplaſtrum Palmeum.

℞. *Lithargyri auri præparati &*
Olei communis ana lib. iij. *Decocti tenuiorum ramorum Palmæ, vel*
Axungiæ ſuillæ & Quercus ana lib. ij.
Coquantur omnia igne ſatis luculento, aſſidue movendo ſpathula lignea, & ſub finem addendo,
Chalcitidis nativæ, vel Vitrioli ad rubedinem calcinati, & in portione decocti diluti unc. iiij.
Coctio omnium peragatur ad unguenti conſiſtentiam.
Vice Chalcitidis, aut Vitrioli ad rubedinem calcinati, duplex vitrioli albi pondus Emplaſtro permiſceatur, ſi ipſius coloralbus rubro acceptior fuerit.

Methodus.

A Palma nomen ſuum deducit iſtud Emplaſtrum, è qua nonnullis ſatis eſt ſpathulam oblongam effeciſſe ad movendum Emplaſtrum dum coquitur: Agitandum alij hoc præcipiunt duobus aut tribus ramis Palmeis in faſciculum colligatis: Alij adſumunt ramos inciſos,quos in oleo & pinguedine decoqui jubent, conſumptaque illorum humiditate, colatura & expreſſione facta olei & pinguedinis, cum lithargyro ad Emplaſtri conſiſtentiam decoqui.

Nequaquam vero ſatisfaciunt cunctæ illæ præparationes, etſi poſtrema omnium maxime adprobanda videtur: Deciti enim illos manifeſtum eſt qui exiſtimant ope ſpathuleæ Palma confectæ,qua commoveatur Emplaſtrum Arboris illius poſſe transfundi vires; etiamſi deradendo ex intervallis ſuperficiem, ſicuti quidam jubent, ſcobs in Emplaſtrum decederet; Quinimo noviſſimus tyro imperitiæ illos argueret qui cenſerent faſciculum ramuſculorum Palmeorum, idonea eſſe inſtrumenta commovendis ac ſimul ſubigendis Lithargyro,Oleo & pinguedine dum decoquuntur, neque enim prohibere valent ne lithargyrum in fundo ſartaginis adhæreſcat & Emplaſtrum comburatur.

Ultimam methodum quod attinet, etſi illius beneficio Palmæ vis in oleum & pinguedinem diffundi queat, præterquam quod idipſum perfici nequit quin aliquid decedat quantitati Olei & pinguedinis, facultas illa proculdubio per Emplaſtri decoctionem in nihilum abitura eſſet, ut taceam empyreumatis & combuſtionis imminentem metum, ob defectum ſupplementi humoris, ſi præſertim moderatiſſimus non acceſſerit

ceſſerit ignis, coctio autem & agitatio ad ſeptem vel octo horas produ-ctæ non fuerint.

Diachalciteos quoque nomen huicEmplaſtro impoſitum fuit, ob chalcitidem quam admittit: Prætermiſſa autem nominum diſquiſitio-ne,ſatis mihi fuerit produxiſſe unicam prępatationem non minus iuſtam quam facilem, cujus beneficio commodiſſime medicamentorum om-nium vis in Emplaſtrum tranſitura eſt.

Accipiantur Palmæ cacuminum, aut palmitum, recens deciſorum manipuli duo; aut ſi deficiant, Quercus; hi contriti, aut minutim in-ciſi, modico igne decoquantur in Aquæ Pintis tribus ad mediæ partis conſumptionem; omnium probe expreſſorum adſervetur decoctio cola-ta; Eligendum Lithargyrum aureum ſaturati coloris, lentorem ad ta-ctum præ ſe ferens; optime id conteratur in majori mortario æneo, de-mum diſſolvendum in duabus aut tribus aquæ puræ pintis; in aliud vas illico transfundendo aquam quæ Lithargyri partem tenuiſſimam ſibi adſumpſerit, interim dum craſſior infundo mortarij ſubſiſtet; Pars illa Lithargyri ſubtiliſſima innato pondere ad fundum aquæ deceſſura eſt: Interea rurſus conterendum erit Lithargyrum in magno mortario ſu-perſtes, quod poſteaquam diſſolutum fuerit in aqua prioris lotionis, vel alia recenti, decantandus erit liquor turbidus, & affundendus Lithar-gyri parti tenui quæ in fundo vaſis remanſit; continuando rurſus contri-tionem Lithargyri, ejus in aqua diſſolutionem, aquæ decantationem, utque pulvis ſubſideat permittendo, donec nihil amplius in mortarij fundo reſiduum adſit præter impuriores particulas, pulveriſationi inep-tas, & aquæ non commiſcibiles.

Poſtquam optime ſubſederit id quod lotiones ſibi adſumpſere, de-cantataque fuerit aqua pulveri Lithargyri ſupernatans, deſiccandus erit iſte Pulvis, cujus adſumpta præſcripta quantitas, ſine igne commiſcen-da erit in ſartagine cuprea ſtanno intus obducta, cujuſmodi deſcripſi ad compoſitionem Emplaſtri Ceruſæ, verſando ſimul cum oleo, pin-guedine, & decocto Palmeo; Cum vero hæc rite coaluerint, accen-dendus luculentus carbonum ignis in fornace idonea, ad illorum deco-ctionem, continuo commovendo grandiori ſpathula lignea, ſub finem decoctionis addendo (ſervato ſemper eodem ignis tenore) Chalciti-dem, aut Vitriolum ad rubedinem calcinatum, diſſoluta in portione liquoris adſervati, ſi Emplaſtrum rubicundi coloris expetatur; Aut vi-triolum album in eodem liquore diſſolutum, ſi Emplaſtro albus color conſervandus ſit, quod probi ſucceſſus futurum eſt ſi præparandi ra-tione uſus fueris quam propoſui in Emplaſtri præcedentis compoſi-tione.

Ratio prædicta ſummitates Palmæ aut Quercus in aqua decoquendi, hanc vero decoctionem in Emplaſtri confectione abſumendi, procul dubio cæteris præſtantior eſt: Cum enim commodiſſime in Emplaſtrum horum virtus eo pacto transfundatur, ideo prohibentur vitioſæ qualitates ab igne metuendæ, ſed & Emplaſtri coctio multo citius abſolvitur, quod in Magdaleones effingendum & charta obvolvendum cum refrigeratum fuerit, ſicuti dixi de Ceruſæ Emplaſtro.

Palmeo Emplaſtro nullum uſitatius eſt: Utile eſt in curatione Vulnerum, Ulcerum, Tumorum, Ambuſtionum, Contuſionum, Fracturarum, Pernionum: Admovetur etiam Fonticulis tam Emplaſtri forma quam Sparadrapi aut Telæ Gualteri: Imo remedium fere univerſale eſt ad quoſvis affectus exteriores utile: In Cerati conſiſtentiam aliquando perducitur, addita olei idonei tertia vel quarta parte, tum nomine Palmei diſſoluti, aut Cerati Palmei donandum.

Emplaſtrum Diachylum ſimplex.

℞. *Radicum Althea mundatarum & minutim inciſarum drachm.* vj.
Seminum integrorum Lini &
Fœnugræci ana unc. jv.
Aquæ fontanæ lib. vj.
Macerentur horis viginti quatuor ſuper ignem exiguum, ſæpius movendo ſpathula lignea, deinde lente igne coquantur, donec mucilaginis denſioris ſpiſſitatem adquiſiverint, Poſtea colentur & fortiter exprimantur, Expreſſaque Mucilago cum
Olei communis lib. jv. *&*
Lithargyri auri lib. ij.
Fiat ex arte in Emplaſtrum coquatur.

Methodus.

Inutile eſſet huc adducere præparationem mucilaginum è radicibus Altheæ & ſeminibus Lini & Fœnugræci extrahendarum, quæ tradita eſt cum mihi ſermo fuit de Unguento Altheæ: Uti neque proponenda electio vel preparatio Lithargyri, quandoquidem capite præcedente ſufficienter de illis actum: Nihil aliud hoc loco à me expectandum quam methodus obſervanda in hujus Emplaſtri coctione.

Primo abſque igne Oleum cum Litargyro in ſartagine cuprea commiſcendum, qualem depinxi ad Emplaſtri Ceruſæ compoſitionem; additiſque demum, probeque commiſtis mucilaginibus, accendendus erit in fornace idonea ignis carbonum, paulo minus intenſus eo quem deſignavi pro Emplaſtris præcedentibus: Huic poſtquam impoſita fuerit

rit ſartago, cuncta ſpathula lignea ſubigantur, indefinenter & quam celerrimè verſando, tum & Litargyrum ſuſpenſum teneatur, & deſcenſu ad fundum prohibeatur, ab oleo & pinguedinibus divortium faciens, tum ut Emplaſtro requiſitus candor concilietur: Ignis modicus fovendus, coctionem & agitationem promovendo quouſque deprehendatur Emplaſtrum in ſartagine ſubſidere, indicio maximam humoris muciluginum partem abſumptam eſſe: Tunc ignis fervor remittendus ſaltem ad medias, qui ſufficiat abſumendo humori ſuperfluo in Emplaſtro ſuſupertiſtite, quo in auras ſoluto Emplaſtrum ſufficientem coctionem adeptum erit, & conſiſtentiam cum candore requiſitam.

Nonnulli jubent mucilagines partitis vicibus & ſub finem Emplaſtri coctionis adjici, ſed præterquam quod ejuſmodi methodus multo hac prolixior eſt, illud ſciendum rem ad votum melius ſucceſſuram ſi ab initio mucilagines commiſtæ fuerint, eo quod futurum ut melius ſuſpenſum teneatur & cohibeatur cum oleo Lithargyrium, prohibeatur ne idem cum cæteris incendium concipiat, id quod contingeret ſi demum ſub finem imponeretur; iiſque accendentibus multo candidius ſit Emplaſtrum, melioriſque conſiſtentiæ quam ſi ex illorum mente præparatum fuerit.

Vocatur Emplaſtrnm hoc Diachylum, ratione mucilaginum, quæ pro ſuccis radicum Althææ & ſeminum Lini ac Fœnugreci habendæ; Album dicitur a colore.

Inutile eſt hic proponere deſcriptionem Emplaſtri Diachyli Ireati. Satis eſt monuiſſe id quovis tempore parabile eſſe, admiſta uncia Pulveris tenuiſſimi Iridis Florentinæ libræ uni iſtius Emplaſtri Diachyli albi, commendatiſſimi ad emolliendas & reſolvendas durities, imo tumores ſcirrhoſos Jecoris, Lienis, omniumque viſcerum, abſumendas ſcrophulas & abſceſſuum pertinaces reliquias: Vulnerum calorem temperat, ſuperficiem adglutinat, inflammationes colli uterini ſanat, peſſarii forma illuc immiſſum; podagricis auxilium fert, paucis, ubicunque cum refrigerio emollitio neceſſaria, eſt idoneum.

Emplaſtrum Diachylum Compoſitum Gummatum.

℞. *Radicum Althææ recentium mundatarum & minutin inciſarum unc* jv.
Ficuum, &
Paſſularum pinguium mundatarum & pariter inciſarum,
Seminum integrorum Lini, &
Fœnugræci ana unc. ij. *ſem.*
Macerentur horis viginti quatuor ſuper ignem exiguum in
Aquæ Fontanæ lib. vj.

Spathula lignea ſæpius materias movendo, deinde lento igne ad debitam mucilaginis ſpiſſitatem coquantur, poſtea colentur & fortiter exprimantur, & ſervetur mucilago, Eodem tempore.

℞. *Succorum ſcyllæ &*
Ireos noſtratis ana unc. iiij.
In quibus ſuper ignem exiguum in mucilaginem redige
Icthyocollæ minutim inciſæ unc. j.
Serveturque ſeorſim mucilago, Tunc

℞. *Lithargyri auri præparati lib.* ij.
Oleorum Chamomillæ. | *Ireos noſtratis &* *Anethi ana unc.* xvj.

Cum prima mucilagine frigide permiſta ſimul coquantur, igne imprimis ſatis luculento, deinde ſenſim mediocri, aſſidue movendo ſpathula lignea, additaque ſub coctionis finem Icthyocollæ mucilagine, coctio & agitatio igne moderato producantur ad debitam Emplaſtri conſiſtentiam, cui miſce.

Terebinthinæ Venetæ unc. vj.
Reſinæ Pini. | *Galbani.*
Ceræ flavæ. | *Ammoniaci.*
Oeſypi humidi, ana unc. iiij. | *Sagapeni, &*
Bdellij in vino diſſolutorum, trajectorum & ad mellis denſitatem coctorum ana unc. ij.

Igni moderatiſſimo aliquandiu committantur, aſſiduéque agitentur ut humoris magis ſuperflua pars Gummatum & vini conſumatur, Refrigeratumque Emplaſtrum ad uſus ſervetur.

Methodus.

Maxima pars deſcriptionum hujus Emplaſtri quæ in Diſpenſatoriis reperiuntur, quæ mediam tantum rerum præſcriptarum partem continent, ac cujuſque ſpeciei mucilaginis doſin ſeſcunciam eſſe jubent, nequaquam definita quantitate cujuſque partis ſimplicium e quibus extrahendæ; minime præterea conſiderantes adeo exiguam mucilaginum quantitatem Emplaſtro ejuſmodi vires inſignes communicare non poſſe, cui majores quam ſimplici ineſſe debent, in cujus compoſitione multo majori copia præſcribuntur mucilagines: Quibus rebus permotus, non modo præſcripſi doſin medicamentorum, mucilagines huic Emplaſtro ſuppeditaturorum, ſed & rationem tradidi per quam ſufficientem denſitatem obtinere valeant, ſufficiénſque illarum ſuppetat copia.

Ad rectam hujus Emplaſtri præparationem, expurgatis prius & optime inciſis radicibus Altheæ, ſicuti & paſſulis ac ficubus, híſque omnibus vaſe fictili vitreato, cum ſeminibus Lini & Fœnugræci integris, & aqua præſcripta exceptis, vas igni moderatiſſimo per viginti quatuor horas committatur, materias ſpathula lignea commovendo per vices: Demum auctiore reddito igne lente cuncta ferveant, agitationem

nem ſæpiſſime repetendo, donec mucilagines debitam craſſitiem obtineant, quæ percolatæ, & ritè expreſſæ ſervandæ.

Interim maxima Scylla, paſta ex tritici farina confecta obvolvenda, & in furno Piſtoris ſimul cum grandioribus panibus coquenda, abjectaque cruſta & tunicis exſiccatis, laminæ illius candidæ & medulloſæ in mortario marmoreo piſtillo ligneo contundendæ, & ex immiſſis ſacculo, ex tela denſa fortique, torculari ſuccus eliciendus: Scobina etiam detaranda, aut ſaltem optime in mortario marmoreo contundenda radix Iridis noſtratis recens collecta, è qua ſacculo etiam ligneo incluſa, extrahendus ſuccus; poſtea tenuiter incidenda Icthyocollæ uncia una, immitenda exiguo vaſi fictile viteatro, quibus affundendæ unciæ quatuor ſucci cujuſque extracti, vas modico igni committendo, materias per vices exigua eſpatula lignea commovendo, donec omnia in paſtam mucilaginoſam abeant, ſeorſim aſſervandam: Poſtmodum Lithargyrum pulveriſatum pelvi cupreæ idoneæ immittẽdũ, quod extra ignem oleis, Chamęmelino, Irino, Anethino ac prioribus mucilaginibus commiſcendum, cuncta ſpathula lignea verſando: igni moderato exponatur pelvis, omnia ſimul, eodem modo quo dixi de Emplaſtro Diachylo albo coquendo: Cum verò cuncta propemodum cocta fuerint, multo remiſſiore igne redito, adjiciantur mucilagines Icthyocollæ œſypo commixtę, omnia indeſinenter commovendo donec mucilaginũ humiditas propemodum abſumpta ſit, compoſitio autem ſufficientem craſſitiem adepta; quo tempore, Cera prius addita, & colliquata, Reſinaque in fruſta exigua diviſa poſtmodum Gummatis in vino diſſolutis, per telam denſam trajectis, lento igne ad mellis conſiſtentiam, decoctis, ac Terebinthinæ adjunctis, omnia lentiſſimo igni committantur, in agitatione pergendo donec Gummatum inutilis humor pene in auras abierit; Demum vaſe ab igne remoto, refrigeratoque Emplaſtro, magdaleones ex illo effingantur, papyro cooperiendi, & ad uſus ſervandi.

Si lacrymoſa Gummata, aut granulata, puriſſima in manus venirent, poſſent emoliri & liqueſcere in majori mortario æneo excalefacto cum piſtillo, eoque pacto in compoſitionem Emplaſtri admitti, poſtquam Terebentinæ concorporata eſſent, tempore à me præfinito, unde poſtmodum nulla neceſſitas impelleret ut diutius Emplaſtrum ſuper ignem detineretur: At cum plerumq; Gummata prædicta ſordibus plurimis inquinata ſint, vixque ſufficiens illorum etiam ad uſus internos copia ſuppetat, neceſſario diſolvenda ſunt, percolanda, & ad conſiſtentiam craſſam coquenda, ut in hujus Emplaſtri, vel aliorum hujuſmodi compoſitionem venire queant: neque enim exiſtimo trituræ poſ-

ſe ſubjici dicta Gummata, ſi præſertim recentia fuerint; Uti neque vereor ne pars illorũ ſubtiliſſima pereat cum diſſolvuntur aut coquuntur, quandoquidem res agitur de remedio externo, in quo partes craſſiores & requiſitæ ad diutinam ſupra partes, quibus admoventur, moram magis expetuntur quam quæ in diſſipationem pronæ ſunt.

Felici ſucceſſu Emplaſtrum iſtud uſurpatur ad eoſdem uſus ad quos Diachylum ſimplex, ſed maiori efficacia operatur,ratione generoſorum medicamentorum illi additorum : Præcipue autem valet in digerendo, reſolvendo, maturando & coquendo quodvis Tumorum genus.

Emplaſtrum de Mucaginibus.

℞. Radicum Althea mundatarum & minutim inciſarum,

Corticis medij Ulmi pariter inciſi,	*Fœnugræci ana unc. j.ſem.*
Seminum integrorum Lini &	*Aquæ communis lib. ij.ſem.*

In vaſe fictili vitreato ſuper ignem exiguum horas viginti quatuor macerentur, ſpatbula lignea ſæpius agitando, deinde lento igne cum ſimili agitatione coquantur ad mucilaginum ſatis denſam ſpiſſitudinem; colentur & fortiter exprimantur, expreſſaque mucilago cum

Oleorum Chamomillæ,	*Anethi &*
Liliorum &	*Medullæ cruris Bovis ana unc.j.ſem.*

Lentiſſimo igne coquatur ad humidi ſuperflui conſumptionem, poſtea in illis liquentur,

Ceræ Citrinæ unc. xx.	*Opopanacis,*
Terebinthinæ unc. ij.	*Sagapeni ana unc.ſem.Illiſque addantur,*
Ammoniaci,	*Croci ſubtiliter pulverati drachm. ij.*
Galbani,	*Fiat ex arte Emplaſtrum.*

Methodus.

Præparatio mucilaginum à me allata in compoſitione Emplaſtrorum præcedentium huic norma eſſe poterit: Præſcripta quantitas Radicum, Corticis, & ſeminum, unde elicienda ſubſtantia viſcida, mucilagines conſtituens, errore illos liberatura eſt qui debitam proportionem ignorant; Primo ſumma cura mucilagines probe coquendæ, debitam illis craſſitiem conciliando priuſquam expreſſioni committantur; ruſus moderatiſſimo igne coquendæ, & lentiſſimo, una cum oleis & medullis, ne comburantur mucilagines, ac deinde opus ſit materias per linteum tranſmittere, juxta quorundam methodum: Si vero methodus à me allata obſervata fuerit, labore illo ſuperſedendum erit, eoque pacto in Emplaſtrum mucilaginum vis integra tranſitura eſt: Satius quippe eſt in Oleis & medulla ſupereſſe portiunculam aliquam humoris mucilaginum, quam has torrefieri dum illum omnino abſumere volumus: Cum ergo obſervatum fuerit humorem illarum ſuperfluum pene omnino

omnino eſſe abſumptum, fruſtillatim diſſecta Cera liquefacienda erit in Oleis & Medulla, mucilaginibus prægnantibus: Poſtea Emplaſtro igni ſubtracto, eoque fere refrigerato, addenda erit Terebinthina, cui confuſa prius fuerint Gummata, liquata, aut diſſoluta in quapiam materierum à me exhibitarum in præparatione Emplaſtri præcedentis; demum adjiciendus erit Crocus ſubtiliter pulveriſatus; Emplaſtrumque perfectum in magdaleones effingendum, & ad uſus reponendum.

Hujus Emplaſtri vires cum prioribus coincidunt, illi vero iſtud ſingulare eſt, quod Tumores, ſola reſolutione ſanabiles, ad ſuppurationem non deducat, quamobrem plurimo in uſu eſt ad diſcutiendas Ecchymoſes Capiti accidentes, Mammis aliiſve partibus, ſi puris generatio præcavenda fuerit, humor autem ad ſuppurationem non vergat: Ad maturitatem illos nihilominus perducit qui puris formam induere apti nati ſunt.

Emplaſtrum Polychreſtum.

℞. Olei communis lib. ij.
Aquæ fontanæ lib. j. ſem.
Ceruſæ, &
Lithargyri Auri &
Argenti, ana lib. ſem.
Coquantur ex arte ad Emplaſtri ſpiſſitatem, deinde addantur,
Ceræ citrinæ, &
Terebinthinæ Venetæ, ana unc. viij.
Et fiat Emplaſtrum.

Methodus.

In pulverem deducta Lithargyrum & Ceruſa; commixtaq; abſque igne, Oleo & Aquæ preſcriptis, ſimul decoquantur in pelvi cuprea panno obducta, ſicuti predixi capite de Emplaſtro Palmeo: Cum vero aqua propemodum conſumpta fuerit, materie autem ſufficienter coctæ, in illis cera per minima fruſta diviſa liquefacienda erit: Demum remoto ab igne vaſe adjicienda Terebinthina, in magdaleones formando Emplaſtrum, & charta involvendo cum refrixerit.

Polychreſtum vocant hoc Emplaſtrum, quod plurimis affectibus ſanandis conducat, ſpeciatim quibuſvis Ulceribus, Ambuſtionibus, Fiſſuris & Rimis Papillis accidentibus, Sicuti & Manibus, Pedibus, Ano, ſive frigoris ſoboles fuerint ſive alterius cauſæ: Commodiſſime etiam uſurpatur ad Ulcerum curationem, ac abſumendas & diſſipandas Abſceſſuum reliquias: Nec minus idoneum eſt ad confectionem Sparadrapi ſive Telæ Gualteri, ad Fonticulorum defenſionem.

Emplaſtrum Nigrum.

℞. Olei communis lib. ij.
Vini &
Aceti, ana lib. j.
Lithargyri Auri &
Ceruſæ Venetæ, ana unc. viij.
Coquantur ex arte ad Emplaſtri ſpiſſitudinem; deinde addantur Ceræ flavæ lib. j.
Colophoniæ,

Picis navalis, & | *Plumbi uſti &*
Terebinthinæ Venetæ ana lib. ſem. | *Myrrhæ electæ ana unc. ij.*
Lapidis Magnetis præparati, | *Fiat ex arte Emplaſtrum.*

Methodus.

Plurimæ extant Emplaſtri Nigri deſcriptiones, non modo in Diſpenſatoriis ſed & apud privatos: hæc vero cum conſtet paucioribus quidem medicamentis, ſed ſelectioribus & juſta dozi definitis, nulli poſtponenda erit.

Abſque igne coaleſcant Ceruſa & Lithargyrum cum oleo, quibus poſtea Vinum & Acetum præſcripta commiſceantur, ac ſimul in grandiori pelvi cuprea, ſtanno obducta, igne initio ſat luculento decoquantur, qui remittendus prout humor abſumetur; Medicamenta indeſinenter grandi ſpathula lignea agitentur, ſicuti præmonuí in aliorum Emplaſtrorum compoſitione; in ejuſmodi decoctionis gradu pergendo, igne adhibito moderato, donec color admodum fuſcus evadat, conſiſtentia autem paulo ſolidior quam uſitatorum Emplaſtrorum fiat: Tunc temporis liquefaciendæ erunt Cera, Colophonia & Pix navalis, in minima fruſta diviſa, demum ſubducta ab igne pelvi adjicietur Terebinthina; cum autem Emplaſtri materia ſemirefrixerit, commiſcendus erit Magnes ſuper porphyrite lævigatus, ſicuti teruntur gemmæ & lapides, humefaciendo aqua quapiam vel decocto vulnerario: Plumbum ſeorſim comburi poſſet, ſicuti dixi in præparatione Unguenti Pompholigos, at vero ſatius erit idem crucibulo immittere cum partibus æquis ſulphuris, ut majore contracta nigredine, colorem Emplaſtri, qui niger eſſe debet, intenſiorem reddat;

Uſitatiſſimum eſt iſtud Emplaſtrum ad curationem omnium Vulnerum, tum punctim, tum cæſim, imo & per contuſionem inflictorum: Feliciſſimo etiam ſucceſſu in uſum ducitur ad omnia Ulcera, præſertim antiqua & pertinacia, quæ optime perpurgat & carne implet.

Emplaſtrum Cephalicum.

℞. *Gummi Tacamahacæ odoratæ,*
Benzoini, | *Ladani puri ana unc. ij.*
Styracis, | *Cinnamomi &*
Maſtiches, | *Terebinthinæ Venetæ ana unc. j.*
Hederæ, | *Caryophillorum &*
Olibani, | *Nucis moſchatæ ana unc. ſem,*
Cum ſ. q. Styracis liquidæ fiat Emplaſtrum.

Methodus.

Simul contundantur in majori mortario æneo, per cribrum ſetaceum tranſ-

tranſmittantur Caryophylli, Cinnamomum, & Nux moſchata; Seorſim vero conterantur Gummi Tacamahaca odorata, Hederæ, Benzoinum, Maſtiche, & Olibanum, per idem cribrum traducenda; Poſtea excalefacto majori mortario æneo, ut & piſtillo, liquefaciendum erit primo Ladanum (demum Storax & Terebinthina granata;poſtmodum paulatim adjiciendi erunt pulveres, prius optime ſimul commixti, ac Stiracis liquidi quantum ſatis eſſe videbitur ad omnia in Emplaſtri formam reducenda, indeſinenter agitando in eodem mortario, quamdiu per calorem illius & materierum immiſſarum licebit.

Seorſim conteri poſſet ac per cribrum ſericeum traduci Ladanum, ſi modo probe ſiccum eſſet, ſed inutilis erit illa cura, ſi qua ratione dixi egeris: Poſſent & reliqua fere omnia Gummata in majori mortario calente liquefieri ſi puriſſima eſſent, minorque Emplaſtri copia paranda eſſet, tutiſſima autem ratio in pulveriſatione conſiſtit: Liceret & Emplaſtro paulo majorem Stiracis liquidi quantitatem addere, ſi molliuſculum quiſpiam id optaverit: Durities quam maſſa contrahit dum mortarium refrigeratur, fovendi caloris neceſſitatem invehit, ſi materierum contuſio continuanda ſit, idemque ab exteriori parte calefaciendi cum ex illo educendæ ſunt, alias opus mancum & imperfectum foret: Eadem de cauſa Emplaſtrum quamdiu adhuc calet in magdaleones deducendum eſt.

In Gallia Narbonenſi & Provincia uſitatiſſimum eſt hoc Emplaſtrum: Cerebrum efficaciſſime roborat, fluxiones ſiſtit, imo ad exteriora allicit ſerum, humoreſque craſſos & viſcidos illi ſæpiſſime noxios: Id quod verum eſſe cuilibet manifeſtum fiet ſi res ad experimentum deducatur; nec enim vulgatam opinionem amplector,ab ejuſmodi Emplaſtris obturari poros cutis, neutiquam vitioſos humores extrahi: Admoveri ſolet hoc Emplaſtrum Fontanellæ capitis, ideoque à quibuſdam vocatur Emplaſtrum pro Suturis: In majorem aut minorem latitudinem extenditur pro ratione partium & uſus neceſſitate: Admovetur etiamTemporibus ad cohibendas fluxiones in Oculos & Dentes, decumbentes & ad horum dolores mitigandos.

Emplaſtrum Stomachicum.

℞. Styracis electæ.
Tacamahacæ odoratæ ana unc. iiij.
Succini,
Coryophyllorum,
Nucis moſchatæ,
Maſtiches, &
Aloës Socotrinæ ana unc. ʒß.
Cinnamomi unc. ſem.
Stiracis liquidæ q. ſ.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

In majori mortario æneo conterantur ſimul, & per ſericeum incerniculum trajiciantur Cinamomum, Caryophylli. Nux moſchata & Succinum: Seorſim pulveranda, & per idem cribrum tranſmittenda Gummi Tacamahaca, Maſtiche & Aloë: Demum in excalefacto majori mortario æneo cum piſtillo, liquefacienda erunt Reſina, Storax, quæ poſtquam coaluerit cum Stiracis liquidæ unciis circiter quatuor, adjiciantur paulatim pulveres optime prius ſimul commiſti: Poſtquam vero materiæ aliquandiu conquaſſatæ fuerint ut perfecta exurgat omnium in unum confuſio, Emplaſtrum ex mortario quandiu aduc calet eximendum, involvendum in magdaleones priuſquam refrigeſcat.

ApudAuthores plurimæ proſtant deſcriptiones Emplaſtrorũ pro Stomacho, revera è multo pluribus compoſitæ medicamentis, ſed inepta dozi conſarcinatis, huic proculdubio inferioribus, cujus ſingula medicamenta, non minus odorata quam viribus inſignia, corroborando ventriculo admodum idonea ſunt, & concoctioni jurandę alimentorumque digeſtioni, vomitui compeſcendo, flatibus diſcutiendis & appetitui revocando. Alutæ extenditur hoc Emplaſtrum, aut cuipiam panno ſericeo, ſcuti forma, quod calide ventriculi regioni admotum, pro affectus contumacia diutius vel minus geſtandum, imo iterato imponendum.

Emplaſtrum Nicotianæ.

℞. *Sevi Arietini,*
Picis albæ, & *Ceræ citrinæ lib.* j.
Reſinæ, ana lib. j. *ſem.* *Nicotianæ recentis contuſæ lib.* iij.
Coquantur ſimul igne lento, ſæpius movendo ſpatula lignea, ad proximam humoris conſumptionem, poſtea colentur & fortiter exprimantur: Expreſſioni ab omni fæce purgatæ permiſceantur
Gummi Ammoniaci puri, &
Terebinthinæ Venetæ, ana unc. viij.
Et factum erit Emplaſtrum.

Methodus.

Nicotiana cum ſit baſis hujus Emplaſtri, & medicamentum unde præcipuas obtinet vires, non immerito exiſtimatum majori quantitate admitti debere quam quę in Diſpenſatoriis quibuſdam præſcribitur, utque æqualiter in Emplaſtrum transfundatur color viridis una cum viribus, non ſolum illius ſuccus admittendus juxta antiquorum mentem, ſed folia integra optime contrita imponi debẽt hac ratione procedẽdo.

In mortario marmoreo, piſtillo ligneo, optime conteratur foliorum

Ni-

Nicotianæ quamtitas præſcripta, hæc poſtquam lento igne cum ſebo arrietino, Pice alba, Reſina & Cera cocta fuerint, in pelvi cuprea ſtanno obducta, omnia per intervalla ſpathula lignea erunt commovenda, donec Nicotianæ humor propemodum omnis abſumptus ſit: Percolanda & fortiter exprimenda compoſitio; cujus frigefacta expreſſio, ſecretis & abjectis fæcibus in fundo, ſi quæ ſint, ſuperſtitibus, iterum igne moderato liquefacienda erit, ut excipiat, procul ab igne, Gummi Ammoniaci lacrymas, prius liquefactas in majori mortario æneo calefacto, ſimul cum Terebinthina Veneta præſcripta conjungenda, Demum percolandum erit & charta cooperiendum Emplaſtrum cum propemodum refrigeratum fuerit, ad uſus ſervandum.

Emplaſtrum hoc admodum utile eſt ad emolliendos Tumores duros internos, præſertim vero Jeccoris & Lienis, imo Scirrhoſos, quo fit ut illi imponi queat nomen Emplaſtri Hepatici & Splenetici.

Emplaſtrum de Cicuta.

℞. *Olei Sambuci lib.* ij.
Succi Cicutæ lib. j. *ſem.*
Lithargyri Auri lib. j.
Coquantur ſimul igne lento ad humoris conſumptionem & Emplaſtri ſpiſſitatem, aſſiduè movendo ſpatula lignea, deinde addatur,
Succi Cicutæ ad mellaginem inſpiſſati lib. ſem.
Lentoque igne iterum coquantur ad humoris integram ferè conſumptionem, illiſque poſtea jungatur.
Gummi Ammoniaci Aceto Scillitico ſoluti trajecti, & lento igne ſpiſſati lib. j.
Et poſtquàm igne lentiſſimo humoris ſuperflui maxima pars conſumpta fuerit, refrigeratum Emplaſtrum ad uſus ſervetur.

Methodus.

Coquatur igne moderato Lithargyrum aureum pulveratum, cum Oleo Sambucino & ſucco Cicutæ præſcriptis, indefinenter commovendo grandi ſpathula lignea quouſq; humiditas propemodum conſumpta ſit, materia autem debitam conſiſtentiam obtineat; demum addita ſemiſlibra ſucci Cicutæ, cocti & inſpiſſati ad mellis conſiſtentiam; lentoque iterum igne ſoluta in vapores maxima humoris ſuperflui portione, adjungantur Gummi Ammoniacum prius in aceto Scyllitico diſſolutum, traductum per telam denſam, & igne lento condenſatum: dehinc humor inutilis igne exiguo in auras ſolvatur, materias continenter commovendo donec Emplaſtrum debitam conſiſtentiam adeptum fuerit, ac in magdaleones effingi poſſit, ad uſus ſervandum.

Methodus.

Poſſet præparari Emplaſtrum Cicutæ eadem ratione qua Nicotianæ, Cicutam commiſcendo iiſdem medicamentis quæ præſcripta ſunt pro Emplaſtro Nicotianæ, iiſdemque doſibus obſervatis.

Illud pro comperto habendum Emplaſtrum Cicutæ eoſdem prope effectus edere poſſe quos Emlp. Nicotianæ, ad eoſdem enim affectus in uſum venit: Poteſt etiam æque nomen gerere Emplaſtri Hepatici & Splenetici.

Emplaſtrum Diaphoreticum.

℞. *Ceræ flavæ unc.* xvj.
Myrrhæ electæ,
Colophoniæ, ana unc. iiij.
Galbani, in Aceto diſſolutorum, trajectorum, & ſpiſſatorum, ana unc. ij.
Sandaracæ unc. j.
Thuris, &
Succini citrini unc. iij.
Terebinthinæ,
Gummi Ammoniaci, &
Maſtiches, ana unc. ſem.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Prius ſubtiliter terantur Myrra, Succinum, Sandaraca, Thus & Maſtiche, unumquodque ſeorſim: per cribrum ſericeum tranſmittatur, deinde diſolvantur Gummi Ammoniacum & Galbanum in aceto, hæc trajecta per denſam telam, igne lento craſſeſcant, more aliorum Emplaſtrorum: Demum fruſtillatim diviſis Cera & Colophonia, iiſque una igne modico liquefactis in pelvi cuprea ſtanno obducta, ſemique refrigeratis materiis, adjiciantur illis commiſcenda Gummata cum Terebinthina, ac paulo poſt addantur pulveres, ſic perfectum erit Emplaſtrum.

Emplaſtrum hoc admodum conducit Seroſis humoribus carnes imbuentibus abſumendis,& per inſenſibilem tranſpirationem diſcutiendis, adeo ut guttatim inter Emplaſtrum & cutem occurrant: Specifice valet adverſus dolorem Iſchiadicum, Parotides, pedes & manus Tumentes, ac quoſvis tumores ſuppurationi ineptos: Uſurpatur etiam adverſus tibiarum durities Scorbuticas, nervorum & artuum contuſiones; Ad levandas partes poſt fracturas & luxationes, ſeri præſentia oppreſſas, illarumque dolores mulcendos.

Emplaſtrum de Galbano.

℞. *Galbani in Aceto diſſoluti, trajecti, & ſufficienter ſpiſſati unc.* vj.
Emplaſtri de Meliloto, &
Diachyli ſimplicis, ana unc. iij.
Ceræ flavæ drachm. ij.
Terebinthinæ Venetæ unc. j.
Croci pulverati drachm. vj.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Metho-

Methodus.

Diſſoluto in aceto Galbano, eodemque per denſam telam trajecto, & igne modico condenſato, ſicuti in præcedentibus Emplaſtris præmonui, liquefacienda erit Cera in minima fruſta diſſecta cum Emplaſtris Diachylo & Meliloti, igne moderatiſſimo: Poſtea addatur Terebinthina Galbano confuſa, exemptaque ab igne pelvi, cunctiſque agitatis quoad ſpiſſeſcere incipiant, commiſcendus erit Crocus pulveriſatus, Emplaſtrumque erit perfectum.

Emplaſtrum hoc, experientia teſte, probatiſſimum eſt ad emolliendos & reſolvendos tumores duros & ſcirrhoſos, ac ſedandos dolores Humerorum, Pectoris, Coſtarum, Mammarum, Hypochondrionum, Jecoris, Lienis, à flatibus excitatos aut humoribus, frigidis; emollit enim; lenit, digerit, ac potenter abſumit congeſtos in illis partibus humores.

Emplaſtrum de Meliloto

℞. *Summitatum floridarum Meliloti unc.* iij.
Radicis Iridis,
Seminis Fœnugræci,
Foliorum Abſinthij,
Gummi Ammoniaci,
Myrrhæ, ana unc. j.
Radicum Cyperi,
Altheæ,
Nardi Celticæ,
Baccarum Lauri,
Florum Chamomillæ,
Croci, ana unc. ſem.
Ceræ citrinæ lib. j.
Reſinæ,
Picis Albæ,
Sevi Hircini, ana unc. iiij.
Terebinthinæ Venetæ, &
Olei Abſinthij, ana unc. iij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Primo exſiccetur & ſeorſim pulveriſatur Crocus; deinde ſimul contundantur in grandi mortario æneo Radices, Semina, Baccæ, Herbæ, Flores, imo & Gummata, quorum lacrymæ puræ eligantur, per cribrum ſericeum cuncta tranſmittantur; Demum lento igne colliquefiant, in pelvi cuprea, Cera, Pix alba, Reſina & Sebum arietinum, in minima fruſta diviſas, quibus adjicienda Terebinthina & Oleum Abſinthij: Deinde remota ab igne pelvi, materiiſque aliquantiſper frigefactis paulatim commiſceantur Pulveres: cunctiſque rite coadunatis Emplaſtrum erit perfectum, in magdaleones formandum, & ad uſus ſervandum:

Maxima pars deſcriptionum Emplaſtri Meliloti, quæ in Diſpenſatorijs proſtant, non levem invehunt confuſionem, tum ob ingentem me-

dicamentorum numerum, dozinque anormen, quam ob variam parumque accuratam præparationem, Quamobrem nullus dubito quin præſens deſcriptio cæteris anteferenda ſit; ſi ad examen deducta fuerit electio medicamentorum, dozis accurata, ac præparatio minime ardua iſtius Emplaſtri.

Emplaſtrum Meliloti maxime commendatur ad emolliendas, attenuandas & diſcutiendas materias craſſas & condenſatas, ac præſertim Jecoris inveteratas durities, Lienis, Ventriculi, omniumque Viſcerum; Admodum quoque conducit relaxandæ hypochondriorum tenſioni, flatibus diſcutiendis, & ſedandis doloribus ab iis oriundis.

Emplaſtrum de Betonica.

℞. *Foliorum virentium Betonicæ,*	
Lauri,	*Reſinæ,*
Plantaginis,	*Picis albæ,*
Apij, &	*Terebinthinæ Venetæ, &*
Verbenæ, rectè contuſorũ, ana m. iij.	*Ceræ citrinæ, ana lib.* ij.

Coquantur ſimul igne lento, ſæpiùs movendo, donec herbarum humor ferè conſumptus fuerit, poſtea colentur & fortiter exprimantur: Refrigerata deinde & ab omni fæce liberata expreſſio, lento igne liqueſiat, illique iterum ſemi refrigeratæ permiſceantur,

Maſtiches &

Olibani, ſubtiliter pulveratorum, ana unc. ij.

Et factum erit Emplaſtrum.

Methodus.

Emplaſtrum hoc nomen habet à Betonica, tanquam præcipua planta ex illis quæ id componunt; Antiquorum nonnulli vocaverunt etiam Emplaſtrum de Janua, quod vocabulum obſoletum eſt; Plurimæ illius circumferuntur deſcriptiones, quarum quædam magis, quædam minùs compoſitæ ſunt. Nonnulli ſolos plantarum ſuccos uſurparunt ad hujus Emplaſtri compoſitionem: At ſatius proculdubio eſt herbas contritas, & cum materiis elixatas in uſum ducere, ob rationes alio loco allegatas: Nonnulli etiam Picem navalem præſcribunt, at albæ hæc inferior eſt, tum quia à colore nigro obſcurius evadit Emplaſtrum, tum quia à combuſtione ramorum arborum, è quibus elicitur, multum de utilibus partibus ipſi decedit: Etiamſi vero ideo vilipendenda non ſit, nulli tamen dubium eſt quin Pix alba, ſponte ex arboribus derivata, multo potior ſit, quandoquidem intra ſe continet partes omnes volatiles quas ignis violentia nigræ pici decuſſit.

Eligantur folia plantarum probe virentia & ſucculenta, his perpurgatis, & in mortario marmoreo piſtillo ligneo contritis, exiguo igni li-

liqueſcant in pelvi cuprea ſtanno obducta Pix alba & Cera flava fruſtillatim diviſa, demum adjicienda Terebinthina, commixtiſque herbis contritis, ſimul omnia coquantur, ex intervallis ſpathula lignea commovendo, donec herbarum humiditas propemodum abſumpta fuerit: Hinc per telam novam percolatis materiis, valideque expreſſis, refrigerari ſinatur Expreſſio, probe ſecretis & abjectis fæcibus, ſi quæ reſtibiles ſint: rurſus eadem lentiſſimo igne liquefacienda erit, quo remoto, cum craſſeſcere incipiet, commiſcenda erunt Maſtiche & Olibanum ſubtiliter trita, Tunc Emplaſtrum abſolutum erit, in magdaleones formandum & ad uſus ſervandum.

Maximus uſus Emplaſtri Betonicæ eſt in Curatione Vulnerum capitis, quæ perpurgat & ad cicatricem deducit: Conducit etiam ad exhauriendos ſeroſos humores quibuſdam in corporibus partibus hærentes, Iſchiadicum dolorem præſertim committentes & Rheumatiſmos: Idoneum etiam eſt ad reſolvenda Ecchymomata, ac emolliendos Clavos pedum.

Emplaſtrum Manus Dei.

℞. *Olei communis lib.* viij.
Lithargyri Auri præparati lib. iiij.
Ceræ Citrinæ lib. ij.
Terebinthinæ Venetæ lib. j.
Galbani.
Opopanacis,
Ammoniaci,
Sagapeni,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches, ana unc. viij.
Olei Laurini unc. vj.
Lapidis Calaminaris,
Magnetis,
Ariſtolochiæ longæ &
Rotundæ, ana unc. iiij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Ante omnia ſuper Porphyrite, aut ſquama Marina, lævigandi Magnes & Lapis Calaminaris, aqua quapiam traumatica irrorati & exſiccati; ac ſimul in magno mortario æneo conterendæ utraque Ariſtolochia, Myrrha autem & Maſtiche ſeorſim; demum per cribrum ſericeum cuncti hi Pulveres commiſti tranſmittendi: Poſtea aucto pondere Galbani, Ammoniaci, Opopanacis & Sagapeni, ad proportionem copiæ ſordium illarum unumquodque inquinantium; Eadem probe contrita excipiantur vaſe fictili vitreato, ac exiguo igne in optimi aceti pintis circiter duabus diſſolvantur, hinc calide per fortem telam trajiciantur; quibus valide expreſſis, vaſi iterum committendum id Gummatum quod telæ inhæſit, quo iterum in novo aceto

diſſoluto, colato & expreſſo uti prius,paulatim modiciſſimo igne humor aceti ſuperfluus in auras evocandus,Gummata coquendo quouſq; legitimam craſſitiem adepta ſint, quo tempore concorporanda illis erit Terebinthina, ſeorſumque hęc adſervanda.

Demum Lithargyro aureo in pulverem deducto, pelvi cupreæ intus ſtanno obductæ commiſſo, atque abſque igne cum Oleo præſcripto commiſto, grandi ſpathula lignea verſando; adjectiſque Aquæ communis libris tribus, ſimul decoquantur igne ſat luculento, aſſidue movendo, ſicuti dixi in compoſitione Emplaſtri Palmei, donec omnia in Emplaſtri ſolidi conſiſtentiam coëant: quo tempore in illis liquefacienda erit Cera fruſtillatim diſciſſa, exemptaque ab igne pelvi, contentiſque nonnihil refrigeratis, adjicienda erunt Gummata cum Terebinthina & Oleo Laurino concorporata, hinc Pulveres, Cum vero cuncta ſimul probe coaluerint Emplaſtrum perfectum futurum eſt.

Emplaſtrum Manus Dei celeberrimum eſt, atque ab aliquo tempore uſitatiſſimum, adeo ut nonnullæ Matronæ Illuſtres illud propriis manibus præparare in egenorum gratiam non dedignentur; quamobrem non dubito quin circa debitam præparationem præcepta mea grato animo excepturæ ſint; Neque enim ſatis eſt probam tenuiſſe deſcriptionem,in recta quoque,pręparatione cavendum ne error accedatim probe coquendo, deürendo, ſicque medicamentorum vim depravando: Aqua addita, ſicuti alias monui, Emplaſtri celerem decoctionem multum promovet, compendiumque temporis infert, ſuſpenſumque dum coquitur Lithargyrum detinens, prohibet ne id cum Oleo comburatur, efficitque ut intime coaleſcant.

Hoc vero monendum, expectandum eſſe ut Lithargyrum & Oleum debitam Emplaſtri ſolidi conſiſtentiam nacta ſint antequam Cera ſe illis immiſceat, alias enim continget ut Emplaſtri conſiſtentia male ſuccedat, ideoque neceſſaria ſit Ceræ ponderis additio, unde Emplaſtrum juſto mollius futurum.

Nullo non die in uſum accerſitur iſtud Emplaſtrum, feliciqúe ſucceſſu in curatione quorumvis Vulnerum, Ulcerum, Tumorum, ac Ecchymomatum: Id illi ſingulare quod emolliat, digerat, reſolvat ac ad ſuppurationem deducat materias huic non inidoneas: Quod in pus non deducat eas quæ per inſenſibilem tranſpirationem diſcuti poſſunt; aut alia via; Cum vero ad maturitatem deduxit, atque ad extra materias deliteſcentes evocavit, novas tamen in partem affectam non provocat, ſed perpurgat, carne implet, cicatriceque obducit Vulnus quod materiis exitum conceſſit.

Empla-

Emplaſtrum Andreæ à Cruce.

℞. *Reſinæ unc.* xij.
Gummi Elemni unc. jv.
Terebinthinæ Venetæ, &
Olei Laurini ana unc. ij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Iſtius Emplaſtri præſtantia ut huc illius deſcriptionem inferrem impulit, in omnibus Diſpenſariis non obviam: Legitima futùra eſt præparatio ſi probe comminuta fuerit Reſina, & Gummi Elemi, ſimul hæc igne lentiſſimo colliqueſcant, additiſque Terebinthina & Oleo Laurino, cum ſingula probe coaluerint, per telam traducantur ad ſordium, ſi quæ commiſtæ ſint ſecretionem; hinc refrigeratum Emplaſtrum in magdaleones effingendum & ad uſus ſervandum.

Emplaſtrum hoc ſpeciatim conducit in Pectoris Vulneribus, quorum cauſa etiam abſque turundis uſurpari poteſt; Admodum quoque conſert ad expurganda & conſolidanda cætera Vulnera & Ulcera, contuſiones diſſipandas, corroborandas partes à fracturis, luxationibus debiles, humoreſque ſeroſos per poros cutaneos diſcutiendos, Iſchiadici doloris & Rheumatiſmorum parentes.

Emplaſtrum Magneticum Angeli Salæ.

℞. *Sagapeni,*
Ammoniaci,
Galbani ana unc. iij.
Ceræ flavæ,
Terebinthinæ ana unc. iiij. *ſem.*
Magnetis Arſenicalis unc. iij.
Terræ Vitrioli lotæ unc. j.
Olei ſuccini unc. ſem.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Magnes Arſenicalis.

℞. *Antimonij Hungarici,*
Sulphuris flavi, &
Arſenici Cryſtallini ana unc. ij.
Pulverata & miſta omnia, cucurbitula Vitrea excipiantur, igneq́ue arenæ moderato in magneſiam colliqueſcant & refrigerata uſui ſerventur.

Methodus.

Angelus Sala, iſtius Emplaſtri Author, hanc præparationem præcipit.

Diſſolutione facta Gummatum in unciis viginti Aceti Scyllitici, igne moderato; his per denſam telam trajectis, atque ad conſiſtentiam Emplaſtris debitam deductis: poſtmodum in pelvi cuprea liquefacienda erit Cera cum Oleo ſuccini; quibus ſatis erit extra ignem con-

corporaſſe Terebinthinam, Terram Vitrioli & Magnetem Arſenicalem ſubtiliter pulveriſata cum Gummatibus condenſatis, ſic perfectum erit Emplaſtrum.

Magnetis autem Arſenicalis præparatio talis eſt.

Antimonii puriſſimi pulveriſati unciæ duæ, cum æquali Sulphuris quantitate & Arſenici Cryſtallini ſimul commiſtis, excipiantur exigua Cucurbita igne Arenæ moderate calente accenſo, inibi detinenda donec materia omnino liquefacta ſit; indicio erit immerſa extremitas virgulæ ferreæ, illi enim adhæſura eſt materia in filum deducenda Terebinthinæ in morem, ſed obſcure rubentis coloris pellucidi, Marcaſitis ſimili, Tum refrigeratis materiis, fractaque Cucurbita, educta maſſa pulveranda, ſicuti ad hujus Emplaſtri compoſitionem præſcriptum eſt.

Nonnulli cenſuerunt ad præparationem Terræ Vitrioli, id ſublimandum eſſe cũ æquis portionibus Salis Ammoniaci: Sed præterquam quod partes Acidæ & Salinæ utriuſque tam accurate ſublimari nequeunt quin Terræ portio quępiam permiſta remaneat, adhęc nulla neceſſitas adparet cur Vitriolo Sal Ammoniacum addendum ſit, vel aliud quidpiam ut Terra potiri liceat, cum facillime hæc occurrat peracta diſtilatione.

Lotionem hujus Terræ quod attinet, à nonnullis in dubium revocatam, ex mea ſententia iudicium Authoris litem dirimet, quandoquidem is præſcribit Terram Vitrioli lotam: Id etiam cenſeo Terram aridam, ac deſtitutam partibus requiſitis ad miſti perfecti conſtitutionem, multo aptiorem eſſe ſuſcipiendis atque admittendis novis ſubſtantiis, quam ſi in ſe contineret quicquid neceſſe eſt ad componendum corpus legitimi Vitrioli, quandoquidem non hic ſcopus eſt incidendi vel attenuandi, at tantum ſuſcipiendi, abſorbendi, aut ad ſe attrahendi materias ſuperfluas vulneribus hærentes, quæ ſimilitudine quadam ſubſtantię convenire poſſunt cum partıbusAcidis aut Salinis occurrentibus, in compoſitione Vitrioli.

Ut porro manifeſtum fiat in hac Terra latere adhuc vim Magneticam, variorum auctorum ſententiæ, quas fulciunt crebra experimenta, oſtendunt nobis Terram hanc ſub dio expoſitam per aliquod temporis intervallum, præſertim noctu, in Vitriolum rurſum redire, atque in eum deduci ſtatum ut propemodum eundem ſpiritum ſuppeditare valeat, eaſdemque partes quas ante diſtillationem obtinuerat.

Auctor hujus Emplaſtri illud admodum commendat, aſſeritque

ritque Bubonibus admotum, & Anthracibus peſtilentibus, eos cito ad maturationem perducere, aperire, ac ſimul Venenum à centro ad circumferentiam educere vi ſua Magnetica, ac ſimilitudine ſubſtantiæ utriſque communi, adeo ut Ulceris conſolidationem prohibeat priuſquam univerſa materia venenata omnino excluſa fuerit: neque metum imminere ne venenum maſſæ ſanguineæ confuſum verſus cor deferatur, ſicuti in plurimis ſimilibus morbis ſæpenumero contingit: Aſſerit idem Ulcus, Emplaſtri iſtius ope, ad illum ſtatum deduci ut mundificari poſſit & cicatrice claudi cum tota materia virulenta eliminata eſt.

Sanat idem Emplaſtrum perfecte Scrophulas, materiam has parientem à partibus maxime diſſitis alliciendo; Operationem ſuam ſpatio quinque aut ſex ſeptimanarum perficiendo: ac poſtmodum cicatrice occluditur locus, adeo ut nullo præterea remedio opus ſit: Cura tamen ægri per remedii decurſum eſſe debet, illum per intervalla purgando, decoctaque ſpecifica præbendo, vel alia remedia interna idonea, ut res ad votum ſuccedat.

Idem admotum Ulceribus vetuſtis, putridis, & pertinacibus, bidui aut tridui ſpatio venenum ad exteriora attrahit, ibique Eſcharam nigerrimam inducit, quæ demum butyro emollienda eſt, qua detracta ſubdita caro vivida & pura adparet.

Magnes Arſenicalis ſolus Cauſticum eſt leniſſimum, tutiſſime & certiſſime opus ſuum peragens.

Emplaſtrum Divinum.

℞. *Lithargyri Auri præparati lib.* j. *ſem.*
Olei communis lib. iij.
Aquæ Fontanæ lib. ij.
Coque ſimul ex arte ad Emplaſtri ſpiſſitudinem, deinde permiſce:
Lapidis Magnetis præparati unc. vj.
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis &
Bdellij, aceto diſſolutorum, trajectorũ & ſufficienter ſpiſſatorũ aã. unc. iij.
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches,
Viridis æris &
Ariſtolochiæ rotundæ, ana unc. j. *ſem.*
Ceræ flavæ unc. viij.
Terebinthinæ unc. jv.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Etiamſi Emplaſtrum Divinum celeberrimum ſit: non tamen in

cunctis diſpenſatoriis proſtat illius deſcriptio, imo Olei proportio cum Lithargyro accurata non eſt in quibuſdam, cum æqualis utriuſque portio adſumatur. Error ille emendatur hoc loco præſcribendo duplum Olei ad Lithargyrum pondus; Adjecta eſt Aqua ob rationes adductas ubi de præparatione Emplaſtri Palmei; Aucta etiamnum eſt doſis plerorumq;horum medicamentorum, ratione habita auctæ Olei quantitatis.

Accurata erit hujuſce Emplaſtri præparatio, ſi diſſolutione facta modico igne in aceto Gummatum Ammoniaci, Galbani, Bdellij, & Opopanacis, addita trajectione per telam denſam, ac demum inſpiſſatione facta, ſicuti dixi in compoſitione præcedentium Emplaſtrorum; ac præterea præparato & lævigato ſuper Porphyrite Magnete, ſeorſim conterantur Olibanum, Maſtiche, Myrrha, Ariſtolochia rotunda & Viride æris, ſervanda, & ſub finem adjicienda, demum abſque igne Oleum cum Lithargyro coagmentetur, affuſaque aqua coquantur ſicuti dixi ad præparationem Emplaſtri Manus Dei; Cum vero coctione ad Emplaſtri ſolidiuſculi conſiſtentiam perducta fuerint, Cera flava in minutà fragmenta diviſa in illis liquefiat, demum ſubducta ab igne patella, ac materiis ſemirefrigeratis, remiſceantur Gũmata cõdenſata&cum Terebinthina concorporata, hinc Magnes Ariſtolochiæ commixtus, Myrrha, Maſtiche, & Olibanum, ac tandem Viride Æris, omnibuſque probe agitatis & commixtis Emplaſtrum perfectionem adeptum erit, in magdaleones concinnandum, ad uſus ſervandum.

Vires & uſus hujus Emplaſtri Divini non multum abſunt à viribus Emplaſtri manus Dei: Vis tamen perpurgatoria aliquanto manifeſtior eſt, comite nonnulla acrimonia, ob Viride Æris in compoſitionem admiſſum: Unum tamen alterius ſuccedaneum eſſe poteſt, imo & ad uſus eoſdem admitti Emplaſtrum Paracelſi, cujus deſcriptionem hoc incertam volui.

Emplaſtrum Paracelſi.

℞. *Olei communis lib.* ij.
Lithargyri Auri lib. j.
Ceræ flavæ lib. ſem.
Terebinthinæ Venetæ unc. jv.
Gummi Ammoniaci &
Elemni ana unc. ij.
Olei Laurini unc. j. *ſem.*
Bdellij,
Opopanacis,
Galbani.
Maſtiches,
Myrrhæ,
Thuris,
Aloës,
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ,
Lapidis Calaminaris ana unc. j.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Oleum & Lithargyrum abſque igne concorporentur in grandi patella, com-

commixtaque circiter Aquæ ſeſquilibra ſimul decoquantur, aſſidue magna ſpathula lignea verſando, ſicuti dixi in confectione ſimilium Emplaſtrorum; hæc cum probe concocta fuerint, Liquefacienda in illis erit Cera in parva fruſta diviſa; demum remota ab igne patella, remiſcendum Gummi Elemi cum Oleo Laurino liquefactum, ac per linteum trajectum, addendo poſtmodum Ammoniacum, Galbanum, Bdellium, & Opopanacem in aceto diſſoluta, per denſam telam trajecta, optime lento igne craſſefacta, ac cum Terebinthina concorporata: poſtmodum accedent radix Ariſtolochiæ & Lapis Calaminaris ſubtiliter trita, ac tandem Myrrha, Aloë, Thus & Maſtiche etiamnum pulveriſata. E cunctis rite concorporatis exurget Emplaſtrum in magdaleones rotundandum, ac ad uſus ſicuti priora adſervandum.

Convenit hoc Emplaſtrum viribus cum Divino & Manus Dei; at valentius paulo exſiccat cicatricemque inducit.

Emplaſtrum de Linamento.

℞. *Linamenti veteris minutim inciſi unc.* viij.
Olei communis &
Aquæ fontanæ, ana lib. iij.
Coquantur ſimul igne moderato, ad tertiæ partis conſumptionem, deinde colentur, & fortiter exprimantur. Expreſſio cum Ceruſæ Venetæ pulveratæ lib. ij.
In Emplaſtri ſpiſſitatem ex arte coquatur; poſt in illis liquefiant,
Ceræ Citrinæ unc. xij.
Semique refrigeratis permiſceantur pulveres ſequentes,
℞. *Myrrhæ,*
Maſtiches, *Aloës electæ unc.* ij.
Olibani, ana unc. iij. *Factum erit Emplaſtrum.*

Methodus.

Ere viſum fuit hujus Emplaſtri deſcriptionem huc intuliſſe, neque tamen quis in animum ſibi inducat præſcriptum fuiſſe Linamentum, quod quidpiam virium ab ipſo expectandum eſſe crediderimus, ſed ſolum ut illis ſatisfiat qui nominibus magis quam rebus animum adplicant, etiamſi enim hoc Emplaſtrum revera iis polleat facultatibus quas ſibi finxit illius Author, immerito quis crederet Linamentum huc quidpiam conferre, etiam ſi è cannabi & lino originem ducat, ſuis quoque inſtructis viribus, diuturna enim illorum in aqua maceratio ad corticis detractionem, artificium adhibitum ut eadem in fila deduci & trahi queant, & ut filum in telam texatur: Vexationes omnes quas eadem tela per varia lixivia & ſaponarias deterſiones; diverſi item linteorum ad plurimos uſus tritus antequam detrita ſint & facta idonea ut in Linamenta diſcerpantur. Hæc inquam omnia omnem præcedunt

opinionem in Linamento quidpiam virium inſignium latere, vel aliud uſum præſtare poſſe quam ut in turundas, vel penicillos conformentur, Vulneribus&Ulceribus intus vel extus adhibenda,ſive ad abſorbendam portionem humoris ſuperflui, ſive ut illorum ope hiantia ſerventur, ſive excipula eſſe debeant Oleorum Linimentorum, Unguentorum, aut digeſtivorum illis imponendorum: Cuncta hæc ſimul collata, ac præterea modica adfinitas inter Linamentum & Oleum, eo nos indu-xerunt ut crediderimus,aliquid condonando antiquorum traditionibus, ad id ſaltem attendendum eſſe, ac cavendū ne Oleo alteratio aliena in-duceretur,concoctionem perpeſſo iniquam & extra metas; eaque prop-ter Aquam eſſe addendam,ad prohibendas vitioſas ignis in Oleum im-preſſiones, ac diſſipationem forte oriundam quarumdam partium uti-lium, Quoad cætera autem hac ratione procedendum eſſe.

Prius minutim incidantur Linamenti veteris unciæ octo, decoquan-tur igne lento in Oleo & Aqua præſcriptis ad conſumptionem tertiæ partis ejuſdem Aquæ, percolentur & fortiter exprimantur omnia, ex-preſſum autem hoc Ceruſæ Venetæ pulveratæ permixtum in grandi pelvi ænea, cum cæteris decoquantur, indeſinenter verſando ad ig-nem moderatum donec ſpiſſitudinem adepta ſint, paulo quam Empla-ſtrorum uſitatorum ſolidiorem: Poſtmodum ibidem liquefacta Cera flava fruſtillatim diviſa, omnibuſque fere frigefactis, addenda erunt Myrrha, Maſtiche, Thus maſculum & Aloë ſubtiliter contrita, cunc-tiſque probe coalitis Emplaſtrum perfectum erit.

Emplaſtrum hoc magni cenſetur uſus ad curationem Vulnerum & Ulcerum tum recentium tum vetuſtorum.

Emplaſtrum Iſchiadicum.

℞. *Ceræ Citrinæ,*
Picis albæ &
Nigræ,
Terebinthinæ ana unc. iiij.
Gummi Ammoniaci &
Florum Sulphuris, ana unc. ij.
Olibani,
Ireos &
Fœnugræci pulveratorum ana. unc. j.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Prius ſubtiliter in pulverem contritis Iride & Fœnugræco, ſeorſim autem Olibano, his Floribus Sulphuris commixtis eligantur lacrymæ Gummi Ammoniaci puriſſimæ,in majori mortario æneo liquefaciendæ, cum Terebinthina coagmentandæ; dehinc lento igne ſimul colliquatis leni igne, in exigua patella ænea, Cera flava, & Pice tum nigra tum al-ba in fruſta parva diſcerptis,iiſdemque per linteum trajectis, remiſcen-dum erit Gummi Ammoniacum Terebinthinæ confuſum; hiſque ſe-mire-

mirefrigeratis addendi erunt Pulveres ad Emplaſtri perfectionem.

Egregios edit iſtud Emplaſtrum effectus in Iſchiadico affectu; attractis enim ad ambitum corporis humoribus ſeroſis, penitius delitefcentibus, horum malorum cauſa frequentiſſima, inde oriundos compeſcit dolores: Plurimum etiamnum conducit diſſipandis Rheumatiſmis ac doloribus à ſero per muſculoſum genus diffuſo genitis: Mane vero & ſero detrahendum Emplaſtrum parti admotum, hanc & illud accurate detergendo ante admotionem iteratam.

Emplaſtrum Stomachicum.

℞. Gummi Tacamahacæ odoratæ unc. jv.

Labdani puri,	*Reſinæ Styracis, ana unc.* ij.
Benzoini.	*Styracis liquid. unc.* j.
Succini &	*Olei Nucis moſchatæ, unc. ſem.*

Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Subtiliſſime conterantur ſeorſim Succinum, Benzoinum & Gummi Tacamahaca odoratum, Reſina Storax eodem præparetur modo quem deſignavi ad præparationem Theriacæ; calefiant magnum mortarium æneum & piſtillum, inibique liquefiat Ladanum, poſtea concorporetur Reſina Storax, Storax liquidus & Oleum Nucis moſchatæ, ac paulatim Pulveres; Contundatur hæc maſſa quamdiu calorem fovebunt materiæ, mortarium & piſtillum, eruatur Emplaſtrum, quod in cylindros deductum, charta involutum, ad uſus reponatur.

Gratiſſimum fundit hoc Emplaſtrum odorem, Ventriculum mirum in modum roborat, flatus diſcutit, appetitum revocat, concoctionem alimentorum adjuvat, Vomitum compeſcit, orificio Ventriculi admotum.

In Diſpenſatoriis plurimæ occurrunt Emplaſtrorum Stomachicorum deſcriptiones, multo plura medicamenta admittentes, at revera minus efficacium, nec adeo ſuavis odoris.

Emplaſtrum hoc commodiſſime ſubſtitui poteſt Maſtichino, ſi compoſitioni additæ fuerint Maſtiches pulveratæ unciæ duæ.

Emplaſtrum pro Matrice.

℞. Galbani purificati & ſpiſſati unc. iiij.	*Aſæ fœtidæ unc.* j.
Tacamahacæ &	*Pinguedinis in cyſtide Caſtorei contentæ unc. ſem.*
Ceræ citrinæ, ana unc. iij.	
Myrrhæ electæ &	*Oleorum ſtillatitiorum Succini,*
Terebinthinæ, ana unc. ij.	*Rutæ, ana unc.* j.

Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Sordes frequenter Galbanum inquinantes in cauſa ſunt ut illud una cum Aſa fœtida in aceto generoſo diſſolvendum ſit, per telam utrumque trajiciendum, ac demum igne leniſſimo ad ſpiſſitudinem deducendum, ſicuti præmonui in præparatione cæterorum Emplaſtrorum: Poſtmodum Gummata hæc Terebinthinæ adjungenda, ut omnia una cum Cera in unam maſſam abeant, prius fruſtillatim diviſa, igneque exiguo in patella cuprea liquefacta: Dehinc exempto vaſe ab igne, infundenda erit pars unctuoſa in Teſticulis Caſtoris reperienda, nec diu poſt Myrrha, & Gummi Tacamahaca pulverata ſubtiliter: Tandem adjungenda Olea diſtillata, Succini & Rutæ, cunctáque probe contuſa ac in unam maſſam deducta, piſtillo ligneo, Emplaſtrum perfectum datura ſunt.

Emplaſtrum dicto modo compoſitum conſtat ex medicamentis ſelectiſſimis, æqua dozi præſcriptis, cujus item præparatio ardua futura non eſt: Admodum conducit in compeſcendis Uteri motibus anormibus, vaporibus ab illo ſuſcitatis diſcutiendis, præpediendiſque ſuffocationibus exinde imminentibus: Alutæ coextenditur aut panno, magnitudinis fundi diſci menſarii: admoveturque umbilico, inibi detinendum quantum neceſſitas poſtulat: In medio Emplaſtro grana aliquot Moſchi, aut Zibetti, goſſipio obvoluta ante admotionem aliquando imponuntur:

Nonnulli eodem tempore grana aliquot Moſchi aut Zibettæ goſſipio involuta vaginæ uterinæ immittunt.

Emplaſtrum Oxycroceum.

℞. *Ceræ citrinæ,*
Picis navalis,
Colophoniæ, ana lib. j.
Terebinthinæ unc. iiij.
Gummi Ammoniaci &
Galbani Aceto diſſolutorum, trajectorum, & ſpiſſatorum,
Croci,
Myrrhæ,
Thuris &
Maſtiches ſubtiliter pulveratorum, ana unc. iij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Subtiliter prius conterantur Crocus, Myrrha, Thus & Maſtiche, in Aceto diſſolvantur, per telam trajiciantur, poſtea ſimul lento igne craſſeſcant Galbanum & Ammoniacum: Eodem igne in patella cuprea colliquefiant Cera flava minutim diſciſſa, addendo Picem nigram & Colophoniam puriſſimas: Demum ſubducta igni patella, addenda ſunt

ſunt Galbanum& Ammoniacum prius cum Terebinthina,concorporata parvoque elapſo tempore adjungantur Pulveres accurate commiſcendi, ſic perfectum erit Emplaſtrum.

Nomen deduxit hoc Emplaſtrum à Croco & Aceto, illuc accerſito ad Gummatum diſſolutionem: Durities emollit & reſolvit, Nervorum & muſculorum dolores ſedat, Contuſiones diſcutit, partes ab Oſſium fracturis & diſlocationibus debiles roborat, ſeroſos humores inibi latentes abſorbet, influxum illorum ulteriorem prohibet, calli generationem promovet in fracturis Oſſium.

Emplaſtrum ad Herniam, vulgo Contra Rupturam.

℞. *Pellem unam arietinam recentem, cum ſua lana in partes diſſectam.*

Coque igne moderato in Aquæ ſufficiente quantitate, donec omnino pellis in aqua diſſoluta fuerit. Coletur decoctum; lanaque fortiter exprimatur, In expreſſione coquantur,

Granorum alborum viſci quercus, vel alterius arboris adſtringentis unc. vj.

Lumbricorum terreſtrium vino lotorum unc. iiij. *ad ipſorum diſſolutionem, Deinde colentur & exprimantur; Expreſſio vero cum*

Lithargyri Auri præparati &

Oleorum Cydoniorum &

Myrtillorum ana lib. j. *in Emplaſtrum ex arte coquatur,*

In illis deinde liquefiant,

Ceræ Citrinæ lib. j.

Picis navalis,

Reſinæ,

Terebinthinæ, ana lib. ſem. deinde adduntur,

Gummi Ammoniaci,

Galbani,

Myrrhæ.

Thuris,

Maſtiches &

Sanguinis humani, vel Porcini exſiccati ana unc. iiij.

Ariſtolochiæ Longæ &

Rotundæ,

Symphyti Majoris &

Minoris,

Gallarum,

Gypſi,

Boli Armenæ &

Mumiæ, ana unc. iij.

Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Cum Pharmacopœorum pleriſque in hujus Emplaſtri compoſitione aberrandi occaſio præbeatur, eo quod hujus deſcriptiones in Diſpenſariis occurrentes artis regulis parũ conſonæ ſint,ex iniquis dozibus conſtructæ, rectius quid depromendum fuit; Hæc præſcriptio votis ſatisfactura eſt, in cujus præparatione hac via procedendum.

Occidendus & excoriandus Aries, accipienda pellis una cum tota lana; illa in partes diſſecta igne moderato elixanda in convenienti Aquæ quantitate, ad omnimodam uſque diſſolutionem; demum omnibus percolatis, validéque expreſſa lana, iterum in expreſſione coquen-

dæ erunt unciæ ſex Baccarum albarum viſci querni contuſarum, vel ſi hæ non occurrant, alicujus arboris adſtrictoria vi pollentis, cum quatuor unciis Lumbricorum Terræ vino albo lotorum, donec & Baccæ & Vermes fere ibi colliqueſcant: Demum omnia percolata, & expreſſa; decoctumque abſque igne cum Lithargyro & Oleis præſcriptis concorporatum in grandi pelvi cuprea, ſimul coquenda erunt igne moderato, aſſidue eadem verſando donec Emplaſtri conſiſtentiam adepta fuerint; deinde in his colliquefacienda erit Cera cum Reſina & Pice nigra in fruſtula diviſis; dempta ab igne pelvi adjicientur Galbanum & Ammoniacum in aceto diſſoluta, per telam tranſmiſſa, craſſefacta ſicuti ſæpius dixi in aliorum Emplaſtrorum compoſitione; ac cum Terebinthina coagmentata: Poſtmodum commiſcendi erunt pulveres Sanguinis humani, Ariſtolochiarum, Symphyti, Gallarum, Mumiæ, Gypſi, ac Boli Orientalis, per ſericeum cribrum tranſmiſſi; denique Myrrha, Thus & Maſtiche ſeorſum pulveriſata; ex omnibus his probe concretis exurget Emplaſtrum debitæ conſiſtentiæ, in longum tempus durabile.

Emplaſtrum hoc nomen deſumpſit ab uſu præcipuo, Herniarum ſcilicet curatione: Id enim parti affectæ, reducto prius inteſtino, admotum, Perizomate ſuperaddito, corroborando partem relaxatam inteſtinum in nativo loco continet; ſique ditius illius protrahatur uſus, partes priſtino tono: & robori reſtituuntur, commode etiam in uſum venit in Fracturis & oſſium Diſlocutionibus.

Poteſt & præparari Emplaſtrum ad Hernias ex paucioribus medicamentis, imo majori adſtringendi vi præditum & efficacius.

Emplaſtrum aliud ad Herniam.

℞. *Exuvias Anguillarum non ſalitas, & in aqua Calcis lotas, quantum libuerit,*
Coque in lixivio donec diſſolvantur & craſſeſcant inſtar glutinis, poſtea,
Accipe Glutinis illius trajecti unc. iiij. *Sacchari Saturni,*
Lapidis Hæmatitis, *Stanni uſti, ana unc.* iij.
Gummi Ammoniaci in Aceto acerrimo ſoluti, trajecti & ſpiſſati unc. ij. *ſem.*
Olei Myrrhæ ſtillatitij unc. ſem.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Exuviæ Anguillis detrahendæ, quæ aqua Calcis elotæ lento igne elixandæ in lixivio limpido, ex cineribus foci parato, donec in gluten omnino diſſolvantur & abeant, per incerniculum ſetaceum tranſmittendum; Hujus unciæ quatuor exiguo vaſi fictili vitreato immittendæ, cum Gummi Ammoniaco, in generoſo aceto diſſoluto, colato & denſato

ſato, Sale Saturni, calce Stanni & Lapide Hæmatite ſubtiliter tritis, ut lentiſſimo igne inibi coquantur, aſſiduo verſando exigua ſpathula lignea, donec Emplaſtri conſiſtentiam adepta ſint, ſub finem adjiciendo Oleum Myrrhæ ſtillatitium.

Hoc Emplaſtro in Herniarum curatione nullum præſtantius excogitatum eſt; Uſus idem eſt qui præcedentis.

Emplaſtrum pro Fracturis & Luxationibus Oſſium.

℞. *Radicum Althea mundatarum, & minutim inciſarum unc.* vj.
Aqua Fontana lib. jv.
Infundantur horis viginti quatuor ſuper ignem exiguum, ſæpius agitando ſpathula lignea, deinde lento igne coquantur ad mucilaginis ſufficientem ſpiſſitatem, colentur & fortiter exprimantur, ſerveturque mucilago, Interea,

℞. *Radicum & foliorum Fraxini, Conſolidæ Majoris,* *Baccarum & foliorum Myrti & Foliorum Salicis, ana man.* j.
Contuſa omnia coquantur igne lento ad dimidiæ partis conſumptionem, in Aquæ extinctionis Fabrorum &
Vini auſteri ſub finem additi ana lib. ij.
Poſtea colentur & exprimantur, deinde

℞. *Lithargyri Auri & Argenti præparatorũ ana unc.* viij
Minij unc. ij.
Olei Roſati & Myrtini,
Sevi hircini ana lib. j.
Simul frigide unita, cum mucagine & decocto præſcriptis ex arte coquantur, aſſidue movendo ſpathula lignea, ad Emplaſtri ſpiſſitatem, In illis poſtea liqueſiant,
Cera Citrinæ unc. viij.
Terebinthinæ unc. jv. *Deinde permiſceantur,*
Boli Armenæ. *Olibani,*
Terræ Sigillatæ, *Myrrhæ, &*
Maſtiches ſubtiliter pulveratorum, ana unc. iij. *&*
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Emplaſtrum hoc in illorum cenſum venire debet quæ vitroſa dozi ab antiquis præſcripta ſunt, neque enim ſeptem unciæ, cum drachmis duabus Minii & Litargyri, debitam conſtituebant proportionem ad uncias octodecim Oleorum aut Sebi pro huius Emplaſtri compoſitionem admittendorum: Adde quod Mucilaginum & Decocti nimiam adſumebant quantitatem ad earumdem rerum decoctionem.

Eapropter æquum fuit indagare debitam horum omnium medicamentorum proportionem; aliaque propoſita, atque accuratiori deſcriptione oſtendere methodum tutam & facilem id rite præparandi.

Mucilaginibus radicum Altheæ, ſicuti alio loco à me demonſtratum, adparatis, igne moderato coquantur Radices, Folia & Baccæ præſcriptæ in Aquæ Fabrorum libris duabus, ſub finem addendo Vini auſteri libras duas, in decoctione pergendo ad conſumptionem uſque dimidiæ partis liquoris: Demum cuncta percolanda & exprimenda, liquefactoque Sebo hircino in Oleis, in grandi pelvi Emplaſtris conficiendis deſtinata, iiſque abſque igne concorporatis, primo cum Minio & Lithargyro utroque, tum aureo tum argenteo, pulveriſatis, cuncta ſimul igne moderato coquantur, indeſinenter ſpathula lignea commovendo, donec adepta fuerint Emplaſtrorum conſiſtentiam, quo tempore in illis liquefacienda erit Cera in exigua fruſta diviſa; Exemtaque ab igne pelvi, & aliquantiſper refrigeratis materiis; adjicienda erit Terebinthina, ac demum pulveres, ſic factum erit Emplaſtrum.

Nomen illi inditum quibus viribus polleat, & in quos uſus præparatum ſit, indicat, adſtrictione ſua partes corroborat, prohibet fluxionem ſi quæ forte imminet; admodum ideo conducit promovendæ generationi & perfectioni Calli, fracturis coadunandis neceſſarii.

Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio.

℞. *Ranas viventes N.* xij.
Lumbricorum terreſtrium purgatorum unc. iiij.
Radicum Ebuli &
Enulæ Campanæ, ana unc. iij.
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ &
Matricariæ, ana M. j.
Aceti fortis,
Vini auſteri, ana lib. ſem.

Coquantur ex arte igne lento ad tertiæ partis conſumptionem, colentur & exprimantur, deinde

℞. *Lithargyri Auripræparati lib.* ij,
Pinguedinis Porci,
Vituli, ana unc. jx.
Oleorum Chamomillæ,
Anethi,
Liliorum,
Laurini &
De Spica, per infuſionem & decoctionem paratorum, ana lib. ſem.

Pinguedines in Oleis liquefiant, ſimulque cum Lithargyro frigidè confundantur, & cum Decocto deſcripto in Emplaſtrum ſolidius ex arte coquantur; in illis deinde liquefiant

Ceræ citrinæ lib. j.
Axungiæ Viperinæ unc. iiij.
Semique refrigeratis permiſceantur
Pulveris Olibani unc. iij.
Euphorbij unc. j. *ſem.*
Croci unc. ſem,
Mercurij vivi lib. j.
Terebinthinæ &
Styracis liquidæ, ana unc. iiij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Non minus diſcrepant Auctorum ſententiæ quoad dozes medicamentorum quam præparationem iſtius Emplaſtri: Præſens deſcriptio procul-

proculdubio deſiderium explebit, non minus ac methodus mihi in iſtius Emplaſtri præparatione familiaris, adeo ut abſonum fuerit iterum depravatas antiquorum veſtigia premere.

Radices Ebuli & Enulæ campanæ, optime prius contuſæ, excipiantur vaſe fictili vitreato, una cum Vino & Aceto præſcriptis; poſtquam aliquantiſper ferbuerint, immittantur Ranę vivæ, poſtmodum Lumci, coopertoque vaſe cuncta igne lento decoquenda per ſemihoræ ſpatium; demum immittantur Matricaria, Stoechas Arabica & Schoenanthum, cum cæteris per horæ quadrantem elixanda: poſtmodum omnibus percolatis, fortiterque expreſſis, liquefactis pinguedinibus Suilla & Vitulina in Oleis; concorporatoque abſque igne Lithargyro cum prædicta miſtura, demum cum decocto adſervato, in grandi pelvi, conficiendis Emplaſtris dicata, ſimul coquantur igne moderato, continuo agitando magna ſpathula lignea, donec humiditate prope omni abſumpta, maſſa obtineat duritiem paulo ſolidiorem quam Emplaſtra ordinaria: quo tempore immitenda erit, ut liqueſcat, Cera in fruſta minima diviſa, hinc Viperarum axungia: Demum ſemirefrigeratis omnibus addendi Pulveres, ac immediate poſt Mercurius vivus, prius intime in majori mortario æneo Terebintinæ & Styraci liquido commixtus: Omnium denique accurata confuſione facta emerget Emplaſtrum perfectum.

Neoterici quidam præcipiunt Mercuriũ currentem in Aqua forti dilui humiditatem autem in vapores ſolvi commiſtione facta, cum Axungia Viperina, ac portione Olei Liliorum: At vero id pręſtari nequit quin Mercurius ſibi adſumat maximam partem partium ącrium & corrodentium Aquæ Fortis, Emplaſtro eo pacto commiſcendarum, Eapropter veroſimile eſt nullum Pharmacopœum rationalem huic viæ inſtitutum, quandoquidem nullo negotio Mercurius toti Emplaſtri maſſæ conjungi poteſt ſi methodus mea obſervata fuerit.

Felici ſucceſſu uſurpatur hoc Emplaſtrum ad ſedandos dolores Humerorum, Brachiorum, Femorum, Tibiarum, omniumque partium ſolidarum à veneno quopiam Venereo oriundorum: Partes enim corroborando venenum exterius evocat, in madoris ſpeciem id convertens: Admovetur etiam ſecundum ductum ſpinæ dorſalis, aliiſque partibus ad eradicandam Luem Veneream, Ptyaliſmum provocando: Nec parum confert reſolvendis Nodis aliiſque Tumoribus Venereis tibiis innaſcentibus, pluribuſque aliis corporis partibus: Lupiis etiam adplicatur, multiſque aliis Tumoribus frigidis, ſolum aut ąliis Emplaſtris commixtum, eundem ſcopum ſpectantibus.

Poteſt præparari Emplaſtrum de Ranis ſine Mercurio, admodum celebre ad ſedationem cujuſvis doloris à cauſa frigida oriundi.

Emplaſtrum Stypticum.

℞. Minij,
Lithargyri Auri &
Argenti &
Lapidis Calaminaris, ana lib. ſem.
Olei Lini &
Olivarum, ana lib. ſem.
Laurini lib. j.
Decocti Ariſtolochiæ longæ & rotundæ lib. iij.
Coquantur ex arte ad Emplaſtri ſpiſſitatem, deinde adde,
Ceræ flavæ &
Colophoniæ, ana lib. j.
Terebinthinæ &
Sandaracæ, ana lib. ſem.
Opopanacis,
Sagapeni,
Galbani,
Ammoniaci,
Bdellij, ana unc. iij.
Succini,
Olibani,
Myrrhæ,
Aloës,
Ariſtolochiæ Longæ &
Rotundæ, ana unc. j. ſem.
Mumiæ tranſmarinæ,
Magnetis,
Hæmatitidis,
Coralli albi &
Rubri,
Matris Perlarum,
Sanguinis Draconis,
Terræ Sigillatæ &
Vitrioli albi, ana unc. j.
Florum Antimonij &
Croci Martis, ana unc. ſem.
Camphoræ unc. j.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Prius abſq; igne in magna pelvi Emplaſtris dicata, cum Oleis Lini parandis, Olivarum & Laurino, coeant Lithargyrum Aureum & Argenteum, Minium & Lapis Calaminaris, ac cum decocto utriuſque Ariſtolochiæ, demum decoquantur omnia igne moderato, materias aſſiduo ſubigendo ad confiſtentiam uſque Emplaſtris debitam; poſtea colliqueſcant Cera & Colophonia in fruſta comminuta; Exemta autem ab igne pelvi, adjiciantur Opopanax, Sagapenum, Galbanum, Ammoniacum & Bdellium, in aceto diſſoluta, percolata & inſpiſſata, ſicuti ſæpius præmonui, ac cum Terebinthina copulata, quibus cum ſemirefrixerint commiſceantur Pulveres ſubtiles utriuſque Ariſtolochiæ, Mumiæ, Magnetis, Lapidis Hematitis, Coralli albi & rubri, Matris Perlarum, Terræ Sigillatæ, Vitrioli albi, Florum Antimonij, & Croci Martis, ac denique Pulueres Sandaracæ, Succini, Olibani, Myrrhæ, Aloës, Sanguinis Draconis & Camphoræ; hinc omnibus probe coalitis Emplaſtrum perfectum prodibit.

Plurimum conducit hoc Emplaſtrum ad curationem quorumvis Vul-
nerum,

nerum, quamcumque corporis partem obſideant, illa enim perpurgat, exſiccat ac cito carne implet, putredinem arcendo, omnemque carnis excreſcentiam inutilem prohibendo; Admodum idoneum eſt ſanandis inciſionibus & contuſionibus nervorum, E vulneribus fragmenta ferri extrahit, ligni, plumbi, ác quodvis corpus extraneum: Plurimum quoque valet adverſus morſus & puncturas quorumvis animalium ἰοβόλων, quorum venenum ad exteriora allicit: Omne abſceſſuum genus maturat, quodcunque Ulceris genus, tum recens tum vetuſtum mundificat & perſanat: Tumores Scrofuloſos reſolvit & abſumit, Vulnerum & Contuſionum dolores mitigat, ac ad plures annos vim integram ſervat ſi ex arte fuerit præparatum.

Emplaſtrum ad Equini Pedis punctionem.

℞. *Ceræ citrinæ unc.* viij.
Picis albæ,
Gummi Elemni,
Terebinthinæ Venetæ, ana unc. jv.
Cinnabaris vulgaris ſubtiliſſimè pulveratæ,
Sanguinis Draconis,
Ariſtolochiæ longæ &
Rotundæ, ana unc. ſem.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Prius contuſæ in majori mortario æneo utraque Ariſtolochia, Seorſimque, Contritis Sanguine Draconis & Cinnabari, Cera flava in particulas diſcindenda erit, ad ignem lentum diſſolvenda cum Pice alba, Gummi Elemi & Terebinthina; demum per linteum trajicienda erunt ad ſordes ſi quæ adſint ſecernendas: Materiis autem ſemirefrigeratis Sanguis Draconis & Cinnabaris commiſcenda erunt, ſic abſolutum erit Emplaſtrum.

Emplaſtrum hoc probatiſſimum eſt remedium ad curationem cujusvis pedum Equinorum compunctionis recentis, ſi probe reſerato puncturæ foramine, paucaque Emplaſtri quantitate in cochleari ferreo liquefacta, igne moderato, calide in foramen id infundantur, ſoleam ferream illico pedi adplicando, adeo ut Equus ad officiũ redeat non ſecus ac ſi illæſus foret, nullo ſubſequuturi Apoſtematis in pede metu.

Emplaſtrum Veſicatorium

℞. *Cantharidum ſine alis & capitibus pulveratorum unc. ſem.*
Picis albæ,
Ceræ citrinæ &
Terebinthinæ, ana unc. ij.
Myrrhæ, &
Maſtiches ſubtiliter pulveratorum, ana unc. ſem.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Demendæ Cantharidibus aliæ & capita, ſubtiliter ſeorſim, ſicuti Myr-

rha & maſtiche terendæ in pulverem, commixtiſque pulveribus, leni igne una cum Terebinthina liquefaciendæ erunt Cera & Pix alba; ubi vero hæ materiæ ſemirefrixerint, optime commiſceantur Pulveres, ſic Emplaſtrum perfectum erit.

Veſicatorium hoc Emplaſtrum vocatum fuit, quia parti cuipiam admotum cuticulam in tumorem attollit, ſub qua plurimum ſeroſi humoris colligitur, Veſicas efformantis. Opus intra binas, ternas vel quaternas horas perficit, celerius, tardius, pro tenuitate aut craſſitie cutis: Aperiuntur demum hæ Veſicæ partem butyro recenti inungendo, ut carnium pori hient, ſeroque ab Emplaſtro allecto facilis pateat exitus.

In uſum trahitur hoc Emplaſtrum non ſolum in affectibus ſoporoſis, Lethargo, Apoplexia, aliiſque Cerebri morbis, interſcapulio id admovendo, humeris femoribusque, imo ſuturis capitis; ſed & utplurimum præſcribitur in affectibus oculorum & dentium, pone Aures admovendo.

Poteſt & concinnari Emplaſtrum Veſicatorium admodum efficax; Pulverem Cantharidum in maſſam cum mica panis, optimo aceto humefacti compingendo, mixturam hanc alutæ inducendo, aut panno, vel linteo, admovendo partibus in quibus Veſicas excitare animus eſt: Emplaſtrum vero iſtud uſus tantum uſus tempore parandum eſt, adſervatum enim lapidis inſtar indureſcit, Cantharides autem viribus exuuntur.

Emplaſtrum Ceræ cum Cymino.

℞. *Ceræ flavæ lib.* ij.
Reſinæ, &
Olei Roſati, ana unc. v.
Terebinthinæ Venetæ,
Pulveris Cumini &
Boli Armenæ, ana unc. iij.
Florum Chamomillæ,
Meliloti &
Roſarum rubrarum,
Myrtillorum &
Sanguinis Draconis ana unc. j.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Simul contritis in Pulverem in majori mortario æneo Cumino, Myrtillis, Roſis, Chamomilla & Meliloto; Seorſim pulveriſatis Bolo Orientali & Sanguine Draconis, omnibusque per cribrum ſericeum trajectis, igne lento liquefiant Cera & Reſina in minima fruſta diſſecta, cum Oleo Roſaceo; demum adjecta Terebinthina commiſcendi Pulveres, omnibuſque rite compactis factum erit Emplaſtrum.

Etſi hoc Emplaſtrum raro in uſum accerſatur, facultatum tamen tamen

men ratione laudes ſuas meretur. Admodum enim conducit reſolvendis & diſſipandis Contuſionibus & Tumoribus Oedematoſis, tranſpirationemque promovet humorum Rheumatiſmos patientium: Doloribus Laterum miro eſt auxilio ac Iſchiadico; Partes à fracturis & luxationibus imbecilliores factas corroborat, feroq; per cutis poros exitum parat; multum quoque confert ad ſedandos Jecoris dolores, Lienis & Ventriculi, cujus Flatus diſcutit, ac materias alienas excutit.

Emplaſtrum de Alabaſtro.

℞. *Maſſæ Emplaſtri de Ceruſa &*
Ceræ albæ, ana unc. viij.
Alabaſtri præparati unc. ij.
Succini præparati,
Sanguinis Draconis,
Coralli rubri,
Cranii Humani &
Cornu Cervi uſtorum, ana unc. j.
Terebinthinæ &
Styracis liquidæ, ana unc. ſem.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Ad candorem calcinatum Cranium humanum, & Cornu Cervinum, ſimul in Porphyritide lævigentur cum Corallo rubro & Alabaſtro, ſubtiliter ſeorſim in pulverem conterantur Succinum & Sanguis Draconis: Demum igne lento liquefacto Emplaſtro Ceruſæ cum Cera alba, additiſque Terebinthina & Styrace liquido, cum his coaleſcant omnes Pulveres, Emplaſtrumque abſolutum erit.

Celebre eſt hoc Emplaſtrum ad prohibendum Abortum in mulieribus gravidis, unde non immerito donandum nomine *Emplaſtri fœtum in utero cohibentis*; Admodum enim uteri ligamenta corroborat, & partes quibus illa adnectuntur: Alutę inducitur hoc Emplaſtrum, ut ſimul Lumbos & Os ſacrum cooperire valeat, quibus adplicandum, tamdiu geſtandum quamdiu neceſſitas poſtulat, imo iterato admovendum.

Ex eadem maſſa paratum Emplaſtrum Umbilico poteſt imponi.

Emplaſtrum de Spermate Ceti.

℞. *Ceræ albæ unc.* viij.
Spermatis Ceti unc. iiij.
Gummi Ammoniaci Aceto ſoluti, trajecti & ſpiſſati unc. ij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Diſſolutione facta Gummi Ammoniaci in aceto, eoque trajecto & inſpiſſato, ſicuti ſæpius innui, liquefacienda erit Cera alba in ſcutella argentea calore Mariæ Balnei inter fervens & tepidum medii, dehinc

illis addito, ac liquefacto Spermate Ceti, commixtoque Gummi Ammoniaco condenſato, Emplaſtrum erit perfectum.

In gratiam Matronarum delicatiorum ex hoc Emplaſtro poſſet detrahi Gummi Ammoniacum, ob odoris inſuavitatem, addendo Ceræ albæ ac Spermati Ceti præſcriptis unciam unam Olei è ſeminibus frigidis expreſſi, dicti Gummi ſuccedanei, Emplaſtrum ea ratione compoſitum, effectum non abſimilem editurum eſt illi quod Gummi Ammoniacum admittit.

Emplaſtrum hoc in gratiam præſertim puerperarum præſcribitur, quæ ubera infantibus porrigere aut nequeunt, aut recuſant; Mammis enim impoſitum, & aliquot diebus geſtatum, Lac abſumit, dolores ab eo retento ortos mitigat, in grumos concretum reſolvit, duritiem mammarum, imo Scrofuloſos tumores emollit.

Emplaſtrum ad Fonticulos.

℞. Olei Roſati & | *Lithargyri auri præparati, ana unc.* viij.
Aquæ Roſarum, | *Coquantur ex arte in Emplaſtrum, adde*
Ceruſæ Venetæ & | *Ceræ albæ unc.* vj.
Et factum erit Emplaſtrum.

Methodus.

De Litargyri & Ceruſæ cum Aqua & Oleo decoctione cum ſæpius egerim, de illa amplius verba facturus non ſum, ſatis fuerit dixiſſe, cum ſpiſſitudinem Emplaſtris convenientem adepta fuerint, liquefacta fuerit Cera alba, in minima fruſta diviſa, accurateque commixta, Emplaſtrum abſolutum fore.

Ratio ob quam præparatur iſtud Emplaſtrum non adeo hodie multum urget, quandoquidem pauciſſimi fonticulos geſtant: Utile tamen iis eſſe poteſt qui Cauteriis inuſti fuere, ſive alutæ inducatur, ſive panno, ſive in Sparadrupum aut Telam Gualteri efformetur, fonticulis id adplicando: Odor hujus Emplaſtri naribus non diſplicet, neque nimium tenax eſt, Emplaſtra vero ex hac maſſa confecta in plures dies utilia eſſe poſſunt, mane & ſero humiditatem abſtergendo, priuſquam iterum admoveatur; Poteſt hoc Emplaſtrum etiam in eoſdem uſus venire ac Emplaſtrum Ceruſæ.

Emplaſtrum ad Ganglia & Lupias.

℞. Radicum & foliorum recentium Bardanæ.
Cicutæ, | *Angelicæ,*
Leviſtici; | *Cucumeris agreſtis;*

Scrofulariæ, *Chelidonij majoris ana unc.* j. *ſem.*
Filipendulæ, *Purgata & diligenter contuſa omnia, in*
Illecebræ, *Succorum Cicutæ &*
Gratiolæ & *Chelidonij majoris, ana lib.* ij. *ſem.*
Lento igne coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, deinde colentur & fortiter exprimantur. Expreſſio verò cum
Olei Lumbricorum lib. jv. *&* *Lithargyri Auri lib.* ij.
Ex arte coquatur aſſiduè movendo ſpathula lignea ad Emplaſtri ſpiſſitatem. In illis deinde liquefiant
Ceræ Citrinæ &
Picis albæ, ana lib. j. *Ab igne remotis permiſceantur*
Terebinthinæ & *Galbani,*
Styracis liquidi, ana lib. ſem. *Ammoniaci &*
Sagapeni Aceto Scyllitico dilutorum, trajectorum, ſpiſſatorum, & portione Emplaſtri ſeorſim prius exceptorum ana unc. ij.
Deinde addantur Pulveres ſequentes permixti.

℞. *Radicum Ireos Florentinæ,* *Naſturtij,*
Sigilli Beatæ Mariæ, *Euphorbij,*
Cyclaminis, *Olibani,*
Coronæ Imperialis & *Maſtiches,*
Serpentariæ, *Tacamahacæ odoratæ &*
Seminum Angelicæ, *Sulphuris vivi drachm.* j. *ſem.*
Pæoniæ Maris & *Caphuræ unc. ſem.*
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Methodus.

Emplaſtrum hoc eadem fere videtur admittere medicamenta ac quoddam Emplaſtrum, quod multi Lutetiæ præparant nomine Emplaſtri *Diabotani*, hoc eſt *Compoſiti ex plantis*, multum celebris tum ad Nattas reſolvendas, tum quoſcunque Tumores frigidos, quinimo Scrofuloſos: Diſcrimen tamen hoc inſigne occurrit, præſertim ratione modi coquendi Emplaſtrum, & proportionum medicamentorum: Cum enim ſcopus ſit in Emplaſtro congerere omniū medicamentorum vires, iiſque idem imbuere, illaque ea proportione commiſcere ut uniuſcujuſque virtute in illud diffuſa, exurgat maſſa debitam Emplaſtri conſiſtentiam & craſſitiem nacta, indaganda fuit ratio per quam id conſequi liceat, atque id effectum ut cum ſufficiens adſit copia Olei & Lithargyri, ad complexum virium plantarum omnium ſucculentarum præſcriptarum initio, ſuccus, aut decoctio earumdem plantarum, uſui fuerit decoquendo Lithargyro in Oleo, prohibueritque ne ab igne vitioſa aliqua qualitas illis inureretur: Ac ſimul Olei & Lithargyri, Ceræ, Picis albæ, Terebinthinæ & Storacis liquidi ſufficiens quantitas ſuperfuerit ad colligenda Gummata diſſoluta, ac præſertim Pulveres complectendos, quorum copia non exigua eſt, ac tanta ut difficile foret legitimam Emplaſtro conſiſtentiam alia ratione conciliare.

Judicium hac de re requiro illorum qui artis Pharmaceuticæ periti ſunt, proportionemque ac mixtionem medicamentorum callent, cum ex iis compoſitiones inſtituuntur, ac ſpeciatim Emplaſtra; cenſens multum intereſſe ut Tyrones labore ſubleventur, utque confuſione liberentur quam inducunt medicamentorum dozes anormes; illi enim rati ſe legitimæ inſiſtere viæ, cœcorum more ſequuntur formulas oculis objectas, erroneas ſæpenumero, ob non recte obſervatas medicamentorum doſes.

Perpurgatæ, ac rite contuſæ radices cum foliis, coquantur igne moderato una cum ſuccis Cicutæ & Chelidonij majoris præſcriptis, ad diminutionem tertiæ partis decocti, percolandi & exprimendi, adjiciendi Lithargyro aureo pulverato, probe abſque igne cum Oleo Lumbricorum concorporato; ſimul decoquantur aſſiduo agitando grandi ſpathula lignea, donec omnia legitimam Emplaſtri conſiſtentiam adipiſcantur, in iis liquefaciendo poſtea Ceram & Picem albam in fragmenta diviſa: Demum diſſoluta in Aceto Galbanum, Ammoniacum, Edellium, Opopanax & Sagapenum, percolata & inſpiſſata, cum Terebinthina & Stirace liquido, coagmentanda erunt, præparationi præcedenti conjungenda, procul ab igne; ac paulo poſt remiſceridæ erunt Radices & Semina ſubtiliter pulverata; denique adjicienda Sulphur vivum, Tacamahaca, Maſtiche, Olibanum, Euphorbium & Camphora in tenuiſſimum pulverem deducta; Ex cunctis medicamentis probe coagmentatis exſurget Emplaſtrum perfectum.

Ex hoc Emplaſtro proculdubio expectandi probi omnes effectus qui Diabotano aſſignantur, ſcilicet reſolutio & diſcuſſio omnium extraneorum, eorum præſertim quæ frigida cenſentur ac vix reſolubilia, ſub cute delitеſcentia & partibus corporis externis, cujuſmodi ſunt Nattæ, Scrofulæ, Nodi & Ulcera Calloſa; Vix enim ad ejuſmodi vitia efficacius Emplaſtrum occurret, ſicuti & ad alios quoſvis Tumores ac materias in partibus exterioribus congeſtas, à quacunque demum cauſa originem ducant.

Emplaſtrum aliud ad Ganglia.

℞. *Gummi Ammoniaci,*
Galbani,
Opopanacis &
Sagapeni Aceto ſolutorum, colatorum, & ſpiſſatorum, &
Myrrhæ electæ ſubtiliter pulveratæ, ana unc. iij.
Olei Laurini,
Spirituo Vini, ana unc. j.
Sulphuris vivi,
Salis Ammoniaci &
Vitrioli Romani, ana unc. ſem.
Euphorbij drachm. ij.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Me-

Methodus.

Prius diſſolvantur in Aceto Gummata Ammoniacum, Galbanum, Opopanax & Sagapenum, colentur & condenſentur in Emplaſtri conſiſtentiam; his ab igne remotis adjiciantur Oleum Laurinum & Spiritus Vini, demum Myrrha, Sulphur vivum, Sal Ammoniacum, Vitriolum Romanum, & Euphorbium ſubtiliter trita; cunctis vero rite coagmentatis exſurget Emplaſtrum.

Etiamſi hoc Emplaſtrum præcedenti minus compoſitum ſit, eoſdem tamen effectus producere idoneum eſt; quos huc adferre inutile cenſeo cum ex ſuperiori deſcriptione adpareant.

Plurimæ aliæ occurrebant Emplaſtrorum deſcriptiones & præparationes, quas huc inſerere potuiſſem niſi ſat multa me tradidiſſe crederem in Tyronum gratiam, tam ut noſcant varias præparandi rationes, quam ut ſatisfiat varietati indicationum propter quas componuntur Emplaſtra.

CAPUT VII.

Etiamſi in officinis Pharmaceuticis Cataplaſma adſervare de more non ſit, cum eadem neceſſitatis ſolummodo tempore præparentur, ob ſuperfluam humiditatem cito in corruptionem illa dedu-centem, cum tamen ſæpenumero illorum incidat neceſſitas, Caput breve illis dicare opus eſt.

Cataplaſmatis nomen impoſitum eſt medicamento externo, conſiſtentia nonnihil ſimili Unguentis aut Ceratis, in ſui compoſitionem varios liquores admittenti, variaſque plantarum partes, animalium & mineralium, alias molles, alias ſiccas, imo ſæpe numero Olea, Unguenta,aliaque compoſita interna & externa;omnia juxta affectuum diverſitatem, ac ſcoporum particularium ad hujuſmodi remediorum præparationem invitantium.

Cataplaſmatum præcipui effectus ſunt Dolorum ſedatio, emollitio, reſolutio, diſcuſſio, maturatio, aut ſuppuratio materierum in partibus corporis exterioribus congeſtarum

Cataplaſma omnium uſitatiſſimum & familiare tum ad ſedandos dolores, tum reſolvendos & diſcutiendos Tumores recentes, præſertim Oedematoſos, hoc eſt,

Cataplaſma Anodynum & Reſolvens.

℞. *Mycæ panis albi recentis unc.* jv.
Lactis recenter mulcti lib. j.

Coque lento igne in ſartaguncula, ſæpius agitando rudicula lignea, donec pultis ſpiſſitudinem adquiſiverint, deinde extra ignem adde

Vi

Vitellos ovorum N. iij.
Olei Roſati unc. j.
Cui, ſi major dolorum ſedatio peroptetur,
Extracti liquidioris opij drach. ij. permiſceantur,
Croci ſubtiliter pulverati drachm. j.
Fiat ex arte Cataplaſma,

Methodus.

Infriatus panis albus, è furno calens, lactique incoctus in Sartaguncula igne modico, per vices rudicula aut ſpathula lignea agitandus donec in formam pultis ſpiſſioris abeat ; demum remoto ab igne vaſe diſſolvantur tres ovorum vitelli, Olei Roſacei unc. una, & Croci ſubtiliter pulverati drachm.j.ſic Cataplaſma factum erit:Cui licet addere Extracti Opij liquidioris drach.ij. ſi doloris immanitas efficacius remedium expoſcat;

Poteſt & confici Cataplaſma emolliens & ſuppuratorium, ſi materia puris formam induere valet, hoc modo.

Cataplaſma Emolliens & Suppuratorium.

℞. *Radicum Liliorum &*
Althea minutim inciſarũ ãã,unc.iij
Foliorum Malvæ,
Althea,
Senecionis,
Violariæ,
Parietariæ &
Brancæ Vrſinæ ana m. j.

Coque ex arte in aquæ fontanæ lib. vj. ad putrilaginem uſque, deinde contunde in mortario marmoreo,& per cribrum cerne,Colaturam & pultem ſecretam cum
Farinæ Lini &
Fœnugræci &
Olei Liliorum ana unc. iij.
Coque igne lento ſæpius agitando, ad debitam ſpiſſitudinem, & factum erit Cataplaſma.

Methodus.

Primo in aqua elixandæ Radices lotæ & inciſæ; ac non diu poſt additis foliis, pergendum in decoquendo donec omnia perfecte molleſcant & teneреſcant;poſtea colatura facta decoctionis, contuſo magmate in mortario marmoreo piſtillo ligneo, trajectaque pulpa per cribrum ſetaceum inverſum, excipiantur decoctio & pulpa ſic traductæ ſartaguncula, remixtiſque Farinis ſeminum Lini & Fœnugræci, cum Oleo Liliorum præſcriptis, decoctio igne lento inſtituenda, per vices materias commovendo donec omnia ſufficienter craſſeſcant, ſic perfectum erit Cataplaſma.

Poteſt & confici Cataplaſma incidendi vi præditum digerendi, reſolvendi, ac per inſenſibilem tranſpirationem diſcutiendi ſeroſos humores in variis corporis partibus collectos, juxta hanc formulam.

Cataplaſma Reſolvens & Seroſos Humores diſcutiens.

℞. *Radicum Cyclaminis,*
Bryoniæ &
Cucumeris agreſtis, ana unc. ij.
Foliorum Abſinthii &
Mercurialis, ana m. ij.
Florum Chamomillæ &
Meliloti ana m. j.

Coque ex arte in aquæ communis lib.jv. & vini albi ſub finem additi lib. ij. ad putrilaginem, uſque, Colaturæ & pulti traiectæ adde

Farinæ Fœnugræci & *Cumini,*
Lupinorum, *Fœniculi &*
Pulveris Abſinthii, *Baccarum Lauri ana unc. j.*
Fiat ex arte Cataplaſma.

Methodus.

Cum Præparatio hujuſmodi Cataplaſmatis à priori non abludat, ſingularem adferre inutile duxi:Id quoque cenſeo tres Cataplaſmatum deſcriptiones à me allatas Tyronibus ſatisfacturas, ex quibus deſumant rationem rite præparandi quæcunque præſcripta fuerint.

CAPUT VIII.

De Fotibus, Balneis & Semicupiis.

Cum non ſolum corporis partes, ſed etiam univerſus illius habitus variis intemperiebus afficiantur;Doloribus moleſtis à flatibus excitatis, Fluxionibus, Fermentationibus, vermibus,calculis,contuſionibus, luxationibus, diſlocationibus, diverſiſque aliis ſymptomatis in plurimis corporis partibus oriundis; Eapropter excogitatus eſt uſus Fotuum, Balneorum & Semicupiorum, quæ omnia Remedia ſunt externa liquida, aliquando ſimpliciſſima, ſed ſæpe ex plurimis medicamentis conflata.

Fotus Balneorum Topicorum nomen acceperunt, admoti enim parti corporis affectæ, eundem propemodum edunt effectum quem Balneum aut Semicupium in plurimis ſimul corporis partibus:Etſi vero ſępenumero in uſum adducantur Balneum & Semicupium, auxilii & curationis gratia vitiorum unicam corporis partem male habentium, utiles tamen effectus quos Fotus promittunt & adminiſtrãdi facilitas, in cauſa ſunt ut frequentius in uſum veniant quam Balnea integra & Semicupia, quæ & loci ſpatium majus requirunt, & vaſa ampliora, ulterioremque adparatum. Eapropter ad Balnea & Semi-Balnea recurrendum cum Fotuum uſus impar eſt, vel affectus amplitudo aut indoles, remedium vaſtius quam cui ſatisfacere queat Fotus requirit.

Tam variæ poſſunt eſſe Fotuum ſpecies quot vitiorum occurrunt:Radices, folia, flores & ſemina plurimarum plantarum, in aqua elixanda, aut aliis liquoribus idoneis, uſitata ſunt Fotuum materia: Imo & nonnulla mineralia aliquando adduntur, ut & quædam animalium partes, ſpeciatim Salia & Axungiæ; ut miſſa faciam olea quæ in partes venire, ac partem liquoris Fotus neceſſarii conſtituere poſſunt.

Satis mihi fuerit unam vel alteram deſcriptionem produxiſſe, ut hæc exempla norma ſint cæterarum quæ præſcribi ſolent.

Fotus Anti-Pleuriticus.

℞. *Radicum Althea &* *Foliorum Malvæ,*
Liliorum, ana unc. iiij. *Althea,*

Violariæ ,
Senecionis , *Meliloti ana m. j.*
Brancæ Vrſinæ ana. m. ij. *Seminum integrorum Lini &*
Florum Chamomillæ & *Fœnugræci, ana unc. j.*

Radices & Folia minutim inciſa, floribus & ſeminibus permixta, duobus æqualibus & aptæ amplitudinis ſacculis excepta, in

Aquæ communis lib. x. ad putrilaginem uſque decoquantur, ſacculique manibus quodammodo expreſſi parti affectæ alternatim tepide admoveantur, per horam unam aut alteram, illiſque remotis, Oleo Liliorum vel Unguento de Althea latus dolens illinatur.

Methodus.

Optime inciſę Radices & commixtæ Floribus & Seminibus, concluſæ duobus ſacculis ex tela rariori, ejuſdem magnitudinis quæ cooperire valeant locum dolentem, iiſdem interpunctis eodem modo quo mattæ laneæ, in aqua decoquantur quouſque materiæ probe molleſcant: Demum remoto igne, & decocto ſemi refrigerato, accipiendus unus ſacculus, manibus exprimendus donec liquor nullus exſtillet, calide loco dolenti admoveatur, qui mantili duplicato coopertus ibi per ſemiquadrantem horæ detineatur, quo tempore alter calens huic ſuccedat, eodem modo quo prius obſervato; immerſo autem priori ſacculo in decoctum, fovendus erit calor per horam unam vel alteram, pergendo in alternatione adplicationis ſacculorum uno quoque horæ ſemiquadrante, vel quadrante:

Qui compendium quærunt, materiæ:in aqua elixant ſacculis omiſſis, ſolummodo loco dolenti admovent mantile multoties duplicatum decocto immerſum vel magna utuntur ſpongia decocto inebriata, innovando eo quem de ſacculis dixi modo.

Poſt continuatum Fotus uſum per horam unam vel alteram, ac probe partem exterſam, illinatur eadem Oleo Liliorum vel Unguento Altheæ, ſuperponendo linteolum, ac deſuper mantelum calens: Poteſt & eadem admotio pro re nata reiterari.

Fotus Anti-Nephriticus.

℞. *Radicum Raphani hortenſis,*
Foliorum Naſturtii aquatici, *Violariæ, ana m. ij.*
Becabungæ , *Axungiæ Viperinæ unc. ij.*
Betulæ, *Seminum Lini &*
Parietariæ & *Fœnugræci, ana unc. j.*

Decoquantur ex arte in Hydræleo, & fiat Fotus parti affectæ tepide admovendus.

Methodus.

Probe incidantur Radices Raphani cum ſingulis herhis, hæ commixtæ ſeminibus integris Lini & Fœnugræci, duobus ſacculis, ſi ita lubet, concludantur, eodem plane modo procedendo quo in priori Fotu, vel dimiſſis ſacculis poteſt non abſimili ratione in uſum venire, immer-

immergendo mantile ſæpius complicatum, grandes ſpongias, aut lanam, parti adfectæ admovendo.

Fotus Stomachicus.

℞. *Radicum contuſarum Cyperi,*	*Calaminthæ,*
Tormentillæ &	*Origani &*
Biſtortæ, ana unc ij.	*Majoranæ, ana m.* ij.
Foliorum Abſinthij majoris,	*Nucum Cupreſſi,*
Scordij,	*Tartari rubri,*
Menthæ &	*Balauſtiorum,*
Coſti Hortenſium;	*Roſarum rubrarum, ana unc.* j. *ſem.*

Permixta omnia ſacculo includantur; & in Aquæ Chalybeatæ lib. vj. *& vini rubri auſteri ſub finem additi lib.* iij. *lento igne decoquantur ad tertiæ partis conſumptionem, & fiat Fotus calide Stomacho admovendus.*

Methodus.

Rationem præparandi & admovendi hunc Fotum huc illaturus non ſum, quandoquidem alia quam quæ in prioribus allata methodo opus non eſt, ſi vinum exceperis, quod ſub finem demum infundendum eſt, ne ſpiritus illius omnes diſpereant; Id etiam obſervandum decoctum in vaſe fictili vitreato parandum eſſe, accurate cooperiendo ne plantarum aromaticarum præſcriptarum virtus omnis in auras avolet.

Balnea & Semicupia ab omni ævo uſitatiſſima fuere, à ſe invicem præſertim diſcrepant, quod Balneum toti corpori, excepto capite dicata ſint; imo non minus frequenter in uſum veniant proſpera valetudine ad voluptatem & delitias, quam ad morborum curationem.

Semicupium autem mediam ſolum corporis partem attingit, neque illi immerguntur partes ventriculo ſuperiores, quibus parcendum, imo nonnunquam tibiis femorumque parti, cui locus fere tantum ad curationem particularis cujuſpiam affectus.

Raro aliud quid quam aqua fluviatilis ſimplex & tepida pro Balneis, delitiarum gratia uſurpandis, aut cuti lævori conciliando in uſum venit, etiamſi illi addi poſſent, aut fructus oleaginei in paſtam deducti, aut inſpergi flores odorati: Imo nonnunquam Aqua ſimplex admittitur, ſi ſolum humectandæ aut refrigerandæ ſint partes.

Sed & vires Balneo, ſi opus fuerit, vel Semicupio majores conciliari poſſunt additis decoctionibus affectus ſpectantibus, quorum gratia præſcribuntur, eadem medicamenta advocando quæ Fotuum materia eſſe poſſunt.

Id nihilominus obſervandum plantarum quantitatem majorem eſſe debere, reſpectu habito copiæ aquæ ad Balnea aut Semicupia requiſitæ, ſi modo efficacia aliqua ex illis expectanda ſit: Curam quoque

quoque eſſe debere regiminis ignis & caloris Balnei, adeo ut ad naturalem accedat, ut qui Lavacro utitur non ægre ibi moram trahat,quin potius grate fruatur:

E re quoque eſt ut lavandus Catharticum prius adſumpſerit, ſi modo temporis ſpatium conceſſum fuerit; quamtumvis quibuſdam in caſibus ipſa purgantia felici ſucceſſu in Balneo exhibeantur: In Balneo aut ſemicupio vix unius aut alterius horæ ſpatium tranſgredi licet unaquaque vice, ac bis vel ter quotidie Balneum poteſt in uſum venire, imo noctu urgente neceſſitate.

Interim cum Matronis magis quam viris familiare ſit id genus remedii, tam ratione affectuum quibus ſequior ſexus obnoxius eſt, quam ſingularis conſervandæ formæ & nitoris cutis ſtudii, in illarum gratiam huc allaturus ſum Balnei ſpecimen, probatiſſimi effectus tum ad delendas rugas, tum explanandas rimas in abdomine & mammis à partu ſuperſtites, tum ad lævorem toti cuti conciliandum atque ad priſtinum habitum eandem reducendam.

Eapropter accipiantur Oryzæ probe perpurgatæ & à cortice liberatæ lib.ij, immittátur vaſi fictili intus vitreato,capacitatis convenientis,in eo cum lacte decoquantur lento igne ad omnimodam Oryzæ diſſolutionem in lacte., Partitis vicibus contundantur in magno mortario æneo, piſtillo ligneo, amygdalorum cortice liberatorum lib. jv. ſeminum frigidorum mundatorum lib. ij. ſeminis papaveris albi lib. j. deducantur omnia in maſſam moliſſimam & æqualem, Orizæ in lacte diſſolutæ remiſcendam, cujus hic eſto utendi modus.

Calefiat aquæ Fluviatilis quantum ſatis eſt pro unico Balneo, in eo diſſolvatur Aluminis rupei ſelibra, cum Balneum modicum calorem adquiſierit, Quæ Balneo ſe accingit, manibus contineat circiter ſeſquilibram paſtæ præſcriptæ, quod cum ingreſſa fuerit, hanc affricet locis maxime affectis, ac demum cęteris corporis partibus, conſumpta vero omnino illa maſſa, moram ij. horarum integrarum in Balneo, imo amplius ſi licet,trahat,cujus calor in eodem tenore fovendus; Poſtmodum renovandum erit Balneum recenti affuſa aqua, quod ſubingrediendum, modo nullum impedimentum adfuerit, mane & ſero; aut ſaltem ſemel in die, uſum continuando per vij.aut viij. dies, quotidie recentem aquam ſubſtituendo, ac ſemilibram Aluminis toties diſſolvendo quoties aqua recens affundenda erit, manibus maſſæ dictæ ſeſquilibram arripiendo, ac uti ſuperius dictum corpori affricando;Ad experientiam provocet qui de hujuſmodi Balnei efficacia dubius fuerit, quod miris ſemper laudibus afferam; hujus ſucceſſus manifeſtior futurus eſt ſi in Balnei egreſſu loca rugis deformia illita fuerint Cerato compoſito ex unciis dua-

duabus Olei Vitellorum Ovorum, quatuor uncijs Ceræ dealbatæ ac tantundem laridi liquefacti & probè loti, ſimul concretis & ad cerati conſiſtentiam deductorum.

Ineptum foret hic fuſe de natura Balneorum Aquarum Mineralium, natura calentium diſſerere, in Gallia variiſq; Europæ locis ſponte ſcaturientium: Id ſolum obiter dixero, calorem in illis perceptum non immediate ex terræ viſceribus prodire, commeatum Aquis præbentibus; id enim ſi foret, idem contingere poſſet plurimis aliis aquis quæ eadem loca pertranſierunt, ac nihilominus algidæ ſcaturiunt, etiamſi illarum plurimæ metallicorum vim imbiberint, præſertim Salis: Id vero ratum eſſe debet ejuſmodi calorem aliam non agnoſcere cauſam quam Acidorum & Alikalium concurſum & pugnam, ſolitariorum aut Sulphure prægnantium, ab ipſis diſſoluto; cujus rei Chimia quotidie manifeſtiſſima nobis præbet exempla; veritas autem plurimis innotuit, Balneorum receptacula exhaurientibus, ac in illorum originem inquirentibus: Poſtquam enim illis innotuit ſingulas exiguas aquarum ſcaturigines, quæ congregari debuerunt ad conſtituendum Balneum, in propria origine nativo frigore donatas eſſe, veriſſime illi ratiocinati ſunt calorem adventitium illis eſſe ab ejuſmodi conjunctione: Id porro verum eſſe deprehendet quiſquis rem indagare voluerit.

CAPUT IX.

De Balneis Vaporoſis, & de Balneis Siccis, ſeu Laconicis.

BAlnea Vaporantia ex iiſdem materiis præparantur quæ ad Balnea adſumi ſolent, Semicupia & Fotus; Diſcrimen inter illa ſolum circa quantitatem & adminiſtrandi rationem verſatur: Neque enim ad Balnea vaporantia multus requiritur liquor, quandoquidem ignis beneficio ex liquoris exigua quantitate plurimus vapor exſurgere poteſt: Uſus rationem quod attinet, non ut in Balneis & Semicupiis vulgaribus immergitur corpus aut quæpiam illius pars, Fotus enim locis affectis admoventur, ſufficitque ut pars ægra vaporem è materiis liquidis excitatum excipiat, ſuſcitandum ignis ſubjecti ope:

Balnei nomen huic remedio non inique inditum eſt, quandoquidem Vapores, ignis ſubſidio educti, materias liquidas excalefacientis, ipſiſſima ſunt liquoris materia rarefacta & ſurſum evecta; univerſus quippe liquor in Vapores ſolvi poteſt, hi iterum concretione facta liquoris naturam iterum induere poſſunt.

In varios uſus trahi poſſunt Balnea Vaporantia, quorum præcipui ſunt, Dolorum lenimen, emollitio, reſeratio, attenuatio aut adſtrictio vel cor-

roboratio: Ad quos omnes ſcopos explẽdos ſatis eſt caloris modici beneficio excitare Vapores, eoſdem coërcere ac deducere verſus corporis partem affectam;etiamſi,ſi ita viſum fuerit, ejuſdem Balnei Vapores ad univerſum corpus deferri queant, præſertim ad pororum apertionem,ac ſudores ex toto corpore eliciendos.

Balneorum Vapidorum frequentiſſimus uſus eſt ad Ani affectus, Uteri, Aurium vel Dentium, Eam in rem vulgo uſurpantur cathedræ perforatæ, inferiore parte undique occluſæ, quibus poſtquam inſederunt ægri, aut ægræ, Podice, aut Utero, pro affectus varietate,excipiunt Vaporem è materiis liquidis excalefactis, conflatis ex medicamentis idoneis curationi vitiorum quibus deſtinantur, excipiunt.

In uſum nonnunquam etiam accerſuntur Infundibula ad vitia Dentium & Aurium; Non mediocri cura regendus ignis horũ omniũ Balneorũ, in quorum uſu pergendũ prout uſus poſtulaverit, eadem etiam renovando.

Inutile duxi huc accerſere exempla ejuſmodi Balneorum, tum quod minima in eorum adparatu difficultas occurrat, tum quia utplurimum eadem remedia quæ ad Fotus uſurpari ſolent idonea ſunt.

Balnea ſicca, Laconica dicta,aut Stuphæ, quod attinet poſſunt quidem illa in uſum trahi ad certam quandam corporis particulam, maximus vero eſt in totius corporis gratiam:Balnei nomen impoſitũ eſt non quia vapor quiſpiam humidus neceſſarius ſit, ſed ratione humorum quos è corpore, ſudores excitando elicit:Ei rei ſolus prunarum accenſarũ calor ſatis eſt, vel laterum candentium, aliuſve rei excalefactæ, diverſimode adhibenda, ac ex varijs inſtrumentis & Vaſis quæ quiſque pro libitu effingere poteſt: Id curandum ut æger calorem requiſitum commode excipiat, hic autem proportione reſpondeat & morbo & viribus ægri, neque intenſior, neque remiſſior.

Feliciſſimo ſucceſſu hujuſmodi Balnea ſicca in uſum adducuntur ad eos qui intemperie humidiori laborant, nec ſolum in morbo Venereo, ſed etiam in Rheumatiſmis ac membrorum doloribus,univerſalibus aut particularibus, quinimo & in Paralyſi.

CAPUT X.

De Epithematibus.

EPithemata & liquida& ſolida ad remediorum cenſum revocantur, à jampridem neſcio quo pacto Pariſienſibus parum familiaria, etſi olim & creberrimo eoque feliciſſimo in uſu eſſent, quotidie vero eodem ſucceſſu præſcribantur,non ſolum in exteris regionibus,ſed etiam pleriſque Galliæ Provinciis:Cum ægri ex illorum adminiſtratione maximum per-

percipiant emolumẽtum, ſpe fretus ut more pridem recepto iterum ad-mittantur, illa huc accerſo, vindicare ab oblivione conatus.

Epithemata liquida ad Fotuum claſſem quidem reduci poſſent, quippe cum eodem modo adminiſtrentur,hoc vero præſertim diſcrimen occurrit quod Epithemata uſui tantummodo ſint temperando intenſiori Jecoris calori, aut cordi roborando adverſus Febrium malignitatem: Ac porro ſolum alterutri horum viſcerum admoventur, cum Fotus omnibus æque corporis partibus adminiſtrari & admoveri poſſint, ac pro ratione varietatis affectuum diverſimode componantur:

Decocta ſimpliciſſima, Cardiaca, aut Hepatica, Aquę diſtillatæ ſimplices aut compoſitæ, Acetum, Succus mali Citrij, Pulveres Cardiaci & Hepatici, Confectiones Kermeſina & Hyacinthina, imo Theriaca & Mithridatium, Epithematum liquidorum uſitatiſſima ſunt materia,quorum formulas exhibiturus ſum, unius in Cordis gratiam alterius pro Jecore.

Epithema Cardiacum Liquidum.

℞. *Aquarum Cardui benedicti,*
Bugloſſi,
Borraginis &
Roſarum ana unc. iij.
Aquæ Theriacalis,
Succi Citri ana unc. j.
*Confectionis Alkermes drachm.*ij.
De Hyacintho drachm. j.
Pulveris Diamargariti frigidi ſcrup. ij.

Ex omnibus ſimul miſtis fiat Epithema,quo tepido panni lanei inſuccati regioni cordis per horam unam aut alteram alternatim admoveantur.

Epitema Hepaticum Liquidum.

℞. *Aquarum Nympheæ,*
Portulacæ,
Oxalidis &
Solani ana unc. ij.
Aceti Roſacei unc. j.
Pulveris Diarrhodonis Abbatis &
Diatriaſantali ana drachm. j.
Trochiſcorum de Caphura drachm. ſem.

Fiat Epithema regioni Iecoris tepide admovendum.

Methodus.

Variare licet, addere, aut detrahere medicamenta pro his Epithematis præſcripta, prout opus videbitur; Adſumantur duo panni ſegmina ejus magnitudinis quæ univerſam Cordis aut Hepatis regionem cooperire valeant; tepefactæ autem in diſco Epithematis materiæ immergantur panni, & inebrientur, quorum unus leviter expreſſus, admotus, & mantili quater complicato coopertus, ſinatur per ſemiquadrantem horæ, iterum liquori immergendus, ſegmen alterum madidum & expreſſum priori ſubſtituendo: Interim curandum ut Epithema cooperiatur, ejus calorem toto adplicationis tempore, quod unius ad minimum horæ eſſe debet, fovendo: Auxilium ex hoc remedij genere manifeſtiſſimum eſt, præſertim in Febribus ardentibus, quarum utplurimum comites ſunt inſignes ægrorum jectigationes, unde de hujuſmodi remedij utilitate judicium ferendum eſt.

Confectiones Kermeſina & Hyacinthorum, Mithridatium, Opiatæ Salamonis, Diaſcordium, Conſervæ Roſarum, Caryophyllorum hortenſium, Bugloſi &c. Pulveres Diamagariti, Diarrhodi, Diatraſantali &c. Imo nonnunquam Oleum Scorpionum cōpoſitum Matthioli Epithematum ſolidorum uſitata materia ſunt, Cordi potius quam Jecori aſſignatas Admoveri ſolent ab uſu liquidorum, detinenda quandiu ibi moram trahere poſſunt, imo pro neceſſitate renovari, Formula ſequenti ut plurimum præſcribuntur.

Epithema Solidum Cordi Dicatum.

℞. *Conſervarum Tunicæ, De Hyacintho, ana drachm.* ij.
Roſarum, ana unc. ſem. Theriacæ probatæ &
Confectionis Alkermes & Pulveris Diamargariti frigidi, āā. dracm. j.
Fiat Epithema ſolidum ſuper alutam extendendum, & regioni Cordis tepide admovendum.

Pro re nata plurima alia Epithemata præſcribi poſſunt, ſicuti de Liquidis dixi.

CAPUT XI.

De Scutis, Pileis & Calanticis interſutis, Pulveribus oppletis.

Cum non abſque incommodo & moleſtia diu Emplaſtra regioni Ventriculi admota geſtentur, præſertim in morbis chronicis, partis illius calorem infirmantibus; pertinaces autem affectus, geniti ab intemperie cerebri juſto humidiore aut frigidiore quotidie occurrant, eapropter excogitatæ fuere Cucuphæ & Pileoli interſuti, pulveribus idoneis, & affectus quorum gratia præſcribuntur ſpectantibus referti.

Deſcriptiones Pulverum Cephalicorum & aromatica vi præditorum, quæ capite de Pulveribus exhibui, quando à me de remediis internis actum eſt, huc inferri queunt, adeo ut ſuperſedeam hoc labore novas formulas in medium producendi: Id ſolum dixero requiri ut hi Pulveres utcumque craſſi ſint, quo facultas illorum non adeo difflabilis ſit, neque bonbicinum tenue, ad harum cucupharum & pileolorum interſutorum, Pulveres concludentium conſtructionem uſurpari ſolitum, tranſmeare queant: præter bombicinum illud tenue, ſcuta inveſtiens, ut & pileolorum partem interiorem & exteriorem, admitti prætere a ſolet goſſipium carminatum coërcendorum ergo Pulverum, eo pacto inſperſorum ut ubique æqualiter disfundantur, goſſipium autem & pulveres intra binas telas tenuiſſimas ſibi correſpondentes includuntur, cuncta autem bombicino tenui duplicato, ſcutiformi, ejus magnitudinis ut cooperire valeat ventriculum: Vel inter binas calanticas nocturnas ex bombicino tenui confectas æqualis magnitudinis, ſi Pileus conficiendus

dus ſit cuncta diverſis in locis compungendo & per ordines denſos; utriuſque fimbrias vel oras conſuendo ne quid diffluat: Vittæ angulis adnectuntur & extremo ſcuto uſus tempore, ut ventriculo perpetuo proximum ſit: Pilei diu noctuque geſtari poſſunt ſi incidat neceſſitas, imo multiplices haberi commutationis gratia; Odor ejuſmodi Scutorum & Pileorum conſutorum non inſuavis eſt, Pulveres inibi concluſi vires quibus præditi ſunt pertinaciter tuentur, etſi ſubſtantia aromatica medicamentorum ex quibus conſtant, difflabilis ſit.

Occaſione data nonnulla addenda eſſent de Sacculis odoriferis, tum majoribus tum minoribus, ſuaveolentiæ potius cauſa quam curationis morborum præparari ſolitis, ſed ſuperfluum id fore arbitror, cum ſuffimigatorum potius officii ſit quam Pharmacopœorum, imo non paucæ matronæ curioſæ id penſi habeant, iiſque conclavia ſua ac lectula inſtruant.

CAPUT XII.

De Suffumigiis.

NOn minus proſpera quam adverſa valetudine uſi ſuavibus aut ingratis odoribus recreari aut offendi poſſunt: Etſi vero gratorum uſus omnium familiariſſimus ſit & exquiſitiſſimus, concedendum tamen nec inſuaveolentiam omnino eſſe repudiandum, nam præter probos effectus ab illis expectandos, ſi modo quibuſdam in caſibus dextere in uſum flectantur, ad illos neceſſario aliquando confugiendum medendi gratia vitiis à gratis odoribus inductis, cum nonnullæ præſertim mulieres his offendantur.

Non huc iterum illaturus ſum præparationem Pulverum, Trochiſcorum aut Balſamorum odoriferorum, ſuo loco à me non prætermiſſorum, quorum gratus odor reficiendi vi & corroborandi partes nobiles aptus natus eſt: Satis mihi fuerit addidiſſe quaſdá odoriferorú præparationes, de quibus ut verba facerem anſa ſe non hactenus obtulit, quorum uſus non minus utilis futurus eſt benevalentibus quam ægris.

Magnatum cubicula gratiſſime ſuffumigantur, immiſſis quibuſdam aromatibus electis, aut in pulverem tritis, vaſculo argenteo, aut cupreo ſtanno obducto, Caſſoletam vocant, vel Acerram odoratoriam, cum partibus æquis aquarum roſarum aut florum Arantiorum: Leniter enim dictas materias excalefaciendo, elati ex his vapores cubiculum gratiſſimo odore perfundunt.

Conficiendus erit pulvis ex Benſoini drahcmis tribus, ſtoracis optimi

drachma una & ſemis, Ligni Roſarum drachma una, Santali citrini ſemidrachma, Calami aromatici ſemiſcrupulo, cum æquali pondere florum Benzoini & tribus Garyophyllis aromaticis: Remiſcendus hic Pulvis Aquæ Roſarum optimæ unciis ſex, aquæ Florum Arantiorum unciis tribus, excipiantur procul ab igne Matratio vitreo optime occluſo per horas viginti quatuor, imo diutius, ſi ita viſum fuerit; mixturæ hujus pars Acerræ immittatur; leni igne excalefaciendæ, quo per cubiculum gratus odor diffundatur; Materierum reſiduum in Matratio, aut Lagena denſiori accurate obturata, ad uſus recondendum erit: Addantur huic miſturæ, ſi lubet, Moſchi aut Ambræ griſeæ grana aliquot,ut odor intenſior & gratior fiat.

Si ad adparatum hujuſmodi compoſitionis tempus non ſuppetat, ſufficiat Acerræ indidiſſe nonnulla ex prædictis aromatibus,aquæ roſaceæ & florum Arantiorum permixtis; vel immiſiſſe tenuiſſimum corticem malorum Citriorum aut Aurantiorum,ac Pomorum redolentium cum aliquotCaryophyllis;hæc tamen multo inferiora ſunt priori cōpoſitioni.

Poteſt & compoſitio ſicca ex aromatibus concinnari; quæ Paſtillorum nomine venit, aut Avicularum Cypriarum, figura qualibet inſignienda; cujus uſus futurus eſt non ſolum ad veſtes & impedimenta, aut ad armillas effingendas, aut ut pera geſtentur, ſed & ad ſuffitus, portionem aliquam prunis immittendo, late diffundendi odoris gratia per cubicula aut alia loca.

Subtilem in pulverem conteruntur carbonum Salicis unciæ octo, Benzoini unciæ ſex, Storacis unciæ quatuor, Maſtiches granatæ unciæ duæ; Succini flavi unciæ duæ: Conmiſti hi pulveres compingendi cum mucilagine Gummi Tragacanthi, aqua Roſacea extracta; effingantur Paſtilli magnitudinis & figuræ prout libuerit, in umbra ad uſum exſiccandi: His Paſtillis, ſi vis, addere licet Gummi Tacamahacam odoratum,imo Moſchum & Ambram,ſi nummis non parcendum.

Hi Paſtilli, præter odoris gratiam ſi ſuccenſi fuerint admodum conveniunt ſuffumigando Pileo nocturno, ac velamentis capitis illorum quibus cerebrum frigidius eſt ac humore ſupervacuaneo ſcatet, & Catharris ac Rheumatiſmis crebro infeſtantur: Imo & fumum nonnunquam ore & naribus excipere poſſunt: quin & mulieres, cathedræ perforatæ inſidentes, per genitalia eundem admittere,ſicubi ſuppreſſi fuerint menſes,aut ad affectus hyſtericos ſedandos: Felici etiam ſucceſſu Aſthmatici ore fumum hauriunt, ij præſertim in quibus pituita tenax & viſcida redundat:Ab illorum vero uſu prohibendi quorum Pulmones ulcera obſident, aut quibus hæmoptyſis familiaris, quandoquidem Sanguis ſputum à paſtillis forte revocaretur. Non-

Nonnunquam ſolum Succinum ſuccenditur,Maſtiche aut Tacama-ca, vel aliud quodpiam Gummi, aut materia non diſſimilis,quin etiam plantæ cephalicæaut thoracice, vel hyſtericæ ſiccæ, ſuffitus ex illis parando pro renata ac ſcopo Medicorum illos præſcribentium.

Quotidie necnon in ſuffitus venit Cinnabaris, provocandi cauſa Ptyaliſmi in illis quos Lues venerea inquinavit, ſi præſertim Inunctio-nes Salivationem promovere nequeant, vel aliæ Mercuriales præpara-tiones: Sed etiamſi Maſtiche,Olibanum,Benzoinum, Ladanum, Cala-mus aromaticus, vel alia quæpiam aromata Cinnabari adjiciantur, improbarum illius facultatem obtundendarum cauſa, ex mea ſententia optima illius emendatio fuerit ſi omnino proſcripta fuerit: Mercurij enim in Cinnabarim tranſmutatio naturam illius & ingenium non in-vertit neque prohibet ne fumi ore hauſti nervis bellum indicant ac cunctis partibus principibus: Suffitus ex cinnabari minori periculo in uſum duci poteſt ad ulcerum rebellium curationem,ac præſertim vene-reorum, ſi partes ab ore diſſitas obſideant.

CAPUT XIII.

De Frontalibus.

CVm cephalalgia febricitantibus utplurimum admodum moleſta eſſe ſoleat,hinc Frontalium præſcribendorū occaſio nata eſt,quorū ideo uſus omnino concedendus:Etiamſi enim illorum ſolūmodo ope ca-pitis dolorem ſedare omnino non liceat, ſed neceſſe ſit vapores illum inducentes cohibere, ejuſmodi tamen remedia repudianda non ſunt, il-lorum enim beneficio corroborato cerebro, reſolutio & tranſpiratio ju-vatur & diſcuſſio vaporum ad ſupernas partes evectorum, eorundem temperatione,ac aculeorum obtuſione:adde ægrorum confidentium o-pinionem, ab hujuſmodi remediis non leve auxilium expectantium, fauſtum ſucceſſum promoventem.

Frontalia nonnunquam ex medicamentis ſiccioribus concinnantur, cujuſmodi ſunt Roſæ, flores Sambuci, aut Nymphææ, Santala, & Co-riandrum contrita; Betonica, Majorana,aut Lavendula inciſæ, nuclei malorum Perſicorum aut Armeniacorum contuſi &c. Quæ inducuntur, deprimuntur,ac linteo tenui concluduntur, ad craſſitiem ſemitranſver-ſi digiti, adeo ut univerſam frontem & tempora contegere valeant,qui-bus admoveri ſolent, tantilla aqua roſacea aut aceto roſaceo irrorata.

Nonnullis ſatis eſt fronti & temporibus adpliceſſe lintea aqua roſacea madida aut aceto roſaceo, vel ſambucino, admoven-

tur etiamnū nonnūquam folia virentia Nymphe æ;Cucurbitæ;Lactucæ, Portulacæ aut Vitis, in ea præſertim capitis doloris ſpecie quæ febrium ardentium comes eſt: Indicationibus vero omnibus, quarum cauſa adparantur Frontalia, ſatisfiet, ſi Florum Conſervæ in uſum veniant, Extracta, Semina, Unguenta, Pulveres, aliæque idoneæ materiæ: Ex his autem conflata maſſa, diducta & linteo incluſa, fronti & temporibus adplicata fuerit, aliquo tempore detinenda, hoc enim pacto medicaminis vis melius coit & colligitur, effectuſque expectatos certius exprimit, Hoc vero prodeat paradeigma.

Frontale Refrigerans & Hypnoticum.

℞. *Conſervæ Roſarum rubrarum,*
Nymphea, ana drachm. vj.
Seminis papaveris albi contuſi,
Pulveris Diatriaſantali &
Vnguenti Populei, ana drachm. j.
Miſce fiat Frontale, fronti & temporibus frigide admovendum, vel

℞. *Conſervæ Violarum,*
Roſarum,
Nymphea, ana unc. ſem.
Pulveris TriumSantalorum &
Coriandri,
Nucleorum Perſicorum contuſorum &
Extracti liquidioris Opij, ana drachm. j.
Miſce fiat Frontale.

Methodus.

Nonnunquam etiam ſatis eſt fronti & temporibus adplicaſſe Linimentum, compoſitum ex partibus æquis Unguenti Populnei & liquidi Opii Extracti; aut Frontale confeciſſe ex nucleis malorum Perſicorum aut Armeniacorum in mortario marmoreo probe contuſis, addita ſexta circiter parte Salis marini & æquali quantitate pulveris Roſarum: Quoad hæc, indicationibus adhærere licet, nullo omnino metu imminentis periculi ab hujuſmodi exterius admotis:

Aliquando quoque Frontalia adhibentur ad cohibendas & intercipiendas fluxiones tenues & acres in oculos procumbentes, ſimul concorporando partes æquales Boli Armenæ, Terræ Sigillatæ, Maſtiches & Sanguinis Draconis in pulverem contritorum, albuminibus ovorum commixtorum, ac in paſtam deductorum, quæ ſtupis inducitur, frontique ac temporibus admovetur.

CAPUT XIV.

De Lotionibus.

NOn hic de ea Lotionum ſpecie agendum Pharmacopœis quotidie uſitata, tum ad ſordes ſuperficiarias mixtorum removendas, tum ad partes differentes ſejungendas, vel ad emendandas aut removendas alienas qualitates, cum hanc ſuſe explicaverim tractatu de generalibus quibuſdam

quibuſdam à me hujus Pharmacopœæ initio tradito, intelligo vero Lotiones particulares,certis quibuſdam corporis partibus deſtinatas, ſuntque remedia inter Fotus, Balnea & Semicupia media.

Lotiones refrigerantes, ſomnumque leviter inducentes, commodiſſime in febricitantium gratiam; inſomniis & pervigiliis vexatorum, ac quodammodo ab æſtu febrili inareſcentium præſcribuntur; in aqua elixando radices,folia & flores Nymphææ, folia Lactucæ, Portulacæ, Salicis & Papaveris albi cum ſeminibus frigidis contuſis;hoc decocto ex intervallis ægrorum manus & pedes abluendo, imo linteis eodem decocto madidis involvendo, ac provt deſiccantur iterum decocto immergendo.

Capitis Lotio nonnunquam inſtituitur lixivio ex ſarmentorum cineribus facto, ad illius ſordes & capillorum abſtergendas:Plurimæ etiamnum Lotiones ad Achorum, vel Ulcerum capitis manantium curationem advocantur, magis aut minus validæ ac penetrabiles, pro morbi natura plus aut minus radicati; Præ cæteris Lotio ex ſolo decocto Naſturtij aquatici præparata, aut compoſita ex radicibus Iridis,Aſari, Enulæ campanæ, foliorum Hederæ, Abſinthij, Fumariæ, Chelidonij, Scabioſæ, Serpilli, Majoranæ, baccarum Lauri & Lupinorum, ſimul elixati, in lixivio deſæcato ex cineribus ligni Juniperini facto, in hujuſmodi lotionis uſu per plures ex ſerie dies pergendo, præſertim inclinante Luna, uſurpatiſque prius remediis univerſalibus, internis potiſſimum purgantibus & diaphoreticis, præſtantiſſima eſt; Ejuſmodi etiamnum decoctionibus interdum adduntur ſtercora exſiccata Columbarum, Anſerum, Ovium, Radices onylapathi & Hellebori, Colocynthis, Euphorbium, Viride æris plurimaque alia medicamenta eximia penetrandi vi prædita, ſi malum pertinax efficaciam leniorum eludat.

Elixantur herbæ Capillares & Abrotanum fœmina in aqua fluviatili, hoc decocto abluantur caput & capilli, tum prohibendi gratia illorum profluvij, tum incrementi promovendi, nitoriſque conciliandi.

Non infelici etiam ſucceſſu in uſum venit Decoctum Lupinorum, Staphiſagriæ, Abſinthij,& Centaurij minoris in optimo aceto paratum, aut Lotio quo eluitur caput, imo univerſum corpus, ſi neceſſitas poſtulaverit, ad enecandos pediculos, aliaque vermiculorum genera.

Plurimæ Præterea parantur Lotiones ad curationem Scabiei, Herpetis,aliorumque vitiorum cutim defœdantium, uſurpando non ſolum decocta radicum & foliorum Enulæ Campanæ, Onylapathi, Scabioſæ,

& Fumariæ, ſed etiam diſſolutiones Mercurii in Aqua Forti factæ, aut ſpiritu Nitri, non exigua quantitate aquæ communis dilutæs; eluendo ſolummodo manus, brachia, femora, tibias & pedes; reliquis corporis partibus parcendo,quibus noxius eſſe poteſt Mercurius.

Eluitur caput ſpiritu vini, aut Aqua Reginæ Hungariæ cerebri corroborandi gratia, aut exſiccandi humidioris, aut ſanandarum contuſionum: Lavantur & cæteræ corporis partes Rheumatiſmo obſeſſæ, ac ad mitigatiorem cujuſvis doloris: Plutimum etiam conducit ex eodem ſpiritu Lotio in Ambuſtionibus, ſed feliciori eventu ſi tantillum vitrioli additum fuerit,& æruginis grana aliquot.

Vulnera & Ulcera eluuntur Tinctura aut Decocto Ariſtolochiæ, Gentianæ, Centaurii,Vincæ pervincæ, Abſinthii, Virgæ aureæ, Saniculæ &c. paratis in ſuccis dictarum plantarum, aut vino albo, addita quinetiam aliquando Myrrha vel Aloë in pulverem contritis; ex quibus quoque injectiones fiunt ſi vulnera profundioria ſint.

Nequaquam huc adducendas cenſeo Embrocationes, aut Aſperſiones Antiquis familiares, ex oleis, decoctis, aliiſve liquoribus, capiti inſtillandis aut aliis partibus affectis, tam quod hodie obſoletæ ſint & neglectim habeantur, quam quod lotionibus accenſeri queant: Vice enim ſtillicidiorum ſatis eſt partes madefacere, aut ungere, ſicuti videre eſt in uſu Oxyrrhodinorum ex Oleo&Aceto Roſaceis compoſitorum, ægrorum capiti raſo admovendorum, tum præcavendi cauſa delirii, tum ſedandi: quod idem locum habet in pluribus ejuſmodi remediis, variis corporis partibus adplicandis.

Caput XV.

De Collyris.

Collyrii nomen ſpeciatim inditum eſt remediis quibuſdam liquidis affectus oculorum eſpectantibus, quamobrẽ quaſi per excellẽtiam idem nomen impoſitum fuit Trochiſcis Ceruſæ, à Rhaſi dictum in ſcopum compoſitis, qui in pulverem deducti uſurpantur liquoribus ſpecificis diluti: Idem tamen nomen adſignari ſolet Pulveribus ſiccis, imo & Unguentis eundem in finem tendentibus: Eadem quoque vox, etſi improprie, adſignata quibuſdam remediis liquidis, ulcerum venereorum curationi deſtinatis in partibus genitalibus tum virilibus tum mulieribus oriundorum.

Nulla impellit neceſſitas ut hic congerantur utiles quotquot adſuut Collyorum deſcriptiones, nec enim deſunt, imo artis imperiti, qui formulas præſtantiſſimas penes ſe habere gloriantur: Duas ſolum allaturus

rus ſum multiplici experientia mihi comprobatas, non modo ruborem & inflammationem oculorum arcentes, ſed etiam maculas & albugines delentes, ſi præſertim mox ab initio in uſum ducantur.

Collyrium ad Ruborem & Inflammationem Oculorum.

℞ *Magneſiæ Opalinæ in tenuiſſimum pulverem redactæ,*
Tuthiæ Alexandrinæ præparatæ &
Salis Saturni albiſſimi, ana drachm. j.
Aquarum ſtillatitiarum Euphraſiæ,
Fœniculi,
Roſarum, &
Chelidonij maioris, ana unc. j.
Miſce fiat Collyrium ad uſum.

Methodus

Tepeſcat hoc Collyrium, guttæ aliquot oculis inſtillentur, ſæpius in die; in eodem madeſcunt lintea aut ſplenia, illis admovenda, præſertim nocturnis horis, per vices eodem humefacienda, pergendo in uſu juxta indigentiam.

Aliud Collyrium juxta hanc formulam præparari poteſt,

℞. *Sacchari candi unc. j.*
Radicis Ireos Florentinæ, drachm. iij.
Tuthiæ Alexandrinæ preparatæ, drachm. ij.
Sarcocollæ, *Aloës Socotrinæ ana drachm.* j.
Vitrioli albi, *Cariophyolorum, drachm.* j.
Aquarum ſtillatitiarum Euphraſiæ
Fœniculi & *Roſarum ana unc.* vjjj.
Vini Hiſpanici lib. jj.

Pulverata pharmaca omnia Aquis & Vino Hiſpanico permixta & lagena forti vitrea diligenter obturata excepta, Soli æſtive per quindecim dies exponantur, & per vices agitentur, vel igni Arenæ moderatiſſimo per idem tempus committantur, & liquor purus pro Collyrio optimo ſervetur.

Hujus Collyrii præparatio adeo facilis eſt ut huc inferenda non videatur: Id tantum monuiſſe ſat eſt adſervandum eſſe in lagena vitrea optime occluſa: Uſus idem qui præcedentis.

Obiter hic adfero deſcriptionem Pulveris, cui nomen Collyrij ſicci imponi poteſt, admodum utilis abſumendis oculorum ſeroſis humoribus, maculiſque delendis, aut albuginibus, dummodo retro oculorum tunicas non deliteſcant.

Collyrium ſiccum, Albugines delens.

℞. *Sacchari candidi drahcm.* jj, *Vitrioli albi,*
Tuthiæ præparatæ *Aloes Succotorinæ &*
Stercoris lacertæ, ana. drachm. j. *Salis Saturni ana drachm. ſem.*
Omnia ſubtiliter pulverata & permixta pro Collyrio ſicco ſerventur.

Methodus.

Ope exiguæ fiſtulæ in oculum adapertum pondus duorum aut trium granorum inſufflantur, uſum pro re nata reiterando: Poteſt etiam Aquis Ophthalmicis dilui pararique Collyrium liquidum.

Lanfrancus ſic deſcripſit Collyrium à ſe excogitatum ad curationem Ulcerum Venereorum.

Collyrium Lanfranci ad Vlcera Venerea.

℞. *Vini albi lib.* j.
Aquarum Plantaginis & Roſarum, ana unc. iij.
Auripigmenti drachm. ij.
Viridis æris drachm. j.
Myrrhæ,
Aloës, ana ſcrup. ij.
Miſce ad uſum.

Methodus.

Nequaquam ſuccenſendum Lanfranco, quod hoc remedium Collyrij nomine donaverit, tam ratione præſtantiſſimorum ipſius effectuum, quam quia præcipue uſurpatur ad curationem affectuum, interiora partium genitalium virorum & mulierum obſidentium, quorum ſenſus non minus quam oculorum exquiſitus eſt:

In præparatione iſtius Collyrii ſtudendum ut ſubtiliſſimum in pulverem conterantur Auripigmentum, Viride æris, Myrrha & Aloë, priuſquam liquoribus commiſceantur: Mitigandum quoque Collyrium addendo Aquæ roſaceæ triplam vel quadruplam quantitatem, Plantaginis vel Solani, uſus tempore, prę ſertim ad Injectiones, ad ſiſtendas Gonorrhœas, cum illarum virulentia ſuperata eſt: Cui ſcopo Collyrium iſtud probe ſatisfacit, ſi modo idoneo tempore uſurpatum fuerit, antequam videlicet vaſa ſpermatica ad exulcerationem, vel ad ultimam imbecillitatem deducta ſint.

Silentio prætereo plurima alia Remedia externa obſoleta, colophonem ſcilicet additurus Præparationibus Galenicis, me nihil prętermiſiſſe ratus quod obſervatione dignum ſit, vel quod forte non occurrat tractandum parte ſubſequenti.

Finis Pharmacopœæ Regiæ Galenicæ.

MOSIS CHARAS

MEDICINÆ DOCTORIS
& Regiæ Majeſtatis Anglicæ Chymici,

PHARMACOPOEA REGIA, GALENICA ET CHYMICA,

GALLICE AB AUTHORE CONSCRIPTA,
jam verò Latine data.

TOMUS SECUNDUS.

GENEVÆ,
Sumptibus JOANNIS LUDOVICI DU-FOUR.

M. DC. LXXXIII.

PHARMACOPOEÆ REGIÆ

Pars Tertia.

Continens Præparationes CHYMICAS

Ordo & Diſpoſitio iſtius Partis.

INtima neceſſitudine cum Pharmacia Galenica & Chymica conjungantur, mutuumque & perpetuum ſibi præbeant auxilium, operæ pretium me facturum credidi ſi a limine hujus operis generalia quædam afferrem ad utriuſque cognitionem conducentia. Eapropter leviter tantum attingam,& obiter, quæ jam ante à me dilucidata fuere, at vero ad praxim eadem revocaturus ſum, uſum toto hujus Partis decurſu, qua de Præparationibus Chymicis, traditurus.

Pharmacia Chymica, non ſecus ac Galenica, verſatur circa Vegetabilia, Animalia & Mineralia, quæ materia ſunt & ſubjectum utriuſque operationum, ex quibus concinnat remedia idonea morborum aut mitigationi aut curationi: Porro cum Galenica tritis tantum & vulgatis utatur mediis, ad ſeparationem partium quæ aut improbæ aut inutiles iudicantur, ſatiſque illi ſit purgaſſe, infudiſſe, coxiſſe, contudiſſe, aut ad uſum miſcuiſſe eas quæ illi optimæ videntur, Chymica intima ſcrutatur mixtorum,ſummo artificio ab invicem ſecretura partes omnes hæc

conſtituentes, eadem ab inquinamentis, ſenſibus non obviis liberatura, vt eo pacto ſubſtantiis puris, præcipuis illorum & eſſentialibus maxime partibus extricatis, idoneas illas præſtet producendis ſperatis cum efficacia effectibus.

Nihilominus tamen in hoc materiæ & ſcoporum concurſu, utrique Pharmaciæ communibus, Chymica Pharmacia, vtvt excellentiſſima, plurima inſtrumenta & media Galenicæ familiaria ſibi adſumit, etſi præter prædicta non exiguus aliorum numerus ab ea in uſum adducantur, atque illius induſtria quotidie nova in publicum prodeant, quando mixta, adhibita accurata diligentia, in particulas diducere & divellere molitur.

Tertiam hanc partem in tres libros diſtinxi, Priore illorum vegetabilium preparationem adduco, quandoquidem e mixtorum genere hæc primo oculis obvia ſunt in ſuperficie terræ, nobis maxime familiaria, ſegetem remediorum uberrimam prębentia. Succedunt his Animalia, Libri Secundi ſubjectum, non eo ſolum nomine quod cum ex vegetabilibus maxima illorum pars alimentum trahens, variæ partes quodammodo exinde vires ſuas mutuari videantur, derivandas in inſignem remediorum numerum, quæ componunt, ſed præterea quod plurima illorum in alimentum noſtrum cedant: Mineralia tandem Tertii Libri materia futura ſunt, quod cum fere omnia in terræ viſceribus abſcondita lateant, non æque nobis familiaria ſint, laboremque requirant improbum, ignemque vehementiorem, majuſque artificium quam in Vegetabilium aut Animalium præparatione adhibendum ſit.

At cum in id præſertim incumbam, ut media & tutiora & faciliora ad feliciter perficiendas operationes omnes Chymicas in apertum prodeant, id ſyncero animo exhibiturus ſum quod quotidie ad praxim revoco, præparationes cognitu neceſſarias cunctas ad unam exhibens, quas propriis manibus trivero; ea ratione mentem meam explicaturus, ut quas traditurus ſum nitide proponens, nullo negotio à me prætermittendæ in cognitionem veniant, dummodo artis periti antea conſulti fuerint, eorumque ergaſteria frequentata, nec deſint genium, inſtrumenta, aliáque ad finem conſequendum neceſſaria.

Spero præterea, cum Præparationes meæ Rationi & Experientiæ innitantur, ambageſve ac prolixos ſermones, plurimis authoribus in delitiis, à me abeſſe velim, quam inibo viam nemini improbandam eſſe, atque in optimam partem acceptum iri quod illarum vires, doſes ac in uſum flectendi rationem in medium adduxerim, deductas ex conſtitutione mixtorum, ac examine precipuarum partium illa componentium; variis item alterationibus quas à præparatione ſubeunt, ac tandem ab exploratis non ſemel illorum effectibus.

LI-

LIBER PRIMVS.

De Præparationibus Chymicis Vegetabilium.

CAPVT PRIMVM.

De Diſtillatione Vegetabilium in genere.

VEgetabilium numeri amplitudo cum minor non ſit totius terræ ſuperficie, inſigniſque illorum differentia, & quoad figuram & quoad facultates, cum limitibus nullis, uti neque numerus, deſcribantur, mirum ne ſit, ſi cum Chymia ab omni ævo ſtudium adhibuerit excogitandis rebus neceſſariis ad facilem mixtorum præparationem, nulla non die illi occaſiones occurrant ad praxin media illa adducendi, imo quamplurima nova adjiciendi ad facilius ſcopum propoſitum conſequendum facientia.

Diſtillatio, quanquam omnibus obvia, inter operationes primas fere obtinet, qua Chimia utitur ad præparationem & partium Vegetabilium purgationem; imo Animalium & Mineralium. Etſi vero Ars Diſtillatoria Galenicæ Pharmaciæ ignota non ſit, imo jampridem illam in uſum duxerit ad ordinariam Aquarum ſibi familiarium preparationem, non tamen gloriari poteſt quaſi culmen perfectionis in hac operatione attigerit, utiqne quaſi docuerit rationem ſeparandi & diſtinguendi ab invicem partes ex quibus miſta conſtituuntur, cum enim tritæ tantummodo inſiſteret viæ, mediis ſolum & organis, è trivio uſa, neque illi curę fuerit notitia ſexcentorum aliorum quæ Pharmaciæ Chymicæ quotidie in manus veniunt, ſucceſſus optatos ideo conſequi non potuit, neque legitimam analyſin mixtorum quæ diſtillationi ſubjicere adgreſſa eſt.

Lectio Scriptorum, Meſües, Auicennę, Serapionis, Rhaſis, aliorumque priſcorum authorum Galenicorum, Græcorum & Arabum, qui rei Pharmaceuticæ deſcriptionem tradidere, veritatem rei apertam faciet, illudque in confeſſo eſſe jubebit Pharmaciæ Galenicæ famam periclitari niſi à Chimica plurimas pręparationes pręſtantiſſimas mutuatitias habeat, eaſdemque in uſum trahat, fulciendi ergo, & melius ſtatuminandi opus cui ſe accingit.

Cum porro varia Vegetabilium indoles, diverſa compages, & collectio magis aut minus arcta partium ea conſtituentium, peritum artificem non ſolum ad diverſum Ignis regimen, ſed & ad varia comparanda Vaſa, aut organa, quæ illi familiaria eſſe debent ad diverſimodam materiæ ſibi ſubjectæ preparationem, ac præſertim diſtillationem, nitide traditurus ſum & adducturus varias methodos, quibus inſiſtere debet Pharmacopœus, reſpectu habito ad variam partium Vegetabilium indolem quas diſtillationi ſubjicere intendit; Neque quoque prætermiſſurus ſum rationem quam inire debet cum uno eodemque tempore illi diſtillandæ offeruntur plurimæ partes ſubſtantia à ſe invicem diſcrepantes, imo & nonnunquam neceſſe habet partes nonnullas animalium & mineralium illis admiſcere.

Præcipuus Diſtillationis effectus eſt, caloris ope, Mixtorum (ſed præſertim Mineralium) partium fluidarum reſolutio, ab aliis Vaporum ſpecie ſecretio, horum demum collectio, ac guttatim, vel ſtillatim, per vias ab artifice illis deſtinatas effluxus.

Vt plurimum Chymia tres diverſas ſubſtantias in liquoribus, quos ex vegetabilibus per diſtillationẽ extrahit, animavertere ſolet, Aqueam, Spirituoſam & Oleagineam, quibus commixta aliquando deprehenditur quarta, una cum cæteris e quibuſdam plantis prodiens, videlicet Salina Volatilis: Aquea, Phlegmatis nomine donata, à cæteris mixti partibus non difficili negotio divellitur, cum igne impellitur: Magna præ cæteris copia redundat, ſed omnium minime eſt efficax; neque propterea parvifacienda, nam prpterquam quod cęterarum ſubſtantiarum aliquando activitatem nimiam moderari poteſt, nonnullas quoque mixti partes eſſentiales continet; quas ſecum in diſtillatione evehere ſolet, quo fit ut incorrupta pluribus menſibus permanere poſſit, imo per annum integrum, necnon inſignes effectus aliquando edere ſemper obſervabiles, imo in ipſis plantarum Aquis ſtillatitiis, ſapore & odore omni fere deſtitutis.

Subſtantia Spirirituoſa partium eſſentialium diſtillatione elicitarum altera eſt, quàm univerſa Chimicorum cohors unum ex principiis activis ſtatuit ſub Mercurij nomine: In illa animadverti ſolet Aciditas quędam odori juncta qui plantis ineſſe poteſt. Durabilior, atque eminentiores ac efficaciores effectus in ea quam in Aquea deprehendere licet.

Subſtantia Oleaginea, à Chymicis quoque inter principia activa repoſita, Sulphuris nomine in diſtillatione evehi ſolet cum Aquea & Spirituoſa: flammam concipit, cæteriſque ſubſtantiis, ſi puriſſima ſit, eminet & ſupernatat; ad fundum vero pręceps abit ſi partes quępiam ſalinæ aut terreſtres remixtæ ſint: Prędicta ſubſtantia in ſe concipit id quod plantæ aro-

aromaticæ præſtantiſſimum obtinent, odorem exhibet acutum, ſaporem acrem, & pro Quinta Aromatum Eſſentia habere licet : Dintiſſime aſſervari poteſt, dummodo ambientis injurias non experiatur.

De his Principiis plura addere animus non eſt, cum ſat multa initio primæ partis hujus Pharmacopœæ adduxerim : miſſam quoque facturus ſum ſubſtantiam volatilem ſalinam nonnunquam illi admiſtam, eo quod deinceps occaſio non defutura eſt illam manifeſtam faciendi, ſpeciatim cum de Diſtillatione ſingularium quorundam Vegetabilium agendum mihi fuerit, cujus methodum ſuo loco traditurus ſum.

CAPVT SECVNDVM.

De Diſtillatione Radicum, Deque variis ſubſtantiis ex illis eliciendis.

NOnnullæ quidem plantę abſque caulibus naſcuntur, alię abſque floribus, aliæ ſine ſeminibus, plurimiſve aliis productionibus, plantarum familię accenſendis, nulla vero abſque radice quapiam viſa eſt; ex illa quippe reliquę partes materiam ad nutritionem eliciunt, incrementum & ſubſiſtentiam, imo & partium quarumvis figuram adſumunt. Nec immerito id quoque ſtatuendum, non magis poſſibile eſſe ut fiant id quod ſunt abſque radice, quam ut eadem radix ſit id quod eſt, niſi ſemen, ex quo emerſit, præceſſerit, aut ſaltem ab aliquo radici analogo divulſa ſit, cui vis inſita fuerit ſpeciem multiplicandi, cujuſmodi in croco &c. obſervatur : uti & etiamnum ponendum eandem ſubſiſtere non poſſe, neque partes, quęcunque nobis conſpicuæ ſunt, producere, Terrę auxilio deſtitutam; quæ illi uteri aut matricis vicem prębet; Abſque Solis efficacia, calorem illi neceſſarium ſuppeditantis; Abſque Aquæ ſubſidio, ad ipſam deferentis quicquid Terra, ad ejus eſſentiam neceſſarium continet & ſubminiſtrat, incrementum & perfectionem aut ſtatum, ut denique eorum in ſingulas partes diſtributio fiat : Illud quoque ratum eſſe debet Radicem, earum præſertim plantarum quæ quotannis intereunt, ad partes ex ipſa oriundas nequaquam vires, quas in illas transfundit immiſſuram, niſi & ipſi eædem prius inſitæ fuiſſent: Quamobrem quaſi in compendio præcipuæ vires, quas in cæteras plantæ partes diffundere apta nata eſt deprehenduntur, dummodo eo tempore collecta fuerit quo ſe accingit ad productiones ſuas exſerendas, quod ſolet eſſe finis hyemis aut veris initium.

Sed quamvis hi reſpectus artificem impellere debeant ut magno æſtimet optimas partes & facultates, quibus plurimæ radices præditæ ſunt, Chimicas illarum præparationes multiplices inſtituat, Diſtillationi

tamen illæ minus quam cæteris operationibus ſubjiciuntur, quam ſolum in quibuſdam radicibus aromaticis adhibere ſolet, quarum partes præcipuas facile hoc pacto educere poteſt, Atque ab his initium exemplorum Diſtillationis ducendum eſſe exiſtimavi, quæ hoc in opus adferre decrevi.

Diſtillatio *per Deſcenſum* dicta, ejuſmodi in Radicibus locum nequaquam habet, uti neq; illa quę *ad Latus* vocatur, nam præter conſumptioné imminentem portionis optimæ partis quæ radicibus ineſt, utiles illarum facultates alterationem manifeſtam profecto ſubirent, ab ignis immediato contactu illas invaſuri; Sed ad hoc opus Diſtillatio Recta vel per Aſcenſum, requiritur, eligendo Menſtrua, aut diſſolventia idonea, in quibus non ſolum diſſolvi queant partes puriſſimæ & diſſolutioni idoneæ harum radicum, ſed & quorum ope illæ ſurſum evehi queant vaporis forma, ope diſtillationis, demum in liquorem, quas reſolutas excipiat Recipiens ei rei dicatum.

Eam in rem valent cucurbitæ vitreæ, lapideæ, (*de grés*) aut fictiles vitreatæ, Alembicis vitreis inſtructę, ſi diſtillationi exponenda ſit exigua Radicum quantitas: Sed ſi major copia diſtillanda fuerit, ad hoc opus requiruntur Refrigeratorium majus aut minus, vel Veſicæ cupreæ ſtanno intus obductę, coopertæ Alembico, capite Mauri dicto, inſtructæ Serpentino, dolium aqua frigida refertum tranſverſim per tranſiente.

Vna eademque methodo diſtillandæ radices Valerianæ, Imperatorię, Angelicæ, Meu, Carlinę aliarumque plantarum aromatica vi imbutarum, ſpiritibus turgentium, nonnullis oleagineis, imo & ſalinis, volatilibus & fixis.

Accipiantur, exempli gratia, libræ tres cujuſpiam è dictis radicibus ſiccatis, quibus exacte contuſis, & magnæ Cucurbitæ vitreæ immiſſis, affundantur aquæ meliſſæ ſtillatitiæ libræ ſex, vini albi optimi tantumdem, ad id opus electa Cucurbita ejus capacitatis ut quarta circiter illius pars vacet; demum adaptato illi Alembico vitreo, lutoque utroque munito, cum recipiente Alembici roſtro adpenſo, cuncta hæc per tres aut quatuor dies in digeſtione ſinantur ad ignem cinerum leniſſimum, aut ſupra furnum Piſtoris, vel fornacem hypocauſti; Poſtmodum Cucurbita in Balneo arenæ collocata, diſtillatio inſtituenda erit igne moderato, qui tamdiu duret quouſque a[illegible] inde ſtillans ſaporis & odoris fere expers fuerit; quo tempore permittendum ut vaſa ſponte refrigeſcant, poſt colandę & exprimendæ materiæ in cucurbitæ fundo ſupeſtites, dehinc clarefacto liquore, humiditatis ſuperfluæ, ope ignis lenis, procuranda evaporatio ad legitimam Extracti conſiſtentiam, quod ſeorſim in vaſe Faventino accurate occludendo adſervandum.

Magna

Magma quoque exſiccari poteſt, comburi, in cineres deduci, Elixiviari, quo per filtrum tranſmiſſo, conſumptaque ad coagulationem uſque ſalis humiditate, hoc commiſcendum Extracto & cum illo adſervandum.

Optimum erit ſi liquor diſtillatus rectificatus fuerit, Balneo Cinerum, aut Arenæ, igneque moderatiſſimo, eliciendo ſpiritum ſubtiliſſimum, illiq; conjunctum Salvolatile, imo Aquam ſpirituoſam, cujus etiamnum comes erit Olei odorati tantillum, ſupernatantis liquori, quod ſeparandum, & ſeorſim reponendum in exigua lagena vitrea, denſa, accurate obturanda, ut pote eſſentia eximia, & efficax: Aqua in fundo cucurbitæ reſidua, cum virium prope ſit expers, vix Officina digna eſt.

Extractum ea ratione preparatum, cum nihil inſigne præ ſe ferat, preter radicis partem ſalinam fixam, quod partes cunctæ volatiles, & maxime utiles per diſtillationem ad ſuperiora evectæ ſint, vix ſolum quicquam generoſum edere valet; at vero optime in uſum duci poteſt ſi in aqua ſpirituoſa diſſolutum fuerit, cui quoque vigor accedere poteſt addito ſpiritu volatili, ejuſque comite oleo ſimul diſtillatione elicito; hoc aliquot drachmis ſacchari puriſſimi pulveriſati commixto, cujus ope intima poteſt fieri conjunctio iſtius olei, illique adfinium, cum quibuſvis liquoribus aqueis.

Subſtantiæ à me modo commemoratæ potentiſſime humorum putredinem coërcent, necnon aëris inquinamentis obſiſtunt: Eapropter feliciſſimo eventu in omnibus affectibus epidemicis adſumuntur, imo ipſa Peſte: Commiſceri poſſunt, & ſimul exhiberi, ſicuti à me dictum, variæ illæ ſubſtantiæ ſua queque juſta proportione; aut ſeorſim dari, ratione habita morbi indolis & ægri virium.

Doſis ſpiritus optime rectificati, admixto ſale illius volatili, eſt à ſcrupulo ad drachmam, Aqua ſpirituoſa porrigitur ab unciis duabus ad ſex, imo etiam octo, Oleum exhibendum à guttis duabus ad ſeptem uſque vel octo; Extracti dozis, remixto ſale ejus fixo, à ſemidrachma ad drachmas duas.

Cunctæ partes illæ, quanquam diverſæ, in unum eundemque finem conſpirant, corroborationem videlicet cordis, cerebri partiumque omnium principum; humoreſque malignos, per habitum corporis excludi idoneos, per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem expellendos. Reſpondebit eventus pro majori aut minori dozi accepta: Extracto vis nonnulla purgans ineſt, ratione ſalis fixi illi inexiſtentis, quamobrem commodiſſime cæteris medicamentis purgantibus commiſceri poteſt, adverſus morbos ad quos cæteræ partes utiles, modo à me memoratæ, in uſum adducuntur.

Oleum ſtillatitium in unum corpus convenire & coaleſcere poteſt, oleo Nuciſtæ expreſſo commiſtum, atque inde confici Balſamus pera geſtandus, exigua pyride, aurea, argentea, aut eburnea includendos Balſamus ille cognomine radicis è qua eductus fuit donandus, acceptus tum ob odoris ſuavitatem, tum ob vim nobiles partes corroborandi, præſertim cerebrum, naribus illum immittendo, temporibus admovendo, & ſupra cranii ſuturas.

CAPVT III.

De Diſtillatione Herbarum ſucculentarum, inter frigidas repoſitarum.

ETſi non immerito uſus ſucci, aut decocti herbarum humidarum & odore carentium, præferatur Aquis ex illis per diſtillationem extrahendis; Illud porro concedendum ſit ſal fixum herbis inhærens vix ſurſum evehi, per diſtillationem obtinendnm, attamen aquis ejuſmodi carere vix licet, ſi modo ægris gratiæ debentur, ſaporem ſuccorum aut decoctorum reſpuentibus: Adde quod non quovis tempore præſto ſunt herbe, quod omnes fere hyemali tempore intereant, Decoctum vero, aut ſuccus plurimis diebus incorrupta ſervari nequeunt, niſi ab humore ſuperfluo liberata fuerint, corruptionis illorum cauſa; vel ſubſtantia illorum liquida in craſſiorem commutata ſit; vel deputatione illorum facta, clarificatione, & cum ſaccharo aut melle coctione, ad illum ſtatum deducta fuerint per quem diutius adſervari queant, Syrupi videlicet formam.

Herbæ predictæ, uti neque radices à me memoratæ, per deſcenſum aut ad latus diſtillantur, neque enim hoc pactovlla legitima ſeparatio partium puriorum ab impuris ſperari poteſt, vixque obtinere licet ne poſteriorum pars maxima cum prioribus effluat ac illis commiſceatur; Eapropter tantum Diſtillatio per aſcenſum, vel Recta, adhibetur, quippe quæ ſola in vapores ſolvere, ac dictarum herbarum liquorem ſubtiliſſimum evehere poteſt, qui demum in alembico colligantur, ac guſtatim inde, aut inſtar filamentorum aqueorum per roſtrum dicti inſtrumenti in recipiens diſtillent.

Varia debent eſſe Vaſa, diverſumque ignis regimen, pro varia herbarum diſtillandarum natura; Neque enim tantæ capacitatis vaſa eſſe debent, atque accuratius ignis regimen requiritur ad eas quæ tenuis ſunt ſubſtantiæ, frigidas judicatas, quam ad eas quarum ſubſtantia craſſior eſt, commixtas habentes partes calidas: Ad priorum diſtillationem uſurpantur vaſa vitrea. vel, ſi defuerint, lapidea, (*degrés*)aut fictilia, interius

interius vitreata; Inſtituitur & illarum diſtillatio in maris Balneo aut Vaporoſo: Poſteriorum verò in vaſis cupreis ſtanno interius obductis; quorum quædam Refrigeratoria dicta, parte ſuperiore, vapores, ut ignis è materiis ſubſtratis elevatos excipiente, aquam frigidam continere debent, utilem condenſandis illis vaporibus, Recipiente demum excipiendis: Alia, magnæ Veſicæ dicta, ſuperna parte gerunt Alembicum, cui à figura capitis Mauri nomen impoſitum fuit, roſtrum habens adjunctum, dictum ſerpentinum, aut anguinum, diverſimode inflexum, tranſverſim dolium aqua frigida plenum pertranſiens: Hæc Refrigeratoriis præferri ſolent, eo quod elati vapores plus refrigerij nanciſcantur, faciliuſque ideo reſolvantur, in tranſcurſu nacti magnam aquæ frigidæ copiam, cum in priori nullum aliud refrigerium obtineant quam quod communicare valet exigua aqua Recipiente contenta.

Poſteriora hæc ex duabus conſtant partibus, quarum inferior, materias diſtillationi dicatas continens, figuræ rotundæ eſt & depreſſæ, ad ſummum altitudinis octo aut ſeptem pollices obtinens; ſuperior capellæ formam obtinens, proportione in baſi ſua reſpondens latitudini vaſis inferioris quod excipere debet, multo latior eſt & excelſior Capellis vulgaribus; Poteſt & huic adcommodari, & circum circa quaſi ferruminari, pyxis cuprea altior & amplior, muri ambientis vices gerens, aquæ copiam non exiguam continens, quæ capellam undique cingens, ac per vices affuſam recentem aquam excipiens, vaporum ex materia ſubſtrata elatorum reſolutionem faciliorem & celeriorem reddit; quin etiam empyreumatis odorem, quem aquæ in ejuſmodi vaſis diſtillatę facillime contrahunt, præcavet: Vaſa illa Roſaria vocantur, quia vulgus ad Roſarum diſtillationem illis utitur: imo & adhibens capellas plumbeas inconſiderate, vapores enim è materiis ſuſcitati, ad occurſum partis interioris capellæ certiſſime illam erodunt, plurimaſque particulas exinde abſtrahunt, quibus proculdubio aquæ qualitas, illam diſſolventis & abradentis, alterationem ſuſcipit; ſapor ſubdulcis, & pulvis candicans, ad aquæ fundum paulatim ſecedens, luculenta eventus indicia præbent; ſicuti ſapor acer, & pulvis virideſcens in fundo aquarum in vaſis cupreis ſtanno non obductis ſubſidens, manifeſtiſſimum faciunt æris particulas abraſas & diſſolutas ſeceſſiſſe.

Cum porro inter metalla ſolum ſtannum vaporibus ex herbis diſtillandis ſuſcitari ſolitis obſiſtere valeat, neque exeſioni, neque diſſolutioni obnoxium, ſumma cura adhibenda eſt ut vaſa cuprea, diſtillationi peragendæ dicata, ſtanno interiori parte accurate obducantur: Imo forte ſatius eſſet capellas ex ſtanno puriſſimo & ſonoro confectis uti, dimiſſis cupreis ſtanno obductis, commodiſſime tamen in vſum venire

poſſunt capellæ plumbeæ ad diſtillationem aquarum ſolani, plantaginis, roſarum albarum, pedunculorum roſarum, & ſimilium, collyriis deſtinatarum, aliiſve uſibus externis, eo quod conjunctæ illis plumbi particulæ intendunt prædictarum aquarum efficaciam.

Balnei maris, aut Vaporoſi, calor cum inſufficiens ſit excalefaciendæ illi copiæ materiæ quæ in ejuſmodi vaſis continetur, præſertim in ambobus prioribus, ignis immediatus ex carbonibus accenſis uſurpari ſolet, ſed accurato regimine opus eſt, quamobrem earumdem fornacum oſtiola, aut regiſtra, reſeranda aut claudenda opportune, ad augmentum aut decrementum caloris pro re nata: Satis tamen aliquando eſſe poſſunt Balnea Cinerum, aut Arenæ ſub Roſario, præſertim cum diſtillandæ ſunt herbæ integræ aut inciſæ citra ullius humoris additamentum; aut ſi diſtillandus eſt alicujus plantæ ſuccus, à quo intenſiori vis refrigerans infringi poſſet.

Optima methodus diſtillandi plantas humore multo madentes, atque præſtantiſſimarum quas continent partium eliciendi ratio eſt per ſucci illarum extractionem, illum prius depuratum diſtillationi ſubjiciendo: Non opus hic eſt methodum tradere cui inſiſtendum ad extractionem & depurationem quorumvis ſuccorum, cum hanc iampridem enarravérim capite primo partis ſecundæ hujus Parmacopœæ, ubi de Galenica ſuccorum præparatione; Sed opportunum fuerit animadverſiones quaſdam attuliſſe de varia ſuccorum indole, naturam redolentium plantarum è quibus educti ſunt, ut videlicet non ſolum ratio habeatur diverſitatis ſubſtantiarum illas conſtituentium, ſed præſertim copiæ illarum quæ in unaquaque dominium ſupra cæteras obtinent, quo vaſa idonea poſſint eligi, ignîſque eo modo regi, ut in aqua diſtillata reperiatur id quod per diſtillationem ſurſum promovendum eſt; non neglecta interim parte ſalina, cum ſucci fæcibus ſemper reſidua, aut in magmate herbarum è qua fuit eductus.

Cucurbitis vitreis, argillaceis, aut fictilibus vitreatis, quibus adaptandi alembici vitrei, commodiſſime infunditur ſuccus depuratus foliorum Nymphææ, Sempervivi majoris & minoris, Vmbilici veneris, Lactucæ, Solani, herbarumque ſimili humore plurimo ſcatentium; pauciſſimis vero partibus ſalinis, pauciſſimis ſulphureis, quæ diſtillantur Balneo Mariæ, aut Vaporoſo, cum magis qualitas refrigerans quam aquarum diſtillandarum copia exquiritur : At vero ſi diſtillatione eliciendum id quod in dictis plantis maxime eſſentiale eſt, adhibendum eſt Balneum Cinerum, imo & Arenæ, ſed moderatæ caliditatis : Ea enim ratione aqua particulas quaſdam volatiles ſpirituoſas, utcunque ſalinas, comite nonnulla aciditate, quæ conſervationi conducunt, imo & efficaciam

adduntî

addunt, ſecum abſtrahit & ſurſum evehit: Sal etiam fixum in herbarum magmate diſquirendum, in aqua diſtillatione educta diluendum, etſi minima quantitas ab iis expectanda labori extractionis ſuperſedendum moneat.

Diſtillari necnon poteſt Succus, imo folia viridia dictarum herbarum, inciſa aut integra in Roſario, cui impoſitus ſit Alembicus ex ſtanno puriori & ſonoro fabrefactus, vel cupreus ſtanno obductus, Balneo einerum aut arenæ ſuperimponatur, atque eo modo præſtantiſſimæ aquæ educi poſſunt, dummodo regimen ignis, dum diſtillatio peragitur, accuratum fuerit, curaque fuerit ne adurantur materiæ diſtillandæ, cum humor omnis prope jam abſumptus eſt.

Non inſigne in Aquarum viribus, uti neque in earum uſu obſervatur diſcrimen, Frequentiſſimus eſt ad æſtum febrium extinguendum, humorumque bilioſorum efferveſcentiam ſedandam, ſicuti & ad ſomnum invocandum, illas exhibendo ab unciis duabus ad ſeptem vel octo, ſeorſim aut commixtas ſyrupo cuipiam idoneo, Iulepi forma; Exterius quoque adhibentur, tam ad cutis lævorem conciliandum, quam ad rubores delendos, tum ad eryſipelas curandum, ac omne herpetis genus, inflammationeſque externas extinguendas: Aqua Solani in poſtremis hiſce affectibus vulgatiſſima eſt, ſed ore adſumenda rariſſime præſcribitur, forte tantum gargariſanda.

CAPVT QVARTVM.

De Acetoſarum Diſtillatione.

QVandoquidem magna adeſt affinitas inter varias Oxalidum ſpecies cum herbis à me modo memoratis, eodem omnes igne diſtillandæ videntur, eademque eam in rem vaſa uſurpanda, At cum in prædictarum Acetoſarum ſucco ſal quoddam eſſentiale acido tartareum contineatur copioſius, ſed admodum à ſale herbarum, de quibus ſuperiori capite à me actum, diſcrepans, cujus eductio à me pretermiſſa eſt, quodque niſi ſumma cura adhibita elici poteſt, mei officii eſſe credidi methodum illam in medium afferre.

Non exigua Oxalidis ſucci extrahenda copia eſt, eo tempore collectæ quo in ſemen erumpere incipiens illius humiditas rite digeſta eſt, ac qualitates ad ſummum vigorem evectæ: depurandus ille ſuccus, infuſuſque in plures cucurbitas vitreas, adeo ut tres illarum partes adimpleantur, unicuique ſuum alembicum imponendo, ac in Balneo arenæ, adhibito igne moderato collocando, diſtillanda erit aqua, quouſque cu-

curbitæ unicuique commiſſi ſucci circiter duæ partes conſumptæ fuerint. Deinum refrigerato Balneo, reconditaque aqua diſtillata, in manicam, ex panno albo paratam, ſuccus in cucurbitis ſuperſtes decantandus, ad exactam fæcum ſeparationem: Poſtea infuſo liquore limpido in cucurbitam vitream mundam, alembico ſuo munitam, iterata inſtituenda erit diſtillatio in Mariæ Balneo, neque tepido neque æſtuante, quæ vrgenda donec ſuccus in cucurbita ſuperſtes ad Rob conſiſtentiam deductus fuerit, quo tempore permittendum ut vaſa refrigerentur & cucurbita in cellam vinariam deferenda, in qua ſal Oxalidis Eſſentiale exactis aliquot horis in Cryſtallos abiturum eſt, fundo & lateribus cucurbitę adhæſuras: Tunc per inclinationem vaſis in exiguam cucurbitam effundendus erit liquor Sali ſupernatans, qui Balneo Mariæ ad evaporationem iterum commiſſus, donec ut priùs ſponte craſſeſcat; ſicuti prima vice, in cellam vinariam iterato deferendus, ut eadem cryſtalliſatio ſuccedat: Ad exſiccationem perduci poteſt utrumque Sal, atque in phiala vitrea ad ſervari, accurate occludenda, aut diſſolvi in aqua diſtillata & illi commixtum ſervari, à quo efficaciam majorem obtinebit: Vt melius purificetur, liceret etiam id diſſolvere in aquæ diſtillatæ portione, per chartam emporeticam liquorem hunc filtrare, demum evaporatione facta aquæ ad pelliculam nſque ope moderati caloris, Sal ad cryſtalliſationem in cella vinaria deducere, id exſiccare, & in lagena vitrea optime clauſa ad uſum ſervare.

Hoc in ſale continetur quicquid Acetoſæ optimum & maxime eſſentiale conceſſum eſt, viſcerum obſtructiones aperit, incidit & attenuat humores craſſos & viſcidos, ideoque opem inſignem præſtat in affectibus Iecoris, & Lienis. Appetitum excitat, concoctionemque alimentorum promovent.

Doſis illius eſt à ſemi ſcrupulo ad drachmam ſemis, in aqua propria aut quopiam iuſculo: Aqua diſtillata in uſum accerſitur ad æſtum febrium extinguendum, præſertim bilioſarum: Adſcribitur etiam numero aquarum Cordialium, eademque dozi qua præcedentes præſcribitur.

CAPVT V.

De Diſtillatione Aquarum calidarum, amararum, & odore carentium, Aliiſque illarum præparationibus quovis tempore ſuſcipiendis.

EAdem norma & ratione qua Acetoſæ liceret diſtillare fumariam, lupulum, carduum benedictum, aliaſque herbas ſucculentas, amaras &

ras & fere inodoras, Eadem quoque vaſa ad id opus idonea videntur, idemque ignis gradus adhibendus, At cum non exigua copia dictarum herbarum Aquæ diſtillatæ in vſum veniant; non paucum porro Sal nitro tartareum obtineant; ac citra qualitatum illarum alterationem, ſi liber, ignis gradus vehementior adhiberi poteſt, commodiſſime Refrigeratorium uſurpare licet, aut magnam veſicam, capite Mauri inſtructam, cum ſerpentina fiſtula, tranſverſim dolium aqua frigida repletum pervadente, ad diſtillandum illarum ſuccum, eadem ratione qua oxalidum depurandum.

Cum vero Sal eſſentiale, quod cryſtalli formam adeptum eſt in ſucco, in vaſorum fundo poſt diſtillationem reſiduo, ut plurimum impurum eſt & obſcuri coloris, tam ob partes terreſtres pluſquam in acetoſis copioſas, quam ratione quarundam partium ſulphurearum, plantas amaras concomitantium, cum præſertim ſummo in vigore conſtitutæ ſunt, tunc temporis non ſolum ſedula cura filtrandi ſunt ſucci, neque minori quam ad ſuccorum exalidum depurationem, ſed alia præterea media diſquirenda ſunt ad exactiorem purificationem dictorum Salium: Vt res votis reſpondeat, & ſimul comparari poſſit Sal in herbarum magmate reſiduum, è quo ſucci fuere extracti, magma illud exſiccandum eſt, ex eo combuſto, & in cineres deducto, lixivium parandum eſt cum aqua ex eadem herba diſtillatione educta, in quâ poſtquam diſſolutum fuerit Sal cryſtallinum, ſucco condenſato commixtum, omnia tranſmittenda ſunt per chartam emporeticam; demum ex liquore filtrato, cucurbitę vitreæ immiſſo, cui alembicus impoſitus ſit, per maris Balneum elicienda eſt aqua, pergendo in diſtillatione quouſque obſervata fuerit cruſtula ſupernatans liquori, illumque pelliculæ inſtar obtegens: Tunc à diſtillatione deſiſtendum, & ut vaſa ſponte refrigerentur permittendum, Cucurbita autem in cella vinaria per horas quatuor aut quinque relicta, in parvam cucurbitam vitream decantandus erit liquor reſiduus, illiuſque facta nova iterum evaporatione ad pelliculam uſque, exſiccatio procuranda erit Salis priori commixti, ad uſus idoneos adſervandi, in ampulla vitrea forti, accurate obturata: aut id commiſcendum erit propriæ aquæ diſtillatæ, ſicque recondendum.

Sal ex prædicto herbarum magmate eductum, cum deſtitutum ſit parte nitroſa volatili, illi prius adhærente, ab aduſtione & incineratione præcedentibus deſtructa, ſolum partem ſalinam tartaream fixam obtinet: At vero ſal ſuccorum, fundo vaſorum poſt diſtillationem adhærens, ęque conſtat ex parte nitroſa volatili & tartarea fixa, harum herbarum præcipuis ſubſtantiis: Additio tamen ſalis tartarei fixi, e magmate eliciti, cum duorum priorum conjunctione optime conſentit, quorum vim manifeſtè intendit augetque. B 3

Quidam magno loco habent Aquas Cichorij, Lupuli, Fumariæ, ad maſſam ſanguineam depurandam ac curationem affectuum Iecoris & Lienis, imo & Ventriculi ab humorum corruptela oriundorum, majori tamen efficacia operantur ſi proprium illarum ſal additum fuerit, cujus dozis eſt à ſemi-ſcrupulo ad ſemi-drachmam, imo & drachmam inte-gram, Aquæ exhibentur ab vnciis duabus ad ſex, imo & octo: Sal di-ctarum herbarum immiſcetur nonnunquam juſculis aliiſve liquoribus; quinimo & quibuſdam Salibus, Opiatis, aliſve remediis.

Carduus benedictus partibus nitro ſulphureis quam jam memoratæ plantæ magis abundat; Sal & aqua ex illo educta præſtantiores quoque edunt effectus: quia vero partes volatiles ſalino-ſulphureæ hujus plantæ in diſtillatione aquæ commixtæ facile aſcendunt, illis vero conjunctæ minima etiam vaſa ſubire valent, imo etiam poros carnium, inibique humores craſſos & tartareos hærentes attenuare, mirandum non eſt ſi quotidie ad pellendos ſudores exhibeatur hæc aqua, ſimulque eliminan-dos humores ſubtiles febrium comites, præſertim malignarum, vapo-rum humidorum forma illos excludendo aut per inſenſibilem tranſpi-rationem.

CAPVT VI.

De Diſtillatione Abſinthij.

ABſinthium vulgare, omnium ſuffragio maximum, cichoreo, lupu-lo, fumaria, quin & carduo majoris amaroris eſt particeps: ideo quoque ſale fixo plurimo pollet, continens ſubſtantiam ſulphuream, oleagineam ac utcunque ſalino volatilem, qua deſtituuntur cichorium, lupulus, fumaria, ſed præſertim carduus benedictus, à partibus fixis vix alio pacto ſeparandam quam diſtillatione per adſcenſum, additaque ſuf-ficienti aquæ communis quantitate, aut, quod ſatius, propriè: Etſi enim ex Abſinthio ſuccus elici poſſit, dum adhuc vireſcit, & priuſquam in caules aſſurrexerit, eademque ratione diſtillari qua ſuccus plantarum memoratarum, nihilominus intricatæ illius partes, atque digeſtionis im-perfectio diſtillationis optatæ ſucceſſum prohibent, quæ multo prę́ſtan-tior futura eſt ſi eo tempore inſtituatur quo Abſinthium emittit caules, floribus emiſſis, ſemine nondum perfecto, tunc enim plantæ completæ ſunt prę́cipuæ digeſtiones, & artifici ſuppeditare idoneæ diſtinctas uti-liſſimas parte ab ipſo expectandas. Maxima Authorum pars qui de di-ſtillatione verba fecere, in ſubſidium adhiberi jubent fermentationem, at meo judicio illa abſtinere ſatius eſt, quandoquidem acidum fermen-

tativum

tativum extrinſecus immiſſum, quod neceſſario in auxilium advocandum ad prædictam fermentationem promovendam, & diuturnitas temporis neceſſario requiſita, diſſipationem plurimæ partis partium ſulphurearum & volatilium, hic expetendarum, proculdubio induceret, cum omnibus ęque potiri liceat ſi modo aliter negotium tranſigatur.

Colligantur plantæ Abſinthij non exigua copia, tempore circiter plenilunii, cum floribus emiſſis ſemen in procinctu eſt, ſegregatis & abjectis partibus cunctis ligneis & durioribus; Accipiantur pondo libræ duodecim, optime contundantur in magno mortario marmoreo, ligneo piſtillo, inditiſque veſicæ vitreę capaci, interius ſtanno obductæ, affunde aquæ fluviatilis libras quatuor, excalefactę adeo ut inter teporem & æſtum media ſit; aut, quod ſatius, ſuperfunde parem quantitatem aquæ Abſinthij diſtillatæ, eodem gradu calentis; Procurandum ut duæ tantum Veſicæ capacitatis partes impleantur, quæ Piſtoris furno ſuperimpoſita, in arenæ acervum immergatur ad materiæ uſque concluſæ altitudinem; demum impoſito veſicæ Alembico cœco, quod vocant (*de rencontre*) exacte commiſſo, optimeque luto munitis juncturis, illic detineatur per quatuor dies naturales, quibus exactis, decruſtatoque alembico, & impoſita veſica idoneæ fornaci, cooperiatur hæc ſuo operculo, ſeu Mauri capite, cui ſerpentinum adjunctum ſit, ſicuti prius dixi, inſtituaturque diſtillatio igne immediato, admotis carbonibus, in illa pergendo donat aqua diſtillans ſaporis pene ſit expers & odoris; Poſtmodum frigefactis vaſis, colandum & expreſſione eliciendum id quod in veſica ſuperſtes eſt, quo ovorum albuminibus clarificato, & per manicam panneam tranſmiſſo, evaporationi ſubjiciatur humiditas ſuperflua igne lento, inſiſtendo donec liquor adeptus ſit conſiſtentiam inter Electuaria & Pilulas mediam.

Exſiccare licet, comburere ac incinerare diſtillationis magma, elixiviare, ſecretumque ſal fixum mediis ordinariis ſeorſim recondere, aut diſſolvere, ac cum aqua ſpirituoſa adſervare: Licet & in Balneo Mariæ totam aquam ſpirituoſam reſervare, liquoremque ſpirituoſum cum ſalino volatili, & oleaginoſa parte primo aſcendentibus excipere: demum ſecretos ab invicem ambos hos liquores, ope infundibuli vitrei, alteriuſve organi, in ampullis vitreis denſis, accurate obturandis, ſeorſim adſervare: Deinceps in rectificatione pergendo, excipienda & ſeorſim reponenda eſt Aqua odorata, nonnihil ſpirituoſa, ambos liquores ante ſeparatos ſubſequens, rejecta parte aquca & inutili in vaſis fundo poſt rectificationem ſuperſtite.

Pręcipuæ vires ab authoribus Abſinthio adſignatę ſunt inciſio & attenuatio humorum craſſorum in ventriculo hærentium, Naturę ad ex-

pulſionem irritatio : Admodum convenit in affectibus Iecoris & Ventriculi, quorum debilitatem emendat, appetitum excitat concoctionemque adjuvat : vermibus necandis etiam conducit, uterique morbos ſanat: Cum porro abſinthium citra ullam præparationem cunctas has facultates nactum ſit, illud pro comperto habendum partes illius puriſſimas, quas Chimia ſegregare docet, à craſſioribus has intricantibus liberatas, certiori efficacia quoſcunque effectus ſperabiles edituras.

Non alia methodus requiritur ad diſtillationem cæterarum plantarum calidarum, amararum & odoratarum, quin & illarum quæ etſi amarore fere quovis careant, minuſque ſalis fixi obtineant, partibus oleagineis odoratis, & quibuſdam ſpirituo ſalinis volatilibus pollent.

CAPVT VII.

De Diſtillatione Cochleariæ, Naſturtij, aliarumque Plantarum humidarum, Antiſcorbutica vi præditarum.

ETſi maxima illorum pars qui de Diſtillatione Plantarum Chimica aliquid ſcriptis conſignarunt, fermentationem maxime locum habere in herbis antiſcorbuticis cenſeant, potius quam in Abſinthio & ſimilibus ; neque omnino ab illis diſſentiam qui nec temporis neque laboris compendium quærentes, multa cura & ſollicitudine negotium ea ratione melius abſolvi credunt, Temporis tamen ego parcus, & labore inutili ſuperſedere cum ſatius eſſe credam, ſi modo voti compotes fiamus, methodum faciliorem, imo meliorem ut in medium adducam impellor.

Omnes in eo conſentiunt Cochleariam, Naſturtium aquaticum & hortenſe, Erucam, Beccabungam, ac plurimas ejuſmodi herbas, ſapore acri, mordaci præditas, utcunque aromatico, ſpiritibus & ſale volatili turgere ; Ejuſmodi ſpiritus, & ſal volatilia, eſſentia admodum tenui pollere, plantârumque dictarum partem maxime eſſentialem conſtituere; Artificem autem peritum eo præſertim collineare debere ut has partes à cæteris ſejungat ad uſus neceſſarios.

Tenuitas & ſubtilitas præſtantium harûm ſubſtantiarum in cauſâ eſt quod facillime in auras abeant, atque admodum arduum ſit ut prædictæ herbæ cunctos ad fermentationem gradus neceſſarios ſubeant, quin pluriumpartium utilium jactura accidat, quam ut artifex, ſumma etiam cura adhibita, comparare queat prægreſſa dicta fermentatione : Eapropter etiam exiſtimo, prætermiſſa additione cujuſpiam materiæ extranex,

neæ; promovendæ gratia illius fermentationis, ſatius eſſe in uſum adduxiſſe Menſtruum aliquod idoneum, quod diſſolvendo, & ſeſe intime uniendo prędictarum plantarum partibus maxime eſſentialibus, in diſtillatione illas ſecum abſtrahere valeat, inalterata illarum natura, adeo ut augmentum potius accedat illarum viribus quam detrimentum.

Quo res ſuccedat, collige prędictarum herbarum floridarum quam volueris & quantum libuerit; illi craſſe inciſæ, Veſicæ cupreæ interius ſtanno obductæ immiſſę, ſuperfunde vinum album optimum, adeo ut tribus digitis herbæ ſupereminet, & nihilominus materiæ duas tantum partes capacitatis veſicæ occupent: hac poſtmodum ſuper fornace idonea collocata, & operculo, Mauri caput dicto, cooperta, optime luto obducto, fiſtula ſerpentina munito, per dolium aqua frigida repletum traducto, adaptato etiam Recipiente lutato, eo in ſtatu vaſa detineantur nullo igne adhibito per horas viginti quatuor; quibus exactis, accendendus erit ignis in fornace; inchoataque diſtillatione, ope ignis carbonum immediati, eo modo regendus hic erit ut guttæ ſtillantes proxime ſe inſequantur, non tamen nimia celeritate, adeo ut paulatim partes ſpirituoſæ & volatiles herbæ, & inſimul vini, ſurſum impelli queant, ſenſimque exſtillare; ac poſtmodum in veſica cunctæ partes fixæ, magmati commiſtæ, ſpeciatim ſalinæ, obviæ ſint, demum ſeparandæ, colatura & expreſſione facta totius, ad Extracti conſiſtentiam poſtea deducendo, liquore in quo continebantur prius clarificato, diſcuſſaque in vapores ope ignis leniſſimi humiditate ſuperflua: Diſtillationis ſit finis cum guttæ fere ſaporis expertes prodeunt, indicium enim id eſt quicquid ſpirituoſum aderat ad ſuperna evectum fuiſſe.

Si quis vero Spiritum dictarum herbarum generoſiorem, puriorem, & majori copia ſibi comparare ſtuduerit, poſt exhauſtam veſicam, ſepoſitumque quod ſuperſtes erat, conſultiſſimum fuerit tantumdem ejuſdem herbæ immiſiſſe, atque cunctam aquam diſtillatione eductam infudiſſe, cum æquali vini albi optimi quantitate: demum cooperta veſica, adpoſito Mauri capite, cum annexa Serpentina fiſtula, cunctiſque his ſimul cum Recipiente probe luto obductis, in maceratione & diſtillatione uti priore vice procedendum erit.

Id ipſum quoque melius poſtea ſuccedet, ſi utroque magmate conjuncto recens herba in Veſicam immiſſa fuerit, deſuperque affuſa omni aqua ſpirituoſa diſtillata, nova procuretur diſtillatio: Diligenter enim ſi luto munita fuerint vaſa, ac dum peragitur diſtillatio ſi probum ignis regimen acceſſerit, aqua proditura eſt ſpiritu & ſale vola-

tili herbæ diſtillatæ admodum turgens; cujus poſtmodum inſtitui poterit Rectificatio in matratio oblongo collo prædito, Alembico ſuo inſtructo, ut & Recipiente, probe luto munitis: in Balneo arenæ collocato, igne moderatiſſimo adhibito; ſeorſim recondito in ampulla vitrea denſa, accurate obſtructa, Spiritu, ſale volatili donato, prius adſcendente; ſeorſim quoque adſervata aqua ſpirituoſa prædictum ſpiritum ſubſequente, in cujus etiam diſtillatione pergendum donec guttæ fere inſipidæ prodeant.

Quoad magmata, ex iis extractum educendum, ea ratione quam ſuperius propoſui: Vt vero cuncta utilia, quæ herba poſſidet, in uſum & potentiam veniant, exſiccandum erit ſedimentum, comburendum & incinerandum; lixivium ex aqua communi faciendum, quod filtrandum, ſolutaque in vapores humiditate, illius ſal aquæ ſpirituoſæ diſtillatæ commiſcendum, aut, quod ſatius, Extracto, quandoquidem præcipuus illius effectus eſt juvare expulſionem humorum craſſorum per ſedes aut vias vrinæ, cui ſcopo ſalia fixa præſertim conducunt.

Id Extractum ſolum Boli forma exhibetur, aut diſſolutum in liquore aliquo idoneo, à ſemidrachma ad drachmas duas, imo & ad ſemunciam; Aut purgantibus commiſcetur, imminuta Extracti doſi, proportione ſervata illorum quantitatis & virium.

Spiritus & Sal volatile Cochleariæ, Naſturtij, aliarumque herbarum ejuſdem indolis, vti & aqua ſpirituoſa poſtmodum extracta, generoſa ſunt remedia, imo ſpecifica ad curationem affectuum ſcorbuticorum, quorum cauſa adſignatur ſeroſis humoribus, frigidis, craſſis, vixque reſolubilibus, maſſæ ſanguineæ commiſtis, illiuſque circulationi moram injicientibus, unde conſequuntur omnia ſymptomata hos morbos comitari conſueta.

Doſis Spiritus optime rectificati, ſale ſuo volatili non exuti, eſt à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo & drachmam integram: Aquæ ſpirituoſæ ab uncia una ad quinque aut ſex, Spiritus ex propria aqua exhiberi poteſt, vino aut juſculo, utriuſque uſui pro re nata inſiſtendo, imo pluries in die, ſed parcius adſumendo,

Horum remediorum effectus eſt abſumptio & diſſipatio humorum ſeroſorum, maxime pertinacium, per ſudores aut per inſenſibilem tranſpirationem; maſſæ ſanguineæ univerſæ depuratio, mobilitatis ad circulationem facilem neceſſariæ conciliatio; partium præcipuarum corroboratio, & præſertim œconomiæ nutritiæ dicatarum, ac à putredine vindicatio.

CAPVT.

CAPVT VIII.

De Diſtillatione Meliſſæ.

MEliſſa herba eſt odoris adeo ſuavis, imo & ſaporis, ob vires vero adeo celebris, ut locum inter herbas diſtillandas mereatur: Plurimi qui de illius diſtillatione ſcripſere, liquorem aliquem extraneum adjiciendum voluere, ratione exiguæ humiditatis qua gaudet cum florida eſt, ſed inepte res ſic geritur, quandoquidem in ipſa planta humor requiſitus occurrit.

Colligatur non exigua Meliſſæ quantitas quam diu tenera eſt, recens & ſucculenta, quo tunc aut exrrahi ex ea ſuccus poſſit ad diſtillandum, ſicuti præmonui de ſucco aliarum plantarum, aut integra diſtillari, aut inciſa, in Roſario, quouſque tota fere ejus humiditas aſcenderit: Alterutro modo diſtillari poterit, educendo aquæ eam quantitatem quæ libuerit, aſſervandam in lagenis rite obturatis, expectando donec altera ſuppetat Meliſſa florida, ſemen jam jam editura, in mortario marmoreo contundenda piſtillo ligneo, aut tenuiſſime incidenda: Hac replenda eſt grandis Veſica cuprea, intus ſtanno obducta, ut tertia pars vacua ſuperſit; ſuperfundatur illi aqua diſtillata quam adſervandam præcepi, adeo ut herbæ tribus circiter digitis ſupernatet: Poſtmodum impoſito veſicæ operculo, (Mauri capite) optime luto incruſtato; & adjuncto, probe quoque incruſtato, Serpentino, ejuſque Recipiente, prægreſſa maceratione per viginti quatuor horas, leniſſimo calore peracta, inſtituenda diſtillatio igne carbonum immediato, ſed eo regimine Diſtillatio eadem ratione peragatur quam memoravi inſtituendam in ejuſmodi plantis, pergendo quouſque aqua ſtillans inſipida & inodora fere prodeat: Licet, ſicuti de Cochlearia dixi, eximere id quod in veſica ſubſidet, recondere, recentem Meliſſam in id immittere, ſeparato ſeorſimque repoſito pauco Oleo aquæ diſtillatæ ſupernatante, Aquam prædictam recenti meliſſæ ſuperfundere, repetita ſicuti prius maceratione & diſtillatione; eo pacto nanciſci licet aquam odoratiſſimam, in ſe complectentem quicquid meliſſa prȩſtantiſſimum obtinet, volatile & ſpirituoſum, ac præterea tantillum Olei ſupernatantis, cum priori ſedulo adſervandi, tam ratione ſuaveolentiȩ, quam eximiorum effectuum in affectibus cerebri, cordis, ventriculi & uteri, tum quod commodiſſime commiſceri queat oleo Nucis moſchatȩ expreſſo, ut inde emergat Balſamus, ſicuti ex cæteris oleis aromaticis: Commiſceri etiam poteſt à guttis duabus ad ſeptem vel octo, ſacchari

puriſſimi pulverati drachmis aliquot exceptis, quo ſingulæ particulæ minutiſſime dividantur ac intime remiſceri poſſint quibuſvis liquoribus aqueis, ſpeciatim vero aquę propriæ, ut pote omnium maxime idoneæ cunctis viribus excipiendis.

Felici ſucceſſu exhibetur aqua in affectibus Melancholicis, Febribus, Scorbuto, Menſtruorum ſuppreſſione, ſicuti & lochiorum: Doſi & uſu Aqua Meliſſæ convenit cum pręcedentibus.

Extractum educere licet ex materia in fundo Veſicæ unaquaque diſtillatione ſuperſtite, eadem proceſſus ratione quæ in pręparatione extractorum aliarum herbarum oſtenſa eſt: Imo magma exſiccari poteſt, comburi, in cineres deduci ad Salis eductionem, ſeorſim adſervandi, aut extracto remiſcendi.

Meliſſæ Extractum ſimili dozi exhibetur, idemque qui pręcedentium extractorum uſus eſt: quod cum partes maxime fixas meliſſæ tantum contineat, ſpeciatim conducit corroborando ventriculo & partibus œconomię nutritię dicatis, Acidorum aculeo ob tundendo, incidendis & detergendis humoribus craſſis & viſcidis, putredini illorum corrigendæ, expellendiſque è corpore per alvum aut lotij vias.

CAPUT IX.

De Diſtillatione Foliorum Myrti.

QUI Galliæ meriodanales regiones incolunt, in quibus Myrtus ſponte & uberrime in ſylvis naſcitur, ex foliorum inſigni copia ipſis obvia quicquid ad diſtillationem requiritur nanciſcuntur; ſi enim veris initio Myrti cacumina terant & exprimant ſucci extrahendi gratia, hunc ſeorſim diſtillationi ſubjicere queunt, aut foliis contritis commiſcere; At cum Lutetiæ Pariſiorum non alia Myrtus occurrat quam quæ in hortis ſolerti cura excolitur, minorque copia ſuppetat quam ut votis ſatisfiat, pauxillum quod offertur in uſum adducitur, præſentiſque humiditatis inopia aliunde reſarcienda, quod ejus defectu diſtillatio nequaquam opportune ſuſcipi poſſit.

Accipiantur itaque, exempli gratia, libræ tres foliorum Myrti odoratæ, recens collectæ, his optime contuſis in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, immiſſiſque cucurbitæ vitreæ, affundantur libræ ſex aquæ Centinodiæ, aut Herniariæ, impoſitoque cucurbitæ alembico vitreo, amylo obductis commiſſuris, adaptatoque roſtro exiguo Recipiente, cuncta in digeſtione ſinantur furno Piſtoris impoſita per horas viginti quatuor, poſtmodum Cucurbita Balneo Arenæ committenda,

ac

ac eorum diſtillatio peragatur, igne moderato, illum producendo quouſque Aqua ſtillet fere ſaporis & odoris expers: Neque prætermittenda erit ſeparatio particulæ odoriferi Olei, aquæ diſtillatæ ſupernatantis, diligenter cuſtodiendi, quod paulo majori copia ſuppeteret diſtillatione in regionibus calidioribus inſtituta.

Sin eadem copia Foliorum Myrti præſto foret, è re eſſet in vicem ejus quod cucurbita continebatur, non abjiciendi, recentia illa myrti folia contuſa immittere, affuſaque his aqua prius diſtillata, novam ſuſcipere infuſionem & diſtillationem, ſicuti ſuperius dictum, quo pacto proditura eſſet Aqua multo majoris efficaciæ, cui etiamnum tantillum Olei innataret, priori conjungendi: deinceps ex utraque ſubſidentia Extractum eliceretur, ſicuti ex magmate prius incinerato Sal, vel ſeorſim aſſervanda, vel commiſcenda, ſicuti de præcedentibus dixi.

Aqua Foliorum Myrti plurimum commendatur in debilitate Ventriculi & Inteſtinorum, ac in affectibus inde oriundis, ſicuti & in hæmoptyſi & quavis alia ſanguinis eruptione: Sola ſi uti volueri, detur ab unciis duabus ad ſex, vel permiſcetur ſemunciæ, aut unciæ ſyrupi myrtillorum, coralliorum, vel alterius adſtrictoria vi præditi: Admodum quoque convenit in laxioribus mulierum à partu genitalibus conſtringendis, tum ore adſumpta, tum fomenti ſpecie partibus illis admota: Aquæ vires debiles poſſunt acui additis guttis aliquot ejuſdem Olei, ſed prius ſacchari puriſſimi drachmis paucis excepti, ſicuti de ſimilibus oleis alias præmonui: Poteſt & in uſum Oleum venire ad Balſamorum confectionem, parari ſolitorum ad recreationem & corroborationem partium nobilium, ſuavis quippe illius eſt odor, admodum aromaticus: Poteſt & Inunctionis forma uſurpari, fotu partium affectarum ex aqua prægreſſo; Extractum cum ſibi adſumpſerit efficaciam partium terreſtrium foliorum, non inutiles effectus editurum eſt in omnibus affectibus qui adſtrictionem & corroborationem expoſcunt: Dari poteſt à drachma ſemis ad duas, ſolum, aut propriæ aquę permixtum, alrerive cuipiam liquori: Poteſt & Opiatis adjungi, aliiſve remediorum formulis.

Si bene ſentio, diſtillationes herbarum à me traditæ cęteris normam præbere poterunt, adeo ut ſupervacaneum fuerit plures adtuliſſe, Iam tempeſtivum eſt ut ad Florum diſtillationem tranſeam.

CAPVT X.

De Diſtillatione Florum in genere.

FLores elegantiſſima Vegetabilium productionis pars cenſendi ſunt, hortorum decus, villæ ruſticæ delitiæ, oculorum oblectamentum, odoratus gratiſſimum objectum, ſpes & præludium ſeminum & fructuum illos ſubſequentium; materia plurimorum remediorum exquiſitorum, in utriuſque Pharmaciæ quotidie manus venientium: Flores partes ſunt plantarum puriſſimæ nobis objectæ, minimum terreſtrium partium obtinentes, facillimæ reſolutionis, quorum diverſas ſubſtantias Chimia facillimo negotio ab invicem divellit: Summa tamen cautione, neque minori quam ceteræ plantarum partes, in diſtillatione indigent, tum quod ſubſtantiæ ſint minimum compactæ, quia illarum præcipuæ facillime in auras diſcedere ſolent; imo eorum nonnulli diſtillationem omnino reſpuunt, ne ignis quidem viciniam ſufferre valentes citra manifeſtiſſimam alterationem, illi prefertim qui odorati ſunt, odoris tamen gratia expetuntur, Eadem etiam de cauſa peritus artifex ſummo ſtudio diſquirere tenetur intimas partes flores componentes, priuſquam illos diſtillationi ſubjiciat, ad varium ignis regimen inſtituendum, idonea vaſa eligenda, ac ſuppetant media per quæ legitime ſegregare valeat, ſimulque ſibi comparare puriſſimas & varias ſubſtantias quas ſurſum allicere intendit, aut infra per diſtillationem deducere; eoque pacto, quantum conceſſum fuerit, partes fixas utiles adipiſci poſſit, ſæpe in vaſis ad id deſtinatis ſuperſtites.

Non raro ad plurimorum Florum diſtillationem eadem vaſa quæ ad herbas diſtillandas veniunt; at cum Florum ſubſtantiæ mollities & teneritudo in cauſa ſit ut ignis efficaciam facilius ſuſcipiant quam herbæ, accuratiſſime ille regendus, adeo ut utilibus, quas poſſident, qualitatibus nulla vis inferatur, à cæteris per diſtillationem ſegregandis; vel ne una cum utilibus improbæ ſimul aſcendant, quæ in vaſis fundo ſubſiſtere debent, aut, ob diutius productum calorem, intenſioremque redditum materiæ in fundo vaſorum contentæ comburantur, eoque pacto tempore momento empyreuma inſuavis odoris toti diſtillato inuratur: Circa quæ omnia enitar cautiones adducere, atque oſtendere media per quæ voti compotes fieri poſſimus.

CAPVT

CAPVT XI.

De varia Roſas diſtillandi ratione.

VAtij Roſas diſtillationi exponendi modi, potius à varietate ingeniorum, locorum, occaſionum, aut mediorum quæ ſuppetunt, deducendi, quam à varietate ſpecierum Roſarum, aut varia proportione partium illas componentium, quandoquidem nulla datur Roſæ ſpecies, quæ non cuivis diſtillationi ſpeciei ſubjici queat.

In Roſarum partibus deprehendimus quinque diverſas illas ſubſtantias quas Chimia in compoſitione mixtorum deliteſcere agnovit, videlicet Aqueam, Spirituoſam, Sulphuream, Salinam & Terreſtrem: Diverſa tamen proportione in qualibet ſpecie continentur, unde emergunt differentiæ ex colore præſertim manifeſtæ, odore & ſapore: Subſtantiæ enim volatiles in quibuſdam, in aliis fixæ magis dominium obtinent: Roſæ rubræ, Provinenſes dictæ, partibus terreſtribus & ſale fixo magis quam cæteræ omnes donatæ ſunt; plurimas quoque aqueas ceteris adjunctas poſſident, adeo ut ſpirituoſæ & ſulphureæ ſatis intime illis adhereant, tum demum in conſpectum venientes cum ſeceſſerunt aqueæ; Ea propter prædictæ Roſæ raro in diſtillationem veniunt, nec niſi cum illarum humor ſuperfluus detractus eſt; imo neque ut plurimum niſi aliis admiſtis aromatibus.

Roſas Pallidas ut plurimum diſtillationi exponimus, neque ſolum diverſimode diſtillamus, ſed varias præparationes tum Galenicas tum Chimicas circa illas inſtituimus; imo plura remedia ex iis quam ullo alio medicamento depromimus: Plurimam humiditatem in ſe continent, ſed cui multæ partes volatiles ſpirituoſæ, utcunque ſalinæ, nonnihil ſulphureæ oleagineæ admiſtæ ſunt; aliȩ ſumme odoratȩ: Partes autem terreſtres minori inſunt copia quam in rubris, ſed tantundem ſalis fixi obtinent, quod conjunctum partibus ſulphureis, craſſioribus & penitioribus, ignem autem calcinationis non expertum, cui maxima ſalium pars, dum illa depurare animus eſt, exponuntur, leniſſime pravos humores expurgat, prȩſertim pitnitoſos.

Secunda hujus Pharmacopœȩ parte, verba faciens de prȩparatione ſyrupi Roſati ex ſaccharo & ſucco Roſarum, dum ille cucurbita vitrea decoquitur, maris Balneo; illi impoſito alembico vitreo optime luto obducto, dixi efferri vapores è ſucco roſarũ, non contemnendos, in nihilum aliter abituros, è quibus optima Aqua roſarum elici poteſt: Sed cum iñ officinis major illius çopia requiratur quam ut eam hȩc diſtillationis

ratio ſuppeditare queat, ad alia media confugiendum eſt.

Qui Roſas Pallidas diſtillare inſtituit, aliaſve præparationes meditatur, illi præſertim curæ ſit ut colligantur paulo poſt ortum Solis, ac, quantum licet, cœlo ſereno, ne ullus humor extraneus illis adjungatur, quo variæ ſubſtantiæ ex illis eliciendæ per diſtillationem ſinceræ omnino ſint.

Ratio facillima; ſed quæ lentius procedit ad Roſarum diſtillationem, dicta ratione lectarum, hæc eſt ut conterantur, in magnam cucurbitam vitream conjiciantur, adeo ut tertia pars vacua ſuperſit, qua proprio Alembico, luto obducto, inſtructa, ſuſcipiatur diſtillatio in maris Balneo, inter tepidum & æſtuantem medio, aut in Balneo vaporis fervente, quoad Roſæ pene exſiccatæ fuerint in cucurbita: Eo enim pacto Aqua roſacea odoratiſſima, ſed pauca adquiritur.

Poſſunt & partes æquales harum Roſarum contritarum, & ſucci earundem commiſceri, in ſimili cucurbita vitrea cum Alembico rite luto obducto, ac diſtillatio fieri in Balneo cinerum aut arenæ: adhibito enim recto ignis regimine, præſertim circa finem, exſtillabit aqua Roſarum priori proculdubio non inferior: Ex magmate autem elici poterit extractum purgans non inferius quovis alio è roſis eliciendo.

Vt vero illorum deſiderio ſatisfiat qui aquæ ſtillatitiæ colorem Roſarum imprimi exoptant; Accipiatur manipulus unus Roſarum Provinenſium ſiccarum, inciſarum, quæ irroratæ tantillo ſpiritu ſulphuris optimi, vel vitrioli, aut ſucco limonum, intrudantur interiori parti canalis alembici vitrei, adeo ut adimpleatur, antequam imponatur cucurbitæ & circumlutetur: Adhibito enim probo ignis regimine dum diſtillatio peragitur, ſuccedet, inalteratis odore, & qualitatibus exoptandis, Aqua Roſarum grati coloris, non minus roſei coloris, imo intenſioris, quam ipſæ roſæ è quibus exſtillata eſt.

Non diſſimili ratione quandocunque aquas ejuſdem indolis exſtillare libuerit, color optandus imprimi poterit, imo odor moſchi, ambræ griſeæ, vel alterius cujuſpiam aromatis, hæc in pulverem conterendo, ac pauco goſſypio obvoluta in canalem aut roſtrum alembici immittendo.

In Roſarium æneum, rite ſtanno obductum, mmitti poſſunt Roſarum folia, integra vel contuſa, imo, ſi libet, eadem quantitas ſucci earundem Roſarum, ac diſtillatio illarum perfici in Balneo cinerum, aut arenæ, dummodo, ſicuti dixi, accedat rectum ignis regimen, unde optima comparabitur aqua Roſacea: Neque Extractum erit contemnendum, uti neque præcedens.

Plurimæ Matronæ Aquam Roſaceam per deſcenſum diſtillant, facili

facili via, Roſas pollicis ſpiſſitudine linteo inſternunt tenui, ſupra vas vitreum, aut fictile vitreatum, latiuſculum, expanſo deſuper admovent lancem ex ferro albo, aut vas aliud ex convenienti materia factum, cujus fundum expanſas roſas æquet, capacitas autem cinerem ad pollicis craſſitiem obtineat, prunis minutis illi ſuperimpoſitis, hac enim ratione ignis calor cineres & lancem pervadens, ac Roſas excalefaciens, ut Roſæ in vas ſubditum aquam effundant efficit: Sed aqua hoc modo elicita à præcedentibus bonitate multum abeſt, neque ſicuti illæ quarum præparationem adtuli durabilis eſt, attamen non rejicienda.

Nonnulli Roſas immittunt cucurbitæ fictili vitreatæ, addito operculo ex ferro albo conflato, aut æneo, ſtanno cooperto, exiguis foraminibus pertuſo, illam invertunt, ac idoneæ fornaci imponunt, infra orificium Recipiens adaptant, accenſoque in ambitu cucurbitæ igne, diſtillationem per deſcenſum perficiunt, non ſecus ac in lignis inſtituitur; ſed hoc pacto combuſtionis periculo exponuntur Roſæ, aqua, ſi quæ elici poteſt, ſuperioribus multo inferior eſt, Ratio vero illa diſtillandi omnino improbanda eſt, cum meliores ſuppetant & commodiores.

Si quis aquæ Roſaceæ inſignem copiam comparare neceſſe habuerit, hic, dimiſſis Cucurbitis, aut Roſariis modo à me memoratis, in uſum ad diſtillationem adducere poteſt magnas Veſicas cupreas intus ſtanno obductas, quibus Refrigeratorium impoſitum fuerit, aut Alembicum Caput Mauri dictum, cum ſua fiſtula ſerpentina, dolium aqua frigida repletum tranſverſim permeante, eodem proceſſus modo quo in diſtillatione herbarum, Roſas conterendo, illas aliarum Roſarum ſucco humectando; aut ipſa aqua ſtillatitia Roſarum ab anno præterito ſuperſtite, diſtillationem inſtituendo igne carbonum immediato admoto, ſed moderatiſſimo: Licet & aquam recens exſtillatam recentibus Roſis affundere in iidem vas, iteratæque diſtillationi exponere, imo eadem operatio pluribus vicibus iterari poterit, ſi præſtantiſſimam aquam comparare volueris.

Cum porro totis viribus mixtorum partes quæcunque utiles indagandæ ſint, at vero in Roſarum diſtillatione ſpiritus ſulphureus & φλογίςος ſurſum evehi poſſit, ac inſimul oleum fragrantiſſimum, etſi minima quantitate, officij mei eſt modum illum in medium adferre, qui talis eſt

Adſumantur, exempli gratia, Roſarum pallidarum mundatarum libræ quadraginta, probe in mortatio marmoreo contuſæ piſtillo ligneo, inſperſis ſalis marini pulveriſati libris duabus; conjiciatur tota

hæc quantitas, ſi modo vas capax fuerit, in Vrnam argilaceam, aut duas, demum deprimantur roſæ, conculcentur, adeo ut in maſſam mollem deducantur, tam arcte compactam ut aëri ne minimus pateat introitus, Vrna autem, vel Vrnæ, omnino adimpleantur; exacte occludantur obturamento ex ſubere confecto, adpropriato, ac in ceram flavam liquefactam immerſo; eodem tempore partem ſupernam, ac obturamenti ambitum eadem cera liquefacta obducendo, ne tantillus aër viam ſibi facere queat: Vrnæ poſtmodum in cella vinaria, vel loco frigido, totis quinque aut ſex ſeptimanis contineantur: Referatis Vrnis odor vinoſus è roſis exſpirabit, acidiuſculum quid ſapiens, fermentationis peractæ indicium, ac diſpoſitionis in partibus ſpirituoſis ad ſeceſſionem à craſſioribus, & ad adſcenſum per diſtillationem.

Eximantur ex vrna prædictarum Roſarum libræ ſex, vitreæ cucurbitæ immittantur; (urna non minus quam ante accurate obturata) immittantur Cucurbitæ vitreæ, adponatur Alembicum vitreum rite luto obductum, ſicuti & illius Recipiens: fiat diſtillatio Maris Balneo, medio inter tepidum & æſtuans, pergendo quouſque Roſarum humiditas fere exhauſta ſit: Poſtea exemto è Cucurbita magmate, illius vicem ſnbeant quinque aut ſex libræ roſarum, ex urna rurſus educendæ, quæ ſicut ante ſuo operculo accurate claudenda eſt: ſuperfundatur illis Aqua Roſacea prima vice elicita, ſuper impoſito iterum, ac probe lutato Alembico cũ Recipiente, Balneo arenę admovendo cucurbitam, ac igne moderato adhibito diſtillationem peragendo, donec fere tota roſarum humiditas diſtillatione educta ſit: Poſtmodum vaſis refrigeratis, ejectoque magmate, recentes Roſæ fermentatæ in cucurbitam immiteendæ, univerſaque aqua diſtillata illis ſuper infuſa, iteretur diſtillatio eodem arenæ balneo; eadem ratione pergendo, ſcilicet abjiciendo magma, novaſque roſas cucurbitæ imponendo, aquam diſtillatione prolectam illis affundendo, iterataſque diſtillationes ſuſcipiendo, donec cunctæ Roſæ abſumptæ ſint: Dehinc, parte aquæ diſtillatæ Matratio oblongiori collo prædicto immiſſa, ſuperimpoſito alembico probe lutato, adaptatoque illi Recipiente itidem luto obducto, Rectificatio in maris Balneo ſuſcipienda erit, igne moderato, cujus cum diſtillatione duodecima circiter pars prolecta fuerit, ſpirituoſa ſcilicet & inflammabilis, hæc ſeorſim in denſa lagena vitrea, accurate obturanda, adſervabitur, etiam quoque recondita ſedulo Aqua in matratio ſuperſtite, odore quoque ſuavi prædita: Rectificatio, iteratis vicibus, univerſæ aquæ ſtillatitiæ perficienda erit, poſtea ſimul commixtis partibus omnibus ſpirituoſis, iterata rectificatio ſuſcipienda erit Balneo vaporis, in Matratio oblongioris colli, exacte lutato: Eo pacto ſpiritus inflamma-

bilis

bilis ſuccedet, merito Olei ætherei Roſarum, ſale ſuo volatili inſtructi, nomine donandus, non minus odoris fragrantia & penetrabili vi commendandus quam viribus eximiis.

Hujus rectificationis reſidentia cæteris conjungenda eſt, quæ cunctæ adſervandæ ſunt in vitreis ampullis accurate occluſis; quippe quæ Aqua roſacea cæteris omnibus, vulgatis modis elicitis, anteponenda eſt.

Per dies aliquot in cella vinaria hæ lagenæ detinendæ ſunt, interim paulatim Oleum aquæ ſupereminebit, flocculorum forma ſupernatans, nivi fere ſimilium, à qua ſeparari poterit hanc per lintium tenue tranſmittendo, exiguo cochleari argenteo Oleum colligendo: Hoc oleum eodem tempore in ampulla vitrea denſa recondendum, accurate occludenda, & ad uſus adſervandum, Aquam in eaſdem lagenas reaffundendo, optime obturandas, in uſus adſervandam.

Diſſolutio quæ contingit à ſpiritu æthereo & inflammabili partium oleaginearum per fermentationem, ac ſimilitudo ſubſtantiæ inter utrumque, in cauſa eſt quod per diſtillationem plurimas hujus particulas ille ſibi adſumat, ac poſtmodum multo minor olei portio in aqua roſacea reperiatur, poſt rectificationem reſidua, quam ſi alia ratione inſtitueretur diſtillatio: quamobrem ſi quis oleum potius quam ſpiritum inflammabilem expetat, res meliorem ſucceſſum habitura eſt pluries inſtituta Aquæ roſaceæ diſtillatione, hac reaffuſa roſis recentibus, eo enim pacto multo major olei pars ſuppetet, quam ex majori roſarum copia prægreſſa fermentatione.

Nonnullis ad Spiritus ardentis Roſarum extractionem fermentatio pauciorum dierum ſatis eſt, quibus exactis, ab addita vini æquali & Roſarum quantitate, diſtillationem ſuſcipiunt: Methodus hæc procul-dubio compendioſior & facilior eſt, at vero pars inflammabilis à vino potius quam à roſis originem ducit, quarum Spiritus à cæteris ſubſtantiis extricare ſe non valuit, quod fermentationem ſufficientem expertus non ſit: Hæc ratio contemnenda non eſt, ad præparationem ſpiritus inflammabilis plurimarum partium plantarum, quibus non exigua pars puriſſimæ ſubſtantiæ decedere poſſet ſi diutius fermentatio protraheretur, aut in qualitatibus manifeſta accederet alteratio ab additis rebus extraneis, in uſum venientibus accelerandæ gratia illarum fermentationis: at vero hoc in caſu poſſe nos carere exiſtimo, dummodo procedendi ratio à me adducta obſervata fuerit, quia Roſæ intra ſe acidum ad fermentationem neceſſarium continent, adeo ut abſonum ſit fermentum aliud extraneum comparare, nulloque metu ne inſignis partium volatilium abſumptio contingat: Illud etiam pro comperto habendum

Acidum illud, ex intima Roſarum ſubſtantia eductum, poſt extricatos ſpiritus volatiles, ſalinos & ſulphureos à ſubſtantiis craſſioribus, illis arete cohærere, ac commixtum reperiri cum diſtillationis ope ſejuncti fuere à partibus terreſtribus ad deſcenſum inidoneis.

Aquæ Roſaceæ uſus, tam ad internos quam externos uſus notior eſt quam ut ſcripto mandari debeat: Spiritus inflammabilis Roſarum tam gratæ eſt fragrantiæ, tamque inſigni penetrandi vi præditus, ut vel una gutta aquæ communis cyathum Roſæ odore imbuere valeat: Eximius eſt in cordis debilitate, lipothymia, ejuſdem tremore & pulpitatione: Exhibetur à tribus aut quatuor guttis ad quindecim, viginti, triginta, ex propria aqua, vino, juſculo, aliove liquore cardiaco; Ventriculi etiamnum regioni admovetur, & cordis, imo & temporibus, carpis ac plantis pedum in inſigni leipopſychia: Felici etiam ſucceſſu præſcribitur in febribus malignis: Sed & ſudoribus excitandis idoneus eſt ſi opus fuerit, admixtus unciis ſeptem vel octo aquæ cardui benedicti.

Oleum diſtillarum in eoſdem uſus venire poteſt ac Spiritus Roſarum, ſed prudentius & cautius diſpenſatur, quod minori ſuppetat copia: Interius adſumitur ab una gutta vel duabus, ad quinque vel ſex, exceptum aliquot drachmis ſucchari puriſſimi pulverati ac in aqua roſarum diſſoluti, aut iiſdem liquoribus qui ſpiritu imbuuntur; Poteſt & oleo nucis moſchatæ commiſceri, ac inde parari Balſanus Roſarum odoris ſuaviſſimi: Æqualiter in uſum veniunt Oleum & ſpiritus Roſarum tum ad viros, tum ad mulieres, ſed abſtinendum in his quibus odor Roſarum noxius eſt.

Extractum Purgans modo conſueto ex reſidentia cujuſque diſtillationis elici poteſt, imo & magma igne concremari, ac incinerari, ſalque extrahi, commiſcendum extracto, aut ſeorſim adſervandum: Doſis Extracti eſt à drachma ſemis, ad duas vel tres, Boli forma aut diluendo liquore idoneo: Commiſcetur etiam aliis purgantibus, majori aut minori inditum copia pro admixtorum quantitate vel dozi: Salis dozis eſt à ſcrupulo ſemis ad ſemidrachmam, imo ad drachmam integram ex convenienti liquore.

Roſæ moſchatæ, alias Damaſcenæ, Cynosbati, albæ, cæteræque ſpecies eadem ratione qua Pallidæ diſtillari poſſunt, ac propemodum eædem ſubſtantiæ elici; Etſi non exiguum obſervari queat diſcrimen tum in quantitate tum qualitate, ob diverſitatem proportionis partium unamquamque Roſam conſtituentis, variæ texturæ variatumque qualitatum inde exſurgentium, odoris diverſitate, coloris & figuræ, diſcrimen manifeſtum inter illas arguente.

CAPUT

CAPUT XII.

De Diſtillatione Florum Lavendulæ.

FLos Lavendulæ paulo nimium exſuccus eſt quam ut commode exſtillationi ſubjici queat citra alterius liquoris additionem: Id enim quod diſtillatione educi poſſet in Alembico vitreo, Maris Balneo, aut Roſario, balneo cinerum moderato, quod modicum foret, labori & jacturæ temporis non reſponderet, Ideo eligendus liquor idoneus, floribus affundendus, aqua præſertim ejuſdem floris, ex anno præcedenti reſidua, vel, ſi hæc abſit, alia aqua cephalica.

Collectæ die ſereno Lavendulæ, horis meridianis, cum florida eſt, decerpantur ſolummodo ſpicati flores, ea ratione mundandi ut floris durior baſis, aut calix, ſpicam una conſtituens, eximatur, ſoluſque flos adſumatur: Exempli gratia, decem libræ Florum ea ratione mundatorum accipiantur, hi capaci veſicæ ęneę immiſſi, interius probe ſtanno obductæ; idoneæ fornaci impoſitæ, affuſiſque aquæ propriæ libris viginti, alteriuſve cephalicæ, imponatur operculum à Mauri capite denominatum, optime ſtanno intus obductum, cum annexo ſerpentino, probe quoque ſtanno oblinito per dolium aqua frigida repletum traducto: demum accurate commiſſuris luto munitis, & extremitate Serpentini cum Recipiente, in fornacis cinerario accendendus ignis admodum modicus, qui ſolum materias excalefaciat, iiſque teporem modicum conciliet, quo producto per tres aut quatuor dies naturales, in foco fornacis accendatur ignis carbonum, adeo ut aqua inſtar fili exigui exſtillet; illnm protrahendo quouſque per diſtillationem eductæ fuerint circiter partes duæ aquæ affuſæ: Poſtea materiæ ut refrigerentur ſinendæ ſunt, ac poſt ſeparationem factam Olei ſupernatantis aquæ ſpirituoſę, in ampulla ſeorſim recondendi; colaturam & expreſſionem materiæ in veſica reſiduæ, par quantitas recentium florum adjicienda, quibus ſuperfundenda non ſolum aqua ſpirituoſa, ab oleo ſecreta, ſed & liquor expreſſus ex materiis à diſtillatione reſiduis; dehinc Alembicus Caput Mauri dictus ſuperponendus, una cum ſerpentino & Recipiente, prægreſſaque maceratione per triduum aut quatriduum, Oleum & Aqua ſicuti priori vice diſtillanda erunt, demum ab invicem ſeparanda.

Eadem Aqua, cum liquore expreſſo ex magmate, recentibus floribus adjici poſſunt, ſi modo præſto eſſent, ac nova ſuſcipi diſtillatio, imo non ſemel iterari; etiamſi veriſimile ſit, ſi præmiſſæ ſint duæ treſve

cohobationes aquæ ſuper flores recentes, illam ſufficienter imprægnatum iri florum Lavendulę partibus ſpirituoſis, nullum quippe à repetitis hiſce cohobationibus expectandum beneficium prętet majorem olei quantitatem.

Ex magmate harumce Diſtillationum Extractum poteſt deduci, eadem inita qnam in præcedentibus indicavi methodo: Licet & ex expreſſo magmate ſal extrahere, exſiccato, combuſto ac in cineres deducto, etiamſi exigua copia ſperanda, non ſecus ac ex cæteris floribus cephalicis, in quibus ſulphureæ partes, ac nonnullæ ſalinæ volatiles, magis quam fixæ abundant.

Doſes & utilitates hujus Extrati, atque Salis cum præcedentibus fere conveniunt: Oleum diſtillatum Florum Lavendulæ eximium cenſetur adverſus Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſim, ac in genere omnes cerebri affectus frigidos, prębendo à guttis duabus ad ſeptem vel octo, exceptis ſaccharo puriſſimo pulveriſato, in aqua propria, vel alia quadam cephalica diſſoluto, à qua vſrium incrementum accedat: Poteſt & immitti naribus, temporibus admoveri, locis circa cranij ſuturas, imo commiſceri oleo expreſſo Nucis moſchatæ, ad compoſitionem Balſami Lavendulæ, vel conjungi Balſamis Apoplecticis, non ſecus ac cætera Olea remiſceri ſolent.

Si dimiſſa Aqua ſtillatitia Lavendulę, aut alia Cephalica, in uſum veniat eadem quantitas vini optimi ad iſtorum florum diſtillationem, exſurget ſpiritus inflammabilis admodum penetrabilis.

Capvt XIII.

De Diſtillatione Florum Roriſmarini.

SI Flores Roriſmarini è calice rite exempti fuerint, abjectumque ſi fuerit quicquid in illis viride occurrit, cum ſubſtantiæ minime ſint compactæ, partes autem quas mediante diſtillatione evocare animus eſt, admodum ſubtiles ſint, volatiles, ac craſſis parum involutę, vix percipio quamobrem qui ad præparationem Aquæ Reginæ Hungariæ (diſtillationem florum Anthos, omnium maxime familiarem) pręceperint horum macerationem in ſpiritu vini faciendam per triduum; idonea præterea illum in finem anxie diſquirentes vaſa, igne digeſtionis, (proportione juſta obſervata) adhibito toto illo tempore; quandoquidem maceratio à mane ad veſperam, abſque ignis auxilio inſtituta, in cucurbita, diſtillationi illorum deſtinata, ſola ſatis ſuperque eſt ad juvandam penetrationem ſpiritus vini in intimas horum florum particulas; maxime

maxime cum volatiles una cum vini ſpiritu facillime ſurſum evehantur: Illud conjicio, ambages iſtas excogitatas fuiſſe ad tyronum animos irretiendos, atque diſtillationem ex ſe nequaquam ardui negotii, tanquam difficilem oſtentandam, expeditam alias ſi optimus vini ſpiritus occurrat, ſynceri que Flores nec inculpati.

Florum Roriſmarini, die ſerena lectorum, duabus aut tribus ab exorto ſole horis, optime mundatorum, & à parte viridante liberatorum, accipiantur libræ quatuor; conjiciantur in magnam Cucurbitam vitream anguſti colli, affundantur ſpiritus vini rectificatiſſimi libræ ſex, in prædictum ſpiritum profunde flores immergantur, poſtea cucurbitæ ſuperponatur Alembicus, accurate luto obducantur juncturæ, illa vero Balneo Arenæ committatur; roſtro autem Alembici adcommodato Recipiente probe loricato; ſic dimittantur vaſa per totam noctem, poſtridie ſub Balneo Arenæ accendatur ignis, ea ratione regendus ut dum diſtillat ſpiritus Alembicus nequaquam incaleſcat, quinimo huic ſuperponendum erit linteum multoties complicatum, in aquam frigidam demerſum, ex intervallis idem madefaciendo & refrigerando, ad faciliorem vaporum aſcenſurorum reſolutionem; Eo modo producenda erit Diſtillatio donec quatuor circiter ſpiritus libræ prodierint, puriſſimi & optima ac maxime volatili ſubſtantia Florum præditi: Dehinc refrigerato Balneo, decruſtatis vaſis, reconditoque in lagena denſiori ſpiritu diſtillato, percolandæ erunt, & valida manu exprimendæ materiæ in cucurbita reſtibiles; quarum clarificato liquore, in eandem cucurbitam infundendo, eodem tempore proprio Alembico cooperiendam, probe loricando, illi ſuum Recipiens adaptando, iterata ſuſcipienda erit diſtillatio eodem arenæ Balneo, ſed igne moderatiſſimo adhibito, in diſtillando pergendo donec liquor Roob inſtar propemodum craſſefactus adpareat: Poſtea ſponte refrigeratis vaſis, iiſque decruſtatis, liquor cucurbita contentus infundendus erit in pelvim fictilem probe vitreatam, coctionem perficiendo igne mitiſſimo, ad ſolitam Extractorum craſſitiem; unuſquiſque liquor ſeorſim erit adſervandus, quorum prior præſtantiſſimus eſt & vi penetrabili eximius.

Hunc ſpiritum Neoterici nomine Aquæ Reginæ Hungariæ donavere, ratione mirandorum effectuum quas experta eſt Regina quædam Hungariæ, annos ſeptuaginta duos nata: Hæc ipſa eſt Aqua tam inſignis apud Pariſienſes famæ, cujus expedita venditio à plurimis annis, multis incitamento fuit, tum gnaris, tum ignaris & improbis, ad ejus præparationem in Provinciis Roriſmarini feracibus, apud quas etiam vini Spiritus & facile & vili pretio adquiri poteſt: Illi cum ſolos flores Anthos exquiſite mundatos, id quod nullo negotio præſtare poſſent, admitte-

tere deberent, portionem partis herbaceæ relinquunt, à qua quidem, Aquæ odor intenſior redditur, ſed & acrior & inſuavior, non ſecus ac ſapor: Spiritui autem vini optime rectificato ſubſtituunt Aquam vitæ ordinariam; odoris acrimonia partium viridium, flori commixtarum, illis imponente, qui odorem hunc extraneum, penetrabilem, à florum odore, miti & ſuavi, diſtinguere neſciunt; ſapore autem acri & linguam vellicante earumdem partium, tanquam genuino ſpiritus vini rectificati, penetrabili vi prædito, incautos fallente: Neque mirum ſi ab his impoſtoribus vili pretio vænalis exponatur hæc Aqua; imo emptores plures alliciat quam quæ ſyncere & legitime præparata eſt; citra jacturam vendentium tam vili pretio nequaquam expediendam.

Spiritus Florum Roriſmarini, ex arte præparatus, præſtantiſſimus eſt adverſus quoſvis Cerebri frigidos affectus: utiliſſime etiam in uſum venit in Nervorum & artuum affectibus, contra Rheumatiſmum & Arthritidem frigidam: Cephalagiam ex pituita ſubortam ſanat, vapores Vertiginem parientes diſcutit, Memoriam roborat, Surditati Auriumque Tinnitui medetur, ſicuti & Viſus imbecillitati, Capitis contuſionibus, cunctarumque corporis partium utilis eſt, prohibens ne ſanguis ibidem concreſcat, imo reſolvit & per inſenſibilem tranſpirationem diſcutit jam in illis coagulatum; Dentium dolorem demulcet, ventriculo robur addit ad illius ſubverſiones, & inteſtinorum impetus commodus, Acidorum aculeum obtundendo, illis utplurimum infeſtorum: Appetitum torpentem excitat, concoctionem adjuvat, obſtructionibuſque Iecur liberat, Lienem omniaque Viſcera, quinino & Vterum, e quo elatos vapores reprimit: Imo huic Spiritui adſcribitur vis calorem nativum corroborandi & conſervandi, functiones omnes quarumvis partium exſuſcitandi, Imo & ſenes ad juventutem verſo pede deducendi, hoc eſt plurimos affectus, ſenectutis individuos comites profligandi.

Interne adſumitur à ſcrupulo uno ad drachmam ex vino vel aqua aliqua cephalica; Guttas aliquot in nares immittere licet, ac temporibus admovere & ſuturis cranij: Adplicantur Enchymomatis lintea duplicata dicto ſpiritu madida: Exterius & uſurpatur in Rheumatiſmis ac omni genere fluxionum & dolorum; necnon circa oculos ad aciem viſui conciliandam; Inſtillatur etiam Auribus ad ſanationem, vel mitigationem affectuum illas adfligentium: In uſum quoque accerſitur ad lavandam Faciem, Brachia, Manus, Fauces eluendas, ſolus vel remixtus Aquis Argentinæ, Liliorum, Nenupharis, ſpermatis Ranarum, & ſimilium, ad nitorem vultui conciliandum, & tuendum, rugaſque præcavendas: vix tandem ullus occurrit ſpiritus tot tantorumque utilium effectuum edendorum capax.

Id

Id quod ex expreſſo liquore exſtillatum eſt, cum intra ſe non contineat partes maxime volatiles florum Roriſmarini, quas prima diſtillatio ſecum abſtraxit, remixtaque maneat portio partis aqueæ, ſurſum evectæ cum parte ſpiritus vini in vaſis fundo ſuperſtitis, proculdubio eadem puritate non pollet, neque iiſdem viribus quas prior ſpiritus: Attamen & idem conſervandus, cum non paucas etiam partes minus volatiles florum contineat quas poſterior vini ſpiritus ſecum abſtulit, unde non mediocres expectandi effectus, quandoquidem diuturniorem moram in ventriculo agit quam priores: In eoſdem uſus cum præcedente venire poteſt, interius præſertim adſumptus, ſed dozis duplo major eſſe debet, ob partem aqueam illi remixtam.

Poteſt & præparari Extractum ex liquore à diſtillatione reſiduo, atque in uſum adduci cum remediis cardiacis, ſtomachicis & cephalicis, eadem cum cæteris extractis dozi.

Flores Liliorum convallium, Salviæ, Tiliæ, Stoechados & ſimilium diſtillationi ſubjici poſſunt, eadem ratioue procedendo qua ad flores Roriſmarini, aut Lavendulæ.

CAPUT XIV.

De Diſtillatione Aquarum fragrantiſſimarum, ex Floribus Vegetabilium educi aptarum.

PRocedendi rationes à me traditæ ad diſtillationem plurimarum plantarum partium, prǽtantiſſimæ ſunt inter illas quas Chimia quotidie in praxim revocat: At cum Dominus D'Aquin, primarius Regiæ Majeſtatis Medicus plurima mihi ſingularia & in proprios, uſus adſervata publici juris eſſe iuſſerit, non illubenter à me exiturum eſt quicquid præſtantiſſimum nec vulgare eſthas res ſpectans.

Idoneo tempore Ros diſtilletur, cujus aqua ſpirituoſa elicita in ampulla optime obſtructa adſervanda eſt: Curæ etiam erit menſibus Majo, Iunio, tempeſtate ſerena, colligere ſtercus Vaccinum aut Bubulum, ſponte in paſcuis exſiccatum, in quibus herbas illa animalia depaverunt: Stercus id in ſe continet herbarum primum principium, à bobus aut vaccis devoratarum, ſed etiamſi facultas ſeminalis periit, odore tunc temporis nonnihil accedit ad moſchũ: uſus non ignotus eſt, quandoquidem jampridem Aqua ex illo ſtercore elicitur, cui etiam Aquæ Milleflorum nomen inditum eſt, ab inſigni herbarum & florum numero à quibus ſuppeditata eſt prima ex qua diſtillata eſt ſtercoris

materia: Idoneo tempore eligantur quicunque flores diſtillationi deſtinantur, qui ſtratificati in capaci & lata cucurbita vitrea, cum æquali portione hujus ſtercoris ſicci pulveriſati, irroratoque unoquoque ſtrato ſeorſim aqua Roris ſtillatitia, continuationeque facta irrorationis & ſtratificationis quouſque media circiter cucurbitæ pars occupetur à materiis, Alembicus illi imponatur vitreus, qui diligenter luto obductus, adaptato itidem (ac lutato) illius roſtro Recipiente, inſtituenda erit diſtillatio ſolo calore ſolis æſtivi, quouſque humiditas tota fere exſtillarit; poſtea circa merinoctium, aut ſaltem horis duabus ante Solis ortum, ſolvenda erunt vaſa (electio enim dicti temporis omnino requiritur ſi modo odor ſuavis aquæ conſervandus ſit) Eodem tempore in parato eſſe debent flores recentes alteri Cucurbitæ ſimili immittendi, quibus aqua diſtillata ſuperfundenda, hinc ſuperponendus Alembicus, quo probe cum recipiente luto munito, iterum Solis radiis ſicuti prima vice exponenda; Poſtmodum nocte denuo vaſa luto nudanda erunt, cohobandaque aqua recentibus floribus affuſa, repetita denuo diſtillatione donec aqua ſummam ſuaveolentiam adquiſierit: Illud porro cavendum ne Recipiens, uti neque Alembicus, radios Solares durante ſtillatione excipiant, ſed curandum ut ſola Cucurbita incaleſcat: Ideoque Alembicus cooperiendus erit linteo multoties complicato, ſæpius aquæ frigidæ immergendo, ad promovendam vaporum reſolutionem è materiis elevandorum. Fimus vaccinus, & Spiritus Roris neceſſario quidem requiruntur pro priori diſtillatione, non item pro poſterioribus.

Sin forte contigerit calorem Solis remiſſiorem fore quam pro hujuſmodi diſtillatione requiritur, ſicuti in pluribus regionibus à meridie diſſitis, ſuccedaneum illi ſit vaporis Balneum, aut aëris excalefacti, ſi modo illius copia conceſſa fuerit: Hac ratione Aquæ odoris fragrantiſſimi comparabuntur, quarum uncia plus ſuaveolentiæ ſuppeditatura eſt quam decem aquarum vulgari modo diſtillatarum.

CAPVT XV.

De Diſtillatione Spirituum Ardentium Odoratiſſimorum, Ex Foliis & Herbis odore pollentibus eliciendorum.

Illud ratum eſſe debet, etſi flores ſingulare quid in ſe contineant quod in cæteris plantarum partibus ipſos producentibus deprehendere non datur, Diſſipationi tamen valde obnoxios eſſe ratione tenuitatis illo-

illorum ſubſtantiæ; Etſi vero odoris ſuavitatem, ne diſpareat, forte coercere poſſimus, ac qualitates nonnullas præterea utiles, ope vario-rum mediorum à Chymica arte ſuppeditatorum, ardui tamen eſt operis ex quovis Florum genere ſpiritus ardentes, odoris fragrantia commen-dabiles elicere: niſi quam baſim & fundamentum odor floris in planta obtineat ſedulo diſquiſitum fuerit, & vi in auxilium venerit fermen-tatio, ſpirituum vegetabilium quaſi anima, ſicuti idem præſtat putre-factio ratione Oleorum.

Roſis Sylveſtribus illarum fructus adjiciendus eſt (quem vocant fru-ctum Cynosbati vel Cynorrhodi, ſemen continens, ſicuti & in dome-ſticis reperitur) optime contritus: Floribus Salviæ, Roriſmarini, Ma-joranæ, Menthæ, Betonicæ, Meliſſæ, Lavendulæ, Thymi, Stoechadis, Caryophyllorum hortenſium, Violarum, Iaſmini &c. Semina ritè contuſa addenda Floribus Lilii Tuberoſi, Liliorum, Iridis, Pæoniæ, Angelicæ, &c. Eorundem radices contuſæ cum ſeminibus tritis. Flo-ribus malorum Aurantiorum, Limonum & Citriorum, fructus integri rite contriti; Floribus Liliorum convallium & Sambuci, plantarum baccæ optime contritæ.

Poſtremis his floribus humiditatem quampiam extraneam addere inutile eſt, uti neque illis qui humore ſufficienti ſcatent, aut illorum baccis, vel fructibus; at vero tantillum ſpiritus vini affundere ne-ceſſe eſt, alteriuſve liquoris, imo vel fermenti panis aut flores cereviſiæ, cum videlicet flores ſeminibus additis commixti, ſufficientem humidi-tatem non obtinent ad effingendum maſſam utcunque mollem ac fer-mentationi idoneam: Vt res ſuccedat, optime conterantur flores una cum illarum partibus quæ firmamentum præbere debent: ſin decentem mollitiem obtineant ob quam admittere valeat penetrationem Acidi fermentativi, ſponte in illa emerſuri, conjiciantur in Vrnam argilla-ceam capacem, adimplendam, illos comprimendo fortiter & concul-cando: Sin maſſa ſufficienter mollis non fuerit, tantillum vini ſuperfun-dendum erit, aut aquæ ejuſdem floris vulgari modo diſtillatæ, pauco ideo addito fermento ad fermentationem accelerandam, demum accu-rate occluſa urna, ope ex ſubere confecti obturamenti, circumlita cera flava liquefacta, fermentationi tempus idoneum concedendum erit, per quam partibus ſpirituoſis ad ſeparationem à craſſioribus diſpoſitio conciliabitur: Cum vero materiæ adeptæ fuerint odorem vinoſum, acidiuſculum, diſtillatio in maris Balneo inſtituenda erit, in Cucurbita vitrea, alembico bene luto obducto cooperta, excipiendo ſpiritum inflammabilem ſubdito Recipiente, ut decet coaptato & luto munito. Eo pacto proditurus eſt Spiritus Ardens, floris odorem omnino in ſe

comprehendens, qui iteratæ diſtillationi exponendus, ſi ita lubet, ſuper affundendus recentibus floribus, citra rei alterius additionem; diutius intemeratus futurus, ſi in lagena denſa, rite obturanda reconditus fuerit.

Roſæ adeo uberem effundunt odorem, ut mirum eſſe non debeat adjectione rei cujuſpiam extraneæ, de qua ſupra, carere, ſi libet, nos poſſe ad diſtillatione eliciendam partem illarum inflammabilem, ſcilicet ſpiritum: At vero etiamſi ex ſolitariis ſpiritus ille educi poſſit, ea ratione quam ſupra indicavi procedendo, cum de illarum diſtillatione, generoſior tamen & uberior proditurus, eſt ab addito cynosbati fructu.

Cum porro non ſemper opportune, obvia ſint & nec ſemper obtinere liceat ſemina, baccas, radices, aliaſve plantarum partes quæ baſin præbere poſſunt floribus diſtillandis, ideo confugiendum eſt ad extraneam quampiam ſubſtantiam, ſed homogeneam, quæ ſal ſuum adjungens, ſulphur & Mercurium his floribus, continere valeat & ſibi adſciſcere Florum odorem, & quicquid ſulphureum ac φλόγιστον obtinent, fermentatione ſuperveniente, hiſque baſin præbens ſuppeditet & conjungat proprios ſpiritus illis quos in diſtillatione emittunt flores.

Manna, Saccharum, Mel ad prædictos uſus æque idonea ſunt, ex tribus his id quod in manus venerit accipiendum: Proportio unius illorum ad flores ex quibus ſpiritus φλογιστος eliciendus ſit ſubſextupla: Accurata vero ſit commiſtio, addito etiamnum, ſi quid urgeat, tantillo cujuſpiam alterius liquoris cum particula fermenti; cetera procedendo eadem methodo quæ ad fermentationem & diſtillationem florum cum ſeminibus, aliiſve partibus plantarum à me modo memoratarum tradita eſt: Accuratiſſime vaſorum commiſſuræ luto obducendæ ſunt, tum ad fermentationem promovendam, tum ad inſtituendam diſtillationem, ne ulli diſpereant Spiritus: Nec inutile fuerit hos recentibus floribus affudiſſe, iteraſſeque diſtillationem, ad meliorem odoris impreſſionem ac qualitatum utilium.

Iuxta hanc methodum licet ex omnibus Aromatibus, ab Indis ad nos tranſlatis, vel aliunde, uti & cunctis herbis odoratis, educere ſpiritum odoratum & inflammabilem.

CAPVT.

CAPVT XVI.

De Seminum & Baccarum, ac primo de Seminis Aniſi Diſtillatione.

INfuſiones potius inſtituuntur, aut Decoctiones, quam Diſtillationes plurimorum ſeminum, quæ cum pro frigidis habeantur, aut ſaltem temperatis, partibus aqueis & mucilagineis ſcatent, in liquoribus homogeneis diſſolubilibus: Aut partibus plurimis oleagineis conſtant, comite multo humore aqueo, facile expreſſionis ope à partibus craſſioribus ſejungendo, imo abſque igne, vel per liquores idoneos extracta emulſione: Semina Malvæ, Biſmalvæ, Cydoniorum, Pſyllij &c. Aquea mucilaginoſa cenſentur: Cucumerum, Melonum, Cucurbitarum, Lactucæ &c. inter oleaginea recenſentur: Imo & nonnunquam per expreſſionem oleum è pluribus ſeminibus calidis extrahitur. Sed cum hic locus Galenicis præparationibus locus adſignatus non ſit, diſtillationes Chymicas ſolum exhibiturus ſum circa præcipua ſemina inſtituendas, initio ab Aniſo ducto.

In Aniſi diſtillatione non unica ratione procedendum, pro varietate videlicet ſcoporum: Aliquando enim libras duas vel tres, quindecim aut triginta libris aquæ vitæ optime addidiſſe ſatis eſt, ac diſtillationē ſimplicem ſuſcepiſſe per Refrigeratorium aut Veſicam Cupream intus ſtanno obductam, Alembico, capite Mauri dicto coopertam, cui ſerpentinum ſit adnexum ad extractionem Spiritus vini Aniſati, in Gallia Narbonenſi & Provincia nomine Aquæ Aniſi venalis: At ſi ejuſdem diſtillationis beneficio comparare ſibi quis voluerit Aquam, Spiritum & Oleum, Sal volatile ſuo complexu gerentia, hæc eſto proceſſus ratio.

Accipiantur, exempli gratia, duodecim aut quindecim libræ ſeminis Aniſi adhuc virentis, ſi ſuppetit, aut ſaltem quam recentiſſimum comparare licuerit, cui rite contrito, ac in capacem Veſicam æneam immiſſo, interiori facie, probe ſtanno obductam, ſuperfundatur aqua pluvia aut fluviatilis, aut, quod ſatius, aqua Aniſi ſtillatitia, ſi præſto fuerit, quouſque ſemini quatuor digitis ſuperemineat, Eodem tempore veſica fornaci ſuperimponenda, qua Alembico, Mauri capite dicto cooperta, coaptato illi, luto obducto, ſerpentino, grande dolium aqua frigida repletum pertranſiente, adplicando etiam Serpentino Recipiens, luto utrumque muniendo, in cinerario modiciſſimus ignis accendatur, ſolummodo ad leviſſimam materierum contentarum excalefactionem, idque efficiendum ut aqua inſenſibiliter ſubſtantiam Aniſi intimam pervadere queat: Iſtiuſmodi calor per triduum integrum pro-

ducendus ut Aniſo putrefactionis quædam ſpecies inducatur; Poſtmodum igne accenſo in foco Fornacis, diſtillatio inchoanda erit, igne moderatiſſimo producenda, quouſque diſtillatione circiter Aquę partes duæ prolectæ fuerint, una cum Aniſo in veſicam immiſſę: tunc temporis removendus ignis,abſtractoqueRecipiente,ſeorſimque repoſito in lagena vitrea denſa,obturata,accuratè,Oleo Aquæ ſpirituoſæ diſtillationis ope eductæ ſupernatante,materiis refrigeratis,inanienda erit Veſica,colandaque & exprimenda ſubſidentia; Demum pari Aniſi contriti cum ſuperiori quantitate in Veſicam conjecta, illíque ſuperaffuſa aqua recens diſtillata, cum liquore ex ſubſidentia expreſſo, illaque Alembico cui à capite Mauri nomen cooperta, luto optime obducto, coaptato illi lutato Serpentino ac Recipiente, eadem omnino ratione ac prius in diſtillatione procedendum erit, eodem itidem modo Oleo ab aqua ſpirituoſa ſecreto: Licet &, ſi lubet, aquam ſtillatitiam reaffundere, liquoremque expreſſione eductum recenti Aniſi ſemini; repetita de novo diſtillatione, imo quoties è re viſum fuerit: Eo enim pacto Olei major quantitas elicienda eſt, & Aquæ ſpirituoſæ, odore & aniſi facultatibus inſignitorum.

Iterata affuſio aquæ ſtillatitiæ recenti Aniſi ſemini, in cauſa eſt ut major prodeat olei copia quam ſi unaquaque vice nova aqua affunderetur; quæ ſemper aliqualem olei portionem ſibi adſumeret: Sed & ſimilibus in occaſionibus non inepta eſſet illa procedendi ratio: Liceret interim, ſi ita viſum fuerit, ſeparare tantillam Olei portionem ab Aqua ſpirituoſa diſtillata, ſi hanc lagena vitrea denſiſſima, accurate occluſa, immiſſam, lucido Soli per aliquot dies expoſueris; hac enim ratione Olei pars, quæ aquæ confuſa fuerat, coloremque albicantem illi imprimit, in ſupernam aquæ partem evehetur, ac in collo lagenæ colligetur, inde eximenda.

Nonnulli unciam unam circiter Nitri admiſcent, aut Salis Tartari, vel Tartari crudi pulveriſati, unicuique libræ Aniſi admiſcent cum id diſtillare intendunt, rati uberiorem inde ſe copiam Olei compuraturos: at quibus perſpectum fuerit quam magna pro clivitate Olea Salibus fixis ſe conjungant, ſicuti id obſervare eſt in ſaponis confectione, ii judicaturi ſunt eadem ſalia, cum ſurſum nequeant evehi proculdubio olei portionem quampiam ſibi adſumptura, nedum majorem copiam inde expectandam.

Cum porro Aniſi potiſſimum inſtituatur diſtillatio ad Olei prolectationem,potius quam utilium ejuſdem partium,uberior illius ſolito copia ſperanda eſt, ſi immiſſo Aniſo contrito in magnam cucurbitam vitream, ſuper impoſito Alembico cœco accuratiſſime luto obducto, Cucurbita

curbita fimo imponatur ad altitudinem uſque rerum incluſarum, ibique per duas vel tres hebdomadas detineatur ; ex putrefactione enim in Aniſo ſuborta partes oleagineæ accuratius extricabuntur, ac poſtmodum major olei copia proditura eſt, quam ulla alia ratione.

Oleum & Aqua Aniſi Spirituoſa admodum commendantur in affectibus frigidis ventriculi & Inteſtinorum, ſpecialiter in colico dolore flatulento : Nec minus conveniunt ad excitandum Appetitum languentem, & concoctionem adjuvandam, Admodum illorum opportunus eſt uſus in pectoris morbis, cùm pituita craſſa & viſcida pulmones obſtruens incidenda & divellenda eſt : valent & ad ubertatem lactis Nutricibus conciliandam, hydropicorum flatus diſſipandos, Vteri vagos motus compeſcendos, tormina ventris infantium mitiganda, Partum facilem reddendum : Dolores aurium mulcendos, eorumque ſuſurrum extinguendum, à flatibus & humoribus frigidis inductum.

Oleum ex propria aqua exhibetur, à guttis duabus ad ſeptem vel octo, exceptis ſaccharo pulverato : Valet ad umbilici inunctionem & ventriculi, in aures quoque infunditur, commixtum oleo amygdalorum dulcium vel amarorum, vel aquæ cuipiam cephalicæ.

Semina Carvi, Cumini, Fœniculi, Anethi, Seſeli, Apij, Ammi ; & ſimilia, eodem modo quo oleum aniſi diſtillari poſſunt, ex unoquoque, pro cujuſque ſpecie, eliciendo ſubſtantias propemodum ſimiles iis quas Aniſum ſuppeditat : Sed minor Olei copia proditura eſt, idque præſertim, quod cum in uſum venire deberent ſemina quamdiu adhuc vireſcunt, utplurimum tantum admodum ſiccaimò & nonnunquam obſoleta admittuntur.

CAPVT XVII.

De Diſtillatione Seminum Cochlearia, Sinapi, Naſturtij, &c.

ILlud mirum eſſe non debet Spiritus, Olea, ac Salia plantarum volatilia, in diſtillatione ſemper conjunctim evehi, cum multum adfinitatis & commercij inter illa intercedat, ac vix poſſibile ſit ab invicem illa divellere quin nonnullæ particulæ ſibi mutuo cohæreant, imo aliquid phlegmatis illis conjunctum remaneat : Sal præſertim volatile ſæpenumero ſubſtantiis tam intime confunditur, ut vix ſegregari queat, imo neque diſtingui, niſi inſignis illius adfuerit copia ac odoratui manifeſtum fiat : Imo in plurimis herbis admodum aqueis, in frigidarum genere repoſitis, tam exigua reperitur copia, ut diſcerni nequeat, nedum ſeparari.

In diſtillatione plurimorum ſeminum calidorum; nominatim Sinapi, Naſturtii, ac ſimilium, obſervabilis eſt in illis cómixtio, ſcilicet olei, ſpiritus, ac ſalis volatilis quæ ſunt partes maxime cóſpicuæ, nec parva copia; contentæ: Imo illarum ſeparatio inſtitui poteſt, at non depuratio tam ſincera, quin in unaquaque illarum cæterarum particulæ commixtæ deliteſcant, pręſertim Sal volatile in Oleo & Spiritu: Neque admodum arduum eſt ſubſtantias in dictis ſeminibus dominium obtinentes interſtinguere, quandoquidem dentibus attritæ partibus ſuis penetrabilibus per oris ambitum univerſum ſe diffundunt, indicio non levi partium volatilium, ac præſertim ſalinarum & ſulphurearum, odoratum afficientium, cerebrumque non levi vehementia impetentium.

Ad horum ſeminum diſtillationem varia adducuntur media, Nonnulli enim poſt exacte contrita quæ diſtillationi ſubjicienda ſunt, immiſſaque in grandem urnam argillaceam, ſuperaffundunt aquam pluviam aut fluviatilem tepidam, quouſque ſemini injecto duobus aut tribus digitis ſupernatet; demum accuratiſſime obturatam urnam per triduum ſuper Piſtoris furnum detinent fermentationis cauſa, poſtea omnibus in Veſicam cupream ſtanno obductam infuſis, commiſſuriſque accuratè luto obductis, tum Alembici, capitis Mauri nomine donati, tum Serpentini & Recipientis, diſtillationem ſuſcipiunt igne primum moderato, educuntque primo Spiritum, Oleum & Sal volatile, quibus nonnihil Phlegmatis commixtum adhæret, ab illis abſtracti; productaque diſtillatione ad aliquot dies, Aquam eliciunt tribus his principiis prægnantem, convenientem non modo affectibus ſcorbuticis, ſed ſuperfundendam præterea novis ſeminibus diſtillationi committendis. Oleum demum ſecernunt, ſeorſim id ſeppoentes in ampulla vitrea denſa, accuratè obſtructa, ſicuti & ſpiritum, ſale volatili admodum prægnantem, quo neque oleum deſtitutum eſt.

Alii Vinum album optimum ſemini contrito affundunt, non aquam pluviam aut fluviatilem, ſatiſque illis eſt ſpatium temporis vino concedere ad intimam ſeminum penetrationem, maceratione abſque igne facta per unicam noctem contenti; demum cuncta diſtillant, eodem quo priore modo in diſtillatione procedentes.

Quidam optime contrito ſemini, ac capaci Cucurbitæ vitreæ immiſſo, ſuperaffundunt Vini ſpiritum rectificatiſſimum, quouſque ſemini duobus tranſverſis digitis ſupereminéat; Illam ſuo Alembico coopertam, luto obducto, coaptatoque roſtro Recipiente, eodem modo lutato, diſtillationem in Maris Balneo inſtituunt, vel cinerum, igne moderatiſſimo, eliciuntque Oleum cum ſpiritu tenuiſſimarum partium & ſumme penetrabilium, admodum ſale ſeminis volatili prægnante.

Sed

Sed & commodiſſime hęc ſemina diſtillari poſſunt citra ullam additionem, imo ne quidem contrita, ſi Retorta argillacea, aut vitrea, luto obducta illis oppleta fuerit: Illa enim collocata in furno Reverberij clanſo, adaptatoque, (accuratiſſime luto obducto) grandi Recipiente illius roſtro, ſuſcipi poteſt diſtillatio igne gradatim aucto, hoc eſt initio mitiſſimo, ſed paulatim per ſpatium duodecim horarum ad extremum uſque gradum adaucto: Hoc pacto in Recipiente obvium erit Oleum, Spiritus, Sal volatile & Phlegma, ſimul commixta, poſtea in Balneo Arenæ rectificanda igne moderato in matratio oblongiori collò prædito, cui imponendus Alembicus luto exactiſſime incruſtatus, inſtructus exiguo Recipiente eodem modo luto veſtito: Per quam rectificationem Sal volatile prius aſcenſurum eſt, forma alba coagulandum & cryſtallina: unde, ſi libet, eximi poſſet, lutum alembico inductum ſi detrahatur, aliud illi ſubſtituendo ſed luto incruſtatum; accurata cura & diligentia Sal cuſtodiendo in lagena vitrea denſa, accuratiſſime obſtructa, ne portio illius in auras diſcedat, humiditaſque aëris id quod ſupereſt in liquorem convertat: Rectificationi poſtmodum inſiſtendum, ſeparando, & ſeorſim adſervando, ſpiritum ſale volatili prægnantem, ſemper anticipantem, ſicuti & Oleum volatile quod ſupernataturum eſt, interim dum maxima pars aqueæ partis in Matratij fundo ſuperſtes futura eſt, cum maxime terreſtri & craſſiori Olei parte, nequaquam adſervanda ob craſſitiem & fœtorem, etſi non inutiliter in uſum venire poſſit uſu externo, ad leniendos dolores a cauſa frigida ſubortos.

Nulla urget neceſſitas ut huc afferam virtutes antiſcorbuticas, uti neque dozin & rationem in uſum flectendi Spiritus, Salia volatilia, & Olea ex hujuſmodi ſeminibus educta: uti neque Aquas Spirituoſas illorum in diſtillatione comites; quandoquidem ſupra à me memorata ſufficiunt, cum de ſubſtantiis ejuſdem prope indolis mihi fuit ſermo, eductis è Cochlearia: Illud tamen cenſendum ex his ſeminibus quiddam magis digeſtum ac tenuius expectandum eſſe quam ex herbis, ſeminum perfectionem nondum adeptis: Id etiamnum pro comperto habendum, Spiritum, Sal volatile & Oleum horum ſeminum, optimorum effectuum opifices eſſe poſſe in cunctis Cerebri affectibus frigidis, necnon Nervorum & Muſculorum, ſpeciatim in Paralyſi; cui rei non modo convenire poteſt Inunctio, non ſolum ex Oleo rectificato, ſed & ex illo quod rectificationem expertum non eſt, id ſeorſim litu admovendo aut commixtum Vngu. Martiato vel axungiæ humanę, viperinæ, aut Oleo Interitio, Laurino, Hypericonis aut ſimilibus.

Nonnulli fermentum adhibent juvandæ gratia fermentationis, ſed

licet ab illo abſtinere, copia enim tenuium partium abundant, ac inſigni diſpoſitione ad terreſtrium excuſſionem, exigua quantitate inexiſtentium.

CAPVT XVIII.

De Diſtillatione Baccarum Sambuci.

NOn ſuſcipio enumerandas hoc loco cunctas præparationes, plurimas Sambuci partes ſpectantes, uti nec fruticem hunc laudibus, quibus inſignis eſt, donare, de quo plurimi authores Tractatus edidere; cum enim metam mihi propoſitam præterire animus non ſit, ſatis hoc loco mihi fuerit paucis perſtrinxiſſe methodum Baccas illius diſtillandi, ac modum inſuper quicquid illis utile ineſt eliciendi.

Colligantur Baccæ Sambuci perfectam maturitatem adeptæ, non exigua copia, ex quibus probe mundatis & contuſis exprimatur ſuccus, quo adimpleatur doliolum quernum, in cella vinaria ad fermentationem detinendum non ſecus ac muſtum: quam primum obſervatum fuerit ſuccum odorem vinoſum adquiſiiſſe, acidiuſculum quid redolentem, perforandum doliolum paulò ſupra fæces, eadem ratione qua dolium vinum continens terebratur: Eductus univerſus ſuccus limpidus infundendus in Veſicam cupream intus ſtanno obductam, qua cooperta ſuo Alembico Mauri Capite donato, probe lutato, adaptato illius roſtro Serpentino quoque luto obducto, pertranſeunte dolium aqua frigida impletum, ac Recipiente admoto extremo canali ſerpentino, ſuſcipienda erit diſtillatio igne admodum temperato, ſeorſim reponendo ſuccum inflammabilem, ſumma penetsandi vi præditum, primo aſcendentem.

Producenda etiam eodem igne diſtillatio, quouſque exſtillarint circiter duæ tertiæ ſucci in veſicam immiſſi, quo tempore, diſtillatione intermiſſa, Aqua ſpirituoſa diſtillata ſeorſim reponenda; Demum vaſis refrigeratis, in manicam panneam decantandus erit ſuccus in veſica reſiduus, ad fæcum ſubſidentium ſeparationem: Demum effuſi liquoris limpidi, in pelvim fictilem, vitreatam, humiditas ſuperflua igne leniſsimo in vapores ſolvenda erit, qui producendus quouſque liquor in Extracti conſiſtentiam deductus fuerit, vaſi vitreo cum refrixerit committendi, aut Faventino, accuratè cooperto.

Interim Baccarum magma Soli exponendum fuerit, aut aëri libero, ut exſiccetur, ad acinorum ſeparationem, qui inutiles futuri non ſunt; ex illis enim contritis, ope torcularis exprimitur Oleum leniter vomi-

tum

tum ciens, à drachma ſemis exhibitum ad ſeſquidrachmam ex juſculo, cereviſia, aut liquore quopiam idoneo.

Spiritus Sambuci plurimum commendatur adverſus frigidos Cerebri morbos: diaphoretica vi prędirus eſt, Sanguinis maſſam depurat, facilemque illius circulationem præſtat: Putredinem humorum emendat, ac Febrium & Venenorum cacoechiam emendat: Podagricis & Hydropicis opem fert, Vterique obſtructiones reſerat, ac vapores retundit, Exhibetur ex propria aqua vel liquore conſimili, drachma ſemis ad drachmas duas: Eadem dozi illius Extractum prębendum, Boli forma, aut diſſolutum in aqua propria, quinimo commiſcendum illius ſpiritui in iiſdem affectibus ad quos commendatur ; Poteſt & comburi ac incinerari magma, eductuumque ſal extracto commiſceri, aut in aqua ſtillatitia diſſolvere ad virium incrementum : Eadem præparatio Baccis Ebuli adhiberi poteſt.

CAPVT XIX.

De Diſtillatione Baccarum Iuniperi.

IVniperi Baccæ ſubſtantia cum parum humida donatæ ſint, ex illis ſicuti ex baccis ſambuci ſuccus extrahi nequit, quamobrem ad humidi cujuſpiam extranei ſubſidium confugiendum ut res ſuccedat, atque diverſo proceſſus genere utendum pro ſubſtantiarum eliciendarum diverſitate : Si enim ex his baccis ſuccus inflammationis capax eliciendus fuerit, fermentationem is ſubire debet, imo fermenti tantilla portio adjicienda eſt, mellis, ſacchari, aut mannæ, liquori ad diſſolutionem requiſito, & neceſſariam ſecretionem partium ſubtilium & volatilium à craſſioribus.

Illud tamen ratum eſſe debet, dum excitatur & educitur ſpiritus ille inflammabilis, minorem Olei portionem prodire quam ſi alia proceſſeris via, quia fermentationis vi maxima pars in ſpiritum inflammabilem tranſit; Neque præterea dubium quin à fermento admoto immutatio fiat naturæ & qualitatum portionis à diſtillatione ſuperſtitis, adeo ut Extractum probæ notæ expectandum non ſit ; At cum beneficium ex ſpiritu φλογιςῷ ſperandum multum illi inferius ſit quod producere poteſt diverſa procedendi ratio in diſtillatione harum Baccarum, Aſſumpta autem exigua quantitate ſpiritus vini, vice aquæ, comparare quivis ſibi poſſit, nullo negotio, ſpiritum non minus ſubtilem, ac efficaciorem quam ſi prævia eſſet fermentatio, ex mea ſententia ſatius fuerit ſequenti methodo inſiſtere.

Accipe Baccarum Iuniperi Libras quinque aut ſex, maturitatem perfectam adeptarum & ſucculentarum ; optime conterantur in mortario marmoreo piſtillo ligneo, adimpleatur pars media magnæ Cucurbitæ vitreæ, illis affundatur Spiritus Vini rectificatiſſimus, quouſque ſolum pars tertia circiter capacitatis vaſis vacua ſuperſit; cooperiatur admoto Alembico cœco, cujus commiſſuræ accuratiſſime luto incruſtandæ, Impone arenæ ſupra Piſtoris furnum, ac detine per triduum integrum, quod ſatis futurum eſt juvandæ penetrationi Spiritus vini in baccas juniſperi, ac diſſolutioni partium maxime volatillum ; demum deraſo luto, ſoluta vaſorum compage, illique ſubſtituto, ac impoſito ſupra cucurbitam Alembico, luto obducendo, coaptatoque ejus roſtro alembico, peragatur Diſtillatio Balneo Arenæ, igne moderatiſſimo adhibito ; Eo pacto proditurus eſt Spiritus ſubtilis & inflammabilis, prægnans partibus maxime ſubtilibus & optimis Baccarum Iuniperi.

At vero melior ſucceſſus ſperandus, ac infimul quicquid utile continent Baccæ Iuniperi elicere dabitur, ſi hanc methodum tenuerimus: Optime conterantur Baccæ Iuniperi non exigua copia collectæ, Immittantur vrnæ argillaceæ, uni vel pluribus, adimpleantur duæ circiter partes ; affundatur aqua inter tepentem & æſtuantem media, diu agitentur & diluantur baccæ, Vrnæ ad ſummum aqua impleantur, poſtea optime occludantur, per octiduum ſupra furnum piſtoris detineantur; perficiatur diſtillatio in Veſica cuprea interius ſtanno obducta, impoſito illi Alembico à Mauri capite denominato, rite luto obducto, ſicuti & Serpentino ac Recipiente, non diſſimiliter procedendo quam ad diſtillationes præcedentes, pergendo in diſtillatione donec aqua pene inſipida exſtillet : eo pacto proditura eſt Aqua ſale volatili & partibus ſpirituoſis Baccarum prægnans, comite ſale volatili albo & odorato, illi ſupernatante, ſeparabili ope ellychnii vel funiculi goſſipini, infundibuli, vel alterius vaſis vitrei illis uſibus deſtinati, ſeorſim in ampulla vitrea denſiori recondendo, accurate occludenda.

Licet &, ſi libuerit, Aquam rectificare in Balneo Arenæ, in Cucurbita vitrea, Alembico ſuo, bene luto incruſtato, cooperta, rejecta parte mere aquea, in fundo cucurbitæ poſt diſtillationem reſidua ; vel baccis recentibus aquam prima vice diſtillatam reaffundere, repetendo macerationem & diſtillationem ſicuti prius oſtenſum eſt ; quo pacto major Olei quantitas proditura eſt, aqua ſpirituoſior futura, & ſale volatili magis turgens.

At vero cum non omnes Baccarum partes utiles evehantur in Diſtillatione, ac plurima illarum pars, & potiſſima, aquæ commixta in fundo

fundo veſicæ remaneat, præſertim ſubſtantia quædam melliginea, cujus comes ſulphur quoddam craſſius cum baccarum ſale fixo, ideo Subſidentia colanda & exprimenda erit cum vaſa calorem omnino depoſuerint; qui liquor limpidus redditus in pelvim fictilem infundendus eſt, interius vitreatam, humorem ſupervacaneum in vapores ſolvendo ope modiciſſimi ignis, quouſque id quod ſuperſtes futurum eſt ad Extracti conſiſtentiam deductum fuerit, guſtui non ingratum, aromaticum quid reſipiens.

Exſiccandum quoque erit Magna ab expreſsione reſiduum, quo combuſto, & in cineres redacto, lixivium cum aqua parandum erit, quod filtratum, & ad coagulationem uſque ſalis conſumptum, Extracto conjungendum erit, commiſta recondendo in vaſe Faventino accuratè occludendo.

Oleum & Aqua Spirituoſa Baccarum Iuniperi eximiæ ſunt utilitatis ad expediendos renes & ureteres ab arenulis & materiis viſcidis eorum meatus infarcientibus, urinæque liberum commeatum intercipientibus: Vſus quoque ſunt inſignis in cunctis frigidis cerebri affectibus, ſcorbuticis, uti & ad cerebrum corroborandum, excitandum torpentem appetitum, concoctionem promovendam, humorum corruptionem inhibendam, vermes corpori inhærentes necandos: ſicuti & in ſedandis colicis doloribus à flatu oriundis, omnibuſque inteſtinorum morbis frigidis: Oleum ſpeciatim commendabile eſt adverſus aëris inquinamenta, Peſtem, affectuſque omnes epidemicos, ſicuti & quoſvis hyſtericos.

Oleum ex ipſamet Aqua Spirituoſa exhibendum, at nondum rectificata, vel ex vino, juſculo, à guttis duabus ad ſeptem vel octo, mane jejuno ventriculo, vel procul a paſtibus, in uſu illius prout opus fuerit pergendo, ſicuti & Aquæ Spirituoſæ, minori copia exhibendæ, aut majori, pro rectificationis diverſitate.

Oleum etiam commodiſſime uſurpatur ad Inunctiones externas, in Nervorum affectibus, præcipue illorum contractionibus: Inungitur quoque umbilicus in colicis doloribus: Auribus inditur contra tinnitus & gravem auditum: In Nares etiam immittitur, inunguntur tempora & ſuturarum cranij regio, in Apoplexia, Epilepſia, &c.

Baccarum Extractum quod attinet, non immerito illi Helmontius inſignem vim purgatricem adſignavit, illa enim revera pollet, ſi præſertim additum fuerit Sal proprium fixum: Roborando enim ventriculum & inteſtina, leniſſime quoſcunque humores expurgat.

Datur à drachmis duabus ad ſemunciam, Boli forma, aut liquore convenienti diſſolutum: commiſcetur etiam nonnunquam Opiatis,

aliiſve remediis aperiendi vi præditis & per inferna ſubducendi.

Eadem procedendi ratio locum hahere poteſt in diſtillatione Baccarum Sabinæ, Hederæ, Myrti & ſimilium,

CAPUT XX.

De Diſtillatione Tritici, Secalis, Hordei, &c.

Vſitatiſſimus ejuſmodi Cerealium ad hominis alimentum ac nonnullorum animalium uſus, manifeſtiſſimum facit in ipſis deliteſcere ſubſtantias non minus eſſentiales quam ſubtiles, quarum ope ad partes corporis noſtri etiam maxime diſſitas perducuntur: Facultas præterea ſibi ſimile gignendi, ſeminibus omnibus communis, ratum facit eminenter, ac quaſi per compendium in ipſis contineri quicquid in planta, è qua ortum duxerunt, præſtantiſsimum latuerat; quandoquidem eandem plantam, uno quoque anno corruptibilem, producere apta nata ſunt, perpetua ortus & interitus viciſsitudine.

Rei veritas ex mechanices fundamentis confirmationem obtinet, non ſolum in Panificio, ſed & in Cereviſiæ confectione: Accedente enim fermentatione artificiali in farina, ex qua paſtam parat Piſtor, addita aqua calida, commixtaque fermento, ſuperveniente in furno coctione, cum illius partes fermentationis partes optime diviſæ fuerint, Panem conficit guſtui, gratum, alimento idoneum, ſed qui præterea ventriculi calore indiget, & Arido illi inexiſtente, aut fermento nativo, ad poſtremæ fermentationis perfectionem, atque hujus beneficio, intimę diviſionis omnium particularum, quo maximę ſincerę & ſubtiliſſimæ ad ſingulas corporis partes in illarum beneficium deferantur, craſſiores autem ad inteſtina propellantur foras, ut pote excrementa inutilia, ejiciendæ.

Cereviſiam quod attinet, poſtquam Cereviſiarij ſeminibus artificio germinationis principium indiderunt, demum in eorundem ſeminum centrum, illa exſiccando, ad germinandum propenſionem retruſerunt craſſe illa conterunt, poſtea addito tertio tanto alterius grani germinationem non experti, ſed mola quoque contriti, omnibus aquam ſemiferventem affundunt, poſtmodū frigidæ quantum ſatis eſt ad diſſolutionem & ſeparationem partium volatilium ſeminibus inexiſtentium, totique conciliandum temperatum calorem, accedente deinde fermentatione requiſita, cunctiſque per idonea inſtrumenta ſubactis, accurate contegunt vaſa materias continentia, per quatuor aut quinque dies illic detinentes, aut quatenus vapores exinde elati nares feriant, emergatque

odor

odor vinoſus, ſubtilis & penetrabilis, perfectæ fermentationis index certiſſimus.

Occaſio tunc legitima eſt materias diſtillandi per veſicam Alembico, Mauri caput dicto obtectam, ad eliciendum ſpiritum inflammabilem, ſale & ſulphure volatili ſeminum prægnantem, non minus ſubtilem, nec minori penetrandi vi præditum quam eſt vini ſpiritus etiam rectificatiſſimus.

Accuratiorem deſcriptionem tradere mihi licuiſſet, imo hortari eos qui illi ſe operi accingere non recuſaturi ſunt, ut colligant aquam per ęquinoctia è cœlo deciduam, vernalem potiſsimum, ſed ſuperſedendum duxi, quod in omnibus Zythopeptarum tabernis res conſpicua ſit, imo libris eo de negotio conſcriptis, ſpeciatim in Tractatu Chymico Dom. le Fevre, operationis rationem ad unguem demonſtrantis.

Satis mihi fuerit huc intuliſſe, multo minori negotio perfici poſſe ſeparationem partium Triticum, Secale, Hordeum, aut ſimilia ſemina Cerealia componentium, Retortæ duas circiter partes adimplendo ſemine quod libuerit, in furno Reverberii clauſo, igne patente diſtillationem inſtituendo, igne per gradus adhibito & ad artis normam: Hoc enim pacto in Recipiente reperire erit Spiritum, Sal & Oleum volatilia, per roſtrum Retortæ exſtillatorum, permixtorum & confuſorum plurimo phlegmati, cujus rectificatio poſtmodum perfici poteſt per Arenæ Balneum in Matratio oblongioris colli, Alembico ſuo optime luto incruſtato cooperto; Imo per crebro repetitas rectificationes conſequi licet Sal volatile album & cryſtallinum, vel ſaltem ſpiritum eximia penetrandi vi præditum, cum ſale volatili illici reſoluto: Id quod contingere poteſt ab inſita proprietate ſalium volatilium plantarum, qua in liquorem facillime abeunt, aut etiam in nihilum: Proditurum necnon eſt Oleum volatile, admodum tenue & penetrabile, quod nonnullas particulas ſalis volatilis ſibi adſumpſerat.

Spiritui inflāmabili, ex his ſeminibus fermentationem expertis educto eædem fere qualitates adſignari poſſunt quæ vini ſpiritui, & in eoſdem etiam uſus adduci; Sal & Spiritus volatilia in omnibus morbis conveniunt in quibus neceſſaria eſt inciſio, & vitio peccantium humorum attenuatio; illorum ad habitum corporis per poros carnium & cutaneos expulſio, ſudoris forma aut inſenſibilis tranſpirationis: Poſſunt & utiliſſime ad uſum revocari in morbis epidemice graſſantibus, imo & in Thoracis affectibus, præſertim Aſthmate & Pleuritide, Pituitam enim meatus reſpirationis obturantem efficaciſſime divellunt, & anacatharſim adjuvant, vapores quinetiam nonnunquam ſimul moleſtos diſcu-

tiunt, à quibus Aſthma, etiam abſque pituitæ præſentia, induci poteſt: Sanguinem concretum reſolvunt, pleuritidis authorem, dummodo tempeſtive exhibita fuerint, priuſquam ſanguis è vaſis elapſus puris forma donatus fuerit.

Doſis eſt à ſemi ſcrupulo ad ſemidrachmam ex vino, juſculo, vel liquore quopiam: Eadem commiſcere licet opiatis, ſyrupis: Imo & uſus illorum diu produci poteſt, non ſemel tantum ſed per vices præbendo, at minori copia.

Olei volatilis uſus exterior potiſſimum eſt, illinendo partes Rheumatiſmo obſeſſas, aut dolore quopiam à frigida cauſa ſuborto: Commodiſſime & uſurpatur ad alliciendos & revocandos ſpiritus in partes paralyſi tentatas.

CAPVT XXI.

De Diſtillatione Leguminum.

EX variis ſubſtantiis è Leguminibus per Retortam eliciendis in Fornace Reverberii clauſa, Sal volatile præſertim educitur, diſtinctius & copioſius quam ex cæteris Cerealibus alimento hominum deſtinatis, ſi exceperis quædam ſemina aut radices antiſcorbuticas: Illud quoque crediderim majori ſedulitate idem diſquirendum fuiſſe, niſi à propoſito revocaſſet copia ſalis fixi ex ſiliquis illorum educi ſoliti cum incinerantur, eademque methodo qua ex cæteris plantarum partibus Sal educitur; At ſi Salium varia indoles accurate animadverſa fuiſſet, ac inſignis Acidorum diſpoſitio qua intime ſalibus fixis conjungi imo & volatilibus amant, ac poteſtas illis innata poſteriora hæc ſiſtendi & ad tempus figendi, procul dubio nullus non in eam ſententiam veniſſet, nec quibuſdam neotericis Chymicis illuſtribus ignotam, videlicet Salia omnia plantarum, quæ chimiſtæ ab omni ævo pro fixis habuerunt, in Salium cenſu reponenda non eſſe, neque ea copia proditura eſſe, uti neque ignis vehementiæ obſtitura eſſe, niſi ſal acidum quod in eſt parte plantæ quæ incineratur, conjunctum ſali aëris; & illi quod materiis combuſtibilibus ineſt, adhibitis ad aduſtionem aut calcinationem rei comburendæ, cohibuiſſet Sal natura ſua volatile, illi ſe intime conjungendo, atque vim igni reſiſtendi eidem impreſſiſſet etiamſi, ut rectius dicam, Salia hæc quamquam conjuncta, ignis vehementiæ non tamdiu obſiſterent niſi adſumpſiſſent,ac ſibi conjunxiſſent partem Terræ maxime alKooliſatam, quam tamen omnino excuſſiſſe videntur per frequentes ſiltrationes, ac niſi illam Terram amplexa eſſent tanquam conjunctionis fundamentum.

Id

Id quoque pro comperto habendum Sal Acidum in compoſitione mixtorum adeo eſſe neceſſarium, ac præſertim plantarum, ut abſque illius præſentia neque generationem, neque incrementum, neque partium perfectionem conſequi valeant: vinculum id eſſe omnium aliarum ſubſtantiarum, abſque illo neque ſoliditate neque conſiſtentia donatum iri, ac cunctas productiones, orbis univerſitatem occupantes, in antiquum Poëtarum Chaos rédituras, ſi deeſſet illud Acidum quod totius Naturæ anima & fundamentum cenſendum eſt.

Sed in viam rediens, Diſtillationem nempe Leguminum, prætermiſſa cujuſque ſingulari, Fabas ſolas attingam, omnium leguminum, ex vulgi ſententia, craſſiſſimum, nulli vero inferius, tum tenuitate partium & penetrandi vi, tum copia ſalis volatilis ipſi inſiti.

CAPVT XXII.

De Diſtillatione Fabarum.

Accipiantur Fabarum exſiccatarum integrarum Libræ quinque aut ſex, immittantur Retortæ argillaceæ, aut vitreæ luto incruſtatæ, cujus circiter tertia pars vacua ſuperſit: hæc in Furno Reverberii clauſo collocetvr; coaptetur illi ampliſſimum Receptaculum, luto optime munitum, obturatoque ſpiraculo, modicus ignis in cinerario accendendus, per quem ſolummodo paulatinum calorem concipiant Retorta & Fabæ illi incluſæ; qui per horam integram hoc in ſtatu conſervandus, demum in foco ignis accendendus, eoque modo regendus ut non multo intenſiorem præbeat calorem eo qui in cinerario accenſus fuit, hic per horæ ſpatium in eodem tenore detentus, paulatim ſingulis horis augendus eſt, ſed vitato exceſſu, interim pars Fabarum aquea in Recipiens exſtillans conſpicua erit non exigua copia: Poſtmodum nonnihil aëris concedendum erit Spiraculo Fornacis, à latere Recipientis, ignem per intervalla augendo, quouſque Retortæ globus nubibus albis oppletus conſpiciatur, quæ paulatim & inſenſibiliter in liquorem ex ſtillabunt, partim oleagineum, partim ſpirituo ſalinum, in vaſis fundum ſecedentem: Tunc ignis eodem in tenore fovendus toto bihorio, atque aëri per ſpiraculum paulo liberior ingreſſus patefaciendus, quod poſtmodum omnino reſerandum, intenſiori reddito igne, adeo ut tandem erumpat in flammam, eo uſque producendus donec nulli amplius vapores prodeuntes ex Retorta conſpiciantur, ac Recipiens inclareſcat: quo tempore obturandum ſpiraculum Tegminis, ac ſimul oſtia Fornacis, vaſa ut refrigeſcant permittendo: Poſtmodum Recipiens à luto libera-

tum, plurimum Phlegmatis continere deprehendetur, Oleo Spiritui & Sali volatili Fabarum commixti, in quibus adeo inſignis penetrandi vis manifeſta erit ut neque nares, neque oculos vaſis orificio admovere cuipiam liceat quin protinus illinc recedendũ ſit: Tunc certiſsime cũctos illos liquores in matratium prolixioris colli infundere oportet, quod Alembico, optime luto incruſtato, coopertum, adjunctum habens roſtro Recipiens, eodem modo luto obductum, collocandum erit in Balneo arenæ, loco aëri expoſito, procul à Sole ac quovis calore, prȩter eum qui excalefactioni arenæ, & materiarum contentarum neceſſarius eſt, cujus beneficio conſpicuum erit Sal volatile paulatim aſcendens, ac in cryſtallos albos intra Alembicum concteſcens, cooperiendum linteo pluries complicato, frigidæ immerſo, ad prohibendam ſalis reſolutionem, quod ad minimum caloris adpulſum, citius quam ullum aliud ſal volatile reſolvitur, adeo ut diutius alia forma quam liquida adſervari nequeat: Licet nihilominus adhibita diligentia & ſedulitate forma cryſtallina & alba ex Alembico eximi, ac per aliquod tempus in ampulla firma, accurate occludenda conſervari: Sed eam in rem in parato adeſſe debet alter Alembicus correſpondens, qui ſuccedat priori è quo Sal erit eximendum, demum accuratè obductis poſtremi commiſſuris, pergendum eſt in rectificatione harum materierum, interim dum abradetur Sal è priori, ſedulo recondendum: Eoque pacto in Recipiens excipiendum erit reliquum Salis volatilis, nuptum exiguæ cuipiam portioni phlegmatis ac partis oleagineæ maxime volatilis Fabarum, ſi lubet ſeparandum, & ſeorſim aſſervandum, interite phlegma inutili, & oleo craſſo ac fœtido in fundo Matratij ſubſidebente.

Sal volatile Fabarum generoſiſſimum eſt diaphoreticum, omnium ſubtiliſſimum ac eximia penetrandi vi præditum cenſendum: Eadem doſi ac eadem ratione qua cætera ſalia volatilia exhiberi poteſt, & in eoſdem affectus adſumi: Olei volatilis vires a Salis viribus non multum recedunt: Dare licet à guttis duabus ad decem vel duodecim, Saccharo albiſſimo pulverato exceptis, demum diluto in liquore aliquo accommodo: Nec inutiliter Linimenti forma uſurpatur ad membra paralyſi affecta, vel rheumatiſmo prehenſa; umbilico etiam & ventriculi regioni illitus poteſt in colicis doloribus & ad lumbricorum internecionem: Naribus quoque inditur, temporibuſque admovetur, in morbis Cerebri & uteri.

Fabarum Diſtillatio anſam mihi præbet ut huc inferam id quod à me experimento comprobatum circa eandem materiam, confirmationis gratia rei à me præcedenti capite adductæ, de fixatione quæ Salibus volatilibus plantarum accidit per Acidorum adjunctionem in uſtione vel calci-

calcinatione earundem plantarum, ubi ratio alia ſuppetit illarum Salia volatilia obtinendi, ſeparatione nempe inſtituta à cæteris partibus beneficio diſtillationis.

Ex inſtituto in crucibulo comburi, ac incinerari curavi Fabarum exſiccatarum libram unam, ejuſdem cum illis generis quam in Retorta diſtillavi, nullum interim odorem ſalis volatilis percipiens, ſicuti id ſemper contingit dum comburuntur animalia integra illorumve partes: Accenſo igne carbonum ſatis vehementi per ſex horas, ad fabarum dictarum incinerationem, in fundo crucibuli à me repertæ drachmæ circiter ſex cinerum alborum, ſaporis ſalini, lixivialis, acris & cauſtici; Eodem ignis gradu uſus ad comburendam & in cineres deducendam reſidentiam ſex librarum Fabarum, è qua Sal volatile diſtillando eduxeram, vix cinerum unciam obtinere potui, ſed prioribus minus candicantium, ſaporis minus acris, minuſque ſalini.

Hinc facile dijudicare potui in poſtremis hiſce Fabis me non deprehenſurum Sal volatile quod jam per diſtillationem prodierat, neque illarum Sal eadem acrimonia pollere poſſe qua Fabarum diſtillationem non paſſum, quarum Sal acidum & volatile potiſſimam conſtituebant materiam: Quapropter exiſtimo gravem illum odorem qui ex illis animalibus, dum comburuntur, emergit, quod indicium præbet diſſipationis ſalis illorum volatilis, ab uno Acidorum defectu pendere, quorum exigua quantitas cum cohibere non valeat ſalia volatilia, in fugam ideo hi cito erumpunt cum actionis ignis vehementiam experiuntur.

Piſa, Phaſeoli, Orobi, Lentes, aliaque Legumina ejuſdem cum Fabis naturæ, eodem modo diſtillari poſſunt, ex iiſque propemodum eædem ſubſtantiæ elici, licet ſalis volatilis minus quam Fabæ contineant.

CAPUT XXIII.

De Lignorum Diſtillatione.

Ligna non modo vegetabilium pars ſolidiſſima cenſenda ſunt, ſed & pro illa habenda quæ ſucci Acidi plurimum obtinet & effundit, ſicuti id per diſtillationem in Retorta videre eſt, unde occaſio exoritur obſervationes quaſdam non levis momenti adferendi, quarum prima eſt.

Acidum, quod copioſum continent, adeo ligare, ac fixum detinere Sal volatile, ut vix odoratus percipere queat quidpiam illius commixti

tum latere in Spiritu acido,Oleo & Phlegmate; quandoquidem Sal volatile Animalium, & Fabarum cum acido illorum dominentur, illico vi ſua acerrima nares feriunt & oculos eorum qui lutum Recipientis deradunt, in quod una cum ſale volatili, ſpiritu & phlegmate ſe receperunt.

Secunda Obſervatio eſt, difficilius eſſe Sal volatile Lignorum ſecernere ab illorum Spiritu aut Sale Acido, Oleo volatili & Phlegmate, quam Animalium, Fabarum, aut Seminum antiſcorbuticorum à cæteris ſubſtantiis quæ una cum illo per diſtillationem extractæ ſunt: Eo quod Lignorum Sal volatile iam maxima ex parte fixatum eſt ab acido copia illud ſuperante, cum in Animalium diſtillatione, Fabarum,ſeminum Antiſcorbuticorum &c. acidum minori adſit quantitate quam Sal volatile.

Tertia Obſervatio eſt, illud Sal quod ex reſiduo in Retorta extrahi poteſt per calcinationem,non ęque copioſum eſſe, neque tantas poſſidere vires, nec æque penetrabile eſſe ac id quod educi poteſt ex ęquali quantitate ejuſdem ligni combuſti & incinerati igne patente; Eo quod Sal volatile hujus poſtremi durante uſtione cohibitum fuit ab Acido eidem ligno exiſtente, ſicuti & aëri ac materiebus, quas in cineres deduxerunt, Eo quod Sal ligni volatile, ab igne vi ſurſum compulſum in diſtillatione ad aſcenſum una cum Phlegmate & Acido,nequaquam porrò cohibitum, aut fixius redditum ad Acido ullius aëris ambientis,neque ab ullo alio acido extraneo, quandiu lignum intra Retortam concluſum fuit, omnino fieri nequit ut poſtea in ſubſidentia reperiatur pars ſalina, illinc expulſa,nec proinde tantundem Salis fixi quantum ineſt cineribus lignorum igne patente combuſtorum.

CAPUT XXIV.

De Diſtillatione Ligni Roſarum.

SIngularem Lignorum diſtillationem ordior ab eo cui nomen Ligni Roſarum inditum eſt, etſi Roſas non proferat, ſolaque odoris ratione id nomen gerat.

Scobina minutiſſime deradatur non exiguâ iſtius Ligni quantitas, quo poſtquam impletæ fuerint duæ partes capacitatis dolioli, adeo ut una vacet, illi ſuperfundatur aqua pluvia, aut fluviatilis, hacque cum completum fuerit doliolum, apertio optime occluſa, cunctaque eo in ſtatu per dies quindecim permanſerint, pars ligni & liquoris capaci Veſicæ æneæ, interius probe ſtanno obducte in datur, qua operculo, Mauri capite

capite dicto, cooperta, ſtanno quoque obducto; optimeque lutatis commiſſuris, nec non Serpentini, tranſverſim pertranſeuntis dolium aqua frigida repletum, Inſtituenda erit diſtillatio igne moderato, continuanda quouſque extracta ſit quantitas duarum circiter partium aquæ veſicæ immiſſæ; Demum vaſis refrigeratis, factaque ſeparatione, ac repoſito in lagena vitrea, optime obturanda, Oleo odorato Aquę diſtillatæ ſupernatante, ſeorſum adſervata eadem Aqua; repetenda erit & inſtituenda iterum diſtillatio eius quod ſupereſt; quoad cætera procedendo ſicut prima vice, donec omnino exſtillatum fuerit id quod dolio continebatur: Eo pacto nanciſci licet Oleum volatile limpidum, coloris flavi, odoris ad illud accedentis quod ex Roſis per diſtillationem educi ſolet, ac præterea odore parum diſcrepante ab eo qnem ſpirat Aqua roſarum vulgaris.

Liquoris adhibendi pro diſtillatione hujus ligni neceſſaria quantitas non exigua, tantam diviſionem & diffuſionem partium illius acidarum & volatilium ſalinarum inducit, per diſtillationem ſurſum evectarum, ut illas, aquæ commixtas, neque ſapore, neque odore diſtinguere ab invicem liceat, etſi revera adſint, minori tamen copia quam ſi lignum ſolum per Retortam diſtillatum fuiſſet: Id quod nequaquam obſervandum eſt, niſi parvi fiat elegantia & ſuaveolentia Olei & Aquæ ex hoc ligno eliciendæ methodo à me tradita.

Oleum ex ligno Roſarum eductum plus commendat odoris gratia quam facultates medicæ, etſi nonnulli id plurimi faciant ad affectus oris & faucium, necnon renum & veſicæ, eum in finem id commiſcendo cum Saccharo puriſſimo in pulverem trito, idque propria aqua diluendo, uſurpando tum ad gargariſandum in oris morbis, tum ad Potum, à duabus aut tribus ad decem aut duodecim guttas, ex vnciis quinque aut ſex propriæ aquæ: At verò potiſſimus & frequentiſſimus uſus ad confectionem Balſamorum, Apoplecticorum dictorum, in quibus huic oleo cum moſcho optime convenit, cum ambra griſea, ac quorumvis Aromatum grato odore, Oleorum aut Eſſentiarum quæ commiſceri ſolent: Præſtantiſſimum etiam ac maxime analogum eſt ſuccedaneum veri Olei Roſarum ſtillatitii.

Eodem modo diſtillari poſſunt Ligna Saſſafras, Aloës, Santala, & alia ſimilia.

CAPUT XXV.

De Deſtillatione Ligni Guajaci.

IN diſtillatione Ligni Gaiacini eadem proceſſus eſſe poteſt ratio quæ in ligno Rhodio, ſi præſertim expetitur Oleum uſibus internis idoneum: At cum frequentius ad vitia corporis exteriora uſurpetúr, atque in plurima commendatione ſit Spiritus Acidus ex illo per Retortam eductus, illius præparationem hoc loco adducere æquum eſt

Inde Retortæ, luto incruſtatæ libras ſex Ligni Guaiaci ſcobina atriti, vel, ſi vis, craſſius inciſi, adeo tamen ut roſtrum Retortæ admittere poſſit: Imponatur Fornaci Reverberij clauſæ, cui capax Recipiens coaptandum & probe luto obducendum: In cinerario exiguus ignis accendatur, à quo ſolummodo paulatim incaleſcant fornax & Retorta, qui moderatiſſime per horam integram productus, demum transferatur in focum fornacis, in quo cum per æquale tempus moratus fuerit, paulatim erit intendendus, donec in Recipiens pars ligni aquea exſtillare animadvertatur: Poſtmodum Tegminis Spiraculum tantillum aperiendum erit, qua parte collocatum eſt Recipiens, ignem producendo, imo nonnihil intendendo, quouſque ex Retorta prodire videantur vapores albi, quaſi nubeculæ, indicia partes acidas, ſalinas & oleaginas Guajaci exitum moliri,quo tempore amplius referandum Spiraculum Tegminis, intendendo iterum gradatim ignem, donec hic in flammam erumpat, tegminis ſpiraculum omnino aperiendo, ignemque magis ac magis intendendo, donec globus Retortæ pellucidus fiat, atque inde indicium ferri queat perfectam eſſe diſtillationem: Tum occluſo Tegminis Spiraculo, cum oſtiis Fornacis, ſine ut refrigeſcant ſenſim cum Retorta, demum Recipiente luto liberato, in eo deprehendetur Spiritus Acidus, parte ſalina volatili Guaiaci turgens, & prægnans, commiſtus Oleo obſcuro, craſſo, odoris ingrati, cum plurimo phlegmate: Cuncta tunc immittantur in capax Infundibulum, charta emporetica madida inveſtitutum, per quod Phlegma & Spiritus Acidus, Sale volatili prægnans, exitum habebunt exſtillabuntque in lagenam, cujus collo inferendum infundibuli extremum, Oleo craſſo chartæ adhærente, quod demum in aliam lagenam infundendum erit, terebrando extremum cuculli chartacei ſtylo ligneo aut ferreo, Oleum prędictum ad uſus idoneos recondendo.

Curioſitatis gratia igne patente comburi poteſt, ac in cineres deduci carbo Guaiaci, à diſtillatione in Retorta ſuperſtes, è quo more ſolito

ſale

ſale educto, ſegreganda pars mere terreſtris, vero nomine Capitis mortui donanda: Sed carbonum accendendorum requiſita quantitas utilitatem percipiendam excederet, etiamſi ejuſmodi Sal catharticis medicamentis commodiſſime admiſceri queat, præſertim in morbis Venereis.

Licet & per Deſcenſum diſtillare lignum Guaiacinum & ſimilia, eaſdemque propemodum extrahere ſubſtantias ac per diſtillationem ad Latus, etſi minus puras, immittendo lignum inciſum in Cucurbitam argilaceam, quæ ignis vehementiæ obſiſtere valeat, ſuperponendo illi operculum ferreum, pluribus exiguis foraminibus pertuſum, in modum operculi pyxidis effictum, adeo ut præciſe amplectatur cucurbitæ orificium, quæ poſtea invertenda, adeo ut operculum illi ſubditum ſit, collocando ſupra fornacem eum in finem exſtructam, cujuſmodi deſcriptionem tradidi priore parte hujus Pharmacopoeæ, Capite de Fornacibus: Nam poſt impoſitum infra Retortam Recipiens idoneum, quod collum illius amplectatur, accurate obductas luto vaſorum commiſſuras, paulatim & per gradus excalefactum corpus Cucurbitę, quouſq; ad ruborem incandeſcat, poſtmodum in Recipiente nanciſcimur Phlegma, Oleum, & Spiritum Sale volatili Guaiaci prægnantia, eademque copia qua in Retorta, quorum ſeparatio eodem modo quo præcedentium fieri poteſt.

Ex tribus prædictis methodis quævis in uſum venire poteſt ad Diſtillationem ligni Corylini, Avellanas proferentis, quod à quibuſdam Lignum Heracleum vocatur, Buxi, Quercus, Fraxini, Cupreſſi, Cedri & aliorum lignorum.

Oleum Ligni Guaiaci multum commendatur per Veſicam diſtillatum, cum aquæ additamento (iuxta methodum à me traditam ubi de Ligno Roſarum) ad depurandam maſſam ſanguineam: quo fit ut, ex quorundam ſententia, producto illius ad plures hebdomadas uſu, à quatuor ad decem vel duodecim guttas, ex aquæ propriæ unciis tribus, quatuor, imo ſeptem vel octo exhibendo, virus venereum per ambitum corporis expellere valeat, ſi præſertim in vetuſtatem non abierit, citra Mercurij auxilium, cujus uſus aliquando ſuſpectus eſt: Ad Illitum quoque plurimum valere cenſetur pro ulcerum venereorum ori innaſcentium curatione: Exiſtimant nonnulli Tabellas, ex illo parandas, conferre ad pinguedinis generationem inhibendam, imo & ad obeſos macrefaciendos, ſi protrahatur illarum uſus.

OleaGuaiaci per Retortam diſtillata, aut per Deſcenſum, ore non adſumuntur ob ingratum, imo fœtidum ſaporem; Sed commodiſſime ad uſus externos, ac feliciſſime, ad ulcerum omne genus uſurpatur, nomina-

tim Venereorum, vulnerum mundificationem, fungoſarum carnium conſumptionem, ſicuti & oſſium exſquāmationem, imo & illorū cariem.

Spiritus Gaiaci vi diaphoretica pollet, ob partem Salinam volatilem in diſtillatione adquiſitam: Exhibetur in morbis Venereis & Rheumatiſmis, à drachma ad ſemunciam, in cyatho grandiori aut minori ex decocto ejuſdem ligni, aut quapiam aqua cardiaca, ſi vel per ſudores, aut ἄδηλον διαπνοὴν ſetum acre, affectuum illorum parens, expellendum fuerit: In uſum etiamnum accerſitur exſiccationis gratia Aphtharum, aut Vlcuſculorum os infeſtantium vel gingivas, tum lue veneris inquinatorum, tum ſcorbuto: Idem Spiritus vi etiam Idiuretica valet, per vias urinæ excretioni dicatas expellens ſerum, quod ad ambitum corporis impelli non potuit.

Rectificari poteſt, ſi ita viſum fuerit, Spiritus Gaiaci, ſicuti & illius Oleum, igne Arenæ moderatiſſimo in cucurbita vitrea, cui capitellum imponatur, atque poſt ſecretam partem aqueam, ſaporis pene expertem, primo ſuperne evectam, excipere ac ſeorſum recondere ſpirituoſam acidam, aliquantiſper ſalinam, poſtmodum erumpentem, ſi libet quoq; ſeparandam & ab aliis ſecretam adſervandam, uti ſeorſum Acidam, ad uſus internos, Illam ſaccharo puriſſimo pulveriſato excipiendo, ac liquore quopiam idoneo diluendo.

E re non eſt huc transferre Diſtillationem Corticis Ligni Gaiaci, quandoquidem non alia requiratur ratio quam in ligno, & totidem modis perfici queat, Etſi vero hic cortex majori efficacia opus peragat, minorique quantitate exhibitus quam lignum, eundem tamen in finem tendunt illorum vires, eademque debet eſſe uſus ratio.

CAPVT XXVI.

De Diſtillatione Fuliginis.

SI quis ad ſolum colorem obſcurum, ad ſaporis amarorem, odoremque Fuliginis ingratum attendat, illi proculdubio in comtemptum veniet, imo & horrorem; At vero ſi idem intime ſingulas illius partes perpendere voluerit, accurate ab invicem illas divellere ac purgare, proculdubio inſignes ille dotes animadverſurus eſt, artificem peritum ad ſe pellicientes in illius examen, & verarum partium diſquiſitionem, ex quibus revera conflata ſunt Ligna; quorum ambuſtio Fuligini originem præbet: Ille inquam deprehenſurus eſt non ſolum quinque diverſas illas ſubſtantias in cunctis Vegetalibus obvias, ac ſpeciatim in Lignis, ſed prætereà indubia indicia inexiſtentis illis Salis Volatilis, ac fixatæ

partis

partis ejuſdem ſalis volatilis cum Oleo,per propriam illorum diſpoſitio-nem nativam, ſicuti id manifeſtum futurum eſt in Chymica Fuliginis Diſtillatione, quam jamjam adgreſſurus ſum.

Eligatur Fuligo quam recentiſſima, nigerrima, maxime compacta, lucidiſſima, fruſtis maximis conſtans, Hac Retortæ argillaceæ luto ob-ductæ impleantur duæ circiter partes, tertia vacet, Imponatur Fur-no Reverberij, cui ſuum tegmen fornicatum imponatur, obturatoque ejus ſpiraculo,accendatur in foco ignis carbonum primi gradus,occlu-dendo demum oſtia cinerarij & foci, eundem ignis tenorem toto biho-rio fovendo, aut circiter, aut quouſque liquor ex Retorta exſtillans acidum ſpirare videatur, quo tempore capax excipulum Retortæ pro-boſcidi coaptandum ; Ejus commiſſuris accurate loricatis, paulatim & per gradus intendendus erit ignis,aërem admittendo per tegminis ſpira-culum & cineratij oſtium iuxta neceſſitatem : Tunc conſpicui erunt Spiritus in Retorta nubium albicantium ſpecie emergentes, in craſſitiem paulatim abeuntes, quibuſcum Sal volatile ſe adſociabit, atque mani-feſtius quando Oleum promiſcue prodíturum erit ; Per id tempo-ris ſpatium tegminis oſtium iteratis vicibus magis ac magis reſerandum erit, aucto per gradus igne, imo hunc ad extremum uſque gradum in-tendendo, tegminis ſpiraculo omnino reſerato, ac Cinerarij oſtio, eo-dem quoque ignis gradu ſeruato, donec ex Retorta nihil amplius pro-deat, ac Recipiens pellucidum evadat : Poſtmodum obſerato ſpiraculo & Fornacis oſtiis ; Vaſiſque ſponte refrigerium adeptis, Recipiens delutandum erit, in quo deprehendere erit Spiritum Acidum, Oleum, ac Phlegmatis partem ſimul commixta, Rectificationis indigentia.

Hæc ut probe ſuccedat, cuncta matratio prolixiori collo donato indantur, Arenæ balneo id committatur, Alembicum imponatur ac-curatiſſime luto obductum, coapteturque illi exiguum excipulum pro-be loricandum ; Demum infra Balneum accendatur ignis modicus, cujus vi Sal volatile ſurſum evehetur in Alembicum candicante & cryſtallina forma, è quo eximendum erit ac recondendum in lagena denſiori accuratiſſime occludenda ; Illi ſuccedaneum ſit aliud Alembi-cum etiam loricandum, ſervatoque eodem ignis gradu, Spiritus una cum reliquo Sale volatili ab ipſo diſſoluto ſublimis efferetur, comite parte puriſſima Olei & maxime volatili, craſſiſſima cum Phlegmate inutili in matratii fundo ſubſidente.

Fuliginis Sal volatile potentiſſimum eſt Diaphoreticum,plurimum accedens ad qualitates Salium volatilium ex Animalibus eliciendo-rum : Spiritus quoque vim Salibus volatilibus prope ſimilem obtinet, à portione Salis in eo contenti.

Sal volatile exhibendum à quinque aut ſex granis, ad quindecim, imo ſcrupulum: Spiritus autem à ſemiſcrupulo ad drachmam integram, utraque ex liquoribus adpropriatis. Præbent & Oleum à guttis duabus ad ſeptem vel octo, Saccharo pulveriſato exceptum ac in vino dilutum, eundem quo Sal volatile in finem.

Illitum Oleum præſtantiſſimum cenſetur ad Impetiginum, Herpetis, aliorumque vitiorum cutaneorum curationem.

Id quod in Retorta à diſtillatione ſuperſtes eſt flammis devovendum, mediis uſitatis, Salis fixi extrahendi gratia, à plurimis commendatiſſimi ad cancrorum ulceratorum curationem, cujus hæc ſit uſus ratio.

Sal dictum pauco aceto madefactum, in liquorem abeat, cellæ vinariæ commiſſum, ſemel aut bis illinatur Cancer, ad venenum eliciendum, fumi ſpecie prodiens; demum abſolvenda curatio cum oleo ſtillatitio, cujus ope cruſtula innaſcitur Cancro, ſponte quinto aut ſexto poſt die decidua, ſanationis futuræ non leve indicium.

CAPVT XXVII.

De Diſtillatione Fructuum, Et primo, Cucurbitarum, Cucumerum & Melonum.

Etiamſi Fructus in ſui compoſitione eadem admittant principia quæ in cunctis cæteris Plantarum partibus conſpicua ſunt, diſcrimen tamen quoad qualitates, coagmentationem & proportionem variarum illorum ſubſtantiarum, æque fere varium eſt ac ipſarùmmet Plantarum ipſos producentium, quo fit ut vix conſtitui queant regulæ adeo ſtatæ ut omnium illorum fructuum diſtillationi adcommodari queant: Arbores, Frutices, Suffrutices, imo quædam Plantæ Fructus emittunt: At vero, etiamſi Arbores magnitudine quævis vegetabilia ſuperent, majori numero fructus producant, magis concoctos, ac perfectiores, apud Europæos tamen non eam attingant magnitudinem ad quam perveniunt fructus quarundam herbarum quotannis interitui obnoxiarum: hujus generis, inter cęteros, ſunt Cucurbitæ tum rotundæ tum longæ, quarum prodigioſa magnitudo, mollities, exiguum durationis tempus, debilitas & mador plantarum illis ortum præbentium, apertum facit præcipuam & maximam compoſitionis illorum partem à phlegmate male cōcocto pendere, pauciſſimum vero ineſſe Spiritum & Sal volatile: Oleum vero veriſimiliter nullum, præterquam in illorum ſemine cum ad perfectam maturitatem deductum eſt: Adeo ut cum ex mixto quo-

piam

piam non niſi ea quæ illo continentur extorquenda ſint; ex ejuſmodi fructibus, diſtillationis beneficio præter aquam quandam limpidam nihil amplius expectandum erit, Spiritum pauciſſimum obtinentem & Sal volatile, ac quantum ad illius conſervationem ſatis eſt: Ea propter illorum conquaſſatio ſola ſufficit, qui poſtea Cucurbitæ vitreæ immiſſi, aut fictili interius vitreatæ, impoſito tegmine, aut Alembico, diſtillandi Maris Balneo, aut Cinerum, igne moderatiſſimo, ſicuti de diſtillatione Herbarum refrigerantium ſuperius à me præceptum.

Cucumerum eadem poteſt eſſe ratio, imo & Melonum: In his vero poſterioribus cum odor partium volatilium præſentium indicium præbeat, quo Cucurbitæ & Cucumeres deſtituuntur, illis levis fermentatio accedat opus eſt, cujus ope pars volatilis ſpirituoſa & inflammabilis à vinculis expediatur: Neque tamen non Aqua limpida poſtea conſequutura eſt, vi refrigerante illi quam effundunt Cucurbitæ & Cucumeres proxima.

Res ut ſuccedat, pars illorum edulis rite contundenda eſt, indatur Cucurbitæ vitreæ adeo ut pars hujus tertia vacua ſit, imponatur huic Alembicum cœcum, probe loricatum, permittatur digeſtio in arena, ſupra Piſtoris furnum, per biduum aut triduum integrum: Cucurbitæ adaptetur Alembicum vitreum, detracto priori tegmine, coaptatoque illi exiguo Recipiente probe loricato, inſtituatur diſtillatio Balneo Mariæ, vel cinerum, igne admodum temperato; ſeparatione facta Spiritus odorati, volatilis & inflammabilis, primo exſurgentis, ſeorſim adſervata Aqua ſuccedanea, quouſque in Cucurbita ſolum ſuperſtes ſit pars circiter tertia rerum diſtillationi ſubjectarum.

Aquæ diſtillatæ Cucurbitæ & Cucumerum, Spiritus autem inflammabilis & Aqua melonum inſerviunt preſertim decorationi vultus mulierum, ac cutis nitori, vix vero in alios uſus veniunt. Etiamſi non inutiliter exhiberi queant in febribus continuis & intermittentibus, à bile oriundis, ſedandi æſtus gratia & ſomni accerſendi, interius ſi adſumantur, vel fronti aut temporibus ſi admoveantur.

CAPVT XXVIII.

De Diſtillatione Malorum Citriorum.

UTilitas quæ ex variis partibus malum Citrium componentibus exſurgit, ad illorum ſimul & ſemel faciendam diſtillationem nonnunquam impellit, aliquando ut illæ ſolum huic ſubjiciantur quæ ſcopo conſentaneæ ſunt: Odor ſuavis, ſapor vellicans & gratus

tam extimi corticis, quam partis acidæ Citrij, clara indicia ſunt diverſæ qualitatis partium purarum quas intra ſe continet, manifeſtumque faciunt non ægre à ſe invicem hæc poſſe divelli, imo mediis uſitatis adhibitis ſucceſſum optatum ſperandum eſſe.

Poma Citria, inciſa aut contrita, indi poſſunt Cucurbitæ vitreæ, ad medietatem implendæ, huic accommodanda & loricandą capitellum & Recipiens, maceranda Citria per viginti quatuor horas, poſtmodum Mariæ Balneo diſtillanda, cinerum aut arenæ, igne moderatiſſimo.

Citria integra optime contrita aliquando in diſtillationem veniunt, commixta columbis, panis albis medullæ, feminibus frigidis & papaveris contuſis, boraci, alumini, lacti aliiſve liquoribus idoneis, ad eliciendam aquam ſpirituoſam, utilem tum ad erugandam cutim, illique nitorem ac lævorem conciliandum, tum ſimul ad alborem conciliandum.

Solus Citrij uſus in diſtillationem venire non ſolet, ſatis enim utplurimum eſt illum accurate depurare, ſi in uſum venire debeat ad diſſolvendas margaritas, corallia, aliaſve gemmas; vel ſi ex illo ſit parandus Syrupus, Tabellę, aliave quæpiam Galenica compoſitio: Liceret tamen, ſi cui ita viſum fuerit, partem maxime aqueam Maris Balneo, aut Vaporis, ſeparare ope Cucurbitæ vitreæ, alembico ſuo inſtructæ, reſtibili in fundo Cucurbitæ ſucco concentrato, uſitato acidiori.

Corticem quod attinet, citra alium adparatum in uſum venire poteſt, optime inciſus: vel adſumi ſolus cortex extimus flavus, cultello eximendus: Vtrum volueris, poſtquam Cucurbitæ vitreæ immiſeris, & aquam pluviam diſtillatam affuderis, adeo ut tribus aut quatuor digitis cortici ſupernatet, cooperiatur Cucurbita impoſito Alembico cœco, cujus poſtquam loricatæ fuerint commiſſuræ; cunctaque macerata fuerint per octo vel decem dies, ſupra Piſtoris furnum impoſito luto obducto Cucurbitæ capitello vitreo, priori vaſe detracto, accommodatoque parvo excipulo, ſuſcipiatur Diſtillatio Balneo Cinerum, aut Arenæ, igne moderatiſſimo; Proditura eſt Aqua cui tantillum Olei ſupernataturum eſt, ſapore acerrimo & penetrandi eximia vi prędita.

Oleum Citri à guttis duabus ad ſeptem vel octo exhiberi ſolet, excipiendum guttis aliquot ſacchari puriſſimi pulverati, ſubſequente diſſolutione in unciis quinque aut ſex propriæ illius Aquæ: Miſtura hæc procul à cibo exhiberi ſolet; in morbis peſtilentialibus aut epidemicis, ac quibuſcunque in caſibus utilis eſt ſudorum eruptio, aut ſeri maligni ad ambitum corporis protruſio, ac inſenſibilis illius expulſio: Commodiſſime etiam dari ſolet in Ventriculi frigidis affectibus: Paratur quoque

Balſa-

Balſamus,admixto oleo Nuciſtæ per expreſſionem elicito; utilis tum adverſus aëris inquinamenta, tum ad odoris gratiam: Plurimum etiamnum à nonnullis commendatur hoc Oleum, tum Linimenti forma,tum interius adſumptum, adverſus Viperarum ac quorumvis Serpentum morſus: Cui rei non inutile cenſeo, quandoquidem partes pręcipuas recreare ac corroborare valet per os adſumptum; ac pręterea, adjuvante propria illius aqua, inquinatos ſpiritus ad peripheriam corporis impellere idoneum eſt,maſſam ſanguineam alias infecturos, aditum illis præbentibus foraminibus, à virulentorum illorum animalium dentibus inflictis.

Malorum Aurantiorum, ac illorum partium, diſtillatio non alia ratione ſuſcipienda quam Citriorum.

Porrò ſatis admirari nequeo inſtitutum cujuſdam Doctoris Germani, cui nomen *Fridericus Hofmannus*, Is libro à ſe edito anno vltimo 3675. Halæ Saxonum, titulo *Clavis Pharmaceuticæ Schroderianæ*, litem intentavit iniquam univerſæ nationi Gallorum, ac mihi nominatim, nulla impellente occaſione, nulla injuria, nullo fundamento Innixus, ſed ſolum falſis teſtimoniis, Nominatus Doctor (cujus liber quicquid ſolidum & eruditum continet ex ſcriptis Doctoris *Iohannis Michaelis* exprompt um eſt) de Citrio verba facturus, rerum inopia, poſtquam adduxit hiſtoriam ab *Athenæo* memoratam, de viro quodam qui, accepto à muliere pomo Citrio, eoque comeſto, liber evaſit ab inflictis Aſpidum morſibus, quibus expoſitus fuerat, ſcribit pag. 444. 445. & 446. his vocibus uſus.

Hujus hiſtoriæ veritatem confirmat ſtudioſus Medicinæ Pariſiis Gallorum, aliquot retro annis à viperæ morſu lethaliter fere decumbens, & ſalutifero pomorum Citriorum uſu reſtitutus, Medicinæ ſcilicet ſtudioſus dictis Pariſiis in frequentia quorundam medicorum ae natura, viribus ac veneno viperarum diſcrepantium, in ædibus Pharmacopolæ cujuſdam, ubi haud exigua Viperarum quantitas ex finitimis locis apportata, diſcendi & curioſi ingenii gratia præſens fuerat, de præſenti materia ultro citroque cum reliquis verba miſcens arripit manu, quod antea ſæpius illæſus fuerit, Viperam tabulæ impoſitam, & ipſo inſcio à Pharmacopoeo Gallo rude inter forcipem compreſſam, & hinc ira ſuccenſam, hæc dum ille ſermonis intentus reflexo capite dente ſuo canino dextræ vulnuſculum vix acus magnitudinem æquans infligit, quo animadverſo illam projicit, vulnere tamen ſpreto; Aſt vix horæ quadrantis ſpatium interceſſerat, quin dira ſubſequuta ſymptomata, ſyncope, convulſio, continui vomitus, alvi deiectiones cum torminibus & ilei paſſionibus, cum extremorum refrigeratione, brachium croceo infectum colore intumeſcebat, facies cadaveroſa, labia livida ac tumida oculis deſidentibus, pollex tum minime intumeſcebat niſi ſub

fine, nec ex vulnere inflicto ne guttula ſanguinis aut vllius humoris extillarit. Improviſus & tragicus hic caſus in multas & diverſas præſentium medicorum conſilia diripuit partes, hic ad Theriacam, alter ad Orvietanum, tertius ad cauterium potentiale, ſed nimis tarde confugerunt; Tandem miſer hic juvenis decumbens, vivaciſſimus licet, diſtortus doloribus, Sal Viperarum volutile cum Aqua Theriacali exigebat, inani vera quaſi effectu; continuato enim vomitu hauſtum reiiciebat, nec Clyſteres ullam attulerunt levationem, tota namque Naturæ œconomia haud leviter turbata. Forte autem fortuna accidit & Nobilis quidam exterus, qui commiſeratione ægri tactus decumbenti pomum citrium exhiberet, quod vix adoratu, non dicam guſtu, acide ſcilicet ſucco delibatum, incredibile eſt quam ſubitaneam & præſentiſſimam tulerit opem, omnia momento ceſſabant ſymptomata, & non aliter fuerat quam ſi Iupiter ipſe opitulatricem porrexiſſet manum, Galli vero, pro innata illorum levitate, illud minime obſervabant: Patiens licet ex virium imminutione antegreſſa haud parum debilis, muſæum tamen ſuum repetit, & ſumpto Electuario quodam ex confectione Alkermes & de Hyacintho, intermediato pomorum Citriorum uſu, non ſolum illa nocte placide dormivit, ſed & brevi iterum ex voto convaluit.

Ex hac obſervatione notatu digniſſima plurima Naturæ phænomena, adhuc non ita aperta dilucidanda veniunt: Facile exinde eſt videre eujus Naturæ ſit venenum Viperarum, quomodo à Vipera in hominem traducatur, ecqui in maſſam ſanguineam ſeu Archæum noſtrum agat, quales actiones Archæi in morbis cudendis & ſanandis, quomodo medicamenta huius beneficio operationes ſuas peragant, & in ſpecie, qua ratione Citriorum acidus ſuccus in venenum à Vipera illatum operetur, illud mortificando & figendo.

Pharmacopoeus Gallus, in cujus ædibus hæc tragoedia incepit, tractatum ſub proprio nomine Charus (at alieno ſane marte) edidit titulo, Les Experiences des Viperes, A Paris, *in octavo, vbi ait venenum illud agere in maſſam ſanguineam eam figendo & circulationem impediendo, & in ſequentibus, venenum, ceu acidum aliquod, figere ſanguinem &c. Verùm hoc ſi hac ratione eveniret, quomodo ſuccus ille citreus levamen aliquod afferre poſſet, de quo ille ſtatuit gaudere virtute fixativa, ſic enim venenum illud redderetur fixius, & circulatione magis magiſque impedita mors tandem acceleraretur, Statuimus itaque perniciem illam dependere ex Viperarum ſalivari humore in dentium veſiculis contento extra notabilem quantitatem, prout modernorum Italorum curioſorum experientia patefecit, qualis D. Rediſi; Archiatri Florentini, qui in quovis liquore hauſtus innoxius eſt, ſin vero imago iræ, ſeu idea furioſa beſtiæ illius ſuperveniat, vulnere à dentibus longioribus tricuſpiaibus in corporis peripheria inflicto, quæ in dicto; liquore ceu vehiculo ſigillata, ſeu ex vipera viva, ſeu ex mortua fuerit, Archeus, dum exoticum illum hoſpitem expellere nititur, agitur in furorem, eoque niſu ſub veneni tyrannide omnes functiones intertur-bat,*

bat, dum totam ſpirituum & liquorum vitalium ſubſtantiam ſibi aſſimilando e- vertit, uſque dum ex poteſtate dotali remedium ex cujus numero in hac morbo- rum ac ſymptomatum ſyndrome etiam fuit ſuccus ille citri ſuperveniat, ſupere- minentem, & non vulgarem obtinens bonitatem, qua irati ac ſuccenſi Archei errores ſopiuntur ac corriguntur.

Hic adſcripſiſſem hiſtoriam emiſſam libro à me edito, de *Novis ex- perimentis circa viperam*, ratione morſus à vipera inflicti in ædibus meis, digito Nobilis Germani, non item medicinæ ſtudioſi, ſicuti ſta- tuit novitius noſter Author; ſed in nimiammolem aſſurgere nolui hunc librum, illatis duodecim paginis, typis editis, hiſtoriam dictam con- tinentibus; ratus præterea ſatis eſſe ſincere attuliſſe, vbi ſe occaſio ob- tulerit, à me hac de re maxime ad rem facientia conſcripta, quæ affirmare auſim omnino adverſari illis quæ ab illo adducuntur ac falſo ſupponuntur, mihi & rei geſtæ plane diſſentanea.

Nequaquam hæſitator illico pomo Citrio adſcribit curationem morſus viperini; etſi contrarium omnino adſtruendum videatur, tum ob rei geſtæ veritatem, tum ob rationes à me adducendas: Me poſtmo- dum in ſcenam adducit, dicens Medicinæ candidatum (quem introdu- cit) ad fuiſſe in ędibus cujuſdam Pharmacopoei, in quas plures Medici convenerant, diſceptaturi de natura & potentia veneni Viperini: Id equi- dem non latet me præfato à Doctore nimium abeſſe ut illi potuerim innoteſcere, etſi gloriari liceat me non ignotum eſſe pluribus & ordine & Doctrina intra & extra Regnum Illuſtribus.

Me poſtmodum utcunque reum morſus inflicti ſtatuit, aſſerens ſtu- dioſum illum manu in menſa arripuiſſe viperam, illo inſcio laceſſitam & in iram incitatam, quaſi vero animo malefico vulneris author fuerim: Cum ex narratione à me tradita aperte conſtet quanto ſtudio illum dehortatus fuerim ne manu apprehenderet Viperam, periculum im- minens illi objiciens; cum præterea rei prout revera geſta eſt teſtifica- tionem exhibere in ptomptu ſit, & quam acriter ut à propoſito abſiſte- ret monuerim: quamobrem adſtitibus manifeſtum fuit periclitari il- lum voluiſſe, ac palam oſtendere ſibi non magis metuendas Viperas Gallicas quam ſerpentes Germanicos.

Pergens in oratione Author, & enarrans quæ poſtmodum ſubſequu- ta ſunt, circumſtantiam notatu dignam reticet, videlicet nihil ſucci flaveſcentis in vulnere à dente inflicto ſe exhibuiſſe: Revera abfuiſſe neceſſe eſt, quod vipera unicum ictum parti inflixerit, proculdubio enim manifeſtus fuiſſet ſi vipera iterato morſu digitum impetiviſſet: Aſtute ſane intulit abſentiam ſucci illius flavi, quandoquidem alio loco vene- ni viperini ſedem illud conſtituit, qui autem ab ejus ſtant partibus, ſcri-

tentiæ tenaces non ſunt, quod perſpectum illis ſymptomata omnia illata eſſe abſque emiſſo ſucco flavo.

Neque ſatis illi fuit non meminiſſe ſucci flavi, qui tamen uſui fuiſſet veneni ſedi deſtruendæ, quem in eo latere ac illius ſedem eſſe arbitratus eſt: pluribus enim rationibus impugnare conatus eſt ac impotentiæ arguere, quaſi nullarum virium, ſal viperinum, etiamſi revera, & citra controverſiam Nobilem vendicarit non ſolum à prioribus ſymptomatis illum invadentibus, ſed etiam à poſterioribus: De prioribus enim verba faciens, cum animus illi eſſet ſoli malo citrio ſanationis gloriam adſcribere, multiplicem illorum inducit numerum, ſuperaddita intumefactione & colore flavo, quæ, veritate contranitente, brachio affecto ſuperveniſſe ait; ſui enim immemor poſtmodum ait pollicem non intumuiſſe, at demum ſub declinationem.

Dehinc ad Medicorum ſententias confuſas devolutus, ob cuncta funeſta ſymptomata Nobilem adorientia conſilij inopes, inter nonnulla auxilia ab illo prolata cauterii potentialis (*actualis*) meminit, cum in narratione à me exhibita mentio ſolum fiat ſpathulæ ferreæ, iterum atque iterum excalefactæ, iteratis vicibus parti demorſæ admotæ ut pori hiarent, eoquo pacto veneni per illos exſpiratio juvaretur; inurendæ partis gratia non adplicatæ, cum partem non attingeret; ut non ſatis admirari queam viro, Doctoris titulo tumido, talia in mentem veniſſe, ac res in alienum ſenſum detorſiſſe.

Retexit orationem artificij plenam, aſſerens ægrum poſtulaſſe Sal viperinum ex aqua theriacali adſumendum, at hoc remedium, ſicuti & alia, incaſſum fuiſſe exhibita: Sed revera exhibita fuit pulveris viperini drachma una, ex aquis theriacali & cardui benedicti; quę cum vomitu excluſa fuiſſent, ſicuti & cuncta alia uſurpata remedia, in medium coram cœtu à me propoſitus eſt Salis viperini ex aqua cardui benedicti uſus, ea ſpe freto à tantilla in ventriculo mora, ob hujus calorem maximam hujus ſalis partem ad maxime diſſitas corporis partes diffuſũ iri, eam pręſertim per quam venenum iam ſibi aditum in corpus fecerat, ac ſingulas trajiciendo optatum productum iri effectum: Id præterea addo, etiamſi prædictus Nobilis non diu poſt hoc Sal vomitu excluſerit, ſingulo tamen quoque horæ quadrante exhibitum fuiſſe, ac ſequuta ſymptomatum dilucida imminutione, maxime formidanda ab octava dozi remiſiſſe, quam continuit ventriculus; ac demum à tranquillitate hac conciliata Nobilem ex meis ædibus in proprias delatum fuiſſe.

Interim Doctor noſter, contemptim habens Sal viperarum volatile, vti & alia remedia in medium adducta, exterum Nobilem pone aulæa latentem in ſcenam adducit, qui erga ægrum miſericors illi pomum

citrium

citrium porrexit, à quo vix dum naribus admoto, vix primoribus labris delibato, efficacia ſucci acidi mirum auxilium perceptum fuiſſe aſſerit, omnia ſymptomata eodem ipſo momento mitigata, ac *ſi Iupiter*, inquit, *ipſe auxiliatricem porrexiſſet manum*: Projectæ hæc verborum ampullæ forſan illis imponere poſſent quibus ignotus meus liber, aut ipſa vis ſalis volatilis viperini, neque norunt quouſque ſe porrigat virtus mali citrij: iis quippe multo minus perſpecta futura eſt vis Salis volatilis Viperini.

At vero ubi conſtiterit (id quippe certo certius, ac prodeant in teſtimonium plurimis probatiſſimę fidei viri) ſolius Salis volatilis viperini ope ſedata fuiſſe priora ſymptomata; neque digitum ullamve corporis partem intumuiſſe quamdiu in ędibus meis verſatus fuit Nobilis, atque Sal dictum in uſum duxit, Malum autem citrium tantummodo exhibitum fuiſſe in propriis illius ædibus, tanquam medicamentum in alimento, cęteris remediis permixtum: nihilominus tamen ſuperſtites fuiſſe circa umbilicum dolores, oculos collabentium virium indicia dediſſe, vultum pallore fœdatum fuiſſe, ſucceſſiſſe labiorum intumeſcentiam; Illam vero quæ digito accidit, ab uſu demum pomi citrii manifeſtam fuiſſe, nec ab hoc prohiberi potuiſſe, quia tumor ad manum uſque diffunderetur, ab hac in brachium, ab ſto in humerum, exinde in iecoris regionem, imo vitium ad cor ipſum properaſſe, incrementa capiens ad initium uſque diei quartæ, adeo ut gangrænæ imminens eſſet metus; Si tandem id conceſſum fuerit à ſolo Sale volatili Viperino ſemidrachmæ pondo ex aqua cardui benedicti exhibito, ſpatio trium vel quatuor dierum, manifeſte & omnino cuncta poſteriora ſymptomata excitatis ſudoribus evanuiſſe, proculdubio non injuria in Doctorem hunc invehi mihi licuerit, qui ſuppoſitia hæc temere intulit, à vero ſponte aut erronee declinans in re adeo manifeſta.

Nec immerito illi inſultare cuivis licuerit, ubi nota fuerit hiſtoria veriſſima adoleſcentis, cujus Vipera digitum momordit in Elaboratio Chymico Horti Regij planrarum anno 1671. dum experimenta mea publice proferrem, manifeſtum facturus, adverſus ſententiam Domini *Redi*, à ſolis ſpiritibus Viperæ irritatis, morſus venenum deducendum eſſe: ſuccum autem flavum, e gingivis manantem in partes non accerſendũ quippe qui nihil aliud ſit quam Saliva, non modo plane innoxia, ſed præterea nullo unquam tempore pravum aliquem effectum editura: Cujus rei, una cum hiſtoriæ enarratione, in Appendice meorum experimentorum circa viperam, à me non diu poſt conſcripta, biennio ſcilicet ab emiſſo libro meo Experimentorum novorum, in medium profero raiones, nulla argumentorum vi convellendas; quo in loco oſtendo me

nedum uſum fuiſſe ſucco Citri ad figendum Viperę venenum, id quod inepte ſentit prædictus Doctor, quin tantum uſurpata fuiſſe Caput, Collum, Cor, & Iecur Viperæ, prunis impoſita & leviter cocta, quæ illico devoranda præbui Iuveni à Vipera icto, ſuper aſſumendam jubens dozin Salis volatilis viperini: quam cum ſub veſperam reiterandam voluiſſem, noctem ſubſequentem tranquillam & quietam illi fuiſſe, ne unum è prioribus aut poſterioribus ſymptomatis ex iis quæ paſſus eſt Nobilis Germanus, ſuperveniſſe, ſed poſtridie in Ergaſterium, in quo à vipera impetitus fuerat, rediiſſe, ab omnibus incolumem obſervatum, operi ſolito invigilantem ac ſi nihil ſiniſtri accidiſſet.

Inde colligendum videtur Viperæ venenum plane ſpirituoſum eſſe, ideóque fixationis incapax, atque adeo ſola ſalia volatilia, aut ſubſtantias illis abunde refertas, poſſe ſpiritibus commotis & excandeſcentibus obviam ire, ac ſubſtantiæ quadam ſimilitudine iis ſe conjungendo, eoſdem abducere, ac per cutis poros ſecum abſtrahere, vna cum ſudoribus quos excitant, aut inſenſibili tranſpiratione, quam adjuvant.

Impoſturæ nihilominus ſuę ſpeciem probitatis inducere potuiſſet Doctor, ac rationi magis cõſentaneam illam exhibere, ſi ſanationem morſus à Vipera inflicti non ſucco citrij acido adſcripſiſſet, ſed potius Oleo, ſpiritui & Sali volatili quo pollet cortex ejuſdem fructus: Etſi enim viribus Sali volatili Viperino multo inferiora ſint, eundem tamen prope in finem tendunt; Neque apud me dubium quin roboratis corde & cerebro quodammodo obſiſtere valeant cacoethiæ veneni per morſum communicati, etſi omnino illi ſuperando imparia ſint.

Sed ſi adeo diligens adhibita cura à Gallis ad reſtitutionem in integrum Nobilis Germani; ſi ſucceſſus adeo felix illorum regimini adfuit, quis non miretur Doctorem Germanum, quem pungere perpetuo debet conſcientiæ ſtimulus, quod tot & tanta veritati adverſa protulerit, tandem inepte effutitiiſſe, *Galli pro innata illorum levitate illud minime obſervabant?* Cæteris tamen Nationibus Gallorum vigilantia admirationi eſt, ſicuti & ingenij acumen diſcendi facilitas & ad res percipiendas animi celeritas, ad ſcientiarum & Artium faſtigium conſequendum: Ingenij illorum robur & ſoliditas, laboris tolerantia, in rebus omnibus ſagacitas & induſtria, ad res ſuſcipiendas innata alacritas, promptitudo in executione rerum ſuſceptarum; Illorum candor & ingenuus animus, propenſio denique nativa qua fovent Exteros quoſvis, omni officiorum & obſequiorum genere devincire ſibi ſtudentes.

Neque ſatis fuit Doctori Gallorum nationem in genere impetere, tela etiamnum in me torquere voluit, ac alteri Opus, à me ſolo emiſſum, adſcribere conatus eſt: ratus meo expreſſo nomine, ac adultera-

to titulo Libri mei, Novorum Experimentorum circa Viperam, atque addendo, (*at alieno ſane Marte*) ereptum mihi iri ius editi à me Libri, laborum meorum veri partus, mearumque obſervationum: Imitatus Dominum *Redi*, qui cenſuit viros quoſdam Nobiles & præſtantes, quos ędibus meis exceperam, mei libri authores eſſe.

Præterea, non ſufficit illis jus meum invadere, in meo libro quæ non adſunt comminiſcitur, in alienam me pertrahere ſatagens ſententiam, quaſi venenum Vipereum, quod ſpirituoſum omnino eſſe ſtatuo, Acidum poſuerim, aperte ab illis diſſentiens qui illam tuentur opinionem, ſicuti idipſum conſpicuum eſt libro meo Novorum Experimentorum circa Viperam, pagina 97. in quo hæc verba reperiuntur.

Cæterum nonnullorum opinio fuit ſpiritus hos laceſſitos, arcano quodam aci-do pollere, vi ſanguinem coagulandi prædito, ac illius circulationem inhibendi: At vero cum ejuſmodi Acidum in ipſa ſanguinea maſſa generationem obtinere potuerit, ab illius partibus ad diſcordiam & diſſolutionem vergentibus, cum veneno infectæ fuerunt, ac corruptio illas invadit, ſicuti in lacte contingit, quod ſponte aceſcit & corruptionem ſubit, nullo etſi admixto acido; neutiquam neceſſe eſt in Spiritibus Viperæ Acidum coagulandi vi præditum ſupponere, cum guſtu explorari nequeat acidi ſint illi necne; vel eo potiſſimum nomine quod ejuſmodi Acidum ſponte innaſci poteſt ſanguini animalis morſu impetiti, adeo ut in Vipera id diſquirendum non ſit quaſi illinc ortum traxerit.

Neque enim, ſicuti Idem obtendit, ſcripto tradidi præcipuum illius veneni effectum à figendi vi pendere, Dixi enim pagina 96. *Spiritus Viperæ concitatos occurrentes ſanguini & ſpiritibus in ſanguine animalis commorſi contentis, ipſos impellere & incitare ut viam inveniant, atque intricando particulas ſanguinem componentes ipſis concretimis quandam ſpeciem inducere, aut confuſionem potius, a qua ſolita circulatio inhibetur, eoque pacto liber ſpirituum commeatus ac influxus in partes principes intercipitur, ipſis ſubſiſtentiam & vitam largientibus qua irradiatione impedita hæ oneri ſuccumbere coguntur, vel quod earum baſis concuſſa fuerit ab eiuſmodi ira percitis ſpiritibus, atque horum præſenti inquinatæ ſint, vel potius quia hi Spiritus Viperini occuparunt commeatus vias atque obſtruxerunt, per quas iter ſanguini & ſpiritibus ad eas antea patebat.*

His addo, coagulationem nonnunquam ſuccedentem, (neque enim ſemper) in quapiam commorſi animalis parte, confuſionem partium potius ſequi à ſpiritibus inductam, atque impedimentum ab ipſis ſolitæ circulationi inductū, ac proinde ſeceſſionē aut dimiſſionem partium craſſiorum à tenuioribus, curſum ſolitum peragere tentantium, à concitatis ſpiritibus interruptum, quam à quopiam Acido deducendá, cum ſanguis animalis commorſi conſiſtentiam ſuam exuat, & colorem quoad totam

ſubſtantiam,ac raro coagulatio illi omnimodo accidat,ſed ſolum quoad aliquam particulam; veriſimilius adſcribendum ſit corruptioni contingenti ob motum ſolitum interceptum, quam cuipiam Acido coagulandi vim nacto, à ſpiritibus viperę concitatis deducendo, aut corpore animalis morſu afflicti.

Quo vero amplius eluceſcat quam erronea ſit hujus Doctoris ſententia, qui nequaquam definita natura aut indole veneni viperini, neque indicata agendi illius ratione, vel quas pręſertim corporis adoriatur partes; in illas ſuos effectus depromptuꝛum, hoc ſolum poſito prędictam hiſtoriam in plurimorum naturæ phænomenωn conſiderationem lectorem adducere, ulterius non pervadens, ſtatuit ſuccum acidum pomi citrij figendi hoc venenum vi pollere: Cum enim in aperto ſit hoc omnino ſpirituoſum eſſe, oculis impervium, attactum plane ſubterfugiens, ex his omnino colligendum eſt, nulla alia ratione hoc cohibendum quam ope ſubſtantiarum ſpiritibus prægnantium, atque illius indoli magis adfinium, quam per acidum Citrij ſuccum, cujus actiones tardæ admodum ſunt, & partes craſſiores quam ut debita celeritate ad loca à ventriculo diſſita deferri queant, pręſertim ad corporis ambitum per quod venenum introitum nactum eſt; Neceſſe, inquam, eſſet Venenum Viperinum ex ſubſtantia conſtare ſalina, fixa vel volatili, ſed prætterea ſenſibus id obvium eſſe, imo tactui, non ſecus ac Salia arte à nobis quotidie præparata, ut figi queat ac coërceri à ſucco citri acido, nec id quoque ab ipſo non expectandum, niſi occurſus fieret certo in loco mutuus: Etſi enim in acidis eximia occurrat diſpoſitio, per quam intime conjungi valent Salibus fixis & volatilibus, id nequaquam tamen futurum ſi vel minima inter illos & Salia interfuerit diſtantia.

Cum porro introitus concitatis Spiritibus factus ut plurimum à centro admodum diſtet, Archéus vero ad partes diſſitas ſuccum Citrii mali tranſmittere nequeat, eo in ſtatu quem obtinet cum in ventriculum delapſus eſt, quandoquidem concoctionem ut illic ſubeat neceſſe eſt, in chylum tranſmutetur, ex chylo in ſanguinem abeat antequam commeet ad partes. Spiritibus dictis interea ſpatium temporis ſufficiens conceda-tur ad ulteriorem progreſſum, & rabiem exercendam antequam ſtomachum attigerint, qui locus eſt ad quem pertingere valet Succus Citri ore adſumptus; portio autem Spirituum illorum quæ illuc pertingere poteſt pene exoleta ſit, etſi ſubſtantia donaretur Salina, fixa aut volatili, commiſceri ſucco acido citri idonea, Admodū veriſimile mihi videtur viri iſtius ſententiam à Viris iudicio pollentibus tanquam abſurdam acceptam iri, ac neminem non mirabundum eſſe virum, qui inſignis Doctoris titulum ambit, turgetque gloria quaſi Germania ſimilem non ediderit, diſ-

cer-

cernendi facultate ipſummet caruiſſe, nullaque animadverſione ſolida facta naturæ ſpirituum, uti neque Acidi, quod perperam huc adducit, adeo ridicula invexiſſe, adeo rationibus deſtituta, à vero ac vero ſimili adeo aliena.

Neque minor admirationi locus quod cum D. Domino Redi ſtatuat Venenum Viperinum ſedem obtinere in ſucco gingivarum flavo; ac confuſione inducta opinionum, nullo diſcrimine facto (quippe qui à me diſſentiat hac in re) velit imaginationem iræ, aut ideam furioſam Viperæ inductam quo temporis momento dentes alicui infigit (quos perperam tricuſpides eſſe aſſerit) eandem iræ phantaſiam ſucco flavo includi, ac pernitioſos effectus producere non minus mortua quam vivente vipera; Supponit etiamnum Archéum, ab extranei hujus hoſpitis præſentia in furorem agi, functiones omnes perturbate agere, ac ſibi ſimilem reddere univerſam Spirituum & liquorum vitalium ſubſtantiam, quouſque ictus ad ſuccum citri confugerit, cui certiſſimas adſignat vires coërcendi & reprimendi tumultus & errores Archei, ira accenſi, nulla allata ulteriori explicatione vel veneni Viperini indolis, nec illius efficaciæ, uti neque qualitatum ſucci mali Citrii; vel allatis ullis rationibus ob quas prædictus ſuccus, ipſo authore, effectus ſupra uires & ſphæram activitatis exſerat.

Hujus Doctoris animus occupatus opinionibus Domini Redi quoad Viperæ ſuccum flavum; ac concepta idea obſcura de veneno hujus animalis, quod adſignavi ſpiritibus concitatis, illum impulit ad ineptum ferculum ex utraq; ſententia parandum: Illud quoq; animadverto ipſum labori parcendum duxiſſe, ac pro more antiquorum aſſerere maluiſſe ſuccum Citri Venenum Vipereum qualitate abdita figere, aut poteſtativa, juxta eundem, quam aliquomodo periclitari, experimentiſve rem comprobare, aut in examen adducere partes illius ſucci, uti & ſucci flavi Viperini, quem veneni illius ſedem conſtituit; Aut venari notitiam indolis ſpirituum ira percitorũ, utraſq; opiniones improvide conjungens ad veneni complementum ſtatuendum. Id enim illi perpendendum occurrebat, in ſucco citri vim equidem corrodendi, imo diſſolvendi corpora ſolida, quæ pervadere valet, ineſſe, ac ſpeciatim plurimas gemmas: uti & ſalibus, fixis & volatilibus, ſe conjungendi, quæ pertingere valet; inutiles vero omnino illius eſſe vires ſi vel minima inter utraque adſit diſtantia: Illud in conſiderationem adducere debuit ſucci flavi ſaporem inſipidum, illius viſciditatem, craſſitiem, lentorem nulla indicia latentis in illo Salis fixi aut volatilis ſecreti præbere: aut aptitudinem ineſſe qua per tam anguſtos meatus, cujuſmodi dens viperinus imprimit, ſe inferre corpori valeat, nedum tanta celeritate penetrare ac ad-

maxime corporis icti loca deferri: Ratum quoque apud illum eſſe debuit, penetrabilem illam vim, ac rapidam celeritatem ſpiritibus ſolis legitime adſcribendam: Solis ſpiritibus furore percitis, quos memoravi adſignandum venenum, & cauſam lethalium quorumvis ſymptomatum, morſum viperæ conſequentium: Omnino excludendum ſuccum flavum, qui non alia ratione in conſiderationem venire debeat quam tanquam ſaliva omnino innocua, id quod non ſemel à me demonſtratum coram plurimis teſtibus: Abſurdum vero omnino eſſe ſi quis ſtatuat ſpiritus irritatos poſſe concentrari, ac cohærere ſucco flavo extincta vipera, vel perniciofum aliquem effectum edere, præterea judicare debuit, etiamſi in ſucco flavo Sal fixum aut volatilem redundaret, imo merum is ſal foret, impoſſibile eſſe ut ſuccus citri ore adſumptus (cum debita celeritate ad Venenum accedere nequeat, ſed retuſis tantum viribus, ſicuti id manifeſtiſſimum eſt) in illud vires ſuas depromere poſſit, atque eundem figere; Ac ſatius multo illi futurum fuiſſe cum Pythagoræ diſcipulis obticeſcere, quam impugnare, & adulterare, cujus criminis eſt reus, aſſerta mea veriſſima libro meo de novis circa Viperam experimentis edita, vel materiam ſcriptis adgredi, manibus ipſius ignotam, notitiamque omnino ſubterfugientem.

Cæterum inclytam nationem Germanicam nimiopere veneror, ſpeciatim plurimos ſtudioſos & eruditos quorum fœcunda eſt Germania, qui univerſum medicorum chorum ſibi devinxerunt, ſexcentis editis elegantiſſimis operibus, quotidie prodeuntibus, quam ut mihi in mentem veniat novitii hujus Doctoris mores imitari, cum me inique adgreſſus Nationi quoque Gallicæ ſimul inſultavit: Spero autem ne unum in univerſa Germania Doctorem, niſi mente occupatus fuerit repertum iri, cui non inſtitutum illius improbetur, qui prioribus meis ſcriptis ac poſterioribus de Viperæ, cum illis quæ temere effutiit collatis, quod illi obloqui auſus fuerim mihi ſuccenſeat, ac non concedat rem aliter tranſigi non potuiſſe; Illud quoque apud me ratum, non exiguum Doctorum in Germania numerum, quibus privatim mihi innoteſcere conceſſum fuit, eaque propter glorior, uti & in nonnullis aliis regionibus, non illubenter ex animo opinionem quorundam excuſſuros qui penna aliena uſum me eſſe, aut indiguiſſe, rati ſint, ad emiſſionem opuſculorum quorundam à me editorum, aut in poſterum edendorum: Ex ſcriptis etiamnum meis illud manifeſtum erit, ſi cum inique laceſſar vim vi repellam, mei genii id non eſſe ut quenquam vellicem aut calumniis inceſſam, vel famam ex alienæ ruina mihi comparare ſtudeam.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

De Diſtillatine Fructuum Rubi Idæis & Fragorum.

FRagorum diſtillatio, & mororum rubi Idæi ſimpliciſſima eſt inter eas quæ circa fructus inſtituuntur; Si enim Spiritum inflammabilem ex illis elicere animus non ſit, ſufficit ſtatim ac collecti ſunt illi fructus conquaſſare, ac Cucurbitæ vitreæ, cui Alembicus ſuperponatur immittere, hunc amylo incruſtando, aut glutine ex farina triticea confecto; demum adaptato exiguo Excipulo, ſuſcipere diſtillationem Balneo Mariæ, neque tepido neque æſtuante, unde extrahitur aqua ſapore & odore non ingrata.

Sed ſi Spiritus inflammabilis comparandus fuerit, omnino ad Fermentationem confugiendum, quæ non levi negotio ejuſmodi fructibus inducitur, imo citra cujuſvis rei additamentum, ſive ſolo uſurpato ſucco, ſive alterutro horum fructuum tantummodo conquaſſato, uti ſuperius monui; Adimpletis enim duobus circiter trientibus Cucurbitæ vitreæ, illique ſuperpoſito alembico cœco, accurate luto obducto, ſi per triduum vel quatriduum Cucurbita arenæ cumulo immergatur, ſupra Piſtoris furnum repoſita, calor moderatus, cujus vi ſenſim incaleſcet materia contenta, partibus diſpoſitionem inducturus eſt per quam ſeſe mutuo ſubacturæ ſunt: Volatilis præſertim Sulphurea inflammabilis, cum Salina acidam impugnatura eſt, adeo ut paulatim extricatæ partes illæ à craſſioribus, ſuperataque Acida, ab hac ſecedere illæ valeant, uti & à Phlegmate.

Perfectam fermentationem deprehendere erit ex odore Vinoſo exſpirante, detracto Alembico cœco; Illico autem fermentatione ſubacta materia Cucurbitæ vitreæ immittenda eſt, hacque alembico ſuo munita, probe loricato, adſociatoque illi exiguo Excipulo, luto etiam munito, ſurſum evehendus erit Maris Balnei calore aut Arenæ, admodum moderato, Spiritus volatilis & ignis rapax, fragrantiſſimus, primo aſcendens, & ſeorſum adſervandus in denſa ampulla vitrea, accurate occludenda: Hunc ſubſequutura eſt Aqua leviter odorata, ſed exigua quantitate, viribus ſpiritui multum inferior.

Aqua & ſpiritus mororum rubi Idæi & Fragorum commendantur potius ad vultus matronarum nitorem & cultum quam alium quempiam uſum, etſi non inutiliter admitti poſſint ad recreandas & corroborandas partes principes, præſertim cor & cerebrum.

Eadem ratione diſtillationi ſubjici poſſunt Ceraſa nigra, contuſis

optime cum carne illorum nucleis; quorum aqua valet adverſus Apoplexiam, Epilepſiam atque alios Cerebri affectus.

CAPUT XXX.

De Diſtillatione Nucum Iuglandium.

NVcum viridium diſtillatio non ardui eſt negotii, illis præſertim qui ſequuti methodum Pharmaciæ vulgaris illas, prius optime conquaſſatas, conjectas in Veſicam cupream, adeo ut paulo pluſquam media pars ejus adimpleatur, aut capacitatis refrigeratorij, quæ ſtanno interius optime obducta ſint, ſuperaffuſaque aqua fontana aut fluviatili, ita ut tribus aut quatuor digitis emineat, diſtillationem inſtituunt adhibito igne immediato, ſed moderato, ſicuti diſtillantur aquæ vulgatæ, quouſque ſuperſit tertia pars humidi affuſi.

Pharmacopoei autem, qui ſedulam in præparandis remediis navant operam, aliquod huic diſtillandi rationi ſuperaddunt: Aquam enim recens extractam aliis Nucibus viridibus conquaſsatis reaffuſam, iterum diſtillationi ſubjiciunt, qua peracta, ex exſiccato utroque magmate, combuſto & iminerato modis ordinariis, Sal extrahunt, quod in aqua diſtillata diluunt, quo efficacius evadat, atque perennare queat.

Etiamſi vero non contemnenda ſit hæc diſtillandi ratio, præſtantior tamen occurrit, per quam nimirum Nucum partes omnes utiles educuntur, hac via procedendo, Idonea tempeſtate accipiantur juli nucum, qui flos arboris cenſentur; non exigua quantitate; ex his optime contritis in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, exprimatur ſuccus, qui balneo Mariæ diſtillandus, aut igne Arenæ, in vaſis vitreis vel fictilibus, aquam diſtillatam reſervando: Poſtmodum ubi Nuces virides mediá ſui magnitudinem attigerint, earum accipe quantum libuerit, quas in mortario marmoreo tuſas conjice in eadem vaſa, ænea vel fictilia, adeo ut horum pars tertia vacua ſit, ſuperaffuſa aqua ex julis diſtillata, quouſque tres digitos excedat: Demum cunctis his 24. horis maceratis, eodem modo peragatur diſtillatio quo ſucci julorum; aqua hac reſervata quouſque nuces ad decentem magnitudinem pervenerint; Ita ut tamen teneritudinem non depoſuerint & conditura idoneæ factæ ſint, quo tempore idem numerus qui priorum ſumendus, his itidem conquaſſatis, iiſdemque vaſis immiſſis, aqua priorum nucum ſuperfundenda erit, ac maceratione facta per horas viginti quatuor, eodem quo priore modo diſtillatio perficienda, qua ratione optima Aqua Nucum pro-

prodibit ; cui major efficacia imprimi poterit, ſi conſervatum & exſiccatum,à cunctis diſtillationibus reſiduum magma,crematum & in cineres deductum fuerit, extractumque ex his Sal aquæ ſtillatitię commiſceatur.

Huic Aquę nomen Trium Aquarum inditum, ob tres inſtitutas diſtillationes, ac tribus diverſis temporibus: Eximia illi ineſt virtus diaphoretica: Cardiaca eadem cenſetur: Commendatur præſertim ad curationem omnium febrium intermittentium, imo malignarum: Ventriculum & cor roborat, Vteri vapores reprimit; ad Colicos dolores à flatibus aut pituita ſubortos utilis: Doſis illius eſt à tribus aut quatuor unciis ad ſeptem vel octo.

Nonnulli exſiccatos nucum iuglandium maturarum cortices ex Retorta diſtillant igne per gradus adhibito, atque ex illis eliciunt ſpiritum Sale volatili prægnantem, cum oleo obſcuri coloris, utcunque craſſo, plurimo phlegmati commixta; poſtea rectificandum ex Matratio prolixi colli, eliciuntque ſpiritum Sale volatili præditum cum oleo purpurei coloris remiſſi, quem magnifaciunt adverſus venena, in ſpecie ad peſtem; Spiritum exhibendo à ſeptem vel octo guttis ad viginti uſque vel triginta ex aqua Nucum diſtillata: Oleum autem à guttis duabus ad octo vel decem,ſaccharo puriſſimo pulveriſato exceptis,demum in aqua eadem diſſolutis.

Non diſſimili ratione licet diſtilllare Putamina Nucum ſicca, atque eaſdem propemodum ſubſtantias educere, inter quas oleum præſertim commendatur ad Vlcerum mortificationem & Herpetum curationem.

CAPVT XXXI.

De Variis Vvæ ſubſtantiis.

IMmenſa Priſcorum idololatria ex ſaporis gratia in Vino deprehenſa impulit eos ut Deum quendam Vineis præfigerent,univerſæque illius progeniei, imo cultibus religioſis has adorarent: Vlterius vero progreſſa eſſet illorum ſuperſtitio ſi intimæ omnes, & diverſæ quas continet grata hæc planta ſubſtantiæ perſpectæ fuiſſent:Illud enim pro comperto habendum Chymicæ Artis ope plura eaque præſtantiſſima ac curioſa elici ex hac planta remedia quam quęvis alia ex vegetabilium familia deducta.

Natura, Sol, tempus, imo nonnunquam Ars, ad promovendam ultimam racemi maturitatem equidem concurrunt, ſed præterea præſto eſſe debent vaſa,Tempus requiritur,novoque artificio opus eſt ad ſuſci-

piendam primariam & rudem variarum harum ſubſtantiarum diſtinctionem, ut ab invicem poſſint extricari, neque enim aliud expectandum eſſet emolumentum quam quod ex racemorum uſu familiari emergere ſolet, cum in ipſa vinea, aut extra ipſam eſitantur, vel ter lixivio limpido ex cineribus ſarmentorum immerſi ad Solem exſiccantur, etſi poſteriores hi ſoli, vel aliis medicamentis commixti, in uſum medicum veniant, miſſis acinis uva involutis,ſicuti & racemi parte lignea, ſeu ſcapo, quam ex retorta diſtillare licet nulla prævia præparatione.

In Vvarum ergo ſucco diverſæ illæ ſubſtantiæ, à me ſuppoſitę, confuſæ inſunt, fermentationis ope, in doliis expectandæ, primo ſegregandæ, Pars ſcilicet liquida limpida, inde vini nomen adepta, à Tartarea dolii lateribus adfixa, & à Fæculenta, fæcum nomine ad fundum ſecedente liberandæ: Separatio nihilominus trium harum diverſarum ſubſtantiarum non infert earum ſimplicitatem, unaquæque enim ex diverſis pręterea conſtat ſubſtantiis, Chymicis operationis variæ anſam ſubminiſtrantibus, quamobrem illud iterum concedendum, non immerito à me dictum Vvam cætera mixta & præſtantia & copia remediorum ſuperare.

Ratio & Experientia hujuſmodi fermentationis exiſtentiam nobis demonſtrant,ex reciproca actione & reactione partium Salinarum, Volatilium & Sulphurearum cum Acidis congredientium; tum ex eo quod mutua hæc actio & reactio infert conjunctionem & conſervationem, non vero deſtructionem, puratum ſubſtantiarum ſpiritualiſationem earum quæ hanc adipiſci poſſunt; rejectionem vero & ſecretionem inutilium & gravantium: Id quod manifeſtum fit ex eo quod ſucci partes maxime acidæ, poſtquam ſibi adjunxerunt Salis volatilis quantum admittere valent, ſimulque corpus compactum cryſtallinum compoſuerunt, nonnullis admiſtis partibus terreſtribus, undique dolii lateribus ſe adfigunt, conſtituuntque id quod vocamus Tartarum: Interea dum pars minus acida, cum maxima portio volatilis quæ ſuperſtites fuit in ſucco, Salinæ & inflammabilis ſimul conjunctę, dum adſciſunt ſociam ejuſdem ſucci partem aqueam, compoſitum id conſtituunt quod Vini nomine gaudet; atque poſt harum partium actionem & reactionem in fundum reliqua terreſtreitatis portio deturbatur, cui nihilominus Acidi quidpiam adjunctum remanet, nec minima Salis volatilis portio, partim inflammabilis, id quod nos docet experientia.

CAPVT

CAPVT XXXII.

De Vini Diſtillatione.

NOtiones generales à me traditæ de variis ſubſtantiis quas Vva in ſe comprehendit, me judice commodæ ſunt facile inſinuandæ animis tyronum Chymiæ cognitioni varij contextus, ac diverſæ proportionis partium mixta conſtituentium, primæ ſeparationis à Natura inſtitutæ, ad quę normam cunctarum operationum dirigere debent & inſtituere, præſertim quoad inſtitutum præſens.

Mearum quoque eſſe partium cenſeo ipſos adhortari ad laboris tolerantiam, ſicubi maxime in illo perſeverantia neceſſaria eſt; ac caveant ne faſtidium obrepat ſi res advotum forte non evenerit, ſed potius indagent cauſas improbi ſucceſſus, cum ſæpenumero extra ſeipſos illas venari non debeant.

Eapropter ratione habita levitatis ac tenuitatis partium volatilium & inflammabilium Vini, copię phlegmatis illi remixti, pauciſſimi vero Acidi quod illi obtigit, lenior procedendi ratio in uſu eſt, aliaque adhibentur vaſa, diverſuſque ignis modus ad illius diſtillationem quam cum diſtillationi exponenda pars tartarea, quæ quod minori phlegmatis copia conſtet, jam ex parte fixa eſt ob excedens illius Acidum, atque conjunctionem non exiguæ partis Salis volatilis quod ſibi adſumpſit, cum terræ portione abrepta, firmamento quaſi illi futura: Non diſſimili de cauſa eadem non debetur diſtillationis ratio vino quæ Fæcibus, quibus quod minus inſit phlegmatis, plus verò Salis volatilis concentrati, minus quoque Acidi quam Tartaro, ſingulari ideo methodo in diſtillatione procedendum: Hanc ergo pro Vino inire decet viam:

Immitte Veſicæ cupreæ, probe ſtanno parte interiore obductæ, vinum optimum, adeo vt pluſquam media pars occupata ſit; Fornaci idoneæ imponatur, ſuperponatur Alembicus Caput Mauri dictus, itidem ſtanno obductus, probe loricandus, coaptato demum & probe loricato illius canali ſerpentino, tranſverſim permeante grande dolium aqua frigida plenum, conjuncto, luto munito Recipiente cum Serpentino, inſtituenda eſt diſtillatio igne moderato, quæ producenda quouſque aqua exſtillans propemodum ſaporis ſit expers, & flammam non concipiat. Id quod ea ratione diſtillaturum eſt vocant Aquam Vitæ, cujus quantitas proportione reſpondebit ſextæ circiter tantum parti vini Veſicæ infuſi.

Curioſi reſidentiam, evaporatione paulatina facta : ad mellis conſiſtentiam deducere poſſunt, atque exinde Retorta, in fornace Reverberatoria clauſa, elicere ſpiritum acidum, vino, antequam diſtillationi exponeretur, commixtum, plurimo adhuc phlegmate turgens, cujus comes erit oleum fuſcum, fœtidum, minimæ vtilitatis : poſtmodum igni, ſi vis, committatur, & incineretur id quod in Retorta ſuperſtes eſt, mediis ſolitis ſal extrahendo.

Notior eſt Aqua vitæ quam vt eius vires aut vſus ſcripto tradi debeant.

CAPVT XXXIII.

De Diſtillatione Spiritus Vini.

VIni pretium in cauſa eſt quod Lutetiæ Pariſiorum rarius illius ſuſcipiatur diſtillatio quam in plurimis Regni Provinciis, vbi viliori pretio comparatur, in quarum pleriſque copia Tartari doliis adhærentis non prohibet ne generoſa vina ſpiritum emittant præſtantiſſimum, imo majori quantitate quam vina minus generoſa regionum in quibus Tartari coagulationi ſufficiens tempus defuit, atque obdurationi in doliis, non magis plerumque durabilibus ipſo vino ipſis immiſſo, etiamſi dictis vinis Tartarus non deſit.

Copia enim, elegantia & præſtantia Tartari adſcribendæ potius ſunt iteratis fermentationibus, quas ſucceſſive varia vina paſſa ſunt, imo plurium annorum decurſu, in doliis craſſiſſimis, diuturnæ vini conſervationi idoneis, quam regionis indoli, aut ſoli vinum producentis, quandoquidem Tartarus Germanicus non minoris eſt præſtantiæ quam quem ſuppeditat Gallia Narbonenſis, itidem craſſiorē ob vaſtitatem doliorum, ligni denſitatem, ac doliorum quibus vinum concluditur ſoliditatem ac durationem : Adde quod pars tartarea, cum naturaliter à vino ſecreta fit, ab hac nequaquam imminuitur quantitas, uti neque quicquam decedit viribus partis ſpirituoſæ volatilis & inflammabilis vini ; ratum namque id eſſe debet, quandoquidem vina Galliæ Narbonenſis, in quibus Tartarus plurimus deprehenditur, citrius temulentiam inducunt illis quorum Tartaro ad coagulationem tempus defuit, electio nihilominus Spiritus vini potius petenda ab ejus puritate quam à loci natalis conditione : qui ſi ejuſmodi comparandus ſit, ſumma cura defæcandus eſt, nec minori diſquirendum vinum minime adulteratum, aut accipienda optima Aqua vitæ.

Non-

Nonnulli jubent in ipſa Diſtillatione, in ſumma Veſica, vinum aut aquam vitę excipiente, detinendam chartam emporeticam multipliciter complicatam, vel craſſoris panni fruſtulum, quo dum ſpiritus hæc facile tranſmeant, phlegma ibi intercipiatur ac deorſum deferatur, Alii ſpongiam oleo imbutam, accurate obturantem, adhibent eundem in finem: At hi & illi deciipiuntur, pars enim phlegmatis cum ſpiritus comes ſit, proculdubio permeatura eſt & chartam & pannum, imo & oleum, cujus etiamnum vinum nonnullas ſecum abſtrahit particulas, quarum cauſa probis illius qualitatibus vitium aliquod induci poteſt.

Ejuſmodi difficultatibus irretiti recentiores artifices, novum vaſis genus excogitarunt, cujus beneficio, atque primo facto periculo, conſequi licet vini ſpiritum æque purum quam ſi plurimas rectificationes modis à me propoſitis expertus eſſet: cujus rei facto non ſemel experimento, mearum eſſe partium duxi duplicem exhibere, eamque diverſam, figuram, mihi familiarem in ejuſmodi rectificatione: Miſſo hoc in caſu uſu Matratiorum proboſcide præditorum, capellis propriis inſtructorum; vel ea de cauſa repudiandorum quod multi temporis ad rectificationem pauci ſpiritus iactura fiat, tum quia Pariſiis vix occurrant vaſa idonea, nedum in locis diſſitis.

Veſica (aut globus) alterutrius horum vaſorum, ex cupro rubro conflata ſit, interius ſtanno probe obducta, duo oſtia obtinens, cujus maximum & præcipuum cum ſit in parte ſuperiore, obtinere debet collum arcte amplectens Serpentini partem inferiorem: alterum in latere factum, ac collo paulo inferius, exiguum etiam collum adjunctum obtinere debet, idoneum, ſi opus fuerit, excipiendæ parti ſiphonis, aut roſtro infundibuli, tam affundendæ gratia Aquæ vitæ in Veſicam, quam ad effuſionem phlegmatis ope Siphonis, cum exſtillavit Spiritus: Serpentinum ex ſtanno puriſſimo ſonoro conflari poteſt; ſi ſolum Capella vitrea imponenda ſit, quæ amplecti debet partem Serpentini ſuperiorem, infundibuli forma fabricandam: Ex cupro vero Serpentinum conficiendum, ſi grande Refrigeratorium illi ſuperponendum fuerit: Imo nonnunquam impellit neceſſitas ut illi robur accedat, addita columna cuprea cava, ſed denſa, convenientis craſſitiei & ſoliditatis, ad fulciendum Refrigeratorium, ac Serpentini flexus ſuſtinendos: Refrigeratorium cupreum quoque eſto, ea tantum parte ſtanno obductum quæ Vapores excipit, in Spiritus ſolvendos, inde in Recipiens ſtillaturos: Cuncta hæc exhibituræ ſunt Figuræ, mea cura delineatæ, ad quas Lectorem remitto.

Hujus vaſis beneficio pars aquea Aquæ vitæ, occurrēs meatui anguſto,

flexuoſo, admodum producto, cum illl aſcenſus ad tantam altitudi-nem, neque æque expeditam quam Spiritui vini minime concedatur, remeare cogitur, ac in veſicam unde elata eſt relabi, dummodo debi-tum adhibitum fuerit ignis regimen: Eapropter collocato vaſe ſupra Furnum, data opera conſtructum, debitæ proportionis, immiſſaque in veſicam optima Aqua vitæ, adeo ut tertia pars ejus vacet, commiſſuris omnibus accuratiſſimè luto obductis, tam Vaſis quam Recipientis, re-pletoque aqua frigida Refrigeratorio, accendendus erit in foco furni ignis carbonis, moderatiſſimus, quanquam immediatus, eo uſque continuandus quouſque ſpiritus vini purus ſtillare incipiat, id quod manifeſtum erit cum injecta ex cochleari parvo argenteo in ignem portiuncula, humiditas quæpiam fundo adhærens deprehenditur.

Eo tempore nihilominus producenda erit diſtillatio, ſubdito alio Recipiente, quouſque aqua exſtillans flammam amplius non concipiat: atque ea ratione obtinere licebit Aquam vitæ, alteri poſtmodum remi-ſcendam.

Spiritus ille Vitæ, etſi unica vice rectificatus, non modo omnino in auras abit, accenſus ſi fuerit, ſed & flammam impertit pyrio pulveri ſi in parvo cochleari illi ſuppoſitus fuerit: Sed id non minimi eſt momen-ti quod unica die plures pintæ rectificari poſſunt, minimo labore & cu-ra, pauciſque ſumptibus.

Nonnulli Spiritus vini nomen aſſignarunt Eſſentię ſubtiliſſi-mæ & incorruptibili, & Sulphuris cœleſtis vegetabilis, Clavis Philoſophorum, Cœli Raimundi Lullii, Corporis ætherei ex a-qua & igne conſtantis &c. Sed miſſit ejuſmodi elogiis, hoc adſtruo Spiritum hunc perquam idoneum eſſe ad excalefaciendum cum pene-tratione, ad incidendum, attenuandum, reſolvendum, tranſpira-tionem juvandam, pravos humores diſcutiendos, interius illum adſu-mendo & exterius admovendo in morbis ejuſmodi auxiliis indigenti-bus; Menſtruum illud eſſe, ac Diſſolvens ad plurimos uſus adcommo-datum, non modo uſitatiſſimum, ſed quo minime omnium carere po-teſt Chymia; Hunc porro non modo incorruptibilis nomine donare poſſum, ſed præterea illi adſignare viam à corruptione vindicandi cor-pora illi immiſſa, atque adverſus quamvis putredinem defendendi: Feliciſſime & in uſum venit adverſus gangrænam ac quamvis putredi-nem partes invadentem: Meatus potenter reſerat, ſpirituum facilem commeatum promovet, ac circulationem ſanguinis incitat: Plurimum commendatur in rheumatiſmis, neque præſtantius in ambuſtionibus occurrit remedium, quarum progreſſum ſiſtit, non Acidi ſolum fixatio-ne, quod nonnulli perperam ignis particulis adſignare voluerunt, cum

æqua-

æqualiter illæ originem ducant à Sale volatili & Acido rerum combu-rentium, ſed potius copia ſua idem acidum ſuperando, conjuncta aci-do ſalis volatilis rerum combuſtarum, contranitente Acido, quo pacto violentia ignis retunditur, furor Archei coercetur, & Natura robur adquirit.

Iſte nihilominus Spiritus, ſpecie puriſſimus, plurimas phlegmatis particulas in ſe continet, abſtrahendas rectificatione ejuſdem ſpiritus, addito ſexttuplo pondere Salis tartari rite exſiccati, eidem vaſi immiſſi in quo rectificatus fuerat, poſtquam ſuo humido accurate liberatum fuerit, ac moderatiſſimo igne diſtillando, donec deſierit purum pro-dire: Licet & poſtmodum idem Sal iterum exſiccare, atque iterum ſu-perfuſo Spiritu vini, itidem ſicuti prius hunc diſtillare, ad ulteriorem partium aquearum imminutionem: Eo enim pacto proditurus eſt Spiri-ritus vini odoris ſuauiſſimi,ac multo quá ante generoſior,cui Spiritus vini Tartariſati nomen nonnulli indiderunt: Puritatem vero majorem nan-ciſci poterit, ſi inditum matratio, prolixo collo prædito, capitello ſuo probe loricato inſtructo, iteratæ rectificationi ſubjiciatur in Balneo Maris trepido, tres tantum circiter partes abſtrahendo: Si demum, ſepoſita reſidentia, itidem ter quaterve rectificatus fuerit ille ſpiritus, reſidentiis ſemper remotis: qua ratione ſpiritus ſumme purus obve-niet, cujus effectus multo generoſiores futuri ſunt quam ſpiritus vini vulgaris: adeo ut poſterioris hujus decem vel duodecim guttæ, per os adſumptæ ex liquore quopiam idoneo, & majorem & celeriorem effe-ctum edituræ ſint quam prioris cochleare integrum.

CAPVT XXXIV.

De Spiritu vini Tartariſato.

NOnnulli ſoli cognominis ſuperficiei attendentes, ab authoribus huic Vini Spiritui impoſiti,ſibi in animum induxerunt ſatis eſſe uni-ca vice rectificaſſe ſpiritum hunc Sali Tartari affuſum, ut Tartariſati nomen gerat, non perpendentes immerito id nominis adſignari niſi re-ctificationis vi ſecum abſtraxerit, ſibique adjunxerit non mediocrem copiam puriſſimarum & maxime volatilium particularum Tartari cui-cum commixtus fuit.

Jubent quidam Auctores Cucurbitæ vitreæ immitti Spiritus vini libras duas unciæ vini Tartari crudi, craſſius contriti; Demum Maris Balneo diſtillari calore moderatiſſimo, quouſque non amplius purus prodeat; Præcipiunt iterum eundem ſpiritum eodem Balneo rectifi-

cari, affuſum drachmæ uni novi Tartari eodem modo contriti, ac calcinatione facta reſidentiæ utriuſque diſtillationis, quouſque virentem colorem adquiſierit, aut circulum, hanc demum cum ſpiritu vini rectificato commiſcendo, cuncta diſtillari igne adhibito paulo intenſiore, ex hac procedendi ratione Spiritum vini Tartariſatum expectantes.

Neque tamen mihi perſpectum quomodo ſpiritus vini ex novem iſtis drachmis Tartari, aliud quidpiam præter phlegma & portionem nonnullam partis Acidi inexiſtentis abſtrahere valeat; quandoquidem Salina, ab eodem acido fixa reddita, conjungi nequit ſpiritui vini, neq; una cum illo evehi: Iudico præterea, quo res ſucceſſum habeat, Spiritui vini proprium fermentum adhibendum eſſe, inſiſtendo mediis mox tradendis, à me experimento comprobatis.

Eligatur optimum vinum recens, fermentatum, ex natura auſterum, quaſi immaturum; immittantur Cucurbitæ vitreæ capaci & excelſæ Salis Tartari, exempli gratia, unciæ quatuor; his paulatim affundatur iſtud vinum, unde ſubſequetur ebullitio, vel fermentatio, inducta ab actione reciproca partis acidæ Vini in Sal Tartari, ac Salis in idem Acidum: Paulatim, & ex intervallis temporum, affundendum erit Sali ejuſmodi Vinum quouſque ebullitio deſinat; indicio Sal & Acidum ſeſe mutuo tẽperaſſe & ſaturaſſe, quamobrem hæc meta erit affundendi vini ſupra Sal: Quo tempore, ſi animadverſum fuerit tertiam circiter Cucurbitæ partem vacare, immergatur hæc Balneo Arenæ, alembicum proprium imponendo, cujus accurate luto junctis commiſſuris, inſertoque ejus roſtro exiguo Recipiente, etiam loricato, ſuſcipiatur diſtillatio igne carbonum, moderatum excedente, quo Sal Tartari, quod paulo ignavius ſe evehit, alias proprio pondere fæcibus commiſtum inhæſurum, ſurſum vi propellatur, acido ſe adjungens ab unione cum ſpiritu vini facta, producta diſtillatione vi ejuſdem ignis, quouſque nulla manifeſta percipiatur dulcedo in ſpiritu vini exſtillante, aut phlegma ſpiritus ſuccedaneum ſit: Tunc ſeponendus ac infundendus erit ſpiritus vini diſtillatus in lagenam vitream, accurate occludendam, qui proculdubio plus Salis volatilis Tartari obtinebit, quam ullus alius ſpiritus vini, quamvis aliam præparationem aut depurationem nactus, quibuſvis aliis organis eum in finem adhibitis uſus quis fuerit: Spiritus enim vini perfectam rectificationem adeptus, aut Sale proprio volatili prægnans, deſtitutus autem nativo ſuo fermento Acido, vel alio quopiam ejuſdem indolis, nunquam ulli alij volatilitatem conciliare valebit, illique ſe adjungere: Acidum autem eſurinum, naturaliter cæteris vini auſteri & immaturi ſubſtantiis commiſtum, admodum ido-
neum

neum eſt ſuſcipiendo ſali volatili Tartari, quod acidum, minori quantitate vinculis ſuis coërcebat.

Peracta diſtillatione hujus Spiritus, ac per ebullitionem ſoluto in vapores ſubſidentiæ phlegmate inſipido, illaque ad mellis conſiſtentiam deducta, licebit Retorta diſtillare, obſervatis regulis, atque ex illa elicere ſpiritum, cujus comes erit oleum fœtidum Tartareum, exigui momenti, interim dum Oleum Salis Tartari, quod volatilitatem adipiſci non valuit, in fundo ſubſidet, imo incrementum ſuſcipit ab adjuncto tantillo Sale fixo, in vino, ad uſum adhibito, deliteſcente, etſi limpidiſſimo & defæcatiſſimo; id quod verum deprehenditur ex magmatis calcinatione, ac Salis ex illo per media uſitata eductione: Neque etiamnum impediri poteſt hujus Salis cum Sale Tartari, quod in uſum venit, conjunctio, ob ſubſtantiæ utriuſque analogiam, uti neque prædictum augmentum, ſi Acido vini occurrat materia quæpiam erodenda, ſicuti hîc contingit, nam occurrens Sali Tartari fixo, illi cohæret, ſe adjungit, ac cum eodem fixam molem adauget, non ſecus ac ſi ſimpliciter igne exſiccata & ſimul calcinata fuiſſent, juxta Axioma Phyſicum Chymicum, *Omne corroſivum rodendo coagulatur, & figitur in Alkali*: Poſtmodum tamen, etiamſi in hac operatione certamen quoddam inter Acidum volatile & Sal fixum adfuerit, atque interim pars Acidi figatur, atque incrementum det copiæ Salis Tartari, quod idem acidum prima vice abſtrahere non valuit, tandem tamen ſuperior evadit adjuvante ſulphure puro Salis volatilis vini, abſtrahit enim, ac omnino volatile reddit Sal fixum Tartari, quod prius vino adſociatum fuerat, ſi modo hanc viam quis injerit,

Optime calcinato magmate prioris diſtillationis, ac diſſoluto, filtrato, coagulato, ac probe exſiccato Sale, pondus hujus ſtatera examinandum, demum huic curbitæ iterum immiſſo, ad unamquamque ſemunciam affundenda erit pinta una vini novi fermentatione defæcati, immaturi, auſteri, & rite depurati; Superpoſitoque cucurbitæ capitello, accuratiſſime luto obducto, adcommodatoque illi, probe quoque loricato, Recipiente, erit ſepelienda iterum in Arenæ balneo, diſtillationem peragendo adhibito igne priori ſimili; quoad cætera eadem plane via procedendo, ſpiritum diſtillatum in lagena accurate obſtructa cuſtodiendo: Demum magmate iterum calcinato, eductoque ex illo Sali, depurando, coagulando & exſiccando, affundende erunt totidem vini pintæ quot immiſſę ſemunciæ diſtillationem inſtituendo: Poſtmodum novum vinum reſtibili Sali ſuperfundendum erit, eouſque iterata diſtillatione quouſque animadverſum fuerit Sal, quod forte cum fæcibus ſupereſt, inutile factum fuiſſe: Minus quoque impu-

tandum Sali Tartari pauxillum quod reſiduum eſſe poteſt, quam Sali fixo vini; etſi maxima illius pars per diſtillationes cum Sale] tartari volatilitatem adepta ſit: Illud etiam pro comperto habendum ab iteratis ſupra vini fæces affuſionibus, ac diſtillationibus crebris, id Sal omnino volatilitatem adepturum.

Porro, cum Spiritus vini, à quo volatilitatem adeptum eſt Sal Tartari, hocque ſecum abduxit, plurimo phlegmati commiſtus ſit, illius ideo rectificandi incumbit neceſſitas, id quod commodiſſime obtinere licet in uſum advocando vas mihi familiare ad Spiritus vini rectificationem, ſi illius commiſſuræ accurate, uti & Recipientis, luto obductæ fuerint: Vel Matratio uti licet prolixioris colli, ſuperpoſito alembico, itidem loricato, Balneo cinerum immerſo, vel arenæ, addito igne moderato.

Odor & ſapor hujus Spiritus manifeſta præbent indicia Salis Tartari una cum illo abſtracti & volatilitate donati per crebras & repetitas, diſtillationes vini, Sali fixo ejuſdem Tartari affuſi: Tartariſati cognomen legitime illi congruit, quandoquidem in ſe comprehendit verum Sal Tartari, ab acido vini abſtractum, volatiliſatum, quod ſibi adjunxit: Imo potiori jure prædicto titulo gaudere debet quam is qui ſimpliciter exſtillatus eſt ex affuſione Spiritus vini Sali Tartari, qui ne minima hujus portione ſecum abſtracta, nullum præterea momentum obtinet quam imminutionem partis propriæ aqueæ: Hic ſpiritus Alkalizati quoque cognomine donandus eſt, quandoquidem in ſe complectitur verum Sal Alkali volatiliſatum; vel eo pręſertim nomine quod nonnulli prępara-tionem hanc pro genuina volatiliſatione Salis Tartari habuere.

CAPUT XXXV.

De Diſtillatione Tartari.

TArtarus ſubſtantia eſt concorporata, ac propemodum lapidis ſoliditatem adepta, lateribus & fundo doliorum quæ vinum continuerunt adhęrens, à muſto fermentationis vi ſecreta, per quam idem muſtum in vinum tranſit: Prædictus Tartarus, à vino ejuſque fæcibus ſejunctus, ex quinque nihilominus partibus conſtare deprehenditur, quas Chymia in cunctorum miſtorum compoſitione animadvertit, Phlegma enim Partem Acidam, Salinam Volatilem & Fixam, Oleagineam ac Terreſtrem complectitur, ſicuti diſtillatio id conſpicuum facit. Etſi vero ob partium illius conjunctionem, ac conſiſtentiam ſolidiorem quam adeptæ ſunt vim ignis tolerare nequeant, quippe quæ non

non ſolum in aqua calida colliqueſcant, ſed etiam in frigida, ſicut calci accidit, cum ignis examen ſubiit, combinatio tamen illis ſat valida obtigit, ut à vino illas in dolio ambiente nequaquam diſſolvi contingat, imo quotannis etiamnum incrementum accipiant ab adjuncto vini recens infuſi Tartaro, fermentationem ibidem experturo.

Ad ejuſmodi diſtillationem in uſum venit Tartarum crudum, elegans, nitens, craſſe contuſum, vel, ſi lubet, pulveratur, lotum & exſiccatum, vel ipſe cremor Tartari; alterutrius Libras quatuor capaci Retortæ argillaceæ immittendo, luto circummunitæ; hacque impoſita Furno Reverberij clauſo, accendendus eſt exiguus ignis, eo gradu continuandus quouſque pars Tartari aquea propemodum diſtillando exhauſta ſit: Poſtmodum adcommodandum illi capax Recipiens, optime loricandum, ignis paulatim intendendus, tandem ad extremam uſque vehementiam deducendus, ac quouſque, (Recipiente prius diutius nebulas albicantes éxhibente, in guttulas, cui ſpiritus intermixtus, reſolvendas) univerſus liquor in fundo Recipientis collectus fuerit, atque hoc plane pellucido facto dat: Quo tempore remoto omnino igne, obturatis oſtiis & regiſtro Fornacis, Retortaque ſenſim refrigerata Recipiens, deraſo luto, eximendum, inditiſque panis albi biſcocti & pulverati matratio capaci, prolixi colli, libris duabus, ſuperaffuſoque univerſo liquore Recipiente incluſo, Capitellum probe luto incruſtatum illi ſuperimponendum erit: coaptatoque etiam, ac loricato exiguo Recipiente, Rectificatio peragenda erit igne Balnei Mariæ, vel Cinerum, igne moderatiſſimo, quæ & iterum repetenda, bis aut ter, addito novo pane biſcocto: quo pacto eliciendus erit ſpiritus puriſſimus & penetrabilis, ad omnes uſus, quibus deſtinatur, adcommodandus.

Snperius dixi ad hanc diſtillationem uſurpari poſſe Tartarum crudum craſſiis contritum, cum enim pars terreſtris ſemper illi commixta, diſtillatione ſurſum non evehatur, nequaquam impeditura eſt aſcenſum partium volatilium, etiamſi nihil prohibeat quominus conteratur, eluatur, imo ipſe Cremor Tartari in uſum adducatur.

Non tranſgredior quatuor libras Tartari crudi capaci Retortæ indendas, quia cum intumeſcat initio diſtillationis, diſruptionis periculum immineret ſi majori quantitate inferretur, ac ſpatium intumefactioni idoneum non adeſſet.

Licet &, ex quorundam ſententia, liquorem ex Recipiente effuſum in cucullum ex charta emporetica madida infundere, infundibulo vitreo incluſum, ut ſpiritus, tranſmiſſa charta, oleum autem nigrum & fœtiduminibi hærens, lagenis ſeparatis concludi queant: Sed cum in

unaquaque Rectificatione, Spiritus conjungatur quibuſdam particulis Salis volatilis, ac ſecum abſtrahat quas Oleum amplexum erat, eodem quoque tempore obtinere licet Oleum volatiliſatum, flavum, purum, facillime ſejungendum, cujus vires, & uſus interni & externi, multo majoris ſunt momenti quam quæ ab oleo fœtido expectari queunt.

Quorundam tamen fuit ſententia nullum Sal Volatile commixtum Sali Tartari deprehendi poſſe, hac ratione fultorum, quod ebullitio quæpiam manifeſta eſſet, ac vaſorum incaleſcentia ab acidi cujuſdam affuſione dicto ſpiritui; quod cum non contingat, colligunt id omnino abeſſe: At conſequentia aberrat, nulli fundamento innixa, quia ſpiritus acidus Tartari, cum fixum reddiderit Salem volatilem à ſe abſtractum, atque idem Sal quaſi ſub jugum miſſum ſit, ac quodam modo colligatum à dicto ſpiritu, illius actioni frenum injiciente, ideo nullus expectandus æſtus aut ebullitio, quæcunque demum acida illis affuſa fuerint.

Id ipſum conſpicuum eſt in præparatione Tartari vitriolati, nam etiamſi conjunctio Olei vitrioli cum Sale Tartari illico excitet, & per aliquod temporis ſpatium, inſignem ebullitionem, cum intenſa incaleſcentia materiarum & vaſorum, cuncta tamen hæc omnino remittunt ſtatim ac Sal Tartari Acido ſufficienter imbutum fuerit, ſed poſtmomodum neque ebullitio neque incaleſcentia ulla metuenda, quantumvis inſignis Acidi quantitas Sali affuſa fuerit.

Illud etiam compertum habendum partem Tartari acidam, cui eum Salina inſignis adfinitas, proculdubio in diſtillatione quantam poteſt portionem ſecum abſtrahere, ſicuti id præſtat pars acida vini recentis immaturi, de qua capite præterito à me dictum: Id quoque cenſendum in Spiritu Tartari non quærendam fore vim diaphoreticam inſignem, niſi hanc qualitatem mutuatus eſſet à ſale volatili quod ſecum in diſtillatione abſtraxit.

Spiritus Tartari eximiæ utilitatis cenſetur in pellendo à centro ad circumferentiam, atque in humoribus acribus & mordacibus qui ſcabiem, eryſipelas, aliaque vitia cutanea inducere cenſueverunt, per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem expellendis; Nec infelici ſucceſſu exhibetur provocandorum gratia ſudorum in Rheumatiſmis, Faucium affectibus, Pleuritide, ut & in lue Venerea: Inſignium eſt virium in omnibus Iecoris obſtructionibus, Lienis, cunctorumque viſcerum, ac in ſpecie Cachexia, Hydrope, Ictero, imo & Menſium ſuppreſſione. Doſis eſt à ſcrupulo uno ad drachmam unam imo & duas ex liquoribus idoneis: Commiſcetur & aliis ſpiritibus, ac præſertim æquis par-

partibus Spiritus Theriacalis Camphorati & Spiritus Vitrioli, cui compoſito Miſturæ ſimplicis nomen inditum eſt, familiariſſimi in regionibus Septentrionalibus uſus.

Ad eoſdem affectus uſurpare licet Oleum rectificatum, præbendo à guttis duabus ad octo aut decem, exceptis ſaccharo puriſſimo in pollinem redacto, ac liquoribus convenientibus diſſolvendo. Quin & remiſcetur Oleo nucis moſchatæ expreſſo, ad concinnandum Balſamum naribus admovendum, tum in affectibus hyſtericis, tum cerebri, & adverſus aëris inquinamenta.

Maſſa nigricans, in Retorta poſt diſtillationem reſidua, Capitis mortui nomine non donanda, quandoquidem Terræ, quæ quintum eſt Principium, commixta eſt Salis pars maxima, quam Acidi portio fixam reddiderat illi ſe aduniendo; Minime eſt abjicienda, ſed à terra ſecernendum elixiviatione, filtratione & colatione, uſum quippe prębet tum in corrodendis & diſſolvendis variis mixtis, tum diſſolutis vi Acidorum pręcipitandis, uti & ad alia nonnulla, ſicuti id in ſerie manifeſtum futurum eſt.

CAPUT XXXVI.

De Aceti Diſtillatione.

HOc loco non ſuſcipio agendum de Diſtillatione plurimorum liquorum aciditate fermentationis naturalis aut artificialis adeptorum, quibus varii authores improprie Aceti vocem indiderunt, ſed in ſpecie illam quæ legitimi eſt Aceti attingo, aut, ut verius dicam, Vini in Acetum degenerantis per illius partium alterationem, ac acidi ſupra cæteras dominium.

Prætermiſſa ergo illorum ſententia, qui nec ratione nec experientia fulti, cenſuerunt Vinum acorem ſolummodo contrahere à totali deſtructione, aut diſſipatione partium volatilium & inflammabilium illi inexiſtentium, Prętermiſſis quoque à me allatis capite decimo ſecundæ partis hujus Pharmacopoeæ, tam quoad rem præſentem, quam tranſmutationem muſti in vinum: Omiſſa quoque dilucidatione inſignium alterationum utrique accidentium, ac præſertim poſtremo huic, alias non intacta; Id ſolum dixero, cum Acetum ex plurimo phlegmate conſtet, pauco Sale Volatili extricato, ſed multo fixo, plurimoque acido, cunctis adunitis, & quibuſdam terreſtribus portionibus commiſtis, Chymiæ non deeſſe media partibus illis ſecernendis idonea, cunctas ſigillatim oculis exponenti.

In illa tranſmutatione quæ ſincero vino accidit quando ſponte in acetum tranſit, cum pars illius acida ſibi coaptaverit & fixam reddiderit Salinam volatilem vini, phlegmate autem ſit gravior, in diſtillatione illud præcedere permittit, dummodo moderatiſſimus calor adhibitus fuerit: contra in vini diſtillatione, pars Salina volatilis & inflammabilis prior ſurſum evehitur, phlegma autem poſterius: Verum id eſſe facile deprehenditur in legitimo Aceto non factitio, nominatim eo quod in Gallia Narbonenſi & Provincia paratur, quibus in locis, quia vilis ſunt pretii vina, unicuique ſemper Aceti tantum in doliorum fundo ſuppetit, quantum ad uſum peculiarem, quinimo & amicorum exigit res familiaris: quamobrem illis in locis nulli Aceti propolæ illud ſicuti Pariſiis adulterant, ac locis ubi vinorum inſignis non adeſt copia: In illis inquam Provinciis, igne admodum moderato diſtillando initio phlegma quidem ſat inſipidum prodit, etſi nonnihil ſpiritui commixtum: Lutetiæ autem vix ac ne vix diſtillationis ope ullo modo phlegma aceti revera diſtinctum obtinere datur, ob adulterationes aceto inductas: Quo fit ut ſatius ſit, & expeditius, nullo facto diſcrimine, excipere quicquid in diſtillatione aſcendit, quam operam ludere in dephlegmando aceto; animadvertendo ſolummodo ne ſub finem comburatur reſidentia, ac Spiritus diſtillatus empyreumatis odorem contrahat.

Res ſucceſſu non carebit, ſi Cucurbitæ argillaceæ quæ ignis vi par ſit, immittatur optimum acetum, adeo ut tertia pars vacua ſit; admoveatur alembicus luto modice obductus, imponaturque fornaci adpropriatæ, accenſo igne modico, & admoto Recipiente roſtro alembici, ſuſcipiatur diſtillatio, quæ producatur quouſque duæ circiter aceti partes exſtillarint: Demum novo affuſo aceto, prius excalefacto, in vicem prioris diſtillati, continuturque diſtillatio, adſervatur in grandi lagena ſpiritus omnis qui exſtillavit; Immittendum iterum aliud acetum calens in cucurbita, atque in diſtillatione pergendum igne moderato, quouſque Spiritus ſufficiens prodierit quantitas; Reſidentia autem augmentum ſuſcipiente, ac craſſeſcente, vaſa mutentur, ac reſidentia in Retortam infundatur, ad eliciendum juxta artem ultimum Spiritum, quem ſubſequuturum eſt Oleum nigrum & fœtidum, ſuperſtite in fundo reſidentia ſicca, in qua continetur Sal fixum & pars terreſtris Aceti.

Prioris Spiritus non mediocris copia parari ſolet & adſervari, ob inſignes uſus in diſſolutione Vnionum Coralliorum, Oculorum Cancrorum, Calcis plumbi, ac plurium ejuſmodi ſubſtantiarum; ut miſſos faciam uſus internos & externos in plurimis morbis ac nonnullis compoſitionibus.

Spiritus

Spiritus ultimus ab Oleo fœtido liberatur ope cuculli chartacei, ex charta emporetica madida, ſicuti de Oleo Tartari ſuperius dixi, uſurpaturque ad quorundam metallorum diſſolutionem, aut rerum metallicarum, quæ prius Acetum pervadere non valet: Nonnulli Aceti Radicati nomen indidere: Non inutile forte eſſet Oleum adverſus vapores hyſtericos ratione ſummi fœtoris, ſed præſertim commendatur ad ulcera mundificanda.

Aceti magma in crucibulo calcinatur, ex quo demum Sal diſſolutione facta ſegregandum, filtratione & coagulatione, quod & in cryſtallos deduci poteſt. Nonnulli citra majorem adparatum Sal illud diſſolvunt in priore aut poſteriore aceti ſpiritu, ut illi aculeus major imprimatur; Sed intimior conjunctio expectanda eſt ſi Salis hujus unciæ quatuor Retortæ vitreæ immiſſæ fuerint, atque ſuperaffuſa alterutrius Spiritus libra una, collocataque Retorta ſupra Furnum Reverberij clauſum, ſuſcipiatur diſtillatio igne per gradus adhibito, illam reiterando cohobatione Spiritus diſtillati ſupra Sal in Retorta reſiduum, pergendo uſq; dum Spiritus omne Sal per reiteratas diſtillationes abſtraxerit: Huic Spiritui Alkaliſati nomen imponitur, aut Radicati, potiori proculdubio ratione quam poſteriori aceti ſpiritui, puritatem enim majorem cum obtineat, atque proprio Sali intimius conjunctum ſit, ad metalla diſſolvenda multo efficacius eſt.

Paratur & Spiritus Aceti ex æquis partibus optimi mellis & aceti generoſi, hæc ſimul per quindecim dies in Cucurbita vitrea capaci & excelſa, alembico ſuo munita digeſtioni exponendo, ſupra Piſtoris furnum, demum arenæ Balneo diſtillando igne admodum moderato: Educitur Spiritus, ſemel aut bis, ſi lubet rectificandus, ut tenuitatem & penetrandi vim majorem adſequatur; admodum idoneus diſſolutioni margaritarum, corallorum ac ſimilium gemmarum.

Eadem ratione poteſt diſtillatione elici ſpiritus acidus ex vino Hiſpano, ſicuti & ex Ceteviſia, Pomaceo, vino Apite, & ſimilibus ſuccis fermentatione acorem adeptis.

CAPUT XXXVII.

De Diſtillatione Sacchari.

SAccharum diverſimode diſtillatur, nonnulli enim immiſſum capaci & excelſæ Cucurbitæ vitreæ, capitello inſtructæ, Balneo arenæ immerſæ, diſtillant igne per gradus adhibito, initio leniſſimo, ſub finem paulo intenſiore, ex quo extrahunt aquam ſpirituoſam acidam, cujus

comes eſt ſub finem Oleum, ipſi ſupernatans, quod ſeorſim reponunt, rectificando & ſeparando Balneo vaporoſo partem aqueam à ſpirituoſa.

Alii Saccharum pulueratum prius æquis portionibus vitri aut ſilicum contritorum admiſcent, cuncta ingenti Retortæ vitreæ luto obductæ immittunt, ac diſtillationem perficiunt igne per gradus adhibito, ſub finem intenſiſſimo, atque ſpiritum eliciunt, cum oleo, plurimo admixto phlegmate, quæ quinquies aut ſexies rectificant ſubſidentiæ calcinatæ affuſa, repetita qualibet vice ejuſdem ſubſidentiæ calcinatione, demendi cauſa oleo & ſpiritui empyreumatis nidoris.

Alia vero Sacchari diſtillatio magis curioſa & utilior inſtitui poteſt, cujus beneficio totum in ſpiritum inflammabilem tranſire poteſt; hæc eſto proceſſus ratio.

Accipiatur Sacchari Farinacei libra una, vel Sacchari ad puritatem non deducti, cum uncia una fermenti cereviſiæ; hęc in doliolum conjecta, aut vas aliud quodpiam ligneum, ſuperfundantur aquæ ferventis libræ octo, demum hæc rite commixta, obturato negligenter vaſe, eo modo ſinantur per viginti quatuor horas; qua temporis intercapedine contenta ebullire incipient, nec diu poteſt adeo inſignis ſuccedet æſtus, ut vaſi crepaturæ immineret metus ſi exactius occluderetur, ac contentis ſufficiens deeſſet ſpatium ad citam & vehementem fermentationem ſuſcipiendam; Id quod nemini mirum eſſe debet, cum Saccharum non exigua fermenti copia præditum ſit, adeo ut id ipſum ſufficere queat pluribus aliis ſubſtantiis; particulis ejus præterea non modice à fermento cereviſiæ ſuperaddito excitatis, & affuſa fervente aqua, unde violentior motus illi conciliatur quam plurimis aliis ſubſtantiis, deſtitutis, aut minori multo fermenti nativi copia præditis, ad promovendam & accelerandam ſui fermentationem.

Tum temporis totus liquor fermentatione ſubactus in capacem cucurbitam vitream infundendus, qua ſuo alembico, exactiſſime loricato cooperta, ſicuti & Recipiente, ſuſcipienda erit diſtillatio Balneo Mariæ, Cinerum aut Arenæ, igne moderatiſſimo, unde proditurus eſt Spiritus inflammabilis, quem ſubſequetur phlegma, rectificationum beneficio ſeparandum: Poſtmodum, immiſſa priori vaſi reſidentia, affuſoque illi phlegmate, leviter cuncta cooperienda & obturanda; quæ toto bimeſtri in cella vinaria macerata, iterato in priore cucurbita diſtillanda erunt, ſuo capitello probe luto obducto munita, elicieturque iterum ſpiritus inflammabilis, ſicuti prior rectificandus: qui ſpiritus rectificati, & ſimul commiſſi, deprehendentur æquales eſſe cum Saccharo diſtillationi expoſito ponderis: Vnde conſpicuum futurum

turum eſt ipſum univerſum in ſpiritum volatilem & inflammabilem commigraſſe.

Sacchari ſpiritus inflammabilis viribus multum accedit ad Spiritum vini uſitatum, excalefacit enim, incidit, reſolvit ac æque exſiccat, Maxime vero ad affectus pectoris conducit: Id illi quoque inſitum ut arctiſſime oleis aromatum ſtillatitiis, aquis ſupernatare ſolitis, conjungatur illiſque ſe aduniat, idoneaque illa reddat quibuſcunque liquoribus intime admittendis.

CAPUT XXXVIII.

De Diſtillatione Mannæ.

Mentem meam ſatis abunde explicaſſe circa Mannæ naturam exiſtimo, ac errore illos liberaſſe qui hactenus inter Roris ſpecies & eam repoſerunt; quæcunque enim nobis obvia eſt, aliud nihil eſt quam ſuccus condenſatus ex duplici Fraxinli ſpecie, ſtillans in Calabria naſcentis, vi caloris Solis concreſcens, ſicuti plurimi alii ſucci aut lacrymæ in nonnullis aliis arborum ſpeciebus, ubivis gentium obviis: Ea propter etiam Mannæ diſtillationem aliorum vegetabilium partium diſtillationi accenſeo; atque ſaccharum ſubſequi jubeo, eo quod illius partes multam inter ſe adfinitatem obtinent, ac in ſe non minus, imo plus fermenti quam ſaccharum.

Mannæ diſtillandæ quidvis adjicere omnino ſupervacuum eſt, ſatis eſt illam cujuſmodi ad nos tranſmittitur Cucurbitæ vitreæ immiſiſſe, dummodo hujus tertia, aut ſaltem quarta pars vacet, qua alembico proprio, optime loricato inſtructa, adcommodatoque ejus reſtro Recipiente itidem luto obducto, ſuſcipienda eſt diſtillatio Balneo Arenæ moderatiſſimo, hinc prodibit aqua fere inſipida, ſeorſum reponenda; Demum mutato illius Recipiente, intendendo per gradus ignem, atque illum producendo donec nihil amplius exſtillet, Recipiens excepturum eſt Spiritum acidum, qui rectificandus eſt quo empyreumatis odor abſcedat, quem in priore aqua adipiſcitur, atque efficaciam majorem conſequatur ad provocandos ſudores, qui præcipuus eſt illius effectus.

Venit & in uſum ad ſulphuris diſſolutionem, atque ad eliciendam ex hoc Tincturam, affectibus Pectoris admodum idoneam: Aqua, Spiritus acceſſione vim nacta, exhiberi poteſt à drachma una ad ſemunciam, ex aqua ulmariæ vel cardus benedicti, vel quopiam liquore.

convenienti ac Tinctura Sulphuris à mememorata, à quatuor ad decem aut duodecim guttas cum pectorali aliquo liquore.

Commodiſſime etiam diſtillari poteſt Manna ex Retorta Balneo arenę, igne initio leniſſimo, demum paulatim adaucto, & producto quouſque nihil amplius ex Retorta prodeat; cohobando poſtmodum pluribus vicibus, affuſo reſidentiæ liquore diſtillato, ac toties diſtillationi exponendo: quo pacto Aqua ſpirituoſa proditura eſt, quicquid utile complectitur Manna obtinens, non ſolum hidroitica vi eximia prædita, ſed & ſpecifica adverſus febres omnes per proxyſmos recurrentes, illam eadem dozi initio acceſſionum exhibendo, atque ex iiſdem liquoribus uti de præcedenti dictum.

Spiritus quoque φλογίςος ex Manna extra hi poteſt uſurpando cereviſiæ ferventum, Aquam ferventem, eaſdemque Digeſtiones & Diſtillationes adhibendo ac ad comparandum Sacchari ſpiritum inflammabilem.

CAPVT XXXIX.

De Diſtillatione Cinnamomi.

Cinnamomi ingens pretium, & difficultas in optimo comparando occurrens, in cauſa ſunt cur in Gallia raro in diſtillationem veniat, ac plurimis ſatis ſit Aquam ſpirituoſam ex illo elicere, Sale Oleoſo volatili prægnantem, eo quod crebro in uſum veniat, imo crebrius, quam Oleum, quod plurimi ex Batavorum regione arceſſere malunt quam diſtillationis laborem ſubire: Inſerturus tamen hic ſum methodum & Aquam & Oleum ex arte diſtillandi, ab Aqua ducto initio,

Accipiatur libra una optimi Cinnamomi, cui leviter contuſo, atque indito parvæ Veſicæ cupreæ, interius probe ſtanno obductæ, affundantur vini albi optimi libræ tres, aquæ Meliſſæ ſtillatitiæ tantundem, Demum hac ptoprio Refrigeratorio itidem ſtanno obducto, ac probe loricato cooperta, illique admoto, ac luto optime incruſtato exiguo Recipiente, prævia duodecim horarum macerationem fornaci idoneæ imponenda erit, ac repleto Refrigeratorio, inchoanda erit Diſtillatio igne carbonum immediato, non nimis remiſſo, ad ſegregandam partem Spirituoſam, Oleagineam & Salinam volatilem Cinnamomi, illiuſque aſcenſum promovendum, pergendo quouſque aqua fere inſipida exſtillet, primæ tamen ſecretione facta, ac ſecundæ aquæ Diſtillantis, ſicuti & tertiæ ſubſequuturæ, ut pote quæ per gradus præſtantiam adepturæ ſunt.

Interea

Interea curæ ſit per vices aquam Refrigeratorii detrahere frigida ſubſtituta, ſtatim ac illa calorem concipere inceperit, quo vapores educti in liquorem citius ſolvantur; E re quoque eſt Refrigeratorium non nimis ſublime collocare, quo partis Oleagineæ Cinnamomi aſcenſus facilior fit, qui nonniſi difficilis eſſe poteſt, uti & plerorumque aliorum aromatum; Aqua ultimo prolecta uſurpanda, ſi vis, ad diſtillationem alius Cinnamomi, in vicem aquæ meliſſæ qua hic uſus ſum; priorem & poſteriorem aquam ſpirituoſas ſeorſum aut commixtas adſervando.

Aqua Spirituoſa Cinnamomi admodum conducit recreandis ac citiſſime reficiendis principibus omnibus partibus, cordi præſertim: quapropter utiliſſime exhibetur adverſus ſyncopas & leipothymias: Ventriculi calorem naturalem excitat & fovet, concoctionem promovet, vomitus & nauſeas ſiſtit, flatus diſcutit, ac colicos dolores ab his excitatos ſedat: Plurimum quoque in uſum accerſitur ad facilem partum reddendum, parturientium vires promovendas ac tormina ſedanda, Vtilis præterea eſt provocandis menſibus ſuppreſſis, diſcutiendiſque vaporibus ex utero excitatis.

Sola exhibetur à quarta cochlearis parte ad integram ſi neceſſitas urgeat: Sed ſatius eſt minori dozi uſurpare, ubi præſertim repetitus eſſe debeat uſus.

Vt Olei diſtillatio ex voto ſuccedat, accipienda eſt libra una Cinnamomi electi, quod craſſe contritum, ac inditum parvæ Veſicæ cupreæ, interius ſtanno probe obductæ, humectandum aſperſione pauci vini albi, affuſiſque libris ſex aquæ fontanæ; demum impoſito Veſicæ Refrigeratorio, luto optime munito, cunctiſque à mane ad veſperam maceratis, perficienda erit diſtillatio, in omnibus ſe gerendo ſicuti ad diſtillationem Aquę Cinnamomi, hoc uno excepto quod diſtinctio nulla facienda aquæ diſtillandæ, cum ſatis ſit ut ignis removeatur ubi fere ſaporis expers effluere incipit: quo tempore concedendum ut refrigeretur & quieſcat aqua diſtillata, ſeparatione facta pauci quod ad fundum ſeceſſerit Olei, recondenda in exigua ampulla vitrea denſa, accuratiſſime obturanda: Demum colatura & expreſſione facta ejus quod in Veſica ſubſide, hoc remoto immittetur libra una optimi cinnamomi craſſe contriti, deſuper affundendo non ſolum aquam diſtillatione prolectam, ab Oleo ſecretam, ſed etiam liquorem ex magmate expreſſum; Impoſitoque veſicæ refrigeratorio, réque omnino geſta ſicuti in priore diſtillatione, in aquę fundo paulo major Olei copia conſpicua erit quam prima vice, itidem ſecernendi & recondendi; Reſidentię expreſſio iterari poterit, in veſicam novam Cinnamomum im-

mitti, ac inſuper aqua diſtillata affundi, cum liquore per expreſſionem elicito, iterando macerationem & diſtillationem, quoad cætera ut prius ſe gerendo; imo eaſdem & operationes multoties ſucceſſive reiterare licebit, unde qualibet vice major Olei copia proditura eſt, quia quum aqua Oleo jam prægnans facta eſt, facilius ad fundum ſecedere permittit id quod ſecum in diſtillatione abſtrahit.

Aqua hæc diſtillata in uſum venire poteſt pro Aqua cinnamomi vulgari: Sed ſi eandem in lagena vitrea accurate obturata recondas, poſtmodum Soli per aliquot dies exponas, æſtate videlicet, vel ſupra Piſtoris furnum colloces alia tempeſtate, in fundo etiamnum quidpiam Olei ſe exhibiturum eſt, illuc ſecedentis.

Nonnulli præcipiunt, ad diſtillationem hanc promovendam, Cinnamomo Nitri unciam unam vel alteram conjungi, Salis Tartari, aut Tartari crudi; rati, ob Salia, hoc aroma pervadentia, majorem Olei copiam ex partibus terreſtribus eductum iri: Sed, ſicuti ſuperius monui, quandoquidem Salia Oleis conjungi & aduniri amant, contingit ut portionem potius quampiam abſorbeant quèm quantitatem augeant.

Vires Olei Cinnamomi & Aquæ Spirituoſæ parum abſimiles ſunt; at in minori quantitate illud vires ſuas exſerit, eo quod ſubſtantiam multo puriorem obtinet, ſubtiliorem & compactiorem, Neque enim una dozi guttam unam vel duas tranſgredi licet. Sed & Aqua magis idoneum eſt ſi conficiendæ Opiatæ, Tabellæ, Pilulæ, aliaque remedia ſolidiora: Vtile preſertim ad parandos Balſamos odoratos, pera geſtandos, etſi liquoribus commiſceri quoque queat, ſed excepta prius pauco Saccharo puriſſimo in pulverem contrito, vel ſi diſſolutum fuerit in tantillo Spiritu φλογιςῶ ejuſdem Sacchari.

CAPVT XL.

De Diſtillatione Caryophyllorum.

CAryophilli aromatici ſubſtantia non adeo ſicca ac Cinnamomum donati ſunt, Atque adeo plus Olei obtinent, ſicuti id manifeſtum quando conteruntur, ſed præſertim in illorum diſtillatione; Circa quam non diſſimili forte ratione ac in Cinnamomo videretur procedendum; Sed ut ſucceſſus melius ſcopo reſpondeat, putrefactionis quædam ſpecies præ ire debet ut Caryophyllorum partes intimæ facilius reſolvantur,

ſolvantur; ac Salina volatilis & oleaginea ſine negotio à terreſtri abſedere queant.

Non ideo tamen in diſtillatione Cinnamomi eadem via procedendum, cujus parter ſubtiles cum multo minori adſint copia, & in auras faceſſere paratiores ſint, diuturniorem macerationem tolerare nequeunt quin copię multum decedat, atque alteratio inſignis propriæ illorum ſubſtantiæ inducatur.

Adſumatur, exempli gratia, Caryophyllorum libra una, quibus groſſo modo contritis, & Cucurbitæ vitreæ immiſſis, ſuperaffunde aquæ Fontanæ tepentis libras quatuor, Cucurbitam cooperiendo ſuperimpoſito Alembico cœco, optime loricato; Qua, poſt moram duodecim aut quindecim dierum ſupra furnum Piſtoris, cum Alembico decruſtata, materiæ contentæ in exiguam Veſicam cupream immittendæ, interius optime ſtanno obductam: Refrigeratorio proprio cooperiendam: qua poſtmodum fornaci idoneæ impoſita, accuratéque luto munitis commiſſuris, ſicuti & Recipientis illi adcommodati, perficienda erit diſtillatio igne carbonum patente ſat intenſo, aqua Refrigeratorii prout opus immutata, contiuando quouſque exſtillarint partes duæ liquoris Caryophyllis affuſi: Dehinc, cum vaſa ex dimidio refrixerint, per decantationem aqua ſpirituoſa ſupernatans Oleo in Recipiente ſegreganda erit: Quo Oleo in ampulla, accurate obſtruenda, recondito, Veſica decruſtata, atque iterum affuſa ſupra reſidentiam tota aqua ſtillatitia, rurſus imponendum erit, ac luto obducendum, ſupra veſicam Refrigeratorium, reiterando diſtillationem, eademque ac ante via procedendo: Quo pacto nonnihil quoque Olei accedet quod prior diſtillatio abſtrahere non valuit, priori, ſi ita viſum fuerit, adjungendum ſeorſum aquam diſtillatam ad uſus idoneos adſervando.

Sed & poteſt prægreſſa per duodecim aut quindecim dies in aqua tepida Caryophyllorum pulveris maceratione, inſtitui diſtillatio ex capaci Retorta vitrea, in Balneo Arenæ ſepulta, igne moderato; Eademque adhibita Olei ſeparatione, & Aquæ ſupra ſubſidentiam cohobatione, iterata ſuſcipi diſtillatio, ut nihil omnino diſpereat partis volatilis, Oleoſæ & Salinæ in Caryophyllis contentæ.

Nonnulli, nullo liquore Caryophyllis inſtillato, his craſſiore modo contuſis, ac Retortæ vitreæ inditis, diſtillationi illos ſubjiciunt, Balneo arenæ, igne per gradus adhibito, eliciuntque Aquam ſpirituoſam, & Oleum volatile Salinum: Empyreuma autem oleo inuſtum in hujuſmodi diſtillatione ſuperſtes methodum hanc repudiare jubet.

Licet tamen commodiſſime per Deſcenſum Garyophyllorum diſtillationem moliri,nullo adjecto liquore, ſi videlicet linteum tenue,debitæmagnitudini,extenſum fuerit & expanſum,circumcircaq; ad alligatum, ſupra capax infundibulum vitreum, idoneæ lagenæ impoſitum, linteo autem ſuperſtrata ſemuncia circiter pulveris Caryophyllorum, demum repleto cineribus fundo lancis argenteæ, aut ex ferro albo factæ, infundibuli orificio proportione reſpondentis, impoſitiſque ſupra cineres prunis minutis, preſſe admoveatur fundum lancis ſupra Caryophyllorum pulverem, ex temporum enim intervallis prunas minutas cineribus imponendo, Oleum & Aqua ſpirituoſa Caryophyllorum paulatim in ſubditam pateram ſtillatura ſunt; pulvere exſiccato & inſipido ſupra linteum ſuperſtite : quo ſublato, alioque Caryophyllorum pulvere ſubſtituto, eadem qua ſuperius via procedendum erit; Continuare poteris hanc operationem plura una vice adhibendo vaſa, quouſque deſideratam Olei quantitatem obtinueris, hocque pacto proditurum eſt Oleum album, fragrantiſſimum, elegantia & præſtantia nulli cedens, nec minori copia quam ſi alia via quæſitum eſſet.

Idem ſucceſſus ab hac operatione in Cinnamomo non expectandus, cujus partes ſubtiles & volatiles in auras ſecederent, nec deorſum ferrentur, ad fundum vaſis ſecedente una vel altera aquæ inſipidæ gutta.

Oleum Caryophillorum in multa eſt commendatione ad Cor & Cerebrum roborandum parteſque, omnes principes Felici ſucceſſu adſumitur in morbis frigidis ventriculi & inteſtinorum, uteri, ſicuti & ad calcar addendum lentius progredienti ſanguinis circulationi, Scorbuticis etiam opem fert.

Exhibetur à gutta una ad duas vel tres, Saccharo puriſſimo pulveriſato exceptas, ac liquore quopiam idoneo dilutas: Adjungitur etiam Bolis, Pilulis, Opiatis, Tabellis plutibuſque aliis remediis. Vſurpatur etiam in Balſamis odoratis, ad ventriculum inungendum, exceptum Oleo Nuciſtæ per expreſſionem elicito: Commodiſſime & inditur Dentibus carie exeſis ex goſſipio, ad doloris ſedationem.

Aqua Caryophyllorum ſpirituoſa in eoſdem prope uſus venire poteſt, doſi propemodum eadem qua aqua Cinnamomi ſpirituoſa.

Nux moſchata, Macis diſtillari poſſunt parva Veſica cuprea interius ſtanno obducta,impoſito illi Refrigeratorio, eandem obſervando methodum quam ad priorem olei Caryophyllorum diſtillationem innui: Sed exigua quæ prodit quantitas pretio illorum aromatum impar eſt: adde quod via perquam facilis eſt, ac compendioſa, emolumentumque magis accedit Olea hæc per expreſſionem ſi extraxeris quam ſi aliam viam tenueris: Neque refert præparationem huc inferre,quandoquidem à me fuit tradita ubi de Oleis expreſſis inter præparationes Galenicas.

CAPVT XLI.

De Diſtillatione Camphoræ.

AVthores qui de Camphorę diſtillatione aliquid ſcripto conſignarunt operam, ut exiſtimo luſeruns, ſpe enim freti ſe quidpiam perfectius quam quod Natura exhibuit reperturos ac præparaturos, poſtquam irritum traxerunt laborem, ipſi decepti alios in errorem pertrahere voluerunt, ac publici iuris facere Diſtillationes experientiæ diſſentaneas. Ex mea enim ſententia ſatius fuiſſet diſtillationem non adgredi Camphorę; quandoquidem conditionibus, qua ad nos adfertur, prædita, puritate, ſubtilitate, volatilitate ac penetrandi vi ſuperat quicquid diſtillationis ope educitur, quæcunq; demum cura acceſſerit, quodvis ſtudium, induſtria, commixtio à te adhibita ſint, aut quo volueris vaſorum genere uſus fueris: Illius diaphaneitas; candor nivi æquiparandus, ſapor acer & mordax, odor intenſe penetrabilis, illius volatilitas, cita diſſipatio, inſignis ad flammam, imo ipſis in aquis, concipiendam propenſio, omnimoda illius abſumptio, nullis fæcum veſtigiis in vaſis, in quibus accenſa fuit relictis, ſummam illius puritatem ac parti non tenuitatem arguunt: hinc ut aſſerere liceat quicquid Chymia præſtantius excogitare ſatageret illius puritate, atque perfectione à Natura indita inferius futurum, ac nullam partem craſſam ejus ope ab illa ſecretum iri, imo omnino ſatius eſſe ut in conſtitutione nativa permaneat, ac nulla præparatio adhibeatur quam ut vis illi inferatur, aut probæ qualitates immutentur.

Si enim ad juſtum examen diſtillationes ab antiquis propoſitæ, revocatæ fuerint, id conſpicuum fiet præter neceſſario contingentem maximæ partis Camphoræ diſſipationem, ſuſcepta illius diſtillatione, tam ratione rei ipſius quam vaſorum, imo ignis, quem ipſi adhibendum cenſent, id quod diſtillando prolectum fuerit, imo ſi vis rectificatum, omnino probitate inferius futurnm ipſa Camphora antequam diſtillationi exponeretur: Eapropter nullam deſcriptionem adducere æquum mihi viſum eſt, cum ſatis ſit dixiſſe ſi quis ſibi comparare voluerit Oleum Camphorę, vel ejuſdem liquorem oleaginoſum, nihil præterea requiri quam ut in Oleo amygdalarum dulcium diſſolvatur, vel in ſpiritu vini, vel etiam terebinthinæ: id quod perfici poterit in Matratio accuratiſſime occluſo in Mariæ Balneo poſito, aut cinerum, igne moderato: Sola tamen Camphora, citra pręparationem ullam, majori efficacia effectum editura eſt quam omnes illi liquores.

Aquam fortem nonnulli in uſum ducunt, vel ſpiritum Nitri, Camphoram deducturi in ſubſtantiam Oleagineam illis Spiritibus ſupernatantem: At vero hujuſmodi præparatio parvifacienda eſt, nam præter acrimoniá à Spiritibus corroſivis Camphoræ inductam, illam diſſolventibus, non minimus ſui particulas illi inſinuant, quarum vehementia metuenda eſt;ſi præſertim Spiritus hic ad uſus internos veniro debeat.

Camphora admodum commendatur in epidemicis & contagioſis aëris infectionibus, tam ad hujus inquinamenta profliganda, quam inhibendam humorum putredinem: ſæpiſſime etiam adhibetur adverſus Hyſtericos vapores, tem ore adſumpta quam naribus admota, aut in Enematis diſſoluta: Priſci, frigidam rati, ad Veneris ludibria coërcenda præſcripſerunt, unde natus verſiculus qui in adagium abiit.

Camphora per nares caſtrat odore mares,

At cum Experientia & Ratione ducibus calida ſit, quicunque effectus ab illa prodeunt tenuirati partium adſcribendi ſunt, atque eximiæ vi penetrabili.

Exhibetur à grano uno ad tria vel quatuor, prius contrita, ac propemodum diſſoluta in tantillo Spiritu vini, vel oleo amygdalarum dulcium, demum liquore idoneo diluta: Commiſcetur etiam Clyteribus uterinis, à tribus vel quatuor granis ad decem vel duodecim. Aliquando granum unum vel alterum denti carite affacto inditur, aut diſſoluta in Spiritu vini; Imo & Gargariſmi forma ad dentium dolores uſurpatur.

CAPVT XLII.

De Diſtillatione Terebinthinæ.

NOn ſuſcipio hoc loco ſingularem modorum omnium varias Reſinæ differentias diſtillandi deſcriptionem, quandoquidem Terebinthinæ diſtillatio, quæ Reſinæ liquidæ ſpecies eſt, cuivis quadrare poteſt: Accipiantur illius, exempli gratia, libræ duæ vel tres, capaci Retortæ Vitreæ, in Balneo Arenæ collocatæ indantur, illique coaptato Recipiente, optime luto incruſtato, inchoetur diſtillatio igne moderato, atque illico prodit urus eſt ſpiritus acidus, aquæ commiſtus & Oleo æthereo volatili, inflammabili admodum, pellucido: ſeorſum adſervando: Deinde eundem ignis gradum continuando, elicietur Oleum ad candorem vergens, cui ſuccedet Citrinum, ac poſtmodum aliud ommnino flavum, tandem ultimum Rubrum.

Licebit, ſi lubeat, cuncta dicta Olea ſeponere, ac variis ampullis, accurate obturandis, recondere; Sed ſi vice Recipientis adſumpta fuerit

fuerit lagena oblonga, ad finem uſque diſtillationis linquenda, in illa conſpicua erit Oleorum diverſitas ſibi invicem incumbentium & ſuper-natantium, inter quæ Rubrum infimum obtinebit locum, eminebit illa flavum, huic ciatrinum, citrino album, albo tandem æthereum, dummodo debitum adfuerit Ignis regimen.

Iiſdem propamodum viribus pollent hæc Olea, ſed efficacia major aut minor eſt pro altitudinis gradu quem in Recipiente obſervant, ac tinctura diverſitate: Infimus ordo quem coloratiores obtinent in diſtillatione, ſignum præbet evidentiſſimum gravitatis illorum ſub-ſtantiæ, ac quam parum ideo acccedant ad efficaciam & penetrabi-litatem eorum quæ ſummum locum occupant.

In Retortæ fundo conſpicua erit Terebinthinæ pars craſſiſſima, Au-thoribus Colophoniæ voce veniens, ex qua iterum prolici poſſet Spiri-tus Acidus, intenſiori reddito igne, ac tandem Oleum obſcurius: Sed ſatius eſt abſtinere, adſervando Colophoniam in confectionem unguen-torum, emplaſtrorum vel aliorum externorum remediorum.

Nonnulli præcipiunt in diſtillatione Terebenthinæ admiſcere a-quam, alii ſtupa cooperiri ad tumorem deprimendum, ac prohiben-dum ne in Recipiens per Retortæ roſtrum illabatur: Sed ejuſmodi cau-tiones inutiles ſunt dummodo debitum ſemper adfuerit ignis regimen, præſertim inchoente diſtillatione.

Sal volatile Terebinthinæ, quod deliteſcit in parte, Acida Spiritus ætherei, ac in Oleis prius prodeuntibus, plurimum confert augmento efficaciæ illis adſignatæ, quarum præcipua eſt urinæ excretioni vaſa dicata reſerare, Eorumdem ardorem temperare, Calculi generatio-nem prohibere, ac Gonorroeam ſiſtere.

Plurimum etiam conferre dicitur in Thoracis affectibus, imo & Ventriculis Hecoris & Lienis, ſicuti & ad reſolvendas contuſiones internas, caſus ab alto ſubſequi ſolitas, ac ſananda ulcera & vulnera interna.

Exhibentur à tribus aut quatuor ad decem aut duodecim guttas, ex liquore idoneo: Exterius feliciter in uſum venit ad Fiſtularum cu-rationem rimarum, ac ulcerum labiorum, mammarum & ani, ſicuti & ad omne vulneris genus, & in ſpecie nervorum, & purganda ac ſa-nanda ulcera tum vetuſta tum recentia, ecchymomata diſcutienda, do-lores ſedandos, Tumores reſolvendes: Valere & fertur adverſus Surdi-tatem, inſtillatis aliquot in Aurium cavitatem guttis.

CAPVT XLIII.

De Diſtillatione Maſtiches.

SVnt qui ad Maſtiches Diſtillationem partes æquas pulveris filicum cum tantillo ſale commiſceri jubent, ad eliciendum ex Retorta, igne per gradus adhibito, Liquorem album, Oleum Flavum ac randem Oleum rubrum; imo rectificari demum præcipiunt in exigua Retorta, ſeparandi gratia Olei fuſci, infundo à rectificatione ſuperſtitis.

Alij miſceri Maſtichen volunt cum Bolo pulveriſata, maſſam molliorem confici addito vini Spiritu, factaque per quindecim dies maceratione ex Retorta igne patente diſtillari, ſecretoque Oleo volatili alteri liquori ſupernatante, ac Oleo gravi ad fundum ſecedente, eadem rurſum rectificari affundendo recenti bolo & ſali.

Et quorundam quoque mente, immiſſa Retortæ Maſtiche pulverata, adeo ut tertia tantum illius pars repleatur, affuſa Spiritus Salis ea quantitate quæ ad rite humectandum ſufficiat, ex Retorta diſtillatio perficienda Balneo Arenæ, igne per gradus recte adhibito, unde primo nonnihil phlegmatis prodeat, poſtea Oleum elegans & pellucidum, Spiritui Salis diſtillatione prolecto commiſtum; Deinceps Oleum Fluvum, ac denique Rubrum: Seorſim quoque hos liquores adſervandos jubent, imo Rectificari.

Reperiuntur & alij qui hac utantur methodo, Extracta Tinctura Florum verbaſci albi & hyperici, ope Spiritus Terebinthinæ, affundunt hanc Maſtichi æquali pondere, ac digeſtionem quindecim dierum inſtituunt, eductoque igne Arenæ hoc Spiritu, imo cohobatione bis aut ter ſuper Maſtichen facta, mutatoque tandem Recipiente, extrahunt Oleum Flavum, ultimo vero Rubrum, imo poſtmodum calcinato magmate, Sal eliciunt prædictis Oleis miſcendum.

Cuivis electio optimæ diſtillationis rationis conceditur, imo & novas excogitare ſi licet: Me vero quod attinet, cenſeo ad rectam Maſtiches diſtillationem ſicuti in Terebinthina dictum procedendum eſſe, quia ſi debitum adfuerit ignis regimen, primo loco proditurus eſt humor aqueus, nonnihil acidus, cujus comites erunt quædam particulæ Salis volatilis, poſtmodum Oleum Flavum, quæ rectificatione nequaquam indigebunt; quo pacto, nullo negotio, nullaque inducta Maſtichis qualitate aliena ab adjectis rebus extraneis, conſequi licebit partes illius maxime eſſentiales, melius obſecundaturas votis quorum gratia Maſtiche in diſtillationem venit.

Oleum

Oleum Maſtiches diſtillatum plurimi cenſetur momenti in Ventriculi imbecillitate, hujuſque & inteſtinorum perverſo motu: in ſanatione & conſolidatione vulnerum & ulcerum, tam Pulmonis & Pectoris quam aliarum partium corporis interiorum, In obſtruendis orificiis venarum & arteriarum, ſiſtendaque quacunque Hæmorrhagia.

Exhibetur ex liquoribus idoneis à quatuor & quinque ad duodecim & quindecim guttas: Ad externos quoque uſus utile eſt;tam ventriculo & univerſo abdomini illitum, ad juvandum uſum remediorum interius adſumptorum, quam ad vulnera nervorum ac quarumvis aliarum partium adglutinanda; imo & Injectionibus commiſcetur ac Decoctis Traumaticis, ſi vulnera altius inflicta fuerint: Feliciſſime & Inunctiones illud admittunt ad membrorum vel fractorum vel luxatorum robur.

Reſina vulgaris, Pix nigra, Olibanum, Gummi Elemi, Sandaraca, Tacamahaca, Sarcocolla, Euphurbium, ac ejuſmodi, non ſecus ac Terebinthina & Maſtiche diſtillanda ſunt.

CAPUT XLIV.

De Diſtillatione Benzoini.

SUbſtantia reſinoſa Benzoini indicare videtur artifici diſtillandi rationem, quæ cum reliquis reſinis convenire videtur, at gratus illius odor, tenuitas & volatilitas principum illius partium, aliter omnino procedendum ſuadent; niſi enim accuratæ adſint cautelæ, deſtructio potius quam legitima præparatio metuenda: qui ergo aberrare noluerit ſequenti viæ inſiſtat.

Accipiatur Benzoini electi libra una, pulveriſetur & immittatur capaci Retortæ, ampliſſimi & longiſſimi colli; affandantur Spiritus Vini optimi libræ tres, optime hæc commovendo & una conjungendo;deinde coaptato, & luto obducto, exiguo Alembico cœco, collocetur Retorta ſupra Piſtoris furnum, adeo ut illius propoſis ſurſum vergat, res contentas per vices concutiendo, promovendæ cauſa Benzoini diſſolutionis in Vini Spiritu: Poſtmodum Retorta imponenda erit Balneo Arenæ; adcommodando illius roſtro, remoto Alembico cœco, Excipulum loricatum & veſtitum veſica madida, dehinc igne moderatiſſimo primo extrahendus erit Spiritus vini,ſubſequentibus & ſurſum ſe evehentibus Spiritibus Benzoini; qui ſtatim ac conſpicui erunt,adponendum erit Recipiens madoris omnino expers, priori detracto; illud leviter luto incruſtando ut per vices excepti flores eximi queant, ſicuti & qui collo Retortæ ad hæſuri ſunt; Flores hos recondendo in vaſe Ci-

treo accurate occludendo, & Recipiens ſedi priſtinæ reſtituendo ſtatim ac educti fuerint Flores,ut & qui retortæ roſtro adfixi fuerint: Perfectæ vero loricanda erit Retorta cum ex hac prodire animadverſus fuerit liquor craſſus, qui primum eſt Benzoini Oleum, eodem ignis gradu diſtillandum; quo ulterius producto exſtillabit liquor acidus, dein Oleum Flavum, pellucidum, & fragrans, à tandem Oleum craſſum & viſcidum.

Atquæ hæ ſunt ſubſtantiæ ex Benzoino diſtillatione eliciendæ, quas tamen ſimul & ſemel obtinere vix licet, ſat enim eſt utplurimum Flores aut Tincturam conſequi.

Quibus ſolos Flores indagare animus eſt, illi ſublimatione citra negotium haberi poſſunt, immittendo Benzoini pulveriſati uncias duas vel tres, vaſi argillaceo longiuſculo, Balneo Arenæ imponendo, cooperto longo cucullo chartaceo & denſo, cujus orificium proportione reſpondeat ollæ circumferentiæ: circumcirca enim filo craſſiori conſtricta parte cuculli infima, beneficio ignis moderati, infra Balneum arenæ accendendi, ſurſum ſe efferent, ac interiori cuculli ſuperficiei adhærebunt Flores Benzoini, leves, candidi, ac nivis in morem ſplendentes, cryſtallorum longiuſculorum & acutorum forma, quorum, odor gratus ac ſuavis futurus eſt, ac ſubſtantia ſubtilis & penetrans veri Salis volatilis ſulphurei Benzoini nomine donandus.

Neque ardua eſt pręparatio Tincturę Benzoini, quandoquidem hanc nanciſci licet in diſſolutione illius facte cum vini Spiritu ante Diſtillationem, quæ diſſolutio per decantationem lagenæ vitreæ immiſſa vera Benzoini Tinctura cenſenda & nominanda eſt.

Proculdubio Tinctura hæc in ſe complectitur cunctas Benzoini partes utiles, à ſpiritu vini diſſolutas: fęces autem in fundo relictę nihil aliud ſunt quam corpora à extranea Spiritu vini intacta neque diſſoluta: Illud quoque pro comperto habendum Spiritum vini, qui prior in diſtillatione Benzoini diſtillat, ſecum plurimas particulas Salis volatilis Benzoini abſtrahere, cum parte illius Sulphurea ſingulari adfinitate conlunctas, id quod ex odoris fragrantia deprehendere licet, atque inſignibus effectibus ab ipſo interius adſumpto expectandis, à drachma ſemis ad drachmas duas, ex aquis aut decoctis idoneis ſi ſudores exci-tandi fuerint; vel exterius admoto tanquam coſmetico, vice Tincturæ Benzoini, expurgat enim, detergit, ac penetrabilitate ſuperat.

Licet & in prędicto ſpiritu diſſolvere Flores & ſubſtantiam butyroſam Benzoini, quæ ad eorundem Florum naturam accedit, elicere Tincturam puriorem, ſubtiliorem, minorique multo copia quam ſimplex Benzoini Tinctura, aut Spiritus Vini inde deducendus, opus expectatum edituram.

Neque

Neque illud quoque dubium Flores Benzoini partem illius eſſe maxime eſſentialem, è qua præcipui effectus expectandi ſint, tum ad attenuandos vitioſos humores, ac per ambitum corporis expellendos eos qui illuc vergunt, quam ad incidendum, divellendum, ac per emiſſaria ſolita craſſiores & viſcidiores eliminandos, eos preſertim qui pectori inherent, Flores dictos exhibēdo à tribus aut quatuor granis, ad decem vel duodecim, ex liquoribus idoneis, vel commiſcendo Eclegmatis, aliiſve Medicamentis thoracicis: Commodiſſime etiam adjunguntur compoſitionibus odoratis, ad quas potiſſimum adhibendum OleumFlavum, quod partem acidam ſequi ſolet: Oleum craſſum & viſcidum ultimo prodiens quod attinet, in alios uſus venire non poteſt quam ad expurgationem aut conſolidationem vulnerum aut ulcerum, Neque diſquiſitione dignum eſſet, niſi ſponte, nullo fere ſumptu, ceteris ſubſtantiis ſuccederet.

Storax eadem qua Benzoinum ratione in diſtillationem venire poteſt.

CAPVT XLVI.

De Diſtillatione Myrrhæ.

MYrrha cum Gummi Reſinis ſit accenſenda in qua partes aqueæ oleagineas ſuperant, omnino diſtincto modo diſtillationi ſubjicienda; hæc ut ſuccedat, electæ, & ſat ſubtiliter contritæ iſtius Gummi Reſinæ, libra immittenda grandi Retortæ vitreæ, affundendo aquæ vitæ optimæ libras quatuor, illico ſimul commovendo, ac deinde, imo per vices, interim dum fit duodecim horarum maceratio, ut facilis ſit Myrrhæ in aqua vitæ diſſolutio, Poſtmodum demerſa Retorta Balneo arenæ, cui adcommodandus erit rite loricatus ſemiglobus vitreus, inchoanda, initio igne leni, diſtillatio eodem paulatim intenſiore reddito, preſertim ſub finem, quo faciliùs prodeat univerſa Myrrhæ pars oleaginea, ſeponendo Spiritum in diſtillatione prius eductum, ac loricando iterum ſemiglobum, ad excipiendum quicquid in poſterum proditū eſt.

Cuncta diſtillata cum fuerint, vaſa autem refrigetata, ac ſecretus humor ſuperfluus aquę vitæ ab ejuſdem parte oleaginea, atque poſtrema hæc commiſta æquali ponderi vitrioli ad albedinem calcinati, rectificanda erit immiſſa exiguæ Retortæ vitreæ ope Balnei arenæ, igne moderatiſſimo, hinc exſtillabit Oleum minus craſſum, at multo quam ante purius, ratione vitrioli, quod ſibi adſumbſit partes craſſiores & terreſtriores: Porro, cum Vitriolum proculdubio huic Oleo acrimoniam non nullam impertire ſoleat, neque dum puritatem requiſitam adeptum ſit, commiſcendum erit æquali ponderi oſſium bubulorum aut verreccinorum, contritorum à calcinatione,

& quadruplo aquæ fontis ; quæ ſimul immiſſa Alembico vitreo , ex multis partibus non conflato, quod adcommodatum habeat exiguum Recipiens roſtro adpenſum, Arenæ Balneo, igne moderatiſſimo extrahetur Oleum Flavum, elegans & pellucidum, polychreſtum, Lumbricos videlicet enecandi vi pollebit, venena impugnabit, humorum putredini obſiſtet, viſcerum omnium obſtructiones reſerabit, ſed præſertim Vteri.

Exhibetur à duabus vel tribus guttis ad ſeptem vel octo, exceptis Saccharo pulverato,demum liquore idoneo dilutis; Commiſcetur etiam Pilulis, Opiatis, variiſque aliis remediis

Nonnulli ſatis habent Myrrham in aqua vitæ diſſolvere, vel Spiritu vini, atque ex hac diſſolutione extractum educere, prævia filtratione.

Præparationem Olei Myrrhæ per deliquium tradidi inter cæteras Galenicas.

CAPVT XLVI.

De Diſtillatione Gummi Ammoniaci.

AMmoniaci cognomen huic Gummi impoſitum ab Ammonis Templo, quo Ethnici quondam Iovis Oraculum conſulendi cauſa commigrabant, & quia ibi fuit locus natalis iſtius Gummi, cujus ſubſtantia aquea & viſcida methodo ſingulari indiget parum Myrrhæ præparationi ſimili.

Ex ſententia quorundam admiſceri poſſent, Bolus, Laterum aut Silicum pulvis, Gummatis Ammoniaco, Galbano, Opopanaci, aliiſque aqueis naturæ conſimilis antequam diſtillanda Retortæ indantur: Sed etiamſi hæc Gummata facile in Retorta intumeſcant quando ab intenſiore igne urgentur, ac tunc per Retortæ roſtrum exitum moliantur, in Recipiens deſcenſura, Diſtillatio tamen commode citra ullius rei extraneæ additionem poteſt inſtitui, ac extra metum ſucceſſus cujuſdam improſperi, dummodo debita inter vaſa & ignem adfuerit proportio.

Quibus Fornaces & Vaſa Retortæ excipiendæ idonea ſuppetunt, atq; rerum contentarum diſtillationi peragendæ copia,beneficio aëris excalefacti incluſi, admodum commodam hoc in caſu nacti eſſent occaſionem, At cum non omnibus ex æquo contingat ; alia media non deſunt, nec incerta, ſive per Mariæ Balneum, commixta ligni ſcobe, ſive Cinerum, ſive Arenæ, dummodo ignis debite regatur,ac Retorta adſumatur ſufficienter capax.

Acci-

Accipiatur ergo Gummi Ammoniaci electi libra una, immittatur Retortæ vitreæ, magnæ, profundæ imo capaci, ſi ita luberet, decem aut decem portionum ſimilium ejuſdem gummatis : Ejuſmodi Balneorum quod libuerit eligendum, cui imponenda Retorta, adcommodandum ejus roſtro vaſtum Recipiens, probe loricatum : Inchoanda erit Diſtillatio igne moderato, eundem gradum diutius obſervando, donec animadvertatur diſtillationem multum progreſſam eſſe, ac intumeſcentiæ periculum abeſſe, quo tempore intenſione igne opus eſt, imo ſub finem is urgendus, ut ex Retorta prodeat ultimum Gummi Oleum, cum Recipiens omnino pellucidum evaſerit.

Refrigeratis poſtmodum ſponte vaſis, decruſtatoque Recipiente, in hoc deprehendetur Spiritus Acidus, præditus Sale volatili Gummi, plurimo phlegmati commiſtus, ac ſimul Oleum craſſum & fœtidum, quarum rerum omnium ſuſcipienda rectificatio, has affundendo oſſium calcinatorum pulveratorum Libre uni, inditorum Cucurbitæ vitreæ; huic imponendo Capitellum vitreum bene loricatum, ac ſuperponendo Balneo Arenæ, igne admodum moderato : hoc enim partes Olei craſſiſſimæ, & maxime aquea primæ diſtillationis, in fundo ſubſidebunt, interim dum puriſſimæ & volatiles in alembicum evehentur, in Recipiens diſtillature, illi coaptatum & loricatum.

Imo & iterata Rectificatio inſtitui poterit, aliis oſſibus calcinatis & pulveratis quicquid diſtillatione prelectum fuerit affundendo; ac tandem Oleum ſtillatitium volatile partis Spirituoſæ ſegregando, in quo procuIdubio deliteſcet Sal volatile gummi, dummodo accurate vaſa luto obducta fuerint, tum in priore diſtillatione; tum ſubſequentibus ambabus rectificationibus.

Spiritus Gummi Ammoniaci admodum conveniens eſt ad referandas Iecoris obſtructiones, Lienis & cunctorum viſcerum, quo fit ut felici ſucceſſu præſcribatur in Hydrope, Ictero & Cachexia, imo in Iſchuria, ſed præſertim in affectibus uterinis, ab obſtructione menſium oriundis.

Exhibetur præmiſſis generalibus remediis, horis matitunis, jejuno ſtomacho, à quinque aut ſex ad quindecim aut viginti guttas, ex liquore quopiam idoneo, exceptas ſaccharo pulverato, demum liquore convenienti dilutas : Vtiliſſime quoque adhibetur in quovis Colico dolore, tam per os adſumendo quam enematis admiſcendo, quibus commiſcetur ab octo vel decem ad viginti aut triginta guttas ; Eadem etiam ratione in uſum adduci poteſt ad facilem Partum, ac Naribus inungi ad diſcuſſionem vaporum Vterinorum, quæ eadem præſtat Oleum non rectificatum.

CAPVT XLVII.

De Tincturis Chymicis Vegetabilium.

TYncturæ nomen indidit Chymia extractioni aut ſeparationi coloris unius,aut plurium mixtorum,ejuſque in quempiam liquorem aut menſtruum idoneum tranſitui: Ejuſmodi extractio, aut coloris ſeparatio, in ſe continet portionem puriſſimæ mixti ſubſtantiæ, quæ à proprio corpore ſecreta diſſoluta eſt & menſtruo conjuncta, id & coloribus & viribus ſuis imbuens.

Vegetabilium Tincturæ in Pharmacia Galenica vſitatiſſimæ ſunt, at fere nonniſi uſurpationis tempore præparari ſolent; ſin ad aliquod tempus conſervandæ fuerint, lagenis illæ excipiuntur, quarum ſummæ parti tantillum Olei infundatur, ad prohibendum aëris ingreſſum à quo corruptionis periculum illis imminet: At cum Pharmaciæ Chimicæ ſcopus ſit Tincturas puriſſimas elicere, ac durabiliores iis de quibus à me ſuperius actum præſtare, eum in finem adhibet Menſtrua corruptioni minus obnoxia, ejuſque indolis ut affinitate quadam conjungantur cum ſubſtantiis unde Tinctura elicienda eſt, quæ non minus ſibi adſumet utiles facultates Menſtruorum quam Mixtorum Tincturam fundere idoneorum: Nonnunquam tamen ſatis eſt illam educere ex nonnullis herbis aut Floribus, mediantibus earundem aquis ſtillatitiis, addito tantillo Spiritu Vitrioli aut ſulphuris, juvandę gratia aquarum penetrationis: tum vero Sacchari cantii, aut alias puriſſimi legitima quantitas in Tincturis ejuſmodi filtratis diſſolvenda, ut ad aliquod tempus in lagenis accurate obturatis aſſervari queant.

At de Vini Spiritu ſciendum eſt illum non ſolum uſitatiſſimum menſtruum eſſe, aptiſſimum extrahendis Tincturis ex maxima Vegetabilium parte, illorum præſertim quæ ſuperfluo non ſcatent humore, & quorum ſubſtantia partes reſinoſas obtinet; ſed etiam maxime analogum & idoneum excipiendis, ſuoque ſinu fovendis illarum partibus puriſſimis & magis eſſentialibus, dummodo cautio adſit nequicquam dum maceratio inſtituitur in auras avolet; & ut ejuſmodi Tincturæ lagenis denſis & exacte occluſis cuſtodiantur.

Excipitur, exempli gratia, Matratio, aut Cucurbita anguſtioris colli, certa quantitas ſummitatũ Abſinthij mundatarũ,illis affunditur optimus Vini

Excipitur, exempli gratiâ, matratio aut cucurbita anguſtioris colli, certa quantitas ſummitatum Abſinthij mundatarum ; illis affunditur optimus vini ſpiritus , donec abſinthium tribus aut quatuor digitis ſuperet, committitur matratio, aut cucurbitæ cum alembico coeco, luto probe obducendo ; cum omnia per octiduum circiter macerata fuerint , piſtoris furno ſuperimpoſita, vel loco cuipiam modice calenti, percolanda ſunt & exprimenda , vnde elicitur Tinctura virideſcens, partibus puriſſimis & maximè eſſentialibus Abſinthij imbuta, filtranda , & in lagena vitrea duplici probe occluſa adſervanda : doſis illius eſt à ſcrupulo vno ad binas drachmas , ex vino vel liquore quopiam idoneo, in ventriculi affectibus, jecoris & vteri.

Eadem ratio eſt extrahendarum cæterarum omnium Tincturarum ex plurimis lignis, corticibus, gummatibus, baccis, radicibus & ſeminibus aromatica vt donatis ; vt & ex croco, plurimiſque floribus cardiacis & cephalicis, imo quorundam fructuum corticibus , eadem dozeos obſervata ratione, ac in uſum adducendi quam jam memoravi de Abſinthio loquutus.

Eodem propemodum modo concinnantur plurimæ Tincturæ cephalicæ, cardiacæ, ſtomachicæ, antiſcorbuticæ, &c. ex variis vegetabilium partibus, varia dozi præſcriptis comparatæ, quarum deſcriptiones huc inferre animus non eſt : Id hoc loco monitum volo , Chymiam plurimam ſuarum operationum partem à Tincturis inchoare, ſicuti id in operis ſerie manifeſtum fiet.

CAPVT XLVIII.

De Elixiriis.

ELixiria à Tincturarum natura parum recedunt, ex quibus compoſitionis maximam partem mutuantur : quoad nominis Elixir etymon diſſenſus eſt apud auctores, alij enim deriuant ab ἔλαιον & σύρω, eiuſmodi remedij comparationem inſtituentes cum Olei extracto ; ex illorum mente mixtorum parte maxime eſſentiali : Alij deductum volunt à verbo ἀλεξέω, ab inſigni auxilio quod adferunt Elixiria : Alij à voce Arabica *Alechſiro* , quæ deſignat cuiuſpiam eſſentiæ artificio comparatam eductionem.

Miſſa verò nominum conſideratione, definio Elixiria liquores ſpirituoſos, vſibus internis adpropriatos, mixtorum exquiſitorum puriſ-

ſima parte præditos, in ipſos transfuſorum mediante infuſione aut maceratione.

Spiritus è vegetabilibus educti, vel eorundem Aquę ſpirituoſæ, vt plurimum Elixiriorum ſunt baſis ac menſtrua,in vſum venientia diſſoluendæ gratia & excipiendæ ipſiſſimæ medicamentorũ eſſentiæ, illorum compoſitionem ſubeuntium; Spiritus tamen vini omnium maximè idoneum cenſetur menſtruum, quo fit vt crebrius quam quodvis aliud in vſum advocetur, ſi præſertim Elixirio ſubſtantiæ quædam oleaginoſæ aut reſinoſæ diſſolvendæ ſint adſociandæ; aromatum præſertim; cum magmate peracta infuſione alias reſtibiles, niſi liquor quiſpiam adfinitate coniunctus, ac intime commiſceri idoneus occurrat.

Nihil tamen prohibet quin ſæpiſſimè aquæ minus ſpiritibus turgentes huic ſpiritui adſocientur, ad iſtius acutiem obtundendam cum huiuſmodi ſubſtantiis impregnatus eſt; & vt Elixirium commodum & idoneum evadat quod ore ad ſumi poſſit, ſi ſeorſum exhibendum fuerit: Neque etiam quicquam obſtiterit quin tantillum ſacchari, aut cuiuſpiam ſyrupi addatur, ad ſaporis ſcilicet gratiam : at verò neceſſitas nulla incidit vt ſpiritus huius vires infringantur, vti neque Elixirij quando ſolitarium exhibendum fuerit, ſed tantum ex liquoribus quibuſdam idoneis; Eapropter tunc ſimilia Elixiria à quinque aut ſex tantum guttis porriguntur, ad quindecim aut viginti cum bina, imo terna cochlearia illorum ſumuntur quorum ſpiritus retuſi fuere, additis aquis ſpirituoſis, dulcoremque conciliando adiectione ſacchari vel ſyrupi.

Præparatur, exempli gratiâ, Elixir camphoratum, digeſtioni committendo, aut in Balneo Mariæ diſſolvendo, vel etiam cinerum, camphoræ ſemiunciam in vini Spiritus vnciis quatuor, exiguo matratio immittendo, quod excipiat alembicum cœcum, vtrumque luto optimè communiendo; Cui diſſolutioni Elixirij nomen imponitur, cuius ad ſummum vna vice viginti guttę exhibentur, ex vino vel aqua quapiam cardiaca, ſudorum ergo eliçendorum, corroborandi, malignitatem aëris & venenorum impugnandi, podagricis opem ferendi, ac in quibuſvis cerebri affectibus inſigne auxilium præbendi : Guttæ necnon aliquot commodiſſimè ex pauco goſſypio dentibus excavatis immittuntur, ad doloris mitigationem.

Elixir Citratum, vel è Citro, hoc modo præparatur, Matratio immittitur ſemilibra Corticis flavi extimi mali Citrij, centuſi, aut minutiſſime inciſi, ſuper-affuſiſque libris duabus ſpiritus vini optimi, ac ſemilibra citri ſucci depurati, ſuperponitur matratio exiguum alembicum cœcum, accurate luto obductum; quod ſpatio viginti quatuor horarum

ſuper

ſuper furnum piſtoris detinetur, demum percolantur & exprimuntur mediocriter omnia, commiſceturque æqualis quantitas aquæ ſtillatitiæ ſcorzoneræ, cum ſeſquilibra ſacchari puriſſimi pulveriſati, demùm omnibus per chartam emporeticam tranſcolatis, adjiciatur, ſi lubet, Tincturæ moſchi & ambræ griſeæ drachma vna; quo modo conficitur Elixir cardiacum ſuaviſſimum, cuius exhibendum ſemicochlear vel integrum, imo ad bina vſque cochlearia, refocillandarum gratia virium & recreandarum partium omnium principum.

Præparationem hanc quod attinet, omninò mihi probanda eſt ſententia Schroderi & Rolfinkij, ratione ſucci citrij huic Elixirio additi, ad conciliandum non modo acorem gratiſſimum, ſed & calorem temperandum, ſpiritu ſque vini acrimoniam infringendam, etſi contra ſentiat Fridericus Hoſmannus Hall-Saxo Medicus, qui hoc in caſu ſcriptis Schroderi adverſarius, quæ commentariis illuſtranda ſuſcepit, *& in cuius tanquam magiſtri verba iurare addictus erat*, ſuccum citri abſtrahendum jubet ab hoc Elixirio, affectibus cordis adpropriato, & ad peſtis truculentiam obtundendam, nulla huiuſmodi acciſionis allata ratione. Hic verò Doctor parum memor eſt anteà ſe allatorum, quandoquidem alibi, non magis experientia quam ratione fretus, ſuccum citri vnicum veneni viperini alexiterium ſtatuit, cuius indoles, & facultates æquè ipſum latent ac ſucci citri, quem ab hoc Elixirio intempeſtivè eliminare ſatagit.

CAPUT XLIX.

De Elixirij Proprietate.

EA eſt celebritas huius Elixiris, effectus eius autem adeo noti vt nequaquam prætermitti debeat, quinimo huic ſingulare aſſignaturus ſum caput; Vnanimi Authorum conſenſu Paracelſus huius remedij eſt inventor, at cum notitia illius manca ex illo habeatur, ſilentioque menſtruum neceſſarium involuerit, multum negotij faceſſivit poſteris, vnde orta diuerſitas deſcriptionum apud Authores proſtantium: A Crollio tamen exhibita omnium acceptiſſima eſt, etſi ſumma cum ratione reprobandus ſit ſpiritus ſulphuris ab ipſo præſcriptus, eliciendæ gratiæ tincturæ Myrrhæ, Aloës & Croci, quandoquidem huic ſpiritui tanta cauſtica vis ineſt vt puriſſimam horum medicaminum ſubſtantiam deſtruere valeat, eoſque pacto artificem ſine fruſtrari, ægros autem ſperato ſucceſſu ab vſu huius Elixiris.

Neque etiamnum, ſi bene ſentio, hos in vſus commodius vſurpan-tur liquores ex quorundam ſalium vegetabilium aut mineralium reſo-lutione eliciti., Alkaeſt nomine donatorum; quandoquidem Myrrha, Aloë & Crocus imparia ſunt ferendæ acrimoniæ his ſalibus innatæ, à quibus proculdubio deſtructio & conſumptio imminet partis illorum puriſſimæ & maximè eſſentialis: Ex mea vero ſententia, hoc in caſu, & quovis eiuſmodi, diſquirenda menſtrua quæ ſimilitudine ſubſtan-tiæ conveniant cum materiis e quibus pars maximè eſſentialis ſecer-nenda eſt; Cum autem Myrrha, Aloe & Crocus ſubſtantia conſtent aquea, cui permiſtæ oleagineæ, extractio proculdubio ad votum futurâ eſt ſi menſtrua analoga aduocata fuerint, cuiuſmodi ſunt mihi familiaria ad iſtam præparationem.

Immittantur Cucurbitæ vitreæ, oblongiore collo præditæ, partes æquales Myrrhæ electæ, Aloës Socotrinæ, & Croci puriſſimi ſubtiliter tritorum; his leuiter irroratis pauxillo ſpiritu ſulphuris, temperati ad-iectione partium æqualium ſpiritus vini, affundatur aqua meliſſæ ſtil-latitia, quouſque tribus digitis emineat; demum ſedulo commotis materiis, coopertaque cucurbita impoſito exiguo Alembico coeco, luto optime obducto, maceratio inſtituatur per quindecim dies ſuper Piſtoris furnum, per vices agitationem materierum renouan-do, vt in hunc liquorem transfundatur quiquid materiæ aqueæ ineſt his medicamentis, illa videlicet quæ in menſtruis aqueis diſſolui ido-nea eſt: demum luto liberatis vaſis, decantato, filtrato, & ſeorſum re-poſito liquore Tinctura imbuto, materiis ſupernatante, in vicem illius ſuccedat affuſio ſpiritus vini optimi, tertia parte copioſior quam aquâ meliſſæ; Poſtea accuratè iterum luto obductis vaſis, renouata & con-tinuata maceratione, toto bimeſtri, materiiſque per vices commotis; ſicuti prius, eodem quoque modo filtrandus erit liquor, puriſſima horum medicamentorum eſſentia imprægnatus; quibus novus vini ſpiritus affundi poſſet, renouarique maceratio, ſed fruſtra eſſet hic labor, quod magma effœtum ſit.

Tinctura ergo iſta priori commiſcenda per aquam meliſſæ elicitæ: ex his cucurbitæ vitreæ immiſſis, Alembico illi impoſito, probe luto ob-ducto, in Balneo cinerum collocato, igne moderatiſſimo eliciendi erunt liquoris partes circiter duæ; demum refrigeratis vaſis, & ma-teriis in iis contentis, lagenâ vitreâ denſiori infundendum erit id quod in cucurbita ſuperſtes eſt, qua accuratè obturata liquor prædictus in vſus cuſtodiendus erit.

Ne vero recedam à ſententia plerorumque Authorum; ſpiritum ſulphuris partem compoſitionis iſtius Elixiris conſtituentium, portioni

hujus

huius liquoris concentrati ſuperfundi poterit triens aut quadrans ſpiritus ſulphuris, eorumque coniunctorum maceratio per bimeſtre inſtitui ſuper Piſtoris furnum, in matratio, ſuperimpoſito Alembico cœco luto obducto, toto enim illo tempore Acidum ſpiritus ſulphuris mortificaturum eſt maximam Aloës & Myrrhæ partem; Intime vero ſe admiſcens & coniungens iſti liquori concentrato, perfectionem inditurum huic Elixirio, aptumque illud effecturum vſibus in quos ab Authoribus excogitatum fuit, præſertim Crollio, cenſenti iſtud Elixir Balſamum fuiſſe antiquorum, Balſami naturalis viribus omnibus donatum, ad conſeruationem corporis requiſitis, ac potiſſimum ſenum; Mira præſtare idem afferit in cunctis Pulmonum affectibus, in contagioſis & epidemicis affectibus, aërisque infectionibus; in corroborando ventriculo, eiuſdemque & inteſtinorum doloribus mitigandis; ſicuti & capitis, vertigine ſedanda, confirmanda memoria, renum calculis atterendis, præcauenda Arthritide & Paralyſi, curanda febre Quartana, tuenda juventute & prohibenda immatura ſenecta, curandis ac cito ad cicatricem deducendis vulneribus & vlceribus internis; Paucis, illius eam eſſe efficaciam vt omnes infirmitates tam calidas quam frigidas ſuperare valeat.

Exhibetur à quinque vel ſex ad duodecim vſque & quindecim guttas, ex vino vel quopiam alio liquore idoneo. Cum porro iſtud Elixir, per ſpiritum ſulphuris præparatum, non omnibus ſine diſcrimine conveniat, illis potiſſimum quorum affectus ſolum adſcribendi ſunt vehementiæ ſymptomatum à ſpiritu ſulphuris inducendorum appoſitiſſimum fuerit ſeorſum adſeruaſſe portionem Tincturæ concentratæ, vt pro re nata remiſceri queat tertia aut quarta pars, pondere æſtimata, ſpiritus volatilis ſalini cornu cervini optime rectificati, aut alterius cuiuſpiam ſpiritus eiuſdem indolis, à quo, illis ſe adiungente, obtundi queat acidorum aculeus, eoque juncto metuendos effectus declinare liceat. Id quod ſummo iudicio adhibito præſtitum obſeruaui à peritiſſimis quibuſdam Medicis, quibus cum intima morborum natura probé perſpecta ſit, felici ſucceſſu adhibent remedia illos ſuperare apta nata.

CAPUT L.

De Extractis Vegetabilium.

Extracti nomen obtinet vegetabilium pars puriſſima, à craſſioribus ſecreta, ac in menſtruo quopiam idoneo mediante digeſtione diſ-

ſoluta, poſtea ad ſolidiorem conſiſtentiam beneficio diſtillationis, aut humiditatis menſtrui exhalationem deducta.

Vt plurimum Extracta initium ducunt à materierum Tincturâ; hæc in eſſentiam adducitur, conſiſtentia mediam inter Tincturam & Extractum, quæ Eſſentia tandem in Extractum conuertitur.

Varii quoque ſucci in extractum abire queunt, ſuperfluo illorum humore in vapores ſoluto, ac ſpeciatim plurimorum Fructuum, Baccarum & Herbarum; ſed multo plura præparantur extracta affuſis menſtruis illis vegetabilium partibus è quibus eadem elicere animus eſt, quam ſolo illorum vſurpato ſucco, quandoquidem ſæpenumero confugiendum eſt ad liquores extraneos, extractionis & ſeparationis gratia puriſſimæ ſubſtantiæ plurimorum ſuccorum condenſatorum, extracti formam præ ſe ferentium, cuiuſmodi ſunt Opium, Aloë, Scammonium, &c. vt ab illis ſecernantur partes craſſiores à purioribus requiſitis.

Nonnulli ſcripto mandarunt à præparatione Extractorum abſtinendum eſſe, quia, inquiunt, metus eſt ne inter præparandum materierum pars maximè eſſentialis in auras abeat; Hæc quidem locum habent in quibuſdam aromatibus, quorum partes volatiles & tenues, cùm ignis impatientes ſint, proculdubio per liquoris euaporationem diſſipantur, aut accedente diſtillatione ſurſum evehuntur, ſi partes fixiores conſeruare ſcopus fuerit; At non omnes vegetabilium partes eiuſmodi diſſipationem experiuntur, adde quod ſæpenumero illis ſpretis fixiores tantum exquiruntur: Cum porro ſecretio puriſſimarum partium ab Impuris in quibuſuis extractis admodum neceſſaria ſit, hanc autem in pleriſque conſequi non detur niſi menſtruo quopiam idoneo diſſoluantur; vſus autem plurimorum extractorum non minus ægris conducat quam Medicorum ſcopis faueat, immerito à cenſu præparationum Chymicarum relegaretur.

Extractorum præparatio ut ex voto ſuccedat, ſtudio adhibito indaganda eſt natura ſubſtantiarum partium vegetabilium extractioni ſubiiciendorum, ut conueniens exquiratur menſtruum, quod adfinitate cum partibus puris coniunctum valeat diſſolutione illorum facta eadem ſibi adſumere; & à partibus craſſioribus ſecernere: Qua in re ab illis diſſentio, qui hoc in caſu, dimiſſo ſpiritu Vini, in vſum ſolum Roris ſpiritum adducunt, vel aquam pluuiam ſtillatitiam, tanquam menſtruum vniuerſale ad quæuis extracta vſurpant; quandoquidem non quævis ſubſtantia in illis diſſolui apta nata eſt, præſertim ſi ſit naturæ reſinoſæ, ad quam Chimiæ nullum aptius occurrit ſpiritu vini: Nihil

tamen

tamen prohibet quin commodiſſime veniat in vſum ſpiritus Roris, vel Aqua pluuia diſtillata ad plurimas alias diſſolutiones partium purarum inſtituendas, præſertim multorum florum ac nonullarum herbarum quarum præcipuæ partes aqueæ ſunt.

Eiuſmodi menſtrua vſurpari poſſunt ad præparationem extracti florum Veronicæ altilis, Croci, Centaurij minoris, Cardui benedicti, Abſinthij, quinimo & plurimarum radicum aromatica vt imbutatum; etſi commodius iterum pro omnibus his extractis parandis accedat ſpiritus vini, adhibito igne leniſſimo, ſi ſpiritus eliciendus fuerit, ſpiritu hoc ſetuato, quippe qui obtineat partes quaſdam vtiles quas ſecum abtraxit; qui & adhiberi poteſt ad præparationes quaſdam eiuſdem ſortis.

CAPUT LI.

De Extracto Opij.

Opium cum ſit ſuccus effluens ex inciſionibus capitibus Papaverum maturitati proximorum inflictis, & Solis radiis condenſatus in Græcia; qua in regione vberrimus eſt illius Plantæ proventus, ideò ab incolis dictus fuit ὄπος vel ὄπιον κατ' ἐξοχὴν, revera enim ſuccus ille inſignis eſt, qui maiores effectus edere aptus natus eſt, ac minima copia exhibitus, quam quilibet e vegetabilibus eductus ſuccus: At cum vix occurrere queat Opium ſponte, citra aliquod additamentum exſtillatum, ſordes autem quibus ſcatet id quod ad noſtras oras transfertur, quod propriè loquendo nihil aliud eſt quam Meconium, vel ſuccus ex capitibus paverinis expreſſus, ideò Chimici in id operam nauarunt ut diſquirerent rationem idem defecandi & à ſordibus liberandi.

Hoc loco immoraturus non ſum diſquirendæ naturæ & qualitatibus Opii, uti nec impugnandę antiquorum ſententię, perperam frigidum id ſtatuentium; ſatis ſit ſtatuiſſe in extractione extracti Opii, tres diverſas in hoc ſubſtantias ad examen revocandas eſſe, ſub quibus comprehendantur alię quinque, Opio cum plurimis aliis vegetabilium partibus communes; prima eſt aquea, ſpirituoſa & ſalina, ſecunda oleaginea & reſinoſa, tertia mere terreſtris, Cum duę priores à ſe invicem diffideant, ideo duo diverſa menſtrua adhibenda ſunt, vnumquodque illorum adpropriando materiæ ab vtrolibet diſſolvendæ, hic vero eſto proceſſus.

Minutim diuidatur, ac matratio immittatur Opii electiſſimi ſemili-

bra; huic affundantur aquæ pluviæ aut fluviatilis libræ duæ, agitentur materiæ, obturetur matratium, Balneo arenæ per decem aut duodecim horas committatur, ignem oderato, per vices agitationem reiterando: demum aucto igne Balnei ad efferueſcentiam vſque materierum, liquor ſupernatans decantandus erit, ac per chartam emporeticam filtrandus, ſeorſumque reponendus, Poſtmodum aquæ recentis libræ duæ magmati ſuperfundendæ, obturandum matratium, eademque materiarum verſatio iteranda, maceratio, ebullitio & filtratio totius liquoris ſupernatantis, in ſe comprehendentis reliquum ſubſtantiæ aqueæ, ſpirituoſalinæ opij; commixto vero huic liquore priori magmati, in eodem matratio, affundendę erunt libræ duæ ſpiritus vini alKooliſati, qui tincturam illico concipiet inchoata diſſolutione ſubſtantiæ opij reſinoſæ, ipſi analogæ, quæ aquæ commiſſa diſſolutionem reſpuit; poſtea cooperto matratio, ſuperimpoſito exiguo alimbico coeco optime ſigillato, iterata & continuata maceratione & verſatione materierum, ſicuti prius, ſed adhibito igne multo leniori, filtrandus erit liquor, itidem uti prior ſervandus: poſtmodum ab affuſa magmati ſpiritus vini recentis libra una, iiſdemque omnibus peractis ſicuti prius, Opij ſubſtantiam reſinoſam omnino diſſolutam in ſpiritu vini deprehendere eſt, terreſtri interim opij parte ſupra filtrum ſuperſtite, vel in matratij fundo, Etſi vero cæteris omnibus ſubſtantiis ſpoliata cenſenda non ſit, exigua tamen illius adeo ſupereſt copia, vt diſquiſitione ulteriori non indigeat, quin potius ſuperſtes hæc terra aliorum vegetabilium capiti mortuo adſocianda ſit.

Tunc confundendæ erunt priores & poſteriores Opij tincturæ, ac immittendæ cucurbitæ vitreæ, qua balneo arenæ impoſita, ac alembico ſuo accurate luto obducto inſtructa, ſicuti & exiguo Recipiente, illius proboſcidi adaptato, igne moderato extrahendus erit ſpiritus vini, qui iterum uſui eſſe poterit iteratis extractionibus faciendis partium reſinoſarum Opii, aut, ſi vis, mulcendis dentium doloribus: Demum ſoluto Alembico, effuſoque in exiguam pelvim fictilem probe vitreatam univerſo liquore in cucurbita reliquo, paulatim in auras humor ſuperfluus evaporandus erit, eodem igne arenæ adhibito, maſſæ tandem debitam extracti conſiſtentiam conciliando, præ ſe ferentis cunctas Opii particulas puriſſimas, conflatas ex ſpiritu volatili ſalino & ſulphureo,oleo partim reſinoſo,partim volatili,ac tantillo ſale ſemi-fixato, ab adjuncto pauciſſimo acido Opio incluſo; quorum omnium comes eſt exiguum Phlegma, Et hoc, ſi bene ſentio, puriſſimum eſt & optimum Opii extractum,quo melius nemo excogitaverit;hujus optimis ſucceſſibus

aſtipulaturus

ad ſtipulaturus tam præparationis cauſa quam uſus, ob innumera jampridem à me facta experimenta, quotidianis uſibus confirmata.

Neque etiamnum mirum eſſe debet ſi, jubentibus prædictis experimentis, jampridem receſſerim, ſicuti etiamnum hodie recedo, à torrefactione quam plurimi Authores, etiam celeberrimi, erga opium exercent, abſumendæ gratia potiſſimæ partis ipſius ſulphureæ, in qua periculum ſubeſſe rati ſunt, etſi revera præſtantiſſima ſit & maxime efficax opii pars, minime perpendentes ab ejuſmodi torrefactione maximam partem Salis illius volatilis abſumptum iri cum ipſo ſulphure, atque eo pacto reliquas ſubſtantias effœtas fere omnino fieri.

Nec quoque improbandum quod in uſum non ducam ſpiritum acidum Aceti ad extractionem partium puriſſimarum Opij, etſi non pauci primæ notæ me priores illum admiſerint; ducibus enim Ratione & Experientia illud mihi compertum, juxta hanc methodum, cum ſpiritus Aceti Sali volatili Sulphureo Opii ſe adſociet, idque fixum reddat, proculdubio omni efficacia id exutum iri, quam depromit conjunctum ceteris utilibus ſubſtantiis illud componentibus, quæ etiamnum ab ejuſmodi alteratione vim paterentur: quandoquidem illud nondum comprobatum eſt ſubſtantias ſulputeas volatiles Acidorum vim impune tolerare poſſe, etſi maxime craſſæ forte quodammodo obſiſtant: His rationibus inductus Lectorem hortor, repudiatis ejuſmodi præparationibus deſtructivis, amplectatur modo à me allatam, cujus ope in Opio perſtat quicquid diſquiſitionem meretur & conſervationem, abjecto ſolum inutili.

Examen partium puriorum ab Opio eliciendarum, Extractum parando, manifeſtiſſimum facit incaſſum in Opio indagatarum iri ſubſtantias admodum frigidas, atque inepte illis adſignatum iri eximios effectus ab eodem prodeuntes, etiam minima quantitate exhibito, quandoquidem id inſitum non eſt ſubſtantiis frigidioribus ut granatim exhibitæ, ſicuti Opium, aut grano ſemipartito, effectum exſerant, alia præſtent quæ ſubſtantiarum ſolum calidiorum effectus eſſe queant.

Etiamſi vero nemo Neotericorum probæ mentis compos mihi hactenus innotuerit qui in Opio à frigore agendi vim deducat, ea porrò quæ olim de Opio, Tractatu à me de Theriacà emiſſo protuli, ſatis eſſe videantur vindicandis ab errore illos qui iſtam adhuc tuerentur ſententiam; aut eos quibus cum ignotæ eſſent natura & qualitates Opii, etiam laterent veri effectus quos edere aptum natum eſt, huc tamen adpoſitiſſime experimentis, tunc temporis à me factis, aliud inſignius nuperis annis in me ipſo factum adjicere liceat ut veriſſimam hiſtoriam.

Cum horis matutinis, æſtivo tempore, in officina Pharmaceutica, una cum Medico Provinciali, rerum novarum curioſo, de natura & effectibus Opii differerem, ipſi manifeſtum facturus vim ſomniferam, hactenus Opio aſſignatam, non ejuſmodi eſſe qualem antiqui ſibi finxerunt, illo præſente grandem Opii maſſam mediam diſcidi, interiore parte elegantiſſimam & puram; ex media vero cum fruſtulum puriſſimum, ponderis duodecim granorum integrotum à me exemptum fuiſſet, id in globulum propriis manibus concinnavi, factamque pilulam, ipſo admodum renitente, infauſtumque ſucceſſum metuente, deglutii; officia interim Pharmaceutica nequaquam intermiſi, non ſecus illis vacans ac ſi nihil à me adſumptum fuiſſet, ad horam uſque prandii, pomeridianam ſcilicet, (octava enim ingeſtum fuit) eo tempore menſæ aſſideo, ſed pro more offa ingeſta ſatietas obrepſit, operique iterum in officina mea me accingo ad horam uſque ſecundam, quo tempore cubiculum meum adii, cathedræ inſidens ſomno ad horam unam vel alteram indulturus, qui tamen nequaquam ſucceſſit, etſi tranquillitate inſigni frui licuerit, eaque adeo grata, ut ad ſextam aut ſeptimam uſquehoram quietem protraxerim, quo tempore, cujuſpiam ægri cauſa advocatus, derepente ſurrexi: at vero cum Opii vapores quodammodo cerebrum obfuſcarent, cathedræ à me deſertæ iterum inſedi, in qua eadem tranquillitate ad horam uſque nonam gaviſum ſum; tranſacta horæ cœna cum fames nihilominus nequaquam laceſſeret, ab ea abſtinere in animum induxi, ut melius mihi innoteſceret quouſque Opii effectus progredi poſſet; quamobrem lecto totum me tradidit, noctem placidiſsimam & gratiſsimam tranſigens: Id vero obſervatu dignum, quod pulpebras nequaquam commiſerim, vigiliis vero indulſerim non ſecus ac ſi ſtetiſſem: Non abnuo tamen toto illo tempore, tum quando decubui, tum quando cathedræ inſedi, ex intervallis toto corpore moleſtum fuiſſe pruritum, indicium manifeſtum facultatis in Opio Diaphoreticæ, quæ forte excitandis vigiliis aliquid contulit, etſi nequaquam mihi moleſtæ forent.

Mane cum hora ſolita ſurrexiſſem, nulli amplius vapores infeſti erant, ſed tota die ſequenti eadem fere cutis prurigo me exerecuit, appetitu tamen reduce; Nocte proxima ſomnus de more obrepſit, ſicuti ante adſumptum Opium, nullo amplius pruritu infeſto: At poſtridie mane, tertia ſcilicet die, vultus meus tumidiuſculus animadverſus eſt, abſque rubore, vel ullo dolore; neque tamen propterea non ſolitis officiis adſtiti, Vrbem per ambulans, tumore ante meridiem ſubſidente.

De Opii effectibus aſſeveranter poſtmodum pronuntiare mihi licuit,

expe-

experimento bis in memetipſo,facto,Priore adſumptis granis ſex,poſteriore duodecim : Conſtitutionem enim corporis admodum robuſtam cum nactus ſim, cacochymiæ omnis fere ſemper expers, à qua Opii naturalis effectus præpediti forte fuiſſent, ad me potius reſpiciendum, & ad id quod in me contigit cenſeo, id quod veriſſimum eſſe profiteor, quam ad plurima alia experimenta in ęgris obſervata, quorum alia atque alia conditio & conſtitutio proculdubio Opii effectus varie commutare valet: Adde quod tanta doſi illis porrigere inaſſuetum ſit, quandoquidem granum unicum, aliquando diviſum, ad ſummum duo exhibentur: Imo ſi accurata ſit adfuerit obſervatio, vix animadvertere licebit in illis ſomnum prolixiorem ſequutum, etiamſi qualitas hypnotica multis terrori ſit.

Ex animadverſionibus à me factis, ac experimentis diverſis temporibus inſtitutis, iis tandem quæ ab exhibito Opio accidere vidi, colligere eſt vim diaphoreticam, à me in illo manifeſtiſſime deprehenſam, effectum eſſe Salis volatilis ipſi inexiſtentis, quod coadunitum, ac cum ejus Sulphure concentratum, hoc ſecum abſtrahens, & in motum pertrahens, verſus cutis poros humores fulginoſos & acres impellit, ſomnum prohibentes, doloremque inducentes, At etiamſi ab Opio, pondere unius aut bonorum granorum exhibito, effectus æque manifeſti expectandi non ſint ac ſi ad duodenarium numerum porrigeretur, de diſpoſitione tamen illius innata judicium ferendum ex eo quod majori dozi adſumptum pręſtare poteſt.

Effectus inſignes ab illo quotidie produci ſolitos quod attinet, unici grani pondere dato, imo ſemigrani, quando præſertim ſopiendi ſunt dolores, aut intercipiendæ fluxiones, proculdubio Sali volatili adſignandi ſunt & Sulphuri ipſi involuto: Multa quoque cum veriſimilitudine enuntiandum ab intima ipſius Salis cum Sulphure commiſtione, iuſtaque & mutua horum proportione, arcanum fermentum emergere ſui multiplicativum, dum ſibi adjungit particulas homogeneas in ventriculo obvias, ac cenſendum in auxilium ipſi venire hanc combinationem, adeo ut effectus ſequatur, nequaquam deficiente aliquo adminiculo expectandus.

Vapores Narcoticos ab Opio efferendos quod ſpectat, illius Sulphuri probabiliter adſignandos, metuendi illi admodum non ſunt ſi Opium exigua dozi exhibitum fuerit; ſi enim parvæ quantitatis ratio habeatur, vix mente aliquis concipiat ab illis ſpirituum meatus obſtrui poſſe, uti neque illos per quos decurrunt humores in partes influxuri; Veriſimile potius eſt mitigationem dolorum, ac fluxionum

P 2.

incumbentium interceptionem, ortum ducere à juſta proportione Salis & Sulphuris in Opio contentorum, uti & arcani fermenti in illis latentis, quæ particulis homogeneis ipſis occurrentibus conjuncta, illis autem implexa quæ mali cauſa fuerunt, ſpeciatim Acidis edomitis & ſubjugatis, inſignis ſuos effectus edunt etſi minima quantitate exhibita ſint: Etiamſi vero id Sal, idque Sulphur, concurrente illorum fermento naturali, humores ad eandem diſtantiam propellere nequeant, ad quam pervenirent ſi majori dozi exhibita fuiſſent, illa nihilominus cohibere valent, eorumque effectus ad aliquot horas morari, ſicuti id quotidie manifeſtum fit.

Id quoque pro comperto tenendum id Sal & Sulphur eo modo combinata nunquam ab invicem divelli ſi majori dozi exhibita fuerint, etiamſi ratio ſemper habenda ſit temperamenti & conſtitutionis cujuſque ſingularis: Atque ea potiſſimum ratione quod ab experientia didici quendam, de quo libro meo de Theriaca verba feci, qui paulatim uſui extracti Opii aſſueverat, illius adaugens dozin ad drachmam ſemis, imo ter in hebdomada aſſumens, viginti horis poſt unamquamque dozin ſtata laboraſſe diarrhœa, octies vel novies alvum dejiciens: idquod indicium certiſſimum eſt eximiæ efficaciæ emergentis à conjunctione Salis illius volatilis cum Sulphure ſocio, illorumque fermenti naturalis, quod cum ſibi adſcivit, indeque robur adeptum eſt, particulas Salinas homogeneas obvias, atque illorum ope complexum eſt, ſibi intime conjunxit fixaque reddidit Acida, emergunt tandem effectus qui ejus vires excedere videntur, quamdiu nullus ſopor inſolitus accedit neque à magna neque à minima doſi, niſi id forte contigerit à vitioſa quapiam Naturæ diſpoſitione ſicuti in Lethargicis, cujus ratione ineruditi inepte Opium culparent quaſi cauſam effectus cujus nequaquam reum eſt.

CAPUT LII.

De Laudano.

Laudani nomen adſignatum eſt variis præparationibus, aut compoſitionibus, quæ Opium tanquam baſin admittunt; Vſus autem cum vulgatiſſimus ſit, proculdubio ſingulare caput illi debetur.

Antiquorum plurimi, imo nonnulli Neoterici, torrefactionem Opii familiarem habuerunt, Acidis uſi Extracti comparandi gratia ad Laudani præparationem, varias etiamnum Aromatum Tincturas addidere & nonnullorum Pulverum cardiacorum, Magiſteria, Gemmas, Olea ſtillati-

ſtillatitia, plurima Extracta cordiala aut cephalica, Salia quædam volatilia, variaſque alias Animalium aut Mineralium præparationes. Prætermiſſis vero ſupra à me allatis capite proximo, tum de Opii torrefactione tum de Acidorum potentia, ex mea ſententia Opii extracti præparatio à me tradita nequaquam inferior eſt quopiam Laudano, quod ſimplicitas commendat, præferenda cuicunque artificio comparato, quandoquidem neceſſitate poſtulante alia remedia, quæ ex uſu fore videbuntur, illi adjici poſſunt.

At vero nomini ut aliquid concedatur, mirandiſque effectibus à Laudani uſu ſperandis, huc allaturus ſum deſcriptionem omnium earum quæ apud authores proſtant maxime rationi conſentaneam, quam hauſi ex Epiſtola, à Domino Ioële Langelotio Ducis Holſatiæ Medico eruditiſſimo, ſcripta ad Dominos Naturæ curioſos Germanos, Hamburgi impreſſa anno 1672.

Precipit is Cucurbitæ vitreæ ſatis humili immitti libram unam Opii electi, diſciſſi minutiſſime, affundi ſucci Cydoniorum maturitatem adeptorum recens expreſſi libras decem; adjici unciam unam Salis Tartari rite exſiccati, exponi Cucurbitam igni leniſſimo per diem unum aut alterum, aut donec ſuperficiei liquoris emineant exiguæ ampullæ, indices fermentationis materiarum proximæ; Iubet quoque tunc addi Sacchari pulveriſati uncias quatuor, adhiberique calorem moderatum, promovendæ gratia fermentationis, cujus beneficio Opium turgere debet ac omnino diſſolvi; cavendum interim monens à vaporibus inde ſuſcitandis; Ait etiam tunc parte impura, volatili & ſpumoſa, liquori ſupernatante, terreſtrem fundum petituram; liquorem autem purum, pellucidum, Rubini inſtar rubentem, medium locum occupaturum, qui ſecernendus ſit, filtrandus & calore moderatiſsimo inſpiſſandus ad Extracti uſque conſiſtentiam; Hoc demum Extractum Spiritu Vini diſſolvi jubet: quo filtrato, & digeſtioni per menſem igne leniſſimo commiſſo, maturandarum gratia, inquit, & ad perfectionem deducendarum cruditarum Opii, beneficio ignis illius cœleſtis, iterum omnia ad Extracti conſiſtentiam condenſari, mirandos ex illius uſu affectus ſpondens, quibuſvis in caſibus, Laudani opem flagitantibus una dozi grani quadrantem, aut ad ſummum ſemi granum porrigens.

Iſtiuſmodi Laudani præparatio, commendatione proculdubio digna eſt, ut pote cum in hac nihil omnino occurrat à quo Opii Natura infringi queat, nam præterquam quod in ſucco cydoniorum perfecte maturorum nullum validum Acidum deprehendere licet, ea ſolum illius imponitur quantitas à qua adjuvari poſſit fermentatio; id vero quod præſens eſt non ſolum primo à Sale tartari adjecto propemodum ſuppri-

mitur, ac deinceps à Saccharo, ſed tandem omnino edulcoratur à Sale volatili Spiritus vini, ſummo cum judicio ab ipſo adhibito; Vapores autem ab Opio per fermentationem elatos quod ſpectat, proculdubio innoxii pronuntiandi non ſunt, nam, præter odoris inſuavitatem, nemo illis ferendis par futurus eſt, uti neque illis quos fundit muſtum cupa contentum: Exiguam Laudani dozin quod ſpectat, adſignanda illa videtur unitati & contructioni partium Opii à fermentatione inductæ, ac poſtremæ illarum compreſſioni cum ad Extracti formam deductum eſt.

Nullum ab utraque Pharmacia expectandum eſt remedium in quo tot tantæque dotes obviæ ſint, ac quod plurimis morbis æque opem ferat, aut cujus uſus tam longe lateq; vagetur ac eſt Laudanum, aut Extractum Opii, cujuſmodi deſcripſi capite præcedenti; Quietem quippe conciliat, obtuſa humorum mordacium acrimonia, ſomnum abrumpentium, quorum motum effrænem coërcet; Naturam & ſingulas partes corroborat, cum à pleriſque narcoticis oppoſitum immineat, Viſceribus omnibus robur addit, calorem naturalem fovet, debilem facultatem retentricem priſtino tono reſtituit; quemlibet ſanguinis fluorem in viris æque ac mulieribus compeſcit, imo & menſtruum ſi modum exceſſerit; Omnem alvi fluxum cohibet, ac quaſcunque fluxiones tenues & mordaces, tam in oculos, dentes & aures incumbentes, quam in fauces, pulmones, ventriculum, ac quaſvis alias partes tum internas tum externas; Quamvis Cephalalgiam ſopit à tenuitate humorum oriundam, interius adſumptum vel linimenti forma fronti & tempori-bus admotum: Aurium tinnitus & ſuſurros diſcutit, Dentium dolores ſedat, vomitum, excluſis prius noxiis cohibet, ſicuti & hypercatharſin ac humororum fermentationem; Dolores colicos flatulentos & à bile excitatos mitigat, uti & quævis tormina in viris æque ac mulieribus, tam ore adſumptum quam clyſteribus immiſſum; Eximium eſt in Dyſenteria remedium, tum ad coërcendam humorum fermentationem, tum eorundem mulcendam acrimoniam, præmiſſis præſertim vacuationibus univerſalibus: Commodiſſime etiam in uſum venit ad affectus Renum & Veſicę, ad placandos illorum dolores & GonorrhϾæ comites, ac corroboranda vaſa ſpermatica debiliora reddita: Quoſvis etiam dolores Arthriticos demulcet, Rheumatiſmi familiares, Vlcerum & Ambuſtionum, quoſcunque tandem in qualibet corporis parte contingentes, quovis tempore, à quavis cauſa oriundos, ſi præſertim prægreſſa ſint remedia univerſalia, quibus non præviis uſus Laudani noxius potius futurus eſt quam utilis.

CAPVT

CAPVT LIII.

De Extracto Aloës.

CVm Planta Aloe plurimis in hortis jam excolatur, ideoque jam notiſſima ſit, deſcriptionem illius ſingularem huc inferre ſupervacaneum exiſtimo; ſatis ſit dixiſſe in Officinis Pharmaceuticis Aloën vocari ſuccum illius plantæ condenſatum, ad nos ut plurimum ex Arabia aut Ægypto allatum, exſiccatum & pellibus involutum.

Hujus tres deſignantur ſpecies, viliori Caballinæ nomen inditum, tam ratione ſordium admiſtarum, quam quod Equorum gratia ſolummodo fere uſurpatur; nam mediæ ſortis Aloë, cum paulo purior ſit, & colore hepar referat, ea propter Hepaticæ nomen gerit: Puriſſima autem, & omnium præſtantiſſima, Succotrinæ, aut Socotrinæ nomen obtinet, tam ratione puritatis, quam Inſulæ Socotræ in qua inſignis illius copia colligitur: Ideoque ſola hæc admittenda eſt ſi parandum fuerit Extractum, quotieſcunque præſcribitur Aloë adſumenda, cujus prȩcipuæ bonitatis notæ ſunt color purpureus, nitens & pellucidus cum in fragmenta minima dividitur, odoriſque ſuavitas.

In Aloë duæ præſertim ſubſtantiæ obſervantur, quarum una ſalina eſt & aquea, facile in liquoribus analogis diſſolubilis: altera vero reſinoſæ naturæ, quæ commodiſſime tantum ſpiritu vini diluitur: Ad prioris diſſolutionem uſurpari poſſet aqua communis, ſicuti cum Opium diſſolvendum eſt, ſed ut plurimum accerſuntur liquores vim illius intendere idonei, aut ſaltem ventriculo robur addere ac inteſtinis durante illius actione, cujuſmodi ſunt ſucci rite depurati Roſarum pallidarum, violarum, cichorij, borraginis, bugloſſi, fumariæ, &c. Procedendi ratio in utraque extractione adeo illi affinis eſt quam adduxi in præparatione Opii, ut ineptum foret novam tradere deſcriptionem; id ſolum dixero duo vulgatiſſima Aloës Extracta in Officinis Pharmaceuticis præparati ſolita eſſe, prius quidem cum ſucco roſarum pallidarum, aut rubrarum; poſterius cum ſucco violarum, inſignita nominibus Aloës Roſatæ & Aloës Violatæ; ac omnino neceſſe eſſe ſub finem Spiritum vini accerſere ſi animus fuerit partem Aloës reſinoſam in Extractum transfundere, etſi nonnulli ſolam partem aqueam & ſalinam admittant, reſinoſam Balſamis vulnerariis deſtinantes, ad quos uſus commodiſſime revocatur pars iſta.

Ambo Aloës Extracta à me memorata iiſdem propemodum viribus prȩdita ſunt, eoſdemq; in uſus veniunt, id vero quod cum ſucco Roſarum

paratur purgandi vim paulo manifeſtiorem poſſidet quam quod cum ſucco Violarum conficitur; Poſterius vero quod ſpectat, latere nolo compoſitionem Pilularum Angelicarum, apud Pharmacopœos Francofurtenſes jampridem titulo Pilularum Francofurtenſium venalium, arcani inſignis vice habentes, beneficium ſibi ſolis aſſumpturos.

Accipiatur, exempli gratia, Aloës electæ pulveratæ libra una; Balneo mariæ, Cinerum vel Arenæ, pars aquea ſalina diſſolvatur, in ſucco violarum recens expreſſo, Reſinoſa autem in ſpiritu vini: filtrentur & confundantur ambæ diſſolutiones in pelvi fictili vitreata; igne leniſſimo humidum redundans in vapores abeat, donec cuncta in mellis conſiſtentiam condenſata fuerint; demum addito duplo pondere recentis ſucci violarum, eodem caloris gradu in vapores ſolvatur, donec maſſa eo uſque ſpiſſeſcat vt exinde effingi poſſint Pilulæ, nequaquam diſcrepantes ab iis quæ tanta celebritate nominis gaudent, audiuntque Pilulæ Francofurtenſes, quarum præſtantia ſita eſt in temperatione & mitigatione acrimoniæ Aloës, inducta à ſucco violarum; cujus acrimoniæ cauſa plurimi vſu illarum interdicunt tum viros tum mulieres, hæmorrhoidum fluore laborantes, hæmoptyſi, hæmorrhagiæ, aut cuicumque tandem ſanguinis fluore, tum eos qui ulcere pulmonum laborant, aut qui maraſmo vel tabe ob febres lentas affecti ſunt, ſicuti & mulieres gravidas, reſerationis vaſorum metu, aliorumve ſymptomatum ab uſu Aloës imminentium; Alias, ſi abfuerint prænominata, conducere plurimum cenſent Extractum Aloës ad tuendam probam valetudinem, ventriculum ab humoribus corruptis eluendum, illius tunicis pertinaciter ſæpe adhærentium, & ad reſerandas obſtructiones Iecoris & Lienis aliorumque viſcerum, eluendaſque ſimul latentes in iis ſordes, corroboratiſque una partibus

Nonnulli Aloë adjungi voluerunt, præter ſuccum violarum, Roſarum, Fumariæ, Borraginis, Bugloſſi ſuccos: Alii quinetiam Cardui benedicti, Chamomillæ, Chamædryos & Veronicæ addi voluerunt, rati ejuſmodi ſuccos in partes compoſitionis Pilularum Angelicarum venire, aut Francofurtenſium; ſed etiamſi maxima illorum ſuccorum pars ad affectus ventriculi, jecoris aut lienis admitti queat, præter incrementum, neutiquam neceſſarium, ponderis & molis harum Pilularum, à conjunctis illis expectanda non eſt mitigatio acrimoniæ Aloës, id quod commodiſſime præſtat ſuccus violarum, interim dum inſignis immutatio legitimæ harum Pilularum formulæ accedat neceſſe eſt.

Ejuſmodi Pilulæ exiguæ admodum concinnantur, adeo ut vix dimidii grani pondus unaquæque attingat; Adſumi ſolent nebulis obvolutæ, aut ex pulpa pomi aſſi, vel condito aliquo, à quinque aux ſex ad quinde-

quindecim aut viginti grana in menſæ introitu, aut, quod ſatius ante cœnam; cum enim illarum operatio ut plurimum ſuccedere ſoleat decem aut duodecim horis ab iis deglutitis, per id temporis intervalum ſomno indulgere licet.

CAPUT LIV.

De Extractis Rhabarbari & Sennæ.

MAxima pars puriſſimæ Rhabarbari ſubſtantiæ aquea cum ſit & ſalina, ſicuti & Sennæ, menſtrua aquea ad illarum extractionem admitti debent: poſtquam vero hæc ſubſtantia rite extracta fuit, tantillum Spiritus vini uſurpandum eſt ad diſſolvendam pauxillam partem reſinoſam in magmate reliquam.

Res ut ſuccedat, poſtquam contuſa fuerit, aut minutiſſime diſſecta Rhabarbari electi libra una, Vitreaque cucurbita excepta, affundendæ erunt aquæ diſtillatæ cichorij aut endiviæ libræ quatuor; demum commiſſa cucurbita arenæ balneo, ſubditoque illi igne moderatiſſimo per horas decem aut duodecim, percolanda erit & validiſſime exprimenda Tinctura: Poſtmodum magmate iterum Cucurbitæ immiſſo, ſuperfuſiſque adhuc recentis aquæ cichorij libris duabus, maceratio eodem Balneo repetenda erit, eodemque ignis tenore per horas ſex; colatis & expreſſis materiis, magmateque iterum in Cucurbitam injecto, deſuper affundenda erit libra una ſpiritus vini alkoolifati, ſuperimpoſitoque illi Alembico cœco, optime loricato, eidem Balneo Cucurbitam cemmittendo, iterataque maceratione per ſex horas, omnia percolentur valideque exprimantur; demum Tinctura iſta præcedentibus affuſa, mixturaque hac per chartam emporeticam tranſmiſſa, filtratus liquor in pelvim fictilem probe vitreatam infundendus erit; humidi ſuperflui in auras diſceſſum igne moderatiſſimo procurando, eo uſque pergendo donec præçipua Rhabarbari ſubſtantia in pelvis fundo extracti forma remaneat.

Ne vero quicquam utilium Rhabarbari partium pereat, exſiccatum illius magma comburendum & in cineres deducendum mediis uſitatis, tantillum Salis fixi forte ſuperſtitis ex illo extrahendo, Extracto commiſcendi, in vaſe Faventino poſtea reponendi, optime obturando; ad uſus idoneos ſervando, addita tunc temporis, ſi libet, gutta una aut altera Olei Cinnamomi, aut Caryophyllorum.

Non eſt neceſſe contundere aut incidere Folia Sennæ ſi illius Extractum parandum fuerit, rite illa expurgaſſe ſatis eſt priuſquam in uſum ducantur, quoad cætera eodem pede procedendo quo ad Rhabarbari Extractum.

Extracto Rhabarbari lenius & ſalutarius purgans non datur; nulla quippe vi vitioſos humores ex ventriculo & inteſtinis educit, ſed cunctas partes præterea, in quibus illi reſidebunt, corroborat, eorumdemque humorum malignitatem caſtigat: Bilis purgans ſpecificum cenſetur, ab illis præſertim qui medicamenta elective purgantia ſtatuunt, etſi nullum humores ſimul confuſos ab invicem ſecernere valeat, unicumque ſeorſum educere, quin ceteri commixti ſimul & ſemel prodeant.

Hoc Extractum Diarrhœa præſente præſcribi ſolet, Lienteria, Dyſenteria, Ictero, Cachexia, cunctiſque affectibus Ventriculi, Iecoris & Lienis: ſicuti & in febribus Tertianis aliiſque bilioſis, & ad Vermes necandos; Adſumitur à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo ad drachmam integram, Boli forma aut Pilularum, nebulis involvendo, aut, ſi libet, in liquore quopiam idoneo diſſolvendo.

Sennæ Extractum conducere potiſſimum cenſetur vacuationi humorum melancholicorum; neque tamen cenſendum idem ineptum eſſe expurgandis bilioſis, quinimo & quibuſvis in ventriculo aut in-teſtinis obviis convenit, Illius eadem quæ Extracti Rhabarbari doſis.

CAPVT LV.

De Extracto Colocynthidis.

Colocynthis, Cucurbitæ ſpecies, magnitudine & figura pomum Aurantium referens, cortice dempto levis & candida adparet, ſaporis ad ſummum amari, ſubſtantiis duabus præcipuis eſt donata, una aquea, ſalina, altera reſinoſa, Poſtrema vero hæc quam in Rhabarbaro paulo uberior, quamobrem nonnulli Authores ſolum vini ſpiritum ad illius extractionem admiſerunt, inter cæteros Martinus Rulandus, qui cum familiari in uſu haberet Tincturam colocynthidis, eapropter vini Spiritu utebatur, ejuſmodi Tincturam Spiritus vitæ aurei nomine donans; At cum convenientiſſimum ſit Extractum in ſe complecti æqualiter utramque Colocynthidis ſubſtantiam, ſucceſſus melior futurus eſt hac via procedendo.

Optime perpurgata Colocynthide ab omnibus granis, pulpaque minutiſſime inciſa, illius libra una Cucurbitæ vitreæ grandiori immittatur; hac Balneo arenæ impoſita, affuſiſque Colocynthidi vini albi recentis optimi libris ſex, Cucurbita capitello ſuo cooperiatur; hac optime loricata, adaptatoque exiguo Recipiente illius roſtro, Infra Balneum accendatur ignis, qui mitiſſimus fovendus ſpatio decem aut duodecim horarum, Demum vaſis luto ſpoliatis, percolata ac valide expreſſa infuſione, liquore expreſſo ſeorſum repoſito, ac Magmate Cucurbitæ rurſus immiſſo, huic ſuperfundendæ erunt Spiritus vini optimi libræ duæ, nec non is quem effudit vinum ad priorem Tincturam uſurpatum, qui in Recipiens exſtillaverat; Poſtea ſuperimpoſito Cucurbitæ Alembico cœco, accuratiſſime luto obducto, cunctiſque per horas duodecim maceratis in Balneo, à priori non abſimili, ſed paulo minus calente, percolanda erit & valide exprimenda hęc Tinctura, quæ priori remixta, utraque autem per chartam emporeticam tranſmiſſa, in Cucurbitam rurſum effundatur, qua alembico ſuo cooperta, accurate loricato, adaptatoque hujus proboſcidi Recipiente ſimiliter incruſtato, Balneo arenæ educendum erit, igne moderatiſſimo, quicquid Spiritus vini inerat, ad ſimiles Tincturas adhuc idonei; Omnibus autem exemptis, vaſiſque decruſtatis, in pelvim fictilem probe vitreatam infundendum erit quicquid liquoris in Cucurbita reſiduum erat, humoris ſuperflui abſumptionem igne modico paulatim procurando, donec hæc Tinctura propemodum Roob conſiſtentiam adepta ſit: quæ ſponte refrigerata lagenæ committenda eſt, uſus tempore aliis Extractis purgantibus remiſcenda, cum in vapores propemodum omnis illorum diſceſſit, vel in alios uſus adducenda, licet &, ſi lubet, protrahi evaporatio, iſtudque Roob in verum Colocynthidis Extractum adduci.

Nonuulli iſtud Extractum præparaturi utuntur Trochiſcis Alhandal, compoſitis ex pulpa Colocynthidis in pulverem deducta, ac mucilagine gummi Tragacanthi, eum in finem ut obtundatur aculeus, & Colocynthidis actionis vehementia, tum ut condenſetur & adaugeatur Extractum, ex ſe parvæ molis, id quod per me illis licet qui hos in ſcopos tendunt.

Præcipuus effectus Extracti Colocynthidis eſt eductio ſeroſorum humorum è maxime diſſitis corporis partibus: quo fit ut commodiſſime in uſum ducatur ad vacuandas hydropicorum aquas, remediis lenioribus non obedientes, Conducit in Articulorum affectibus, in Arthritide, Rheumatiſmo, aliis Extractis illud remiſcendo, præſertim Rhabarbari, ad frænandam nimiam illius vehementiam, ac robur

partibus ſimul conciliandum : Seorſum Pilularum involutarum forma exhibetur, à duobus aut tribus granis ad octo vel decem, vel commixtum aliis Extractis, dozis tunc obſervata proportione, reſpectu habito virium cæterorum Extractorum.

CAPVT LVI.

De Extracto Eſulæ.

HAc in præparatione, uti neque in aliis, ſectator ero antiquorum, radicem Eſulæ in aceto infundentium, ne à potentiore hoc acido nimium obtundatur id quod in hoc extracto potiſſimum diſquiritur, videlicet vis ſpecifica ſeroſos humores evacuandi, ſpeciatim hydropicorum; ratus quippe hanc præparationem per pulchre poſſe inſtitui nullo ejuſmodi uſurpato acido, ſi hac methodo uſus quis fuerit.

Menſe Maijo, tempore ſereno, colligatur quantitas ſufficiens Eſulæ minoris, totam adſumendo plantam, hęc probe abluta, demum in mortario marmoreo piſtillo ligneo contuſa, immittatur Cucurbitæ vitreæ, adeo ut tertia pars vacua ſuperſit, demum affuſo vino albo recenti optimo, adeo ut quatuor digitis emineat, cooperienda erit Cucurbita impoſito Alembico cœco, probe loricato, quæ per horas viginti quatuor Balneo arenæ commiſſa, igne lentiſſima, percolanda erit & exprimenda infuſio, ſeorſum reponenda: demum magmate Cucurbitæ rurſus immiſſo, & ſuperfuſo ſpiritu vini alkooliſato, donec id ſemi digito tranſverſo ſuperet, imponendum rurſus erit Cucurbitę Alēbicum cœcum, ac futuris probe undique loricatis, illa per quinque aut ſex horas in eodem balneo detineatur, factaque iterata colatura & expreſſione poſtremæ hujus infuſionis,ac liquore expreſſo priori confuſo, tranſmiſſio fiat per chartam emporeticam; quo iterum Cucurbitæ perpurgatæ immiſſo, Balneo Arenæ impoſito, alembico proprio ſuperpoſito, probeque luto obductis commiſſuris, non ſecus ac Recipientis roſtro illius adaptati, eliciendus erit Spiritus vini igne moderato; dehinc ſubſidentia in pelvim fictilem probe vitreatam infuſa, in eodem Balneo collocatam, humidum ſupervacaneum vaporum forme abſumendum erit, donec id quod ſuperſtes futurum eſt Extracti conſiſtentiam adeptum ſit, id ſponte refrigeratum aromatum vi imimbuendum erit, inſtillatis aliquot guttis Olei ſtillatitii Aniſi, Caryo-

phyllorum aut Cinnamomi, ad uſus reponendum.

Extractum Eſulæ potentiſſimum eſt Hydragogum, eapropter feliciſſimo eventu præſcribitur à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, Boli forma aut Pilularum adſumendum, ad exhauriendas hydropicorum aquas, aliquoties uſum repetendo auctaque dozi pro re nata.

Plurima alia Extracta ſeroſis humoribus vacuandis idonea confici poſſunt, nominatim ex radicibus Iridis noſtratis, Bryoniæ & Sambuci, ex illis ſuccum eliciendo, hunc depurando & ad Extracti conſiſtentiam leniter deducendo exceptum pelvi fictili probe vitreata, ad Extractorum ſpiſſitudinem; Vel macerando dictas radices optime contuſas in vino albo ſpatio decem aut duodecim horarum, colatura facta & expreſſione infuſionis, filtratione & evaporatione liquoris ad debitam uſque conſiſtentiam: Doſis uſus ejuſmodi Extractorum eadem propemodum quæ Eſulæ

Præparatur etiam Extractum Hydragogum multo vehementius prædictis, ex ſucco depurato fructus Cucumeris agreſtis, lento illum igne inſpiſſando, immiſſum pelvi fictili vitreatæ ad conſiſtentiam Extractorum, Id quod inde paratur vocant Elaterium, cujus doſis eſt unius, duorum trium, aut ad ſummum quatuor granorum.

Mitto Extracta quæ confici poſſunt ex foliis & ſeminibus Sol id ancellæ, Laureolæ, Meſerei, Ebuli, Sambuci, &c. quorum præparatio difficilis non eſſet ſi uſitata forent.

Neque inutile fuerit exſiccare horum Extractorum magma, idque comburere, Salis eliciendi cauſa, illis commiſcendi cum perfecta fuerint.

CAPUT LVII.

De Extracto, Reſina, aut Magiſterio Scammonij.

Etiamſi diſtillando Scammonium ex Retorta quinque ſubſtantiæ, (è reliquis partibus Vegetabilium extrahi ſolitæ) educi poſſent, nihilominus id laboris non ſuſcipitur, quippe cum remedia alicujus præſtantiæ inde expectanda non ſint, parſque reſinoſa ſola excipi ſoleat, cujus uſus creberrimus eſt poſtquam à terreſtri ſecreta fuit.

Res ad votum ſuccedit, ſi Scammoni electi, puriſſimi, reſinoſi & levis libra una ſubtiliſſime trita immittatur Cucurbitæ vitreæ, ſuperfundaturque Spiritus vini alkooliſatus, adeo ut quatuor tranſverſis digitis ſuperet; Tunc cooperienda Cucurbita impoſito Alembico cœco, accurateque loricatis juncturis, ſeduloque commotis materiebus, quo facilius ſubeat Spiritus vini, committenda Cucurbita Balneo arenæ leniſſime excalefacto, inibi ſpatio viginti quatuor horarum detinenda, per vices cuncta verſando; Demum decantata, & ſeorſim repoſita Tinctura colorata & clara, eminente parti non diſſolutæ, illi ſuperaffundendum tantum Spiritus vini quantum prima vice; impoſitoque iterum Cucurbitæ Alembico cœco, rite loricato, repetenda erit digeſtio eodem Balneo per idem temporis ſpatium, commovendo materias etiam per intervalla; id quod ſatis futurum eſt ad integram diſſolutionem partis reſinoſæ Scammonij: Tum per chartam emporeticam trajicienda eſt dicta Tinctura, probeque mundata Cucurbita, illa infundenda erit una cum priore Tinctura clara facta & una commiſta, qua demum proprio alembico cooperta, luto bene obducta, adaptatoque roſtro Recipiente itidem loricato, Balneo arenæ committenda eſt, igneque moderato exſtillandæ circiter duæ partes Spiritus vini: Poſtea decruſtatis vaſis, in fundo ſuperſtes erit pars reſinoſa coloris purpurei, pellucidi, mellis inſtar rite cocti ſpiſſa, nomine Extracti Scammonij donanda, ſupra quod eminebit pars aquoſior ſpiritus vini, per decantationem ſecernenda: dehinc leniter excalefacta Cucurbita effundenda hæc Reſina in ſcutellam lapideam, aut exiguam pelvim vitreatam, quæ charta cooperta Soli exponenda, aut imponenda parti ſupernæ furni Piſtoris exſiccandi gratia, adeo ut in pulverem conteri poſſit cum ad uſum deducenda eſt.

Parari poteſt Magiſterium Scammonij, infuſa pelvi fictili parte Tincturæ Scammonij, ſuperfundendo aquæ frigidæ limpidæ pondus octuplum aut decuplũ: Hoc enim pacto Spiritus vini, à quo diſſoluta fuit ſubſtantia reſinoſa Scammonij, obtuſis viribus ab aquæ affuſione, prædictam ſubſtantiam dimittere cogitur, adeo ut liquor lactis inſtar ſe exhibeat, ſubſtantia autem reſinoſa à liquore ſecreta ad fundum fere tota præceps deferatur, reliqua parte liquori ſupernatante, aut lateribus pelvis adhærente, unde ſecernitur decantatione facta liquoris, Gummi Gotte eodem modo præparari poteſt.

Reſinæ Scammonij præcipuus effectus eſt purgatio humorum bilioſorum & pituitoſorum: Doſis illius eſt à quinque & ſex granis ad duodecim vel quindecim, conſervæ alicui remixta, vel cuipiam alii remedio, forma boli aut liquori idoneo commixta; ſed accurate prius tri-

turanda

curanda eſt, admiſcendo amygdalarum quartam partem, vel cujuſpiam è ſeminibus frigidis maioribus mundatis, ad diviſionem partium reſinæ, & prohibendum ne ventriculi tunicis adhæreſcat liquori ſupernatando, hincque oriantur tormina aut hypercatharſis.

CAPVT LVIII.

De Extracto, Reſina, aut Magiſterio Gialapæ.

CVm in Gialapa quam in Scammonio plures ſint partes terreſtres, aquoſæ & ſalinæ, pauciores autem reſinoſæ, eapropter commodum fuerit duo diverſa menſtrua adhibere ad diſſolutionem & extractionem ambarum harum ſubſtantiarum; contra quam ſentiant plurimi Authores, qui ſolius ſubſtantiæ reſinoſæ Gialapæ cupidi, contemptis cæteris partibus, ſolum vini ſpiritum ad illius extractionem adhibent: Sed vt in commodum cedant cunctæ Gialapæ partes, aſſumpta illius libra vna, in ſubtilem pulverem deducta, eaque cucurbita vitrea excepta, illi ſuperaffundantur libræ quatuor vini albi optimi, quibus optime commiſtis, impoſitoque cucurbitæ Alembico cœco, optime luto incruſtato, per horas vigintiquatuor ſuper balneo Arenæ detineatur, igne ſubdito moderatiſſimo, materias per vices commovendo, vaſis nequaquam decruſtatis, ſed tantummodo ſub finem, vaſe enim cœco detracto, ejuſque vice impoſito ſupra cucurbitam alembico, ac huius roſtri extremo adaptato Recipiente, etiam loricando, nonnihil augendus erit ignis balnei, vt ſolum exſtillet pars illius ſpirituoſa, quæ adſervanda: Dehinc decruſtatis vaſis, percolato & expreſſo id quod in cucurbita reliquum eſt, filtrato autem & ſeorſim repoſito liquore, magma in cucurbitam conjiciendum, deſuper affundendo ſpiritus vini rectificati libram vnam, vna cum prius exſtillato & adſervato: Poſtmodum materiis probe agitatis, coopertaque cucurbita, impoſito illi vaſe cœco, accurate loricato, per vigintiquatuor horas detineatur in Balneo arenæ, ſubdito igne moderatiſſimo; demum ſoluto dicto vaſe, in lagenam decantanda erit Tinctura limpida magmati ſupernatans, ſuperfuſaque iterum libra vna ſpiritus vini optimi, impoſito rurſum cucurbitæ vaſe cœco, dicto, bene loricato, cucurbita autem eidem Balneo commiſſa, repetenda erit maceratio per æquale temporis intervallum; demum filtro traducta, commiſtaque poſtrema hac Tinctura cum priore, ambæ, ſi lubet, commiſceri poterunt; quibus in pelvim fictilem vitreatam infuſis, humor ſuperfluus calore leniſſimo abſumendus erit, quovſque reſidentia ſufficientem ſpiſſi-

tudinem fuerit, & adipiſci queat, nacta (quo revera digna eſt) legitimum Gialapæ Extracti nomen; cui commodiſſime addi poterit Sal fixum, è magmate combuſto, ac in cineres deducto extrahendum.

Sin Reſinam quis ſeorſim conſequi voluerit, aut Magiſterium Gialapæ, ſolummodo diſquirenda erunt illa in poſtremis duabus Tincturis, cum ſpiritu vini elicitis; eadem via incedendo quam innui pro Reſina & Magiſterio Scammonii obtinendis.

Vires & doſis Reſinæ ac Magiſterii Gialapæ multum adfines ſunt illis quas obtinent Reſina & Magiſterium Scammonii: Extractum iiſdem pollet facultatibus, doʒis autem ad ſemi drachmam vſque extendi poteſt, tam ratione humiditatis quam aliarum partium Gialapæ pondus & molem Reſinæ adaugentium.

Eadem ratione parari poſſunt Extracta, Reſinæ & Magiſteria Agarici, Mechoacannæ, Turbith, Hermodactylorum, vtriuſque Hellebori ac plurimarum aliarum radicum, quarum partes cum Gialapa convenientiam aliquam obtinent.

CAPVT LIX.

De Extracto Panchymagogo.

APud Authores nulla occurrit cõpoſitio Chimica hoc Extracto tam diverſimode prodita, tum ratione ſimplicium illuc advocatorum, tum doʒeos horumque præparationis: Quæ res non paucas controverſias excitavit, imo futiles, à quibuſdam non minus nitide quam ſolide dilucidatas: Prætermiſſis vero ejuſmodi diſceptationibus, atque Extractorum deſcriptionibus apud Scriptores obviis, vnicam exhibiturus ſum, rationi admodum conſonam, tam ratione electionis medicamentorum, quam doʒeon & præparationis eorundem.

Accipiantur Extracti Aloës drachmæ duæ, Extracti Rhubarbari tantundem, Extracti Sennæ vncia vna, tantundem etiam Extractorum Scammonij, Gialapæ, Agarici & Colocynthidis, cum ſemuncia Extracti Hellebori nigri; Vnum quodque prædictorum Extractorum ea ratione quam propoſui capitibus præcedentibus præparandum, ſed ad eam vſque conſiſtentiam deducenda non ſunt, ſufficit enim vt mellis craſſitiem adepta ſint: Omnibus his Extractis confuſis & ſimul commiſtis in exigua pelvi fictili vitreata, Balneo arenæ impoſita, ſubjecto igne moderatiſſimo, paulatim humor ſuperfluus, vaporum forma abſumendus, leniter per vices rudicula commovendo, donec cuncta ſimul legiti-

mam Extracti conſiſtentiam nanciſcantur ; tum remota à Balneo pelvi. Extractoque fere refrigetato , Olei ſtillatitii Caryophyllorum guttæ quatuor commiſcendæ erunt , ac tantumdem Oleorum Fœniculi , Lavendulæ & Majoranæ ; Tunc Extractum perfectum erit , vaſe Faventino excipiendum , aut in veſica recondendum , vel aluta oleo leviter illita ad uſus cuſtodiendum.

Hanc methodum ſectatus ſi fueris , metuenda non eſt ſeparatio ſubſtantiarum reſinoſarum ab aqueis ſalinis concentratis , quam ſupponunt quidam poſſe contingere in hujus Extracti præparatione , niſi in pulverem deducerentur & amygdala aliquot adjicerentur , vel ſemina quæpiam frigida , ſimul trituranda ; aut niſi iterum in ſpiritu vini diſſolverentur; Experientia enim & Ratione teſtibus , ſubſtantiis his,quamquam diverſis , optime inter ſe convenit , conjunctimque perſtant quamdiu Extractum conſiſtentiam ſolitam tuetur: Neque ſubſtantiæ hæ reſinoſæ ab aqueo ſalinis ſecerni unquam queunt , niſi poſteriores hæ in liquore quopiam aqueo ſolutæ fuerint , à quo reſinoſæ diſſolvi nequeunt : Etiamſi vero commode hæ Reſinæ Extracto aqueo ſalino,bene condenſato & refrigerato commiſceri nequeant , niſi in pulverem contuſæ fuerint,prius exſiccatæ ; neque rite pulverari non admixto quopiam ſemine , vel alia quapiam materia oleaginea cujus vi partes ab invicem probe divellantur , hoc compertum eſt , hæ ſi recte cum Extracto commixtę fuerint , ſponte ab invicem nequaquam ſecedere; Neque etiamnum hac præparatione metuenda præcipuarum aromatum partium diſſipatio , quandoquidem non Extractum , quod plurimi Authores præcipiunt , parandum ex illis , huic commiſcendum , ſed eorum vice Olea illorum ſtillatitia uſurpantur , in quibus quaſi in compendio præcipuæ illorum vires continentur , neque Olea hæc diſſipationi idonea ſunt , quippe quæ refrigerato demum extracto adduntur.

Zvvelferi ſententiam quod ſpectat , cenſentis commode ope ſpiritus vini educi poſſe Extracta ex plantarum partibus , quarum ſubſtantia partim aqueo ſalina eſt,partim reſinoſa ; priſtinæ tenax ſum ſententiæ , ſcilicet priorem ope liquorum aqueorum educendam eſſe , antequam in uſum veniat ſpiritus vini ad poſterioris extractionem ; quandoquidem Spiritûs hic rectificatiſſimus , qualis expetitur , prioribus extrahendis impar eſt : Miror quoque virum , profeſſione olim Pharmacopoeum , ſcriptis ſuis collegarum ſuorum peritiam ſuſpectam reddidiſſe , neque prævidiſſe ipſorum caſtigationi ſe ſubmittere , cum in obſervationibus ad ſeptimam claſſem ſuæ Pharmacopœę , qua de Extractis , præcipit ſolum vini ſpiritum uſurpandum extrahendarum gratia

ſubſtantiarum harum complicatarum ; potiſſimum vero quando aſſeruit Salia volatilia, ſpeciatim vero Viperinum, facillime cum vini Spiritu coaleſcere; quandoquidem nulli non Pharmacopœo quotidie palam fit hæc Salia in vini Spiritu nequaquam diſſolvi ſi alkoolifatus ſit, totuſque flammæ in pabulum cedat : hunc vero eundem ſpiritum, diſſolvendo partes Oleagineas, pluribus Salibus volatilibus commixtas, ſuo ſinu eadem ſalia indiſſoluta comprehendere, eorum etiamnum diſſipationem prohibere illis ſupernatando, dummodo lagena accurate obturata fuerit; Ipſo pręterea etiamnum confitente à ſpiritu vini diſſolvi non poſſe ſalia fixa, quæ, ſicut & volatilia, potiſſima ſunt pars contentorum in parte aquea illarum Plantarum.

Huic Extracto Panchymagogi nomen fuit inditum, eo quod facultatem obtinet quoſcunque corporis vitioſos humores vacuandi; Exhibetur Pilularum obvolutarum forma, ſicuti alia Extracta, à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam vel ſcrupulos duos.

CAPVT L X.

De Feculis.

FEculæ in cenſu præparationum Chimicarum reponi poſſunt, perperam excogitarum, quibus carere ſatius eſſet quam in earum præparatione tempus terere, ſi præſertim iuxta mentem eorum, qui priores de iis quiddam ſcriptis conſignarunt, confectæ fuerint : Fæcum quidem nomen imponitur ſordibus ſecedentibus, & in imum plurium liquorum ſponte delatis; ſed hoc loco Feculæ vox nihil aliud deſignat quam ſubſtantiam candidam, farinæ more friabilem, ad imam partem præcipitem delatam & congeſtam, ſucci aut liquoris quarundam radicum, cujuſmodi ſunt Pæonia, Arum, Iris noſtras, &c. Subſtantia iſta alba & farinacea in umbra exſiccatur, vel inſolatur, ſecreto prius per inclinationem vaſis liquore[: Etiamſi vero nemini author fuerim ut ejuſmodi præparationes inſtituat, earum tamen rationem hoc loco traditurus ſum.

Accipiantur, ſi lubet, radices Bryoniæ, vel Iridis, aut alterius cujuſpiam plantæ, ſucculentæ & recens collectæ : hæ probe ablutę, & à cortice liberatæ, ſcobina minutim deterantur, expreſſoque per denſam telam illarum ſucco, per biduum aut triduum in pelvi fictili ſubſidere permittantur : per decantationem effundatur liquor clarus, ſupernatans materiæ albę ad imum detruſę, quę poſtmodum Solis radiis expoſita ex-

exſiccatur, aut ſenſim in umbra, vel, ſi res urget, Balneo Arenę, calore leniſſimo, quo pacto obtinemus id quod vocant Feculas radicis uſurpatæ, quæ nihil aliud eſſe poteſt quam materia viribus orba, deſtituta quippe ſucco ab illa ſecreto; è qua nequaquam expectandi ſunt effectus in Extractis latentes, quæ elicere licet è ſucco dictarum radicum, ratione ſupra à me jam tradita: Vlterius aſſero pulverem harum radicum, in taleolas diviſarum, una cum ſucco exſiccatarum, multo præſtantiorem eſſe cunctis Feculis, ex illorum mente præparatis.

Nomen Cherſæ, aut Gerſæ, ſpecialiter inditum eſt extracto exſiccato, educto è ſucco radicis Biſtortæ, quam etiam dicunt Serpentariam, è qua non ſecernitur liquor ſupernatans fæcibus, ſicuti fit in præparatione Fecularum prædictarum; nam illa una cum ſuis Fæcibus exſiccatur, dividendo & recondendo in exiguis vaſculis, Solique reponendo, donec in pulverem deduci queant.

CAPVT LXI.

De Salibus Vegetabilium.

QVandoquidem præparatio quorundam Salium Vegetabilium, de qua occaſione data, verba faciens ubi de diſtillatione partium plantarum à me actum, inſufficiens ſit omnino explicandę rei, non modo maximi momenti, ſed etiam ampliſſimę, operæ pretium me facturum credidi, ſi tanti negotio manum iterum admoverem, novas animadverſionem hic allaturus, eodem tempore publici iuris facturus methodum meam, non ſolum cina præparationes pro trivialibus habitas, ſed etiam eas, quæ cum pauciſſimis tantum perſpectæ ſint, occultæ delituerunt, aut ſaltem ſub involucris propoſitæ ab illis quibus forte ignotæ non fuerunt.

Olim exiſtimatum eſt Salia Vegetabilium volatilia nequaquam eſſe, eo quod illud quod mediis uſitatis extrahitur ad ignem non exhalat, fuſionemque potius experitur quam ut à fundo vaſis ſecedat cui immiſſum fuerit: Ejuſmodi error admiſſus non eſſet ſi Salium natura probe foret perſpecta, illorum præſertim quæ è vegetabilium familia educimus: hoc enim pro comperto habendum duplex, illorum ineſſe genus quorum unum ſapore Acido præditum eſt, alterum vero Salino; utrumq; horum Salium volatile eſſe propria indole, non minus quamdiu ſimul in uno eodemq; mixto commixta ſunt, ac quaſi cæteris principiis confuſa, intermediorũ quaſi mu nere fungentibus, quã cum artificio Chimico ab

invicem ſejuncta ſunt; at cum junata proprietate faciIlime ſibi copulentur, conjunctionem illorum accidere ſtatim ac à ceteris principiis divellantur; ſibique cum adſumant, ſi nihil obſtet, pauxillum partium terreſtrium, requiſitarum ut baſis vices tenere queant,& vinculi,ad mutuam connexionem, ſimul copulata Sal fixum conſtituere, quod plerique antiquorum, imo nonnulli neoterici, ſponte & propria natura ejuſmodi eſſe crediderunt, non perpendentes fixi qualitatem utrique horum Salium tantummodo contigiſſe à conjunctione volatilis cum acido, utriuſque autem cum particulis quibuſdam terreis, fundamenti vicem præbentibus.

Præterea cenſeo, etiamſi afferi poſſet nullam Plantam proprio carere Sale,idipſum tamen rite diſcernere arduum eſſe, aut tale dici non poſſe quin prius à ceteris ſubſtantiis diſcretum fuerit; via autem uſtionis & incinerationis materierum,cum omnium tritiſſima fit ad ea conſequenda,partem ſulphuream eo pacto in auras ſecedere,ſicuti & aqueam,quæ dilueus & infringens ſal acidum, prohibebat intimam illius cum ſale volatili conjunctionem.

Porro dico Salia, illa Acidum & Volatile, ubi liberata fuerint ab illis per quæ præſertim intricata detinebantur, adjuta autem à partibus ignis acidis, quibuſcum magna adfinitate conjunguntur, paulatim coaleſcere invicem, ſed arctiſſime; terram autem pauxillam tum temporis commiſtam, ad unitatem illorum conciliandam conferre, nedum impedimento eſſe, Sal autem inde exſurgens revera corpus eſſe conſtans ex Sale Acido & Sale Volatili, ac quibuſdam particulis terreis, quæ illis ſe comites adjunxerunt in tranſitu per filtrum, poſt diſſolutionem in aqua factam.

Illud etiamnum, ſtatuo ab Vſtione & Incineratione partium plantarum, contingere colliquationem quandam ſubſtantiarum, ac nominatim Salium, qua abſente, actione & reactione mutua illa prohiberentur, quæ neceſſario contingit ad intimam illorum conjunctionem, & conſtitutionem compoſiti cujuſmodi ſe nobis exhibet, cujus qualitates admodum diſcrepantes ab iis quæ in ceteris Salibus obſervantur,ſi quando ab invicem ſecernantur, nobis adparent; Generationem, conſiſtentiam ac formam cunctorum vegetabilium nobis obviorum ambobus his Salibus natales ſuos debere; Etiamſi vero ſeorſum ſubſiſtere queant, propria vero indole corruptioni non ſint obnoxia, ſi adeo conſtricta fuerint ut impervia ſint aëri, mutuas tamen ut ſtare poſſint melius conferre operas ſi intima conjunctione coërceantur, adeo ut efferre liceat illa propemodum ambos Naturæ polos, fundamentum, gluten, & baſin omnium illius operum,animatorum ſimul & inanimatorum, nullamque

que generationem illis deſtitutam Naturam, aut productionem præſtare, & ſemper illorum ſubſidium expoſcere.

CAPUT LXII.

De Sale Cardui Benedicti.

COmbuſtio & incineratio partium plantarum non ſemper neceſſaria eſt conjunctioni Salis volatilis cum acido ad compoſitionem Salis cujuſpiam fixi, quandoquidem, docente experientia, illis non concurrentibus, ex Carduo benedicto, Abſinthio, Oxalide, Centaurio, plurimiſque aliis plantis, licet extrahere Sal ex Acido & Alkali compoſitum, à natura fixorum non multum recedens, etſi non æque igni obſiſtere valeat ac id quod extrahi ſolet ex iiſdem plantis in cinerem redactis: Etiamſi vero illi ſubjici nequeat niſi manifeſtum ſuccedat partium illius decrementum, ac præſertim partis aqueæ, quæ illi arcte ſe conjunxerat; necnon abſque aliqua Acidi imminutione, quod nondum intime cohæſerat cum volatili, vel quantitate hoc ſuperaverat; cum tamen iſtud Sal ignis vehementiam expertum non ſit, cujuſmodi adhiberi ſolet ad Vſtionem & ad Incinerationem iſtarum Plantarum, in ſe autem partem illarum maxime eſſentialem comprehendat, ad Medicos uſus magis expetendum eſt quam id quod Incinerationem eſt paſſum, quandoquidem obtinet adhuc maximam partem ſubſtantię plantæ Sulphureæ, e qua eductum fuit, imo quodammodo illius ſaporem retinet & odorem, interim cum pars plantæ aquea, quæ in unum corpus cum illo coaluit, acrimoniæ illius partem ſine dubio obtundit: Ejuſmodi Salia Eſſentialia vocantur, quippe quæ in ſe plantæ partem maxime eſſentialem continent: Illorum color ut plurimum ad fuſcedinem vergit, niſi in crucibulo calcinentur, ac diſſolvantur, filtrentur, iterumque ad coagulationem adducantur, etſi multo melius ſatius ſit illa conſervaſſe, & uſurpaſſe fuſco ſuo colore donata, quam calcinatione adveniente partem illorum Sulphuream abſumpſiſſe, ac inſimul Plantæ ſapori & odori vim intuliſſe, quos non dimiſerant.

Exempla à me cum ſint allata Extractionis parandæ, depurationis, & humoris plantarum ſupervacanei abſumptionis, comparandi gratia Salis Eſſentialis; ſicuti & eorundem vſtionis, incinerationis, elixiviationis, filtrationis & coagulationis ad extractionem Salis Fixi, huc iterum venire non debent, ideoque ad iis abſtinendum cenſeo ne ulterius excreſcat hoc caput.

Sal Eſſentiale Cardui benedicti, cum in ſe contineat plurimas partes

eſſentiales illius plantæ, admodum idoneum eſt excitandis ſudoribus, præſertim ex propria aqua exhibitum ſi fuerit: Lumbricis adverſatur putredinique humorum ac febrium malignitati: quod è cineribus educitur iiſdem propemodum pollet facultatibus, vi tamen purgante magis quam diaphoretica: Poſtremum hoc porro cum fixius ſit, ideoque magis convenit Acidis obtundendis, à quibus fermentationes in ventriculo excitantur, ac partibus imi ventris: Vtrumque horum Salium datur à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo & integram ex aqua propria, inculo, vino aut quopiam alio liquore.

CAPVT LXIII.

De Sale Eſſentiali, Cremore, aut Cryſtallo Tartari.

NVllum inter vegetabilia mixtum nobis occurrit quod tantum Salis volatilis Salini, & Salis Acidi ſuppeditet ac Tartarum; Proprie enim loquendo ambo illa Salia maximam partem materiæ ejuſdem Tartari conſtituunt; neque enim alicujus momenti ſunt aqua & terra in illo obvia, pars autem Oleaginea perquam raro experi ſolet; Vvæ ſuccus Tartari parens eſt, Fermentatio mater, Dolium autem uterus: In exemplum ſingulare id proponi, debet conjunctionis naturalis Salis volatilis Salini cum ſale Acido, ac tranſitus prioris in fixum per poſtremi adjunctionem; ſicuti ad demonſtrandam lapidum generationem in noſtro corpore, quæ perficitur per adjunctionem ſalium acidorum ad volatilia, utrorumque autem ad particulas quaſdam terreſtres.

Commutatio hęc Salis volatilis ſalini Tartari in fixum multo magis adnaturalem accedit, multoque minori violentia perficitur quam quæ advenit Sali plantarum per incinerationem: Neque præterea ullum alium calorem admittit quam quem proprium acidum parit poſt excitatam fermentationem: Per actionem etiamnum & reactionem mutuam Salis illius acidi cum Sale volatili ſalino, & ſale volatili ſulphureo ſucci Vvarum dum peragitur fermentatio, idem Sal volatile ſulphureum ſibi adciſcit maximam partem partis aqueæ ejuſdem ſucci, atque ſalis acidi quantum illi ſatis eſt ad ſui perfectionem & ut in vinum tranſmutati queat: Ac rurſum per eandem actionem & reactionem alia pars ſalis volatilis ſalini conjungitur reliquo acido, ac nonnullæ portionei

partis

partis terreſtris ſucci, a qua cum fixitatem obtineat, &, ut ita dicam, lapidificationem, cryſtallorum forma ſe adplicat lateribus & fundis doliorum; Alia autem quædam portio ſalis volatilis ſulphurei mixta pauxillo Salino, parti cuipiam terreſtri, vini reliquiis quibuſdam, pauciſſimoque acido ad fundum dolii ſecedit, fæceſque conſtituit.

At non ſatis eſt Naturam cuncta hæc diſtinxiſſe, diverſaſque ſubſtantias in uno eodemque dolio congeſſiſſe, locis diſcretis has collocaſſe, etiam in uno eodemque vaſe, haſque qualitatibus non contemnendis donaſſe, ut quotidie in uſus varios venire queant, nulla etiam accedente præparatione egregia, Neceſſe etiam eſt Chimiam cunctis his præcellere, inſtitutiſque aliis & ſeparationibus & depurationibus, in apertam lucem proferre ſubſtantias latentes & confuſas multo manifeſtius ipſa Natura; ſicuti id ipſum evidenter adparuit ex præparationibus à me allatis circa Vinum & Acetum; conſpicuum autem amplius futurum eſt ex iis quas mox traditurus ſum circa Tartarum & vini fæcem.

Prima & omnium ſimpliciſſima Tartari præparatio eſt ejuſdem depuratio, quæ perfectior aut imperfectior fieri poteſt pro artificis arbitrio: Electum enim Tartarum puriſſimum, maxime pellucidum, ac cryſtallinum, in tenuiſſimum pulverem conteritur, quem nonnullis ſatis eſt in aqua pura, fontana aut fluviatili, concutere ac eluere; donec aqua aſſumpta nullas amplius ſordes à Tartaro auferat, ac non minus pura effundatur quam cum illi affuſa eſt: Ejuſmodi tamen Lotio Tartaro ultimam puritatem conciliare nequit, ſegregat enim ſolum partes ligneas & terreſtres, dummodo arenularum naturam non reſipiant, Tartaroque eam diſpoſitionem inducit ut facilius ad quoſcunque uſus adduci queat: Imo hunc nonnulli potiorem illo cenſent qui in aqua ferrente diſſolutus fuit, rati ejuſmodi depurationem ſecum inferre aliquam diminutionem virium aut ſubſtantiæ detrimentum.

Secunda & magis intima Tartari depuratio eſt ejuſdem in Cremorem aut Cryſtallos converſio, cujus præparationis hæc eſt ratio, Accipiantur, exempli gratia, Tartari prædicto modo loti libræ tres vel quatuor; excipiantur capaci aheno cupreo mundiſſimo, cui ſubdatur luculentus ignis carbonum, affuſa aquæ puriſſimæ decupla portione; Poſtquam ferbuerint per horæ quadrantem, ex intervallis, rudicula lignea commovendo, ſpumamque demendo, tranſmiſſio fiat per manicam panneam, imo iterata colatura prioris liquoris, curando ut totus liquor limpidiſſimus evadat: Vniverſo percolato, ſponteque frigefacto, nonnihil Cremoris liquori ſupernatantis occurret, cruſtæ inſtar, reliquum vero ſalis Eſſentialis Tartari, forma exiguorum Cryſtallorum

lateribus & fundo vaſorum affixum, colligendum, lavandum & exſiccandum, ad uſus, citra alium adparatum, ſi lubet, adſervandum; Sin elegantior expetatur, ac in cryſtallos majores concretus, elixandus erit in magna ſartagine affuſa nova aqua limpidiſſima; cum vero omnino diſſolutus fuerit, aqua autem in tantum imminuta ut cremor ſupernatare pelliculæ inſtar deprehendatur, Sartago leniter ab igne removenda, ſponteque refrigerato liquore, atque inconcuſſo, deprehendetur cremor ſat denſus illi ſupernatans, Cryſtalli autem albæ & nitentes, lateribus & fundo ſartaginis adfixæ, hæ lotæ & exſiccatæ ad uſus reponendæ ſunt.

Ingens quantitas Cryſtallorum Tartari quæ conficitur in regionibus quibus Tartarus vulgaris eſt, in cauſa eſt ut non timide in uſum ducantur vaſa cuprea, etſi multo ſatius eſſet Tartarum decoquere in patellis ſtanneis ſonoris; Etſi enim Tartarum cito pervadere nequeat, ac diſſolvere æris magnam quantitatem, per moram tamen, etſi brevem, aliquas particulas abſtrahit, quæ proculdubio cremori aut cryſtallis confunduntur, ſicuti id obſervare eſt in Cryſtallis Tartari ejuſmodi in vaſis præparatis, illorum enim ſubſtantia eſt opaca, color autem candidus ſed ad cupreum tantillum vergens: præparatæ contra in ſtanno puriſſimo albiſſimæ ſunt, imo utcunque pellucidæ.

Diviſio partium Salis hujus Eſſentialis per uſum manicæ inducta, efficit ut fere forma pulveris in fundo & lateribus vaſorum occurrat, adeo ut ſi Cryſtallorum forma expetatur, poſtquam diſſolutum fuerit & elixatum in recenti aqua, leniſſime poſtmodum ſubducendum ſit igni vas, quo liquore nequaquam commoto, ac Salis eſſentialis partibus nequaquam abruptis, cryſtalli magis integræ & elegantiores exſurgant.

Interim in hoc Sale Eſſentiali omnino ſtupenda eſt vis acidi, juſta proportione commixti, & volatili coadunati, quandoquidem novum corpus cum illo conſtituens, diſſolutionem non patitur in aquis frigidis, at tantum in ferventibus, imo ab illis ſeparatur, ac iterum in cryſtallos abit prout refrigeſcunt; Hæc tamen vnitas adeo conſtans non eſt quin artificio dirim nequeat, nam adde quod ſi dictæ Cryſtalli igni committantur, & portio partis acidæ crucibulo indita aut retortæ in vapores diſſolvatur, Sal ſuperſtes aciditate ſpoliatum reperiatur, depoſitaque priſtina natura in aqua diſſolutionem patiatur, etſi ignis vehementiam eludat, in illo fixum & conſtans permanens; vnitas præterea dicta diſſolvi poteſt addendo ſalibus illis coniuctis quoddam acidum recens, quod cum diverſæ ſit naturæ à priore, non prohibet quominus in aqua diſſolubilia ſint ſicuti cum ſeorſim exiſtebant;

ſtebant; non tamen acidum volatili priori indoli reſtituendo, quod æque fere uti prius fixum permanet, dummodo proportionem neceſſariam non exceſſerit.

Eadem unitas poteſt præterea diſſolvi, Sal iſtud Eſſentiale diluendo in aqua, addito Sale Tartari, cujuſmodi calcinationis ope præparatur; eo enim pacto cum acidum ab aliis ſalibus ſuperetur, tantam autem copiam complecti nequeat, id quod cohibere ſibique adſumere non valuit, priſtinam reſumit naturam, adeo ut cuncta ſimul in aqua diſſolubilia evadant.

Præcipuus uſus Cremoris aut Cryſtalli Tartari ſpectat inciſionem & digeſtionem craſſorum & viſcidorum humorum, quos ad purgationem prædiſponit: Felici quoque ſucceſſu adhibetur in obſtructionibus Iecoris, Lienis omniumque viſcerum, imo uſus ad plurimos dius pro re nata protrahitur, Datur à ſcrupulo uno ad drachmam ex juſculo vel liquore aliquo calente, in quo prius diſſolvatur.

CAPVT LXIV.

De Cryſtallo Tartari Chalybeato.

QVandoquidem vis aperiens Salis vitrioli, in Chalybe deliteſcens, non parvas vires adjicere valet Cremori aut Cryſtallo Tartari, ideo commodum viſum fuit quibuſdam utraque conjungere, atque ex his remedium compoſitum efficere, cui Cremoris nomen impoſitum fuit, aut Cryſtalli Tartari Chalybeati.

Ad hujus præparationem prius in pulverem conteri debent Cryſtallorum Tartari libra una, in aquæ libris decem elixari ac diſsolvi; ſub finem adjiciendo limaturæ Chalybis uncias tres, probeque limatura hac in aqua commota, calide per manicam panneam tranſmittenda eſt, poſtea ſponte refrigerata aqua ſecernantur & exſiccentur Cryſtalla parte vitriolica chalybis ab ipſis diſſoluta prægnantia.

Alii, eadem obſervata aquæ proportione, Limaturæ Chalybis & Cryſtallorum Tartari, ſimul hæc ab initio igni committendo, per quadrantem horę elixant, quoad cætera eandem viam ac primi tenentes.

Nonnulli, prius diſſolutione facta libræ unius Cryſtallorum Tartari in aqua fervente, ſolummodo adjiciunt unciam unam vitrioli Martis, præparati cum ſpiritu vitrioli, ſicuti ſuo loco oſtenſurus ſum; demum refrigerato hoc liquore, eximunt Cryſtallos lateribus & fundo vaſis adhærentes, exſiccari curant & ad uſus reponunt.

Quidam prudenter admodum prius pulveriſatis Cryſtallorum Tartari unciis quatuor, & drachmis duabus Vitrioli Martis, eadem humectant & in maſſam redigunt, cum unciis circiter duabus cujuſpiam aquæ cordialis, quam exſiccatam & in pulverem contritam, additiſque aliquot guttis Olei Cinnamomi ſtillatitii, aut Caryophyllorum, hunc Pulverem donant nomine Cryſtalli Tartari chalybeati: Ex ejuſmodi præparationibus quiſquis eliget eam quæ magis arriſerit.

CryſtallumTartari chalybeatū cenſetur remedium ſpecificum plurimorum affectuum chronicorum, ac præſertim obſtructionum Iecoris & Lienis, Icteri, Febris Quartanæ, Melancholiæ hypochondriacæ, menſium ſuppreſſionis, Cachexiæ, omniumque vitiorum quibus ortum dedere uterinæ obſtructiones: Etſi vero non pauci & antiqui & neoterici authores id genus remedii uſurpare ſoleant ad curationem ejuſmodi affectuum, ac ut plurimum diſquiſitione non prægreſſa illorum originis, nulloque adhibito diſcrimine, abſtinendum tamen judico ſi morbis his cauſam præbuerint Acida, eo quippe in caſu confugiendum ad præparationes quæ horum aculeos obtundere valeant, nimiam actionem domare, humoribuſque fluiditatem conciliare qui ab ejuſmodi Acidis fixi redditi fuerunt: Vtiliter ſolum in uſum venit hoc Tartari Cryſtallum Chalybeatum poſt remedia univerſalia, præſertim præmiſſis purgantibus, ad quæ iterum atque iterum pro re nata deveniendum: Exhibetur à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, ex iuſculo vel liquore quopiam calente, mane, jejuno ventriculo, pergendo in uſu quamdiu uſus poſtulaverit.

CAPVT LXV.

De Cryſtallo Tartari Emetico.

ELectio adhiberi ſolita Cryſtalli Tartari, ad coërcendam & quaſi concentrandam vim Antimonij Emeticam, proculdubio probanda fuerit, ut pote rationi conſona, illis qui perpenſuri ſunt partem acidam cryſtalli, temperando vehementiam, manſuetiores hujus effectus reddere; adeo ut prægreſſis quibuſdam vomitibus, exoneratoque ea via ventriculo parte ſaburræ & Cacochymiæ moleſtæ, reliquum per inferiora ſecedat una cum fęcibus in prima & ſecunda regione obviis.

CryſtallumTartari cum ſit baſis iſtius præparationis, noluiin cenſum veniret illarum quæ ex Antimonio fiunt, etſi huic præcipui effectus adſignandi ſint: Eadem quoque de cauſa hic ſilentio prætereo ea quæ Antimonium

monium ſpectant, uti etiam Aquam compotam, ad hujus Cryſtalli præparationem uſurpandam.

Accipiantur Cryſtalli Tartari unciæ quatuor, Croci metallorum tantundem, cum Sale Abſinthij præparati, ſicuti oſtenſurus ſum cum de Antimonij præparationibus ediſſeram; illis in pulverem ſubtilem deductis; huic autem grandi Matratio excepto, affundantur libræ quatuor Aquæ Benedictæ Serpilli Mynſicthi, cujus deſcriptionem tradíturus ſum parte poſtrema hujus operis; demum obturatum Matratium per quadrituum Arenæ Balneo committatur, igne moderato ſubdito, materias per vices verſando; Poſtmodum augendus erit ignis Balnei, adeo ut liquor aliquantiſper ferveat, qui calens per manicam panneam tranſmittendus, ſuperſtite croco metallorum in fundo Matratii: Tandem liquore probe refrigerato ſecernenda erunt & exſiccanda Cryſtalla, quæ exſiccata & pulveriſata ad uſus reponentur.

Cryſtallo hoc lenius & præſtantius Emeticum præparari non poteſt; Eapropter etiam omni ætati & ſexui exhibetur, imo & iis qui maxime teneræ ſunt conſtitutionis, atque ſecurius quam quodvis aliud Emeticum ex Antimonio petitum, aliiſve mineralibus: Commodiſſime in uſum accerſitur adverſus Lethargum, Epilepſiam, Apoplexiam, Delitia, mentis aberrationes, cunctoſque cerebri affectus; Ad vitia Ventriculi, ſubverſiones, Icterum, Hydropem, Febrem Quartanam, Tertianam & Quotidianam, imo & continuas bilioſas: In uſum etiam accerſitur ad expellendum è ventriculo ingeſtum venenum, aliaſque materias morbificas: Exhibetur hoc Cryſtallum à tribus vel quatuor, ad octo vel decem grana, ex Iuſculo vel alio quopiam liquore calente.

Etiamſi porro Cryſtallum hoc vomitivum quam leniſſimam operationem exſerat, imo mitiorem quam quodvis aliud Emeticum, non propterea ſunt prętermittendę cautiones alias obſervandæ ſi artificio provocandus vomitus: quarum præcipuæ ſunt ne detur iis qui in hæmoptyſin poni ſunt, qui Pulmonum, aliarumque partium internarum ulceribus laborant; quibus anguſtum eſt pectus; aut qui difficulter vomitu ventricolum deplent: Neque etiamnum porrigi debet mulieribus gravidis: Neque præterea omittenda eſt exhibitio Iuſculi pinguis, ex butyro vel carnibus confecti, illis qui medicamentum hauſerunt, inchoante ſuperna excretione ut facilior ſuccedat vomitus & ſine labore.

CAPUT LXVI.

De Sale Fixo Tartari, Ejuſque in Liquorem ſolutione.

IN controverſiam adducenda non eſt Fixi qualitas, ab antiquioribus & Neotericis Sali Tartari adſcripta, ſi mediis ordinariis præparatum fuerit, adhibito igne vehementi; Sed immerito quis in eam abiret opinionem Sal ejuſmodi tale ex ſe eſſe, cum propria natura admodum volatile ſit, eandemque laudabilem conditionem conſervaturum eſſet, niſi, uti alibi innui, à Sale acido, quod compoſitionis Tartari partem conſtituit, fixum redderetur, intimam cum illo conjunctionem ope calcinationis admittens.

Ejuſmodi tamen alteratio, quanquam inſignis ſit, deſtructionem illius non molitur, quandoquidem maxima hujus ſalis pars priſtinæ volatilitati reſtitui poteſt ſi à vinculis hoc expeditum fuerit ea propter ſecreto vel ſuperato Acido, aut ſi utriuſque conjunctio præpedita fuerit: Illorum tamen unitas commodo non omnino caret, quandoquidem fixiore reddito Sale volatili, ejuſdem diſſolutionem prohibetur, & in plurimos uſus hoc in ſtatu venire poteſt, ad quos Sal volatile ſolitarium incaſſum accerſeretur, cum igni obſiſtere non valeat.

Subſidentia diſtillationis Spiritus & Olei Tartari, de quibus jam ſuperius à me actum, non inutilis futura eſt ſi igne aperto calcinationi exponatur, mediiſque uſitatis Sal abſtractum fuerit: Quibus porro curæ non eſt Spiritus, uti neque Oleum Tartari, immittant illi Tartari crudi libras aliquot ſacco ex craſſa papyro confecto, qui probe ad alligatus, & aquæ immerſus, donec hæc illum tantillum pervaſerit, imponendus medio foco ingentis Fornacis, carbonibus probe accenſis ſemirepletæ; qui illis omnino coopertus continendus bihorio, igne luculento; quo temporis ſpatio exacto, igneq; extincto, offert ſe Tartarus calcinatus, maſſæ nigricantis ſpecie, conſtantis ex Sale acido, conjuncto Sali volatili, ab illo fixo reddito, ac præterea parte terreſtri Tartari illis commiſta: conteritur poſtea hęc Maſſa, atque aquæ non exiguę quantitati injecta elixationi committitur, traductoque per chartam emporeticam liquore, reaffuſa aqua recenti ſubſidentiæ, reiteraque ebullitione, ſicuti & filtratione, commixtoque hoc poſtremo liquore cum priore, igne ſuppoſito, humor redundans abſumitur, ſuperſtite in vaſis fundo Sale Tartari candidiſſimo & fixo, citra alium adparatum, ſi libet recondendo in lagena vitrea denſa probe occluſa; aut in cella vinaria reponendo, vel loco humido, paropſide vitrea excepto, donec in liquorem abierit,

quem improprie vocant Oleum Tartari, quandoquidem revera aliud nihil eſt quam Sal Tartari reſolutus, aut liquefactus, cujus reſolutio etiam promoveri poteſt addita ea aquæ quantitate quæ ſufficiat Sali diſſolvendo.

Qui candorem Salis Tartari intendere voluerit aliorumque ſalium plantarum, fixorum numero adſcriptorum, eademque & elegantia & ſiccâ conſervare, adeo ut humiditati aëris impervia ſint ac inſolubilia ii humore ſuperfluo prius diſcuſſo, ſubtriplo circiter pondere ſulphuris pulveriſati illa commiſceant; hoc accendant & abſumant ſalibus dictis confuſum igne carbonum luculento; demum facta elixiviatione, hinc filtratione, liquoris evaporationem procurant, ad pelliculam uſque in Cucurbita vitrea, igne arenæ; demum ſponte refrigeratis materiis, ſeparant & exſiccant Cryſtalla, imo iterum liquorem ſupernatantem ad pelliculam uſque in vapores ſolvunt, ſuperſtite Sale adhuc ibi contento.

Neque etiam mirum ejuſmodi Salia, ſimplicem calcinationem experta, aëris penetrationem admittere, quia etiamſi in ſui calcinatione tantum Acidi obtinuerint quantum opus fuit ut fixitatem adipiſcerentur, non tamen acceſſit quantitas requiſita ad adimplenda ſpatiola quæ ignis particularum actio effecerat, porique illorum ſufficienti dilatatione pollent ob quam nullæ non tempore excipiunt humiditatem obviam, aëris præſertim, ſi illi expoſita fuerint: Non, inquam, admirationi locus ſi non raro in liquorem abiiſſe videamus, in vaſis recondita accurate non occluſis: At vero ſi Acidum recens occurrat, cujuſmodi è ſulphure emergit, commixto, ſimulque accenſo in poſtrema illorum calcinatione, proculdubio id ſibi ad plenitudinem adſumunt, adeo ut cum nihil fere vacuum adſit, neque Acidum aëris, neque aliud quodpiam, arctiſſimam illorum connexionem divellere valeant,

Neque tamen probanda toties repetita ac tam vehemens calcinatio, quandoquidem peragi illa nequit abſque inſigni nonnullarum partium optimarum detrimento, ac præſertim ſpirituoſæ ſulphureæ; id quod manifeſtum fit ex imminutione odoris & ſaporis plantæ, nunquam non contingentis Salibus dicto modo calcinatis, in quibus maxima alias pars foret ſuperſtes niſi dictam ignis vehementiam perpeſſa eſſent: quo fit ut iure merito Salia Eſſentialia anteferenda ſint, igne leni & modico è plantis elicienda, illis quæ igni violento exponuntur, cujuſmodi eſt calcinatorius.

Sal Tartari tanquam norma Salium omnium plantarum fixorum habendum eſt: Nullum in utraque Pharmacia uſitatius, Chimica præſer-

tim, quæ ipſum uſurpat non ſolum purgantibus & aperientibus commixtum, & ad Acidorum retuſionem, fermentationes in corpore noſtro inducentium; ſed etiam diſſolutionis cauſa ac precipitationis plurium aliarum ſubſtantiarum, potiſſimum mineralium, ſicuti & ad acuenda plurima Menſtrua ſegnia, adhiberi ſolita ad extractionem Tincturarum variorum medicaminum; ut miſſos faciam uſus externos, tum ad maculas & nævos faciei delendos, tum & curandos cutaneos affectus, à ſalibus acidis inductos, quæ ſpecifice expugnat.

Nonnulli, prius trituratis, & commixtis partibus æquis Tartari & Nitri, pulverem hunc immittunt grandi mortario ferreo, aut æneo, excalefacto, hocque ope carbonis candentis accenſo, calcinationem fere momento temporis abſolvunt, obvio in fundo Sale albo, quod pro Sale Tartari habent, etiamſi Nitri ſal fixum mediam illius partem conſtituat.

Præparatur etiam Sal Cryſtallinum ex partibus æqualibus Salium Tartari & Nitri, in pulverem ſubtilem contritorum, diſſolutorum in aqua roſacea excalefacta, demum filtratorum, coagulatorum, in Cryſtalla deductorum more Solito, Tartari nitrati nomine donantes; quod admodum confert referandis obſtructionibus Iecoris, Lienis, Renum & Vreterum, imo & extinguendis inflammationibus oris & faucium, exhibendo ex liquoribus idoneis à ſemiſcrupulo ad drachmam ſemis.

Capvt LXVII.

De Tartaro Vitriolato.

Etiamſi efferveſcentia intenſuſque calor in vaſe ac materiis, à conjunctione Salis aut liquoris Tartari & Spiritus rectificati vitrioli perceptus, plurimos inducat ut exiſtiment ſobolem eſſe antipathiæ inter Acida & Alkalia, id tamen audacter aſſeram inſignem & innatam horum ſalium diſpoſitionem ad mutuam & intimam conjunctionem, cum ut in ſe invicem agant & reagant celeriter impellat, imo quadam adhibita violentia, fervorem & incaleſcentiam hac de cauſa, non priore, ſubſequi: Sicuti autem ambo illa deſinunt cum hæc Salia ſeſe mutuo pervaſerunt, & ad ſatietatem quaſi ſeſe invicem abſorpſerunt, adeo ut poſtmodum tumultus illi non accidant, quæcunque deinceps alterutrius ſuperadditio facta fuerit, utriſque æqua proportione commixtis, immerito ejuſmodi effectus cuipiam antipathiæ adſcribendus foret; cum

cum revera ſi quæpiam adforet, proculdubio in alterutrius Salis deſtructionem illa tenderet, aut, ſi mavis, utriuſque; id quod minime contingit, quandoquidem ab immiſſo Retortę Tartaro Vitriolato, eoque igne per gradus adhibito impulſo, ſpiritus Vitrioli extrahi poteſt priori conditioni fere omnino ſimilis, Sale Tartari in fundo Retortæ, nullam fere alterationem perpeſſo, ſuperſtite; Illius effervefcentiæ cauſa vocabulum Magiſterij Tartaro vitriolato inditum fuit, etſi præcipitationis prægreſſę nulla adſint indicia in conjunctione Spiritus acidi cùm Sale fixo; imo quidem coagulatio quædam, inducta ab intima coádunatione & concorporatione Spiritus Vitrioli eum Sale Tartari.

Neque levis eſt illorum error qui metuunt ne pars volatilis Tartarí Vitriolati in auras diſcedat ab incaleſcentia & fervore materierum; quandoquidem certiſſimum eſt aquam tantum quandam inſipidam efferri; experientia autem & ratione docentibus, cum ſalia fixa & volatilia conjungi cum acidis æque deſiderent, arcte illa amplexantur ac ſimul intime coëunt, adeo ut nonniſi ęgerrime ab invicem divellantur; Sicuti id ipſum manifeſtiſſimum eſt in combinatione Salium volatilium Animalium cũ Acidis;tunc enim calor & fervor etſi admodum inſignes, præter aquam inſipidam & in odoram nihil ex ſe emittunt; Etiamſi præcautionis gratia nonnulli præceperint uſum exiguorum infundibulorum, ac per anguſtum illorum canalem infundi leniter Acida ſuper Salia volatilia, accurate vaſorum orificia obturando; inani metu diſſipationis partis Salis, cujus acidum momento temporis volatilis naturam in fixum tranſmutat, ob arctam quam cum illo contrahit neceſſitudinem.

Nonnulla apud Authores occurrit diverſitas circa proportionem Salis Tartari cum ſpiritu vitrioli, ad præparationem Tartari vitriolatí; Metienda vero illa eſt ex majori aut minori copia humores occurrentis in Sale Tartari reſoluto; vel potius majori aut minori Spiritus Vitrioli rectificatione; Certiſſima autem norma fuerit, infuſionem inchoatam unius in alterum inhibere ſtatim ac ebullitio incipit, indicium enim præbet Sal fixum & ſpiritum acidum reciproce & ſufficienter ſeſe invicem permeaſſe & quaſi ad ſatietatem expleviſſe, ac legitimæ proportionis metam adepta eſſe.

Prædictum Sal cum Spiritu commiſceri debet in cucurbita vitrea magna & alta, quo ebullitioni ſupervenienti amplum concedatur ſpatium: Ex arbitrio artificis pendet Spiritum Vitrioli ſupraliquorem Tartari affundere, aut Liquorem ſuper ſpiritum; Id præcipue obſervandum ut non affatim fiat affuſio, ſed leniſſima ſit, & per vices agitentur liquores ut probe invicem coëant; ab infundendo vero ceſſatio fiat ſtatim ac effer-

veſcentia definit, quo tempore Cucurbita Arenæ Balneo imponenda eſt, igne adhibito moderatiſſimo, humidum redundans leniter in vapores ſolvendo adeo ut cuticula ſola ſit ſuperſtes,exſurgatve Tartarum vitriolatum album & cryſtallinum ; aut ad omnimodam uſque humidi abſumptionem, ac conſequendam maſſam aut pulverem candidum.

Compendium tamen operationis obtinere licet, immittendo pro arbitrio quantitatem Salis Tartari albiſſimi pulveriſati fundo Cucurbitæ vitreę, leniſſime ſuperaffundendo tantum optimi ſpiritus vitrioli quantum abſorbere valuerit, ab affuſione deſiſtendo cum efferveſcentia deſierit; Eo enim pacto exſurgit Tartarum vitriolatum albiſſimum & ſicciſſimum, adeo ut nulla incumbat neceſſitas humorem ſuperfluum abſumendi, cum nullus præſens ſit.

Ejuſmodi præparatio in exemplum generale venire poteſt, non modò conjunctionis Alkalium cum Acidis, atque inſignis alterationis in illorum ſapore contingentis, cæteriſque qualitatibus à conjunctione illorum oriundis, ſed etiam tranſmutationis liquidæ ſubſtantiæ in ſolidam, in ſpiritu vitrioli manifeſtam, qui ſe ſocium adjungens Sali Tartari, unicum demum cum illo corpus conſtituit.

Præparari poteſt Tartarum Vitriolatum cryſtallinum modo ſequenti; Accipe Tartari albiſſimi libram unam, in tenuem deducatur pulverem, in pelvi fictili eluatur affuſa aqua tepida, quouſque cunctæ ſordes abſcedant; poſtea exſiccato, & indito Cucurbitæ Vitreæ Tartaro perpurgato, ſuperfundantur libræ duæ Spiritus Vitrioli rectificati, ſuperpoſitoque Cucurbitæ alembico, abſtrahatur humor Arenæ Balneo modice calente; demum vaſis refrigeratis, diſſolve in aqua calente id quod in Cucurbita reliquum fuerit, demum rite filtrato hoc liquore, igne leniſſimo in vapores diſſolvatur humor ſuperfluus ad pelliculam uſque, tum ſponte plane refrigeſcant vaſa, in alteram Cucurbitam vitream effundendo liquorem nondum in Cryſtallos concretum; ſeorſum reponantur Cryſtalla, ad uſum exſiccanda pergendo demum in evaporatione ac converſione lquoris in Cryſtalla, donec ex illo eductum fuerit quicquid Tartari vitriolati intra ſe complectitur: Acidum adauctum ab adjuncta ſpiritus vitrioli copia in hujuſmodi pręparatione, cum multum ſuperet Acidi proportionem, quam Natura ſuppeditat in Tartari compoſitione, efficit ut eadem facilitate diſſolvantur iu liquoribus, tum calidis tum frigidis, hujuſmodi Cryſtalla Tartari vitriolati, cum Cryſtallus Tartari vulgaris in liquoribus ſolum ferventibus diſſolubilis ſit.

Tartarum vitriolatum præſtantiſſimum eſt Digeſtivum, incidens Medi-

Medicamentum, & Obſtructionum aperitivum: Conducit præſertim liberando ab infarctu Iecore, Liene, omnibuſque viſceeribus, ſicuti & Vtero.

Doſis eſt à ſemiſcrupulo ad drachmam ſemis, ex liquoribus idoneis, Commode etiam commiſcetur Opiatis, aliiſque remediis aperientibus & purgantibus.

CAPVT LXVIII.

De Sale Tartari Foliato.

NOn pauci Authores iſtius præparationis meminere, aliis involutæ nominibus, diverſiſque allatis conficiendi rationibus, eundem tamen propemodum finem ſpectantibus; præcipuus enim illorum ſcopus, ſi ita loqui liceat, fuit ſaturare Sal fixum Tartari acido aceti, ac demum omnino explere ſpatiola vacua ſpiritu vini, ut perfectius ſimul coire queant.

Iubent nonnulli Authores repetitis vicibus inebriari Sal Tartari optimo aceto, toties diſtillationis ope inde abſtrahi partem aqueam, has operationes repeti donec affuſum Acetum non minus Acidum diſtillatione prodeat quam cum affuſum eſt; Methodus autem ſubſequens & compendioſior eſt & facilior.

Immittatur Sal Tartari amplæ Cucurbitæ vitreæ, ſuperaffundatur affatim tantum optimi ſpiritus acidi quantum Sal abſorbere poterit, adeo ut Sal & ſpiritus reciproce ſeſe pervadant & mutuo ad ſatietatem expleant, nullaque in materiis conſpicua ſit efferveſcentia, Hoc enim pacto unica vice conſequi dabitur quod alias pluribus exequendum fuerit; Sale autem Tartari, & Acido Aceti arcte combinatis, non difficulter in vapores Balneo Arenæ, igne moderato, pars aquea Spiritus Aceti migratura eſt, ſuperſtite in fundo Cucurbitæ materia nigricante, qualis antea occurrebat præmiſſis Operationibus repetitis de quibus ſupra à me actum: Sponte frigefacta hac materia, in optimo vini ſpiritu diſſoluenda eſt, ac demum per chartam emporeticam tranſmiſſa, ac Cucurbitæ vitreæ indito; aqua abſumenda erit Balnei cinerum ope aut arenæ, igne adhibito leniſſimo, donec materia plane exſiccata ſit: Poſtmodum rurſum diſſolvenda erit in alio ſpiritu vini, reiterataque filtratione, in vapores ille vini ſpiritus diſſolvendus erit, igne quoque moderatiſſimo ſicuti prima vice: Imo eædemmet operationes repetendæ

erunt donec relinquatur materia alba, ſicca, in folia diſtincta in vaſis fundo, quamobrem authores illi nomen Salis Tartari Foliati impoſuerunt, aut Terræ Foliatæ Tartari.

Sal Tartari, impragnatum acido Aceti, plurimum accedit ad vires Tartari vitriolati; adjectio vero ſpiritus vini immutationem aliquam inducit; Sicuti enim dominium Acidi in volatile, vini in acetum conversionis author fuit, ita ſulphureum volatile vini, hic additum, obtundit aculeum aciditatis aceti, compoſitique naturam immutat unde novus & diverſus prodit effectus ac facultas omnino ſingularis.

Interim obſervandum eſt dum diſſolutio inſtituitur Salis Tartari in Spiriti Aceti, ac dum conjunctio accidit iſtius Acidi cum Sale fixo, deprehendi præcipitationem ultimæ partis terreſtris ejuſdem Salis, quæ alias omnino inſeparabilis videbatur: ac in diſſolutionibus & filtrationibus, quæ ope ſpiritus vini peraguntur, filtro illam omnino adhærere, eoque pacto maſſam omnibus ſordibus liberam ſupereſſe.

Hoc Sal, ſi lubet, diſſolvendum in aqua quapiam cardiaca, quod in cryſtalla deductum, ac mediis ordinariis exſiccatum, recondendum in lagena vitrea denſa, accurate obturanda, aut eodem modo adſervandum ac foliatum; vel in cella vinaria aëri humido exponendum, ut abeat in liquorem purpurei coloris, ad uſus reponendum.

Iſtud Sal inter fixum & volatile ambigit, temperatæ eſt caliditatis, depurandæ maſſæ ſanguineæ admodum idoneum, leniterque expurgandis, & appoſitiſſime, humoribus tartareis, plurimorum morborum pertinacium cauſis ordinariis.

Præſcribitur à granis quinque aut ſex ad octo, vel decem; vel totidem guttæ dantur cum liquidum eſt, in juſculo diluendo, aqua quapiam aut decocto idoneo.

Sal iſtud poteſt uſurpari ad referanda & aperienda plurima mineralia, extrahendaſque illorum Tincturas, præſertim Martis, addito Spiritu Vini, vel alio quopiam menſtruo.

CAPVT

CAPVT LXIX.

De Sale Volatili Tartari.

SAl Tartari cum propria natura ſit volatile, ſicuti alias monui, illa nequaquam immutanda eſt, in id potius incumbendum ut præcaveatur ne pars acida Tartari fixam efficiat Volatilem; vel indaganda media per quæ ab invicem dirimantur ſi forte conjuncta fuerint & ſimul fixa effecta.

Antiquis & Neotericis pleriſque cum perſpecta non fuerit intima diſpoſitio Salium volatilium & fixorum ad ineundam conjunctionem cum acidis; uti neque unitas fere indiſſolubilis quam invicem contrahunt ſimul conjuncta, mirum eſſe non debet ſi aberravetint in diſquiſitione hujus Salis volatilis; maxima autem authorum pars ſilentium prætulerint, tacite ſic innuentes notitiam illorum id effugere, potius quam palam facere iacturam temporis & laborum in illo diſquirendo, quippe qui nihil certum tradere poſſent.

Neque tamen gloriari intendo mihi primum & ſoli id innotuiſſe, cum non ignotum ſit plurimos eruditos & curioſos in Germania in ſimiles propemodum cogitationes mecum coincidiſſe, & præparationes authoribus ſuis dignas protuliſſe; id vero auſim dicere inter Gallos primum me extitiſſe qui ſcripto publici juris fecerit, & publice in Gallia præparaverit: Id quoque dixero me non torvis oculis (immediate ab emiſſa in publicum mea Pharmacopœa) vidiſſe ſcripta quorundam Chimica hac preparatione ſuperbire, antea ea parte mutila; quo pacto annuebant illi votis meis, ut ſcilicet arcanum Salis volatilis Tartari pervulgaretur, iampridem & toties deſideratum.

Iſtud vero ratum eſt Sal Acidum & Volatile, in Tartaro naturaliter contenta, ab invicem ægerrime divelli, atque perpetuam diſpoſitionem ad arctam & mutuam conjunctionem nacta eſſe, ac præſertim in ipſa calcinatione, per quam diſſipata parte aquea, à qua illorum partes manifeſte & ſenſibiliter ſejungebantur, apertiſſime conſtringitur partis terreſtris quæ minime eſt craſſa, media interveniens ad illarum conjunctionem, quæ nequaquam divelli potuit ullius diſſolutionis ope, aut accuratæ quantumvis filtrationis: Etiamſi vero efficacia violenti iſtius ignis pars aquea omnino in nihilum abeat, ac proinde Acido inſignis imminutio accidat, nihilominus tamen tan-

tum illius ſupereſt, quantum ſatis eſt ad tuendum unitatem quam junčta ineunt per mutuam & reciprocam actionem dum calcinatio inſtituitur; Adeo ut ad diſſolutionem iſtius unitatis, ſecretione Acidi facta, aut ſuperato ſuperſtite, à quo adhuc volatile irretitur cum illius partibus peracta calcinatione, nonnulli Neoterici novum Acidum adhibent, quod tamen ejuſdem fit indolis atque in eadem materia continetur cui inerat id cujus maxima pars per calcinationem Tartari abſumpta eſt; Id nec ratione deſtituti agunt, cum enim Sal Tartari per calcinationem ſpoliatum fit plurimis partibus acidis per quas coërcitum fuerat; ſuperfuerit vero tantum quantum requirebatur ad tuendam fixi qualitatem, pars hujus Salis quæ maxime fixa reddita eſt, tunc temporis Acidi admodum avida & quaſi famelica, id quod naturaliter accidit cunctis Salibus fixis; quo fit ut novo huic Acido citiſſime ſe adjungens, cujus partes idoneæ ſunt explendis cunctis poris ab actione ignis relictis, recens hæc unitas in cauſa eſt ut pars maxime volatilis Salis Tartari libertati innatæ & volatilitati reſtituatur, odore ſui præſentiam promptiſſime prodens, cunctiſque indiciis Salibus volatilibus eſſentialibus inſitis: Neq; id admirationi eſſe debet, quandoquidem ut reſtituatur Salibus volatilibus Animalium volatilitas ab Acidis intercepta per horum fixationem, ad Salia fixa confugiendum eſt, penes quæ ſola poteſtas eſt expellendi ex Salibus Acidis volatilia, atque adſumendi ut ſibi intime conjungantur: Vnde poſtmodum volatilia illa ſe extricant, atque exerunt omnes qualitates quibus prędita ſunt.

Præcipiunt iidem Neoterici prægreſſa calcinatione ad nigredinem uſque, trium quatuorve librarum Tartari crudi, grandi olla ferrea exceptarum, illis affundi aquam communem, quæ emineat tranſverſi digiti craſſitie, Ollæ poſtmodum ſupponi modiciſſimum ignem, materiis autem optime diſſolutis, ac ſolum tepefactis, paulatim inſpergi Tartari crudi ſubtiliter pulveriſati manipulum ſemis, adeo ut dehinc exſurgere conſpiciantur in ſuperna parte liquoris plurimæ ampullæ; pergendoque in paulatina, & per vices facta, novi pulveris ſupra liquorem projectione, fermentatio augmentum capiat, ampullæ intumeſcant, numero augeantur ac ſimul congregentur, elegantique figura racemos referunt: Interim ignis regimen debitum iidem imperant, cujus calor illum non excedat qui adhiberi ſolet ad fermentationes promovendas, Leniſſimam eſſe jubent pulveris aſperſionem, ne

ſi una

ſi una vice pluſquam decet injectus fuerit, ſuborta nimia efferveſcentia materiæ vaſis oras excedant & extravaſentur; Ab aſperſione vero pulveris abſtinendum volunt deſinente ebullitione, Poſtmodum præcipiunt liquorem hunc immitti Cucurbitæ ferreæ capaci & exceſſæ, qua cooperta alembico idoneo vire loricato, ad aptatoque Recipiente, itidem incruſtato, inſtitui diſtillationem Balneo Arenæ igne leniſſimo, initio potiſſimum; imo ex intervallis admovenda lintea madida Cucurbitæ ambitui, reprimendæ gratia liquoris efferveſcentiæ nimię, tandem adaugeri ignem ad promovendum aſcenſum Salis volatilis, rectificatoque liquore diſtillato quantum ſatis eſt ad Salis ſecretionem, qui exſurgat omnino elegans & puriſſimus: Aſſerunt iidem ab hujuſmodi fermentatione partium tum Tartari crudi, tum calcinati adeo intimam fieri divulſionem, ut peracta diſtillatione in magmate nullum fere ſubſit ſal, neque volatile neque fixum.

Tartarum crudum, & Sal Tartari calcinatum cum unius ejuſdemque materiæ ſint ſoboles, non ita pronum eſt ſtatuere quodnam illorum prius in fermentatione volatilitatem adquirat cum præſertim non levis exſurgat quantitas, ne mica fere illius in magmate ſuperſtite, ex ſententia prædictorum Auctorum: me judice tamen ob confuſionem à fermentatione inductam partibus, ut ſecretioni ab invicem idoneæ fiant, Acidum Tartari proculdubio adjungit ſibi arcte tantum Salis fixi quantum complecti valet; portio autem Salis, quæ illi adſociata eſt, eadem facilitate unitatem ſuam tuetur ac illa quæ ſecedens à ſucco racemorum media fermentatione, potiſſimam Tartari materiam conſtituit.

Volatilitas etiam Sali Tartari conciliari poteſt mediante Oleo nigro ex eodem Tartaro diſtillato, cujus portio adſumitur; quibus probe concorporatis cum duplici pondere Salis Tartari depurati, hæc maſſa Retorta vitrea excipitur, accuratiſſime obturanda, quinque aut ſex menſium ſpatio ſupra Piſtoris furnum, aut in loco quopiam moderate calido detinenda, poſtea reſerata Retorta, adjunctoque illius roſtro grandi Recipiente, probe loricato, ope Balnei arenæ, igne per gradus adhibito, educitur Sal volatile urinoſum, album, cryſtallinum, odoris admodum penetrabilis, cui commixta eſt portio ejuſdem Salis in liquorem reſoluti, comite pauxillo Oleo, eadem fere penetrandi vi prædito ac idemmet Sal.

Etiamſi autem qnis exiſtimet in Oleo' Tartari plurimum Sal volatile contineri, non ſecus ac in plurimis aliis Oleis, Sal autem volatile eductum exinde emergere, Admodum tamen veriſimite eſt Sal Tartari maximam illius partem largiri, quandoquidem Sal volatile ſat magna aſcendit quantitate, & multo major quantitas comparatur ratione habita Olei injecti minori copia, atque in fundo ſolummodo reliquus eſt carbo unctuoſus, fæces Olei præſertim referens, multo levior Sale Tartari eapropter adhibito.

Cenſeo etiamnum à diutina digeſtione cum reſeratæ ſint & diviſæ etiam minimæ particulæ ambarum illarum ſubſtantiarum, atque divulſa ſingularis unitas inter Sal Tartari & portionem Acidi inita,ac particulas quaſdam terræ ſicuti & quæ intercеſſerat Oleum & Salis volatilis portioni, diſcordia autem inter omnes partes ſuborta; unde alius illarum ſitus nova unitate procurata, tunc in proclivi eſſe ut Sal volatile, & puriſſima Olei portio ſe exſerant qualitatibus ſuis inſtructa, extricata à vinculis à quibus non amplius coërceri queunt.

Adde his fermentum arcanum Salis volatilis, in Oleo Tartari deliteſcenſis, cum illi conceſſum fuerit amplum temporis ſpatium ad ſui exaltationem & multiplicationem, non ſolum dominium in partem Acidam conſequutum eſſe, ſed præterea hanc in propriam ſuam ſubſtantiam quodammodo tranſmutaſſe, ab efficacia adjuncti Olei Tartari, in quod acida efficaciam nequaquam ex ſerere valent, quibus quippe, quamdiu ſolitaria ſunt,nequaquam cohærere & conjungi queunt, niſi interveniente ſalium mediatione : cum præterea Acida,cum difficillime divellant unitatem quam Salia facillime cum Oleis contrahant, figuram enim alienam admittere cogantur, ac naturam ſalium induere, ut in eandem unitatem venire queant quam Salia cum Oleis iniere.

Alumen à quibuſdam Neotericis uſurpatum ad conciliandam Sali Tartari volatilitatem, non indignum eſt quod in ſocietatem admittatur, etiamſi nonnulla quædam occurrant dubia circa diverſitatem ſubſtantiæ Salis Tartari & Aluminis; at dubium omne removebitur ſi illud animadverſum fuerit ab Alumine nihil improbi afferri aut inutilis in ſui diſtillatione, nec inutili effectu aquam illius ſpirituoſam uſurpari, imo intus adſumi, præſertim ad oris affectus & faucium: Neoterici hac ratione procedendum jubent.

Salis Tartari probe exſiccati ac depurati libræ tres commiſceantur æquali penderi Aluminis electi crudi, in pulverem contriti, his ſimul conjectis in capacem Retortam argillaceam, luto obductam, impoſitam fornaci Reverberij clauſæ, adaptatoque illi & accurate loricato capaci

capaci Recipiente, inſtituatur diſtillatio igne per gradus adhibito, initio leni, ſed ſub finem auctiori, ad ultimum uſque terminum; quo pacto, vaſis refrigeratis, plurimum Sal volatile Tartari obvium fiet, odoris & ſaporis admodum penetrabilium, commiſta ſimul Aqua Aluminis ſpirituoſa, mediis ordinariis rectificanda, obtinendi gratia Sal volatile, ultimam puritatem & perfectionem adeptum.

Iidem Neoterici, illis ſatisfacturi quibus non arrident partes aqueæ & ſpirituoſæ Aluminis, proculdubio ſurſum evectæ, una cum partibus Salis Tartari in diſtillatione aſcendentibus, repudiato Alumine crudo, ejus tantum caput mortuum admittunt, ex quo contrito & anatico ponderi Salis Tartari ſicciſſimi & pulveriſati commiſto, per Retortam Sal volatile eliciunt, eadem via incedendo ac cum alumine crudo.

Acidum in Alumine contentum adeo debile eſt, ac tam parvi momenti, ut nequaquam illi adſcribenda videatur volatiliſatio Salis Tartari, ſed potius parti illius fixæ, à diſtilllatione reſiduæ, quandoquiquidem, concedentibus iiſdem Neotericis, hunc effectum editi etiam non adſcito in ſocietatem Acido.

Cauſas quod attinet volatilitatis adquiſitæ ope Aluminis cenſeo Sal terreſtre poſtremi hujus, commiſtum Sali Tartari, obvium habens reliquum Acidum à quo fixum fuit redditum hoc Sal, poris autem magis pervium cum ſit, ac illo aridius, id abſorbere, vel ſaltem, adeo imminuere, ut cum tam inſignem copiam intra proprios poros continere nequeat, maximam illius dimittat partem, quę libertate donata volatilis evadat ſicuti erat propria indole.

Alio loco enuntiavi ſubſtantiam maxime acidam uvarum ſucci conjungi plurimæ parti Salis volatilis ad conſtitutionem Tartari; fæces autem in fundo doliorum ſuperſtites Sale volatili plurimo cum gaudeant, & ſpiritu ſulphureo, pauciſſimo pollere Acido, quod pauxillum tantum Volatile fixum reddere valeati: Iiſdem quoque de cauſis non levi negotio elicere licet Sal volatile ex dictis fęcibus, neque opus eſt accerſere materias extraneas in auxilium: Eapropter, ſecreto filtrationis & expreſſionis ope vino, quod comitem habet fæcum partem maxime craſſam, in qua ſal volatile deliteſcit parti terreſtri commiſtum, diſtillatione autem facta iſtius vini ad evocandum ſpiritum illius volatilem & inflammabilem, Soli exponenda erit optime exſiccanda, aut ſummę parti furni Piſtoris imponenda craſſior illa pars, quæ in pulverem contrita proprio ſpiritu irroranda, vel alio ſimili alkooliſato, quo mediocriter humefacta, maſſa ut ſponte exſiccetur permittendum,

eodem loco cui prius exſiccanda commiſſa eſt, poſtea immittenda capaci Retortæ argillaceæ, luto obductæ, duas circiter hujus partes implendo : qua collocata ſupra furnum Reverberij clauſum, adaptatoque, (accurate loricato), illius Roſtro magno Recipiente, ſuſcipienda erit diſtillatio, initio ducto ab igne leniſſimo, per gradus ſenſim augendo per decem aut duodecim horas, ad ultimum uſque terminum; Poſtmodum ſponte frigefactis vaſis, iiſque decruſtatis, nanciſci licebit in Recipiente Sal volatile Tartari, parti Oleagineæ commiſtum, cum plurimo phlegmate, quæ ſimul infundenda in ingens matratium longiore collo præditum, quod impoſitum arenæ Balneo, ac Alembico proprio inſtructum, accuratiſſime luto communitum, inſtructamque exiguo Recipiente, luto itidem obducto, Rectificatio celebranda erit igne moderatiſſimo, eadem via procedendo qua ad rectificationem cæterorum Salium volatilium, Tunc conſpicuum erit Sal volatile Tartari prius aſcendens, & interiori Alembici parti adhærens, albicante forma & cryſtallina, unde cito eximendum erit, non minori induſtria quam celeritate, præcavendæ cauſa quantum licebit illius diſſipationis, ac commixtionis partis Oleagineæ proxime Sal illud volatile conſequentis, una cum phlegmate ſurſum evehendæ, à quo diſſolutum fuerat & ſimul abſtractum reliquum Sal volatile.

Affuſio ſpiritus vini alkohollſati in has fæces ſiccatas non omnino neceſſaria eſt, quandoquidem Sal volatile ex illis abſtrahi poteſt, non admiſſo hoc ſpiritu; at vero eapropter commode accerſitur, quod cum ſibi adſciſcat partem aliquam acidi fæcum, atque ſecum illam abſtrahat dum in auras abit, ab illo liberat Sal volatile, præſtatque ut majori cop;a prodeat quam ulla alia methodo.

Sal volatile Tartari admodum conducit depurandæ ſanguineæ maſſæ, expellendis per poros cutaneos humoribus fulginoſis & acribus, Acidis domandis, fermentationi prohibendæ, illorumque tranſpirationi promovendæ, aut per lotium vel alvum expellendis : Commode in uſum adduci poteſt ad curationem febrium intermittentium, ſingulariter vero Quartanæ, Icteri, Hydropum, Cachexiæ, Scorbuti ac plerorumque morborum chronicorum, tum in viris tum mulieribus.

Procul ab alimentis exhibendum, à decem aut duodecim granis ad viginti uſque aut triginta, ex liquoribus convenientibus, vel Boli forma, Conſervis commixtum, Electuariis aliiſque medicamentis : Specifice etiam confert ſiſtendæ gangranæ, ore adſumptum, & parti affe-

ctæ

ctæ admotum: Ad diſſolutionem etiam plurimorum mineralium eximium eſt.

Licuiſſet hic nonnullas alias præparationes Salis volatilis Tartari inſerere, ſed ſat multas multas me adduxiſſe exiſtimo; poſtremam autem à me adductam, uſu mihi compertiſſimam, nulli inferiorem eſſe, ſive præſtantiæ attendas, ſive præparationis facilitati exiſtimo.

Cæterum exempla à me adducta Salium volatilium alborum & cryſtallinorum, methodo à me propoſita extrahendorum, non modo ex fæcibus vini ac ſabis exſiccatis, ſed etiam ex nonnullis aliis leguminibus, plurimiſque plantis antiſcorbuticis, errore eos liberatura ſunt qui tanquam verum accepturi ſunt id quod Zvvelferus Claſſe decima quinta Pharmacopœæ ſuæ Regiæ, pagina 668. editionis Dordrechtenſis anni 1672. adfert ubi poſt plurimos ſermones, eundem in ſcopum tendentes, tandem ſic infert, *Quare vero verius comprobatum manet, nullum ſubſtantiale exiſtens Sal volatile, ex vegetabilibus, uti ex animalibus in dies accidit, arte elici poſſe; niſi ſalem fixum, & hunc ipſum nonniſi præmiſſa incineratione.* Quandoquidem experimenta facienda rerum à me productarum illius aſſertiones omnino convellunt, ac ſimul rationes omnes inanes ab ipſo allatas, fulciendę ergo ſuæ opinionis evertunt: Etſi enim vix quiſquam in animum inducat virum, & eruditum & artis peritiſſimum in errorem labi potuiſſe, agendo de materiis quas crebrius manibus trivit & verſavit; id tamen certum eſt ipſum non ſufficienter animum advertiſſe ad ea quę protulit; neque adeo aſſeveranter eadem prolaturum fuiſſe, ſi intime ſcrutatus fuiſſet naturam rerum quas tractandas ſuſceperat; Nam exempli gratia, animadvertere potuiſſet Fuliginem, quę fere ſolum ex partibus Salinis & Oleagineis lignorum, quas ignis violenta actio abſtraxit & in ſublime evexit in caminos, conſtare, diſtillationi expoſitam ex Retorta,& plurimũ Salis volatilis effundere, quod revera cenſendum eſt legitimum Sal volatile vegetabilium: Hoc vero clare evincit auctorem hunc hac in re hallucinatum eſſe,quod videlicet apertiſſime ſibi ipſi contradicat claſſe decima quinta Pharmacopœæ ſuæ Regiæ pagina 719. quo loco ſuſcipit tradendam (ſibi ipſi adverſarius) methodum præparandi Sal iſtud volatile Tartari, quod nemine renitente Vegetabilis pars eſt; etiamſi illius procedendi ratio, ut ut tædii plena, tendat ad conjunctionem Salis fixi Tartari, cum Sale Acido ſubtiliſſimo aëris, quæ adſociare ſatagit: quicquid vero exinde abſtrahere poteſt neutiquam accedit ad facultates legitimi Salis Tartari, cujus modo attuli præparationem.

CAPUT LXX.

De Tinctura Salis Tartari.

TInctura Salis Fixi Tartari in ſe continet partes adeo puras & inſignes ut non immerito huc accerſenda ſit, à me prętermiſſa prima hujus Pharmacopœæ editione.

Quicunque hujus Tincturæ præparationem tradidere, inter ſe quidem conveniunt de perpurgatione hujus Salis, de diuturnitate & de vehementia ignis, quem tolerare illi neceſſe eſt, uti etiam de colore ex cœruleo & rubro miſto qui illi comparandus eſt antequam egregia ex illo Tinctura elici poſſit, At nonnullis ſatis eſt Sal hoc depuratum forti crucibulo indidiſſe, aut cuipiam vaſi fictili idoneo; id valido Reverberij igni expoſuiſſe, ac, ſcilicet, in Furnum Figulinum immiſiſſe, eouſque ibi detinendum donec adeptum ſit colorem elegantem ex rubro & cœruleo miſtum.

Alii ſatius ducunt liquandum Furno anemio commiſiſſe, forti crucibulo exceptum, ac per plures horas fuſioni expoſuiſſe, donec id intenſum colorem adeptum ſit; Imo aliquando confugere neceſſe habent ad crucibula ferrea, eo quod perrarò optima crucibula, etiam Germanica, diu ignem fuſorium, Sal hoc continentia experiri poſſunt quin diſſiliant, illudque in ignem effundatur.

Vnicuique liberum relinquo huic vel illi methodo inſiſtat, dummodo igne vehementi accenſo, diuque prorogato, color intenſus conciliatus fuerit, iſque erubro cœruleus, huic Sali omnino conciliandus ſi modo ex illo Tinctura elicienda ſit: Sed ſedula diligentia adhibenda eſt ut fervens fuſum hoc ſal coloratum effundatur in mortarium ferreum probe excalefactum, utque illius pulveriſatio cita ſit, poſtmodum in optimum Matratium vitreum denſumque infundatur, prius excalefactum, illi paulatim affundendo tantum ſpiritus vini rectificati quantum ſatis eſt ad intimam penetrationem & humectationem, poſtmodum ſuperaddendo eundem vini ſpiritum donec Sali ſupereminea quatuor tranſverſis digitis: Tum in collum hujus vaſis introducendum erit collum alterius Retortæ vacuæ, ſed multo minoris, deorſum vergens, adeo ut ambæ illæ Retortæ ſibi invicem commiſſæ efficiant Alembicum cœcum dictum, juncturiſque accurate luto obductis, Balneo arenæ vas committendam erit, accenſo igne valido per aliquot dies

dies conſervando; ac eouſque donec (ex intervallis leniter commovendo materias) ſpiritus vini rubro colore intenſo imbutum ſe exhibeat: Tum juncturæ ſolvi poſſunt, ablato luto, Tincturam decantando in lagenam idoneam, qua accurate occluſa, Sali relicto affundenda erit æqualis quantitas optimi ſpiritus vini, iuncturas iterum loricando, repetendo & inſtituendo eaſdem macerationes & commotiones in eodem Balneo, donec ſpiritus requiſitum adeptus ſit colorem: Poſtmodum utraque Tinctura Cucurbita vitrea excepta, hacque proprio Alembico cooperta, probe loricato, Mariæ Balneo tepido extrahendæ erunt tres partes circiter ſpiritus vini; in fundo poſtea Cucurbitæ conſpicua erit Tinctura Tartari, prædita omnibus qualitatibus quæ illi adſignari ſolent, in lagena vitrea denſa, accuratiſſime obturanda, ſervanda.

Tinctura hęc in ſe complectitur puriſſimam partem Salis Tartari per ſpiritum vini diſſoluti & volatilitate donati, à quo odorem gratiſſimum adipiſcitur, illi non abſimilem quem fundunt uvæ floridæ.

Etiamſi ſpiritus vini abſtraxerit, & intime huic Tincturæ conjunxerit Salis Tartari partem tenuiſſimam; nonnullis porro veriſimile forte videatur Sal in Retorta ſuperſtes propriis dotibus deſtitutum eſſe, hoc tamen ratum eſſe debet, ſi id diſſolutum fuerit, iterumque filtratum & coagulatum, priori candori reſtitutum iri, idoneum redditum prioribus uſibus; Imo cenſeo veriſimile eſſe, ob diuturnam cum ſpiritu vini conjunctionem, acrimoniam ex parte retuſam fuiſſe, aculeos vero nactum eſſe à particulis iſtius ſpiritus admiſſis, ſi in liquorem, loco humidiori repoſitum, diſſolvatur, liquor autem iſte tranſmiſſus fuerit per vitrum pulveriſatum, infundibulo vitreo exceptum, liquorem exoriturum eſſe multo leniorem, Coſmetico, aliiſque uſibus aptiorem, eo qui ex ſale Tartari abſque ſpiritu vini conficitur.

Tenuitas ſubſtantiarum ex quibus conſtat hæc Tinctura, idoneam eam efficit ut pervadere queat ſingulas partes corporis, omnes obſtructiones reſeret, maſſam ſanguineam puram reddat, ejus circulationem promoveat, ac roborato calore nativo parem illum reddat expellendis ſupervacaneis, ac functionibus omnibus perficiendis: Scorbuticis miram adfert opem, hydropicis & Ictericis: Meatus Iecoris reſerat dienis, Meſenterij, Renum, Veſicæ & Vteri, è corpore humores impuros tum per manifeſtos ductus, tum per inſenſibilem tranſpirationem expellens.

Exhibetur quarta pars cochlearis, dimidia, integrum cochleare, ex vino, juſculo, vel alio quopiam liquore idoneo, mane jejuno ventriculo, pergendo in uſu prout neceſſitas poſtulaverit.

CAPVT LXXI.

De Sale volatili Oleoſo.

ELogia inſignia quibus *Sylvius*, Medicus Lugduno-Batavus, afficit Sal volatile Oleoſum, cui creberrimo in uſu fuit ad curationem plurimorum morborum, cum plurimos impulerint ad diſquiſitionem prǫparationis illius, non immerito ſuccenſendum videtur erudito illi Viro, quod cum plurima ſcripta egregia in publicum emiſerit, hujus vero remedii ſæpius meminerit, deſcriptionem tamen ſilentio involverit: Ex quorundam tamen mente, conſideratio morborum, quorum cauſa id adhibere ſolitus erat, examen porro aliorum remediorum ipſi familiarium, ad ejuſmodi affectus, aut ſimiles, in notitiam illius deducere potuit, ac forte arcanum detegere, ſubſtantias Oleoſas cum ſpirituoſis & volatilibus iuſta proportione commiſcendo & conjungendo.

Eapropter nonnulli jubent guttas aliquot Oleorum ſtillatitiorum, ſaccharo puriſſimo pulveriſato excipi, demum diſſolvi in aquis ſpirituoſis aromaticis, admixto poſtea Sale quopiam volatili vegetabili, aut animali.

Alii exiſtimant Sylvii ſcopo ſatisfactum iri ſi quædam portio Salis volatilis in aqua ſpirituoſa & oleoſa, majoranæ, lavendulæ, aut cujuſpiam plantæ odoratæ, olei nonnihil obtinentis diſſoluta fuerit. Alii miſcent Spiritus oleoſos aromatum cum Salibus volatilibus, vel ſpiritibus illorum Salinis; qui revera nihil aliud ſunt quam eadem ſalia in phlegmatis aliqua parte reſoluta.

Harum procedendi rationum cum propemodum in omnibus idem ſit ſcopus, in nulla vero abſint partes oleoſæ, & ſalinæ volatiles, ipſis abnegandum non eſt nomen Salis volatilis oleoſi; at cum neceſſe ſit noſſe proportionem diverſarum ſubſtantiarum quæ conſtituere debent compoſitionem Salis volatilis Oleoſi, meliorem normam tradi non poſſe cenſeo ea quam propoſuit Dominus *Tilingius*, Rintelij Medicinæ Profeſſor, libro cui titulum facit, *Prodromus Praxis Chimiatricæ*, edito Rintelij anno 1674. in quo illius deſcriptionem tradit pagina 342.

Accipiantur, Eo monente, *Vncia vna Spiritus aromatici* (cujus poſtea adducit deſcriptionem) *Salis volatilis Ammoniaci drachma duæ*, *Tincturæ*

Ca-

Caryophyllorum guttæ ſex ; hæc lagenæ ſimul commixta committantur, probè obturandæ, Miſtura hæc per noctem quieſcat, liquor autem limpidus factus decantetur, ſeparandus à tantillo pulvere ad fundum delato ; Eo pacto adipiſci licet Sal volatile oleoſum, aut potius Spiritum aromaticum Sale volatili prægnantem, aut, ſi mavis, Sal volatile temperatum, odoris & ſaporis gratiſſimi, quod tenuitatis partium gratia admodum convenit attenuandis & diſcutiendis vitioſis humoribus, atque per habitum corporis excutiendis : Commodiſſimus etiamnum eſt illius uſus in cunctis morbis frigidis, iis præſertim quos inducit ſuccus quiſpiam, aut fermentum acidum, quorum efferveſcentiam compeſcit, effectuſque metuendos arcet.

Salis iſtius volatilis dozis eſt à guttis quinque ad decem, ex aqua quapiam diſtillata idonea.

Deſcriptio Spiritus Aromatici ab ipſo allata hæc eſt.

℞. *Cinnamomi electi uncias duas*
Roſarum rubrarum unciam unam & ſemis
Seminum Aniſi
Fœniculi ana drachmas ſex.
Galangæ.
Caryophyllorum, ana unciam ſemis.
Cardamomi.
Seminum Oryacanthæ ana drachmas duas.
Santali Citrini.
Nucis moſchatæ.
Cubebarum ana ſcrupulos duos.

Cuncta optime conterantur præter Roſas, & commixta ſimul indantur Cucurbitæ vitreæ Affundantur Spiritus vini optimi libræ ſex.
Aquæ pluviæ libra una.

Cucurbitæ Alembicus proprius imponatur, luto accurate obducatur, Imponatur Cucurbita Balneo Arenæ ; adaptetur Recipiens roſtra Alembici ; digerantur materiæ igne leniſſimo per horas viginti quatuor, demum diſtillationi ſubjiciantur, eadem via incedendo qua ad eliciendos Spiritus quorumvis Aromatum.

Spiritus iſte calefacit, attenuat & exſiccat, cordi & ſtomacho robur addit, conducit in cunctis affectibus frigidis.

Doſis eſt à drachma una ad duas vel tres ex liquoribus adpropriatis.

Varietas ſubſtantiarum medicamentorum, in compoſitionem hujus ſpiritus Aromatici venientium, plurimas macerationes expoſcere videtur; ſed præterquam quod partes maxime ſubtiles Aromatum à craſſioribus facile ſejunguntur, contuſio præcedens, & digeſtio, ad horas viginti quatuor inſtituta, penetrabiliſque vini facultas omnem omnino ex animis ſcrupulum dimovent.

Finis Libri Primi.

Pharmacopoeæ Regiæ Chimicæ.

PHARMACOPOEÆ REGIÆ CHYMICÆ.

LIBER SECVNDVS.

Pars Tertia.

Continens Præparationes Chymicas

ANIMALIVM.

Capvt I.

De Remediis ex Homine deſumptis.

VEGETABILIA, quorum præparatio ſubjectum fuit Libri præcedentis, non ſola in hominis obſequium à ſummo Deo condita fuere, quandoquidem non tantum ex pluribus animalibus maximam partem alimentorum ipſi largitus eſt, ſed præterea induſtriam & rationem conceſſit per quam ex unoquoque ſigillatim illorum plurima & optima remedia comparare poteſt: quin imo & ex ipſiſſimo illius corpore, adhuc vivente, atque aliorum hominum vita functorum, præſtantiora & utiliora medicamenta quam in quovis alio animali latere voluit: Adeo ut Arti Chimicæ abunde ſuppetant quæ elaborare queat, exinde deſumpta, præparationeſque ex illis præſtantiſſimas perficere.

Nam pręter illas quæ ex Cranio, aliiſque illius oſſibus confici poſſunt, ex ſanguine, pinguedine, carne, mumia, aut cadavere balſamato & exſiccato, præparationem etiam admittunt ungues, capilli, lo-

tium & cætera illius excrementa; mulierum itidem ſecundina &c.adeo ut certiſſimum ſit nullam adeſſe partem, neque excrementum aut ſuperfluum quid in utroq; ſexu, quod Chimiæ ad valetudinem illius objectum eſſe nequeat, aut curationem plerorumque affectuum quibus tum vi tum mulier exponuntur.

Artifices ex hominis partibus, atque ex animalibus, extrahunt ſubſtantias à Plantarum partibus non abſimiles, at non eadem proportione, Animalibus enim minus terrei conceſſum eſt, minus acidi, ſed multo plus ſalis volatilis quam Plantis; Plus quoque Olei quam quædam harum obtinent, ſed minus quibuſdam gaudent: Pauciſſimum Acidum quod animalibus ineſt, exiguaque hujus efficacia, cum pauciſſimum Sal volatile coërcere queat, Idem autem Sal cum inſigni reperiatur copia, mirum eſſe non debet, cum nihil adſit quod ipſum prohibeat quo minus à cæteris ſecedat ſubſtantiis, ſi non levi negotio ab illis ſejungatur, & prius ex Retorta prodeat & expellatur, Recipiens ingreſſurum, demum à fundo Matratij proboſcide præditi in ſummum Alembicum reverſurum cum rectificatio peragitur, ſicuti id contingit dum præparatio illius inſtituitur.

Oleum quod attinet, ſuapte natura cum ſat ſit volatile, imo multum accedat ad indolem, quinimo particeps ſit propriæ ſubſtantiæ iſtius Salis, ideo fit ut in rectificatione preſſo pede id conſequatur, non ſecus ac in diſtillatione; Præterea aſſero, etiamſi quædam animalia aliis ut pabulo fruantur, homo autem fere vitam traducat carne plurimorum animalium veſcens, perpendendas nihilominus Plantas tanquam primum & præcipuum maximæ partis animalium alimentum, illorum potiſſimum quæ homini in pabulum cedunt; Et credendum à volatilitate Salis plantarum maximam animalium partem, ac præſertim hominis, volatilitatem propri Salis adipiſci.

Id quoque ratum eſſe debet qualitatem & copiam Salis volatilis animalium pendere ab exaltatione (quam inducit calor naturalis ventriculi) ſubſtantiarum quæ illis veniunt in alimentum; Prædictam autem volatilitatem omnino requiri, quo quam citiſſime & æqualiter (ſicuti contingit) diffundantur ad partes à ventriculo maxime diſſitas, non ſecus ac ad illi finitimas.

Neque etiamnum dubium quin partes hominis principes copioſo ejuſmodi Sale volatili gaudeant, quandoquidem non modo partes ſenſu deſtitutæ, cujuſmodi ſunt ungues & capilli, ſed & omnia excrementa, imo viliſſima, non mediocri illius copia diffluunt.

CAPVT

Caput II.

De præparatione Cranii Humani.

NUlla ratione impellor ut Cranii humani uſtionem aut calcinationem adprobem, uti nec magiſterium, ex multorum ſententia inde parandum, quandoquidem combuſtioni exponi nequit, aut calcinationi, quin optimæ illius partes in nihilum abeant: neque in magiſterium deduci quin depravatio inſignis illi inducatur, eapropter illorum deſcriptionibus immoraturus non ſum, ratus quippe ſatius multo eſſe lima cranium deterere, illiuſque pulverem adſumere, juxta methodum Galenicam, quam ad media ejuſmodi adeò deſtructiva, atque a legitima præparatione devia confugere, cum in calcinato cranio nihil aliud ſuperſtes eſſe queat, conſideratione dignum, quam conſtringendi vis, ac quædam acida obtundendi & abſorbendi.

Optima omnium Chimica præparatio Cranio humano conveniens ejuſdem eſt diſtillatio, cujus inſtituendæ gratia duo vel tria crania hominum ſtrangulatorum accipienda ſunt, aut morte violenta peremptorum, ſed prius proba valetudine fruentium: comminuantur illa, aut ſerra in minutiſſima fruſta dividantur, capaci Retortæ argillaceæ (de grés) immittantur, luto probè obductæ, nulla ratione habita repleta ſit an ſecus, quandoquidem ęque rite procedit diſtillatio, dummodo in reliqua operatione conditiones neceſſariæ obſervatæ fuerint: Retorta hæc ſuperponatur Furno Reverberii clauſo, qua operculo ſuo fornicato inſtructa, accenſoque in cinerario igne carbonum leniſſimo, occludendum erit operculi ſpiraculum, nec non Foci oſtium, imo ferè omnino Cinerarii, ignem ęqualem & lenem per bihorium fovendo, aut quouſque percipiatur operculum tantiſper incaleſcere, Tunc ignis è cinerario in focum transferendus erit, quo tantillum aucto, capax Recipiens accommodandum erit roſtro Cornutæ, cujus commiſſuræ accurate luto muniendæ erunt, nec diù poſt aliquid aëris admittendo per operculi ſpiraculum, eundemque ignis tenorem per duas horas conſervando, aut donec phlegma ſtillare incipiat in ſubjectum Recipiens, demum paulò liberiore aëris ingreſſu conceſſo per operculi regiſtrum, auctoque ignis gradu, inde conſpicui erunt ſpiritus volatiles ſalini, oleo comite, vel nubecularum candidarum forma ex Retorta prodeuntes: ſervatoque ignis eodem tenore duarum circiter horarum ſpatio, gradu uno iterum is auctior fiet, operculi ſpiraculo magis

ac magis, proportione ſervata, reſerato, quo tandem omnino recluſo, intenſiorique igne ad ultimum uſque gradum reddito, in eo gradu is ſervandus erit, donec nullis amplius ex Retorta exſurgentibus nebulis, Recipiens plane pellucidum fiat, poſtea ut ſponte refrigeſcant vaſa concedendum, quibus decruſtatis obvium erit oleum, cum parte ſpirituoſa ſalina & volatili cranii, plurimo phlegmate involuta in Recipientis fundo contenta: quæ variæ ſubſtantiæ rectificandæ erunt, eas ſimul immittendo matratio oblongiore collo prædito, Balneo arenæ impoſito, operiendo capitello ſuo, vitreo accuratiſſime luto obducto, non alia incedendo via quam a me indicata ad rectificationem inſtituendam ſalium volatilium vegetabilium.

Nonnulli Authores jubent oleum a cæteris ſubſtantiis ſecerni ante rectificationem, poſtremas has ſimul commixtas per chartam emporeticam tranſmittendo, cui oleum inhæret, ad uſus ſolum externos adſervantes: At ii non percipiunt oleum id plurimum ſal volatile comprehendere, Illius facultates & vires non plurimum abſimiles eſſe qualitatibus ejuſdem ſalis, imo commodiſſime in uſus externos venire poſſe, ſi præſertim rectificatio accurata fuerit, quamobrem multo ſatius eſt in rectificatione id cæteris ſubſtantiis remixtum linquere.

Iidem Authores, rati optimam fore rectificationem huius Olei, præcepere poſtquam exceptus fuerit liquor ſalinus & aqueus Retorta oblongo collo donata, paulatim, mediante exiguo infundibulo, affundi ſpiritum ſalis donec nulla amplius ebullitio conſpicua fit, quia, ex illorum opinione, præmiſſa hac filtratione, immiſſoque hoc liquore in cucurbitam vitream, capitello ſuo obductam, ſurſumque evecta ope Balnei arenæ parte aquea, licebit, continuando ignem Balnei, ſurſum in alembicum evehere, aut ad latera Cucurbitæ ſal volatile a ſpiritu ſalis fixum redditum adfigere, ſed ab iis animadverſum non eſt id quod imminet a mutua actione & reactione hujus ſpiritus Acidi cum ſpiritu volatili, neque ab illis prævifum quando ſimul hęc fixitatem reciprocam adepta ſunt, ſal volatile ſublimationem poſtea omnino reſpuere, quandoquidem, ipſis ultro concedentibus, ſucceſſus nullus poſtmodum ſperandus eſt quam ab additione & coniunctione dupli ponderis ſalis Tartari, aut alterius cujuſdam ejuſmodi naturæ alkali, cum ſalibus iſtis eo modo commiſtis, quod valeat, Acido ſe adjungens, ſal volatile priſtinæ libertati reſtituere.

Quicunque Authores de Cranio humano aliquid conſcripſere, imo de ſimpliciſſima præparatione, unanimi conſenſu id commendatum voluerunt ad curationem cunctorum cerebri affectuum, ac præſertim

Epilepſiæ

Epilepſiæ & Apoplexiæ, At ſal & oleum volatile ejuſdem cranij, cum non modo liberata ſint a parte terreſtri & aquea, at plurimum etiam viribus evecta ope diſtillationis & rectificationis, ideoque idonea ſunt producendis effectibus proculdubio generoſioribus, quorum & tenuitas partium, & ſaporis penetrabilitas, uti & odoris, indubia ſunt indicia: Id quoque pro comperto habendum ventriculi calorem commeatum ipſis præbere non minus facilem quam celerem, non ſolum in cerebrum, ſed etiam in corporis partes diſſitiſſimas.

Exhibentur ore, nullo fere diſcrimine, ſal & oleum, ſal vero præferendum cenſetur, quod volatilitate paulo maiori gaudeat, purius ſit, elegantius, guſtui minus inſuave & odoratui.

Salis doſis eſt a granis ſex, octo, vel decem, ad viginti uſque vel triginta, ex Aqua quapiam, Decocto, Conſerva, aut Opiata Cephalica.

Doſis olei rectificati eſt à duabus aut tribus guttis ad octo vel decem ex iiſdem liquoribus, conſervis aut opiatis, ſed prius id excipiendum eſt ſacchari puriſſimi pulvere, ſi modo liquoribus intimè commiſceri velis: Poſſunt & eodem tempora iungi, ac loca circa ſuturas, naribuſque immitti.

Ex quibuſvis hominis Oſſibus ſubſtantias non multum abſimiles ab iis quas ſuppeditat cranium elicere licet, non diſſimili methodo ac in illorum diſtillatione indicatum.

Poteſt præparari Extractum, aut Eſſentia Cranii humani hac ratione.

Minutiſſimè ſcobina deterantur Cranii Humani aliquot unciæ, matratio immittantur, illis ſuperfundatur Spiritus vini cephalicus (cujuſmodi deſcripturus ſum poſtrema parte hujus Pharmacopoeæ) adeo ut pulverem ſuperet totis quatuor tranſverſis digitis, accuratè cooperiatur matratium, maceratio fiat per quindecim dies ſuper Piſtoris furnum, liquor prægreſſa expreſſione in torculari valida & cohobatione: eo immiſſo Cucurbitæ vitreæ capitello ſuo probè luto obducto inſtructæ, Balneo Mariæ commiſſæ, accommodando illius roſtro exiguum Recipiens, eliciendus erit ſpiritus, donec liquor conſiſtentiam mellis adeptus ſit, utrumque demum ſeorſum vaſis idoneis recondendo.

Nonnulli Acetum ſtillatitium ad extractionem hanc perficiendam uſurpant, ſed ineptè admodum, quandoquidem ſalis volatilis naturam in fixam tranſmutat: Neque etiam metuendum ne ſpiritus vini cranium humanum eo modo ſcobina detritum ſufficienter penetrare valeat, adeo ut neceſſe ſit ad ſpiritum Aceti confugere, vel ad

aliud quid corrodendi vi præditum, quandoquidem illud compertum eſt ſuccum, puriſſimàmque cornu cervini ſubſtantiam,facillimè in aqua diſſolvi, in qua ejuſdem raſura ferbuerit, etſi cranium humanum tenuiùs comminui ſoleat quam cornu cervinum.

Extractum hoc, vel Eſſentia, ad Epilepſiæ curationem admodum conferre cenſetur, Exhiberi ſolet ex aqua quapiam cephalica a ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam: Nec non illi commiſcere licet Spiritum anteà ex Extracto eductum, a ſcrupulo uno ad drachmam.

CAPUT III.

De præparatione Chimica Sanguinis Humani.

Illis nequaquam conſentio qui exiſtimant ſanguinem humanum calentem, recénſque venis eductum hauſtúmque, remedium eſſe ſpecificum adverſus Epilepſiam, quandoquidem præter horrorem ex ejuſmodi potu abominando concipiendum, ſanguis è corpore exiliens nihil in ſe continet abſimile illi quo donatus eſt ſanguinem potans: Illud præterea ſciendum ſanguinem vaſis propriis egreſſum, illico inſignem immutationem perpeti, quantumvis ſtudium adhibeatur ut diſpoſitionem naturalem conſervet, tantum enim abeſt ut venis vel arteriis excipiatur eodem in ſtatu quo adſumptus fuit, quin omnino neceſſe ſit in ventriculo propriam naturam exuat, colorem & conſiſtentiam naturalem, adeo ut vix alius effectus expectandus veniat quam ab ordinariis alimentis ingeſtis.

At vero mediante diſtillatione, ac ſeparatione partium ſanguinis puriorum ab impuris, remedia eximię efficaciæ expectanda ſunt, non modo adverſus Epilepſiam, ſed etiam cunctos cerebri affectus, hac methodo.

Circa Majum menſem non mediocris copia dematur ſanguinis è venis pedum aliquot juvenum integra valetudine fruentium, neutiquam ruforum: illico ſanguis iſte excipiatur una vel pluribus cucurbitis vitreis grandioribus, quarum tres partes ad minimum vacent. Ab adcommodatis capitellis, exiguíſque Recipientibus, Balneo cinerum, igne moderato, exſtilletur univerſa pars aquea, adeo ut quod reliquum fuerit in cucurbita ſiccum omnino adpareat, neque tamen combuſtum, quamobrem debito ignis regimine opus eſt, præcipuè ſub diſtillationis finem.

Demum ſponte refrigeratis vaſis, reconditáque aquâ diſtillatione prolecta,

prolecta, ſanguis in cucurbitis exſiccatus eximendus, & grandi Retortæ vitreæ immittendus, impoſitáque Retorta tripodi ferreo in Furno reverberii clauſo, adcommodatoque illi probè loricando capaci Recipiente, iterata inſtituenda erit diſtillatio, igne per gradus adhibito, initio leniſſimo, at tandem intenſiſſimo, quo pacto nova exſtillanda eſt aqua, cuius comites erunt oleum & ſal volatile ſanguinis, mox ſubſequutura, ex Retorta nubecularum candicantium forma exſurgentia, liquidam formam in Recipiente adipiſcentia.

Poſtea vaſis ſponte frigefactis, cunctiſque ſubſtantiis commiſtis è Recipiente in matratium oblongioris colli effuſis, huic imponendo proprium capitellum accuratiſſimè loricatum, cuius roſtro exiguum Recipiens adplicatum fuerit, Rectificatio Balneo cinerum igne admodum moderato perficiatur, eadem procedendi via quam indicavi ad rectificationem olei & ſalis volatilis plantarum, imo iterari poteſt rectificatio olei & ſalis volatilis, ubi opus fuerit, ſi extremam puritatem quis optaverit.

Nonnulli animadvertentes Aquam è ſanguine eliciendam ſicuti modò dixi, exiguis pollere viribus, ſanguinem ſuper plurimos diſcos effundunt, ſolique exponunt, aut in quodam æſtuario reponunt ut quam citiſſime exſiccetur, demum ex Retorta more ſolito diſtillant.

Omnes authores ſal volatile ſanguinis humani ad Epilepſiæ curationem magni faciunt: Imo Ipſe *Helmontius* aſſerit ex illius uſu adultos omnimodam ſanationem ſperare poſſe: Neque minori efficacia pollet in cæteris cerebri affectibus, ſanguinis maſſam puriorem reddit, præſertim ſcorbuticorum, fluidiorem illam efficiendo ac circulationem liberiorem reddendo, Neque minoris eſt præſtantiæ in affectibus uterinis, & in ſuperanda febrium malignitate, imo etiam contagio ſeſe propagantium, nec non curatione hydropicorum, & ad podagricorum ſolatium, Vires hujus ſalis volatilis, & olei rectificati, non multum diſcrepant ab iis quas ſuppeditat cranium humanum, Eodem etiam modo in uſum duci poteſt, & ad uſus externos uſurpari oleum, leniendorum gratia dolorum podagricorum & rheumatiſmo affectorum, imo & utiliſſime adverſus Paralyſin.

Secundinæ muliebris diſtillatio perfici poteſt methodo a me propoſita in diſtillatione ſanguinis humani.

Hoc loco equidem memorandæ eſſent Tincturæ, Extracta & aliæ Mumiæ præparationes, ab Authoribus variis deſcriptæ & plurimum commendatæ, At, ſi bene ſentio, eæ quas propoſui ſanguinis & cranii humani, cum eliciantur è partibus nullam diſſipationem expertis, omninò ad quoſvis uſus commodius trahi queunt quam quæ ſup-

peditare valet ſubjectum inſigne, alterationes perpeſſum, ab injuriis temporum, aut hominum artificio.

CAPUT IV.

De Diſtillatione Vrinæ.

Vrinæ hominis ſapor acris & ſalſedinis particeps cum gravi odore, ſi præſertim diutius adſervata fuerit, apertum faciunt cunctas corporis humani partes ſale volatili plurimo conſtare, quandoquidem adeo inſignis hujus quantitas in iſto excremento deprehenditur.

Eligendum lotium juvenum vinum bibentium, quod cunctis aliis præferendum, ſed alia atque alia eſt methodus extrahendi ſal illius volatile, poteſt enim putredini exponi urina, fimo recondita per triginta aut quadraginta dierum decurſum, ad faciliorem extricationem partium ſalinarum volatilium, demum decantato in vitreas cucurbitas liquore fæces ſuperante, Balneo Mariæ inſtitui diſtillatio, aut cinerum, ſed calore admodum remiſſo, demum ter vel quater liquor diſtillatione prolectus rectificari, imo tandem in uſum adduci matratium oblongiori collo præditum, ad ſalis rectificationem.

At etiamſi peropportuna ſit hæc procedendi ratio, nihilominus viroſus odor urinæ conciliatus per putredinem, ac diuturnitas temporis ad hanc præparationem neceſſaria, ut à plurimis neglecta ſit putrefactionis inductio in cauſa fuere, ſatis enim eſt hodierna die evaporationem Balneo Mariæ commiſiſſe, vel cinerum, igne admodum modico accenſo, ad ſuperfluæ urinæ humiditatis, ſtatim ac illa emiſſa eſt, cùm verò ad craſſitudinem Roob deducta eſt, diſtillatio ſuſcipitur Balneo Arenæ, igne moderato, in capaci & excelſa cucurbita vitrea, anguſto collo donata, capitello ſuo probe loricato inſtructa, & Recipiente eodem modo incruſtato: Demum eodem Balneo diſtillatus liquor rectificatur, immiſſus matratio oblongioris colli, capitello ſuo cooperti, accurate luto obducti, eliciturque ſal volatile album & cryſtallinum, admodum penetrabile, quod conſequitur liquor non minori fere partium tenuitate, & penetrandi vi præditus, quippe qui nihil aliud eſt quam reliquum ſal volatile in exigua phlegmatis portione diſſolutum, ſeorſum in lagenis vitreis denſiſſimis adſervandum, accuratiſſime occludendis.

Sal

Sal volatile urinæ potentiſſime Acida domat, à quibus ut plurimum fermentationes in corpore noſtro excitantur, plurimorum morborum origines, in omnibus jecoris obſtructionibus admodum commendantur, lienis & meſenterij, ad defæcandam maſſam ſanguineam, curationem ſcorbuti, cachexiæ, icteri & affectuum hyponchodriacorum, Felici eventu præſcribitur in Lethargo, Apoplexia, Epilepſia, & convulſionibus, ſicuti in hyſtericis ſuffocationibus. Plurimum valere aſſerunt adverſus dyſuriam & ſtranguriam, imo & ad diſſoluendos renum & veſicæ calculos.

Vſurpatur ſal urinæ, ſpiritus ſpecie exſtillans, ad eliciendam variarum gemmarum & lapidum Tincturam, quinimo & Silicum calcinatorum, qua in præparatione cœruleum colorem adquirit, ſpecificumque remedium adverſus urinæ difficultates perhibetur, exhibendo id à ſcrupulo uno ad drachmam, ex liquore quopiam idoneo.

Diſſolui etiam poteſt ſal urinæ, uſurpandum linimenti forma, ad quoſvis dolores ſedandos, ac præſertim podagricos & rheumatiſmi comites : Exhibetur ſal urinæ à decem aut duodecim granis ad viginti vſque aut triginta, ex vino albo vel alio quopiam liquore, mulierum etiam hyſterica ſuffocatione detentarum naribus offertur, diſcutiendorum gratia vaporum ab inferis partibus ſuſcitatorum, ſymptomataque cerebro moleſta excitantium.

Oleum humanum, cui nonnulli Zibetti Occidentalis nomen indidere, cum à ſole exſiccatum, tetro odore exuto ſuavem induit, ſuis quoque pollet viribus : ex Retorta enim diſtillatum, igne per gradus adhibito, fundit oleum ſpeciatim commendatum ad curationem Herpetum exulceratorum, Achorum, ac cujuſvis ſcabiei : Imo nonnulli aſſerunt cancros id domare & curare, ac Podagricos dolores demulcere, partibus affectis id admovendo.

Adduci huc poſſet Pinguedinis diſtillatio, capillorum, unguium, ac plurimarum aliarum partium & excrementorum hominis, niſi moleſtiam Lectori parere metuerem, quandoquidem extraordinariæ præparationes illis non debentur, ac procuidubio exempla à me producta, aut producenda, cum mihi de cæteris animalibus ſermo futurus erit, illis ſatis eſſe debeant qui Chymiæ notitia imbuti fuerint.

CAPUT V.

De Diſtillatione Viperæ.

QUæ obſervatu digna in Vipera occurrunt, ſedes fere primaria quam occupat inter Animalia Chymice præparanda, inſignes item controverſiæ de ejus veneno excitatæ, impellunt me ut præter ea quæ à me ante aliquot annos allata ſunt, libro de Theriaca edito, illo præterea quem emiſi de primis ac poſtremis circa Viperam experimentis, imo nuperrime hac ipſa Pharmacopœa, capite de Trochiſcis viperinis, capite item de Citrii diſtillatione, impellunt inquam, ut rurſus huc inferam præparationem illarum Chimicam, propriumque patrocinium ſuſcipiam adverſus ſcripta a patronis Domini Redy emiſſa, poſt iteratam meam defenſionem, ad ea quæ vir celeberrimus adverſus mea experimenta conſcripſerat, dum interim idem tacitè mihi conſentire videtur.

Viperæ Diſtillatio optima eſt & uſitatiſſima præparatio illius Chimica: omnes illius corporis partes ad id opus adduci poſſunt, aut ſolum adſumi quæ præſtantiſſime cenſentur, quandoquidem ex cunctis idem phlegma elicitur, idem oleum, idemque ſal volatile, Id præprimis admodum conſentaneum eſt, ut quæ partes diſtillationi ſubmittendæ ſunt, prius in umbra exſiccentur, nec Retorta excipiantur humore ſuo donatæ, quia plurimum augendus eſſet ille qui prodire ſolet cum aridæ diſtillantur.

Accipiantur ergo Capita, Caudæ, Corda, Jecora, Trunci, Pellis, imo, ſi lubet, Axungia, Renes, cunctaque interanea multarum Viperarum utriuſque ſexus, fruſtulatimque diviſis illis partibus, omnino fere adimpleatur ingens Retorta vitrea, vel argillacea (de grés) luto optime incruſtata, demum furno Reverberii impoſita, operculo ſuo fornicato inſtructa, admoto illius roſtro amplo Recipiente, accendendus exiguus ignis, in cinerario toto bihorio fovendus, adeo ut paulatim tantum incaleſcant Fornax & Retorta, demum igne è cinerario in focum tranſlato, eodem in ſtatu per duas alias horas ſervandus erit, quibus præteritis per graduum unum intendendus, tantillum aëris concedendo reſerato operculi ſpiraculo, qui eo in ſtatu productus per duas alias iterum horas, diductoque paulo amplius prædicto ſpiraculo, ignis tertii gradus admittendus æquali temporis ſpatio: Poſtmodum omnino aperto operculi regiſtro, urgendus ignis donec ex Retorta nihil omnino prodeat, ac vapores omnes Recipiente concluſi

concluſi in ſal abeant, aut in liquorem convertantur, quo tempore a diſtillando deſiſtendum: deinde ſponte refrigeratis vaſis, decruſtato Recipiente, probeque ſale in liquore diſſoluto, cuncta infundenda erunt matratio oblongiori collo prædito, quo Balneo Mariæ commiſſo, indi- toque proprio operculo rite luto munito, ſuccedat rectificatio igne mo- derato, tunc conſpicuum erit ſal volatile aſcendens, album & cryſtal- linum, in lagena vitrea denſa, accurate occludenda recondendum, per- gendoque in rectificatione, ſeorſim adſeruanda erunt oleum & ſal vo- latile reliquum, in aliquota phlegmatis portione reſolutum, ſimul di- ſtillatione educta in parvum Recipiens, abiectis iis quæ in fundo Re- tortæ reſidua ſunt, poſt educta quæcunque volatilia, ſalina aut olea- ginea aderant.

Reſiduum vero in Retorta poſt viperarum diſtillationem quod attinet, ex ſale volatili, aliiſque ſubſtantiis eductis, colligendum eſt illas reliquias exigui eſſe momenti, ac quod ſalis fixi forte ſuperſtes eſt indagine indignum eſſe, ideoque ibi ſubſiſtendum, quinimo neque Antiquo- rum, neque Neotericorum præceptis obtemperandum, quibus cum probe perſpecta non ſit indoles volatilis ſalis Animalium, mira ſe præ- ſtituros ij rati ſunt calcinationem in auxilium aduocando, conſequu- turi ſal, a prædicta calcinatione abſorptum.

Vis ſpecifica qua præditum eſt ſal volatile viperinum, expugnandi venenum à morſu ipſius inflictum, ſicuti a quorumuis ſerpentum, plu- rimorumque aliorum Animalium, non vnica illius dos eſt, eximium enim præbet remedium aduerſus peſtem, morbillos, variolas cunctoſ- que morbos epidemicos febreſque malignas, quamcumque putredi- nem impugnat, febres ab illa ortum ducentes curat, cuiuſmodi ſunt Intermittentes pleræque, Acida vero obtundendo. Quartanæ reme- dium eſt ſpecificum: Præſtantius nullum occurrit remedium ad de- fæcandam maſſam ſanguineam, fluiditatem naturalem illi concilian- dam, circuitumque promovendum, quo fit ut convenientiſſimum ſit curationi affectuum Scorbuticorum, ſicuti & ad iuvandam diaphoreſin humorum acrium & fuliginoſorum, Scabiei quoduis genus parientium, Eryſipelata, Herpetes, Achores, aliaque cutanea vitia.

Neque vllum æque generoſum proſtat remedium Lepræ curandæ, maculæ enim cuti Viperæ inſculptæ illius ſignaturam referre videntur: Aperit quippe, penetrat, incidit, attenuat, ad corporis ambitum im- pellit, ac per poros cutaneos extrudit impuritates maſſam ſangui- neam conſpurcantes, vniuerſumque corporis habitum, Naturam admo- dum iuuat & roborat, idoneamque functionibus omnibus rite obeundis reddit, Illius enim auxilio adiuta alimentum quibuſvis partibus neceſ-

ſarium tranſmittit, quinimo illis quæ eo non fruuntur vitio aliquo ſingulari affectæ, expellitque per lotium, per aluum, aliaſque vias, quoſcunque vitioſos humores: omnes meatus & ductus cerebri poten-ter referat, expellitque pituitam frigidam & viſcidam, ſpirituum com-meatum & tranſmiſſionem præpedientem, adeo vt inſignem opem ferat in Lethargo, Apoplexia, Convulſionibus, Paralyſi, aliiſque Cerebri frigidis affectibus.

Neque minorem opem præſtat in Syncope & Palpitatione cordis, Aſthmate, Pleuritide, Tuſſi recenti & inveterata, aliiſque Pectoris af-fectibus.

Ventriculum quoque roborat, alimentorumque concoctionem adiu-vat, Iecoris obſtrutiones referat, Lienis omniumque viſcerum; ſangui-nem concretum diſſoluit, abſceſſuſbue internos remouet, ſi modo re-centes fuerint, imo & externos illis ſi admotum fuerit, vel eiuſdem oleum: Vapores ex inferioribus partibus elatos diſcutit, ſed præſer-tim ex Vtero: Paucis, vix in tota medicina remedium magis vniver-ſale occurrit, aut quod præſentiori ſit auxilio, eoque inſigni, ac pluri-bus morborum ſpeciebus obviam eat.

Doſes, ſicuti & vſus ratio, ad affectus tum internos, tum externos, propemodum eædem ſunt quæ Salis volotilis cranii humani, ſicuti & ejuſdem Olei, quod viribus etiam ad id accedit.

Etiamſi vero ſal & oleum valatile, è Viperis per Retortam eductum, partes ſint maxime eſſentiales, in Retorta autem ſal fixum omnino pau-cum ſuperſtes ſit, viperæ parti terreſtri intime commixum, ſi cui tamen eiuſmodi ſal diſquirendi libido ſit, id conſequuturus eſt ſi prius con-trita in tenuiſſimum pulverem ſubſidentia, carbonis inſtar nigra, in Retorta poſt diſtillationem reſidua, excipiatur latere, vel allo quopiam vaſe idoneo, immitaturque furno figulino, ibi derelinquenda ad per-fectam vſque calcinationem, nam poſtmodum elixiuiatione facta, fil-tratione, humoreque ſuperfluo abſorpto, in fundo vaſis obvium erit ſal fixum, etſi exigua admodum copia, parte interim terreſtri (vero capite mortuo) in colatorio ſubſiſtente.

Iſtius Salis vires multnm inferiores ſunt illis quas obtinet ſal volatile, cuius neque odorem exhibet, neque penetrabilitatem poſſidet, neque ſaporem cum in illo lixivialis ſit, oris partibus acrimoniæ ſenſum impri-mens, qua caret ſol volatile, non ſine fructu tamen commiſceri poteſt re-medlis purgantibus & diuretius.

Fixationem ſalis volatilis Viperini quod attinet, ſuſceptam ope Aci-dorum, ſpeciatim per ſpiritum ſalis, etſi admodum neceſſaria non ſit, quibuſdam tamen in caſibus repudianda non eſt; preſertim in graciam cibi
faſtidio

faſtidio laborantium, quibus, deficiente Acido, Ructus fatui erumpunt: etſi enim conſentaneum videatur ſaporem figuramque exteriorem ſalis ea ratione fixi redditi, purum diſſentanea eſſe ab illis quæ in ſale marino occurrunt, diſcrimen tamen non leve ſubeſt, quandoquidem ſal volatile, etſi quoad ſpeciem immutatum adpareat, integritatem tamen ſervat, ſicuti id fit manifeſtum, ex eo quod commixtum duplo ponderi ſalis Tartari, aut alterius cujuſpiam ſalis fixi, idque vaſe idoneo exceptum, ſublimationem admittit,priſtinas vires & puritatem ſervans,interim dum Acidum ſpiritus ſalis, quod ipſum dēſeruit adhæſurum ſali Tartari,in fundo vaſis cum eodem ſale ſubſidet.

Eiuſmodi Sal volatile Viperinum, fixum redditum, cum exiguum vſum præſtet, ac nullo negocio illico, commixto quopiam acido, fixum euadat, ſupervacaneum cenſeo præparationem ſingularem huc inferre, ſola quippe ſufficit ſalis ſpiritus ſuper id ſal volatile affuſio, dum adhuc phlegmati ſuo remixtum eſt & in illo ſolutum, in affuſione pergendo quouſque nulla amplius ebullitio adpareat, humidi ſuperflui abſumptionem procurando ad ſiccitatem vſque ſalis.

Miſſa facio plurima ſalia Viperina, eſſentias, elixiria & opiatas, plurimaque alia remedia Chimica compoſita, quorum deſcriptiones apud plurimos authores obuiæ ſunt, ratus ſcilicet horum omnium compendium & nullo non tempore in ſale viperino latere, ideoque ſuperuacaneas eſſe quaſuis alias preparationes multo labore ſuſceptas.

Quoad controverſias ratione Veneni Viperini excitatas, à me ſolis huius animalis efferati Spiritibus adſcripti, etiamſi meam mentem ſat nitide explicaſſe me exiſtimem, tum priore libro, tum poſteriore Experimentorum circa Viperam a me emiſſorum, inducor tamen vt aliquid reponam ijs quæ Dominus *Denifius* protulit ſexto ſuo Adverſario de Artibus & Scientiis, quo vtriuſque mei Tractatus meminit, ſtatim ac poſterior luci traditus eſt: etſi enim libri mei deſiderio teneri ſe profiteatur, animadverſionibus ſuis illum dignaturus, ſincerum de eo iudicium pollicitus, ex illa tamen quam iniit via manifeſtum eſt parum accurate ab ipſo euolutum fuiſſe, aut potius oculos tantum emiſſitios conieciſſe, quippe qui quæ maxime conſideratione digna ſunt prætermiſerit, procul a ſe remoturus quæcunque diſſentanea ſunt opinionibus Domini *Redi*, ſententiam meam impugnantis.

Revera prædictus Adverſariorum auctor apertum facit inique ſe de me ſentire, irretitus opinionibus Domini Redy, neque enim ſolum illi ſatis fuit poſterioris mei libri titulum ſubticuiſſe, ſed præterea in illum transfert quæcunque a me tradita ſunt adverſus

ductus felleos, per quos, ex ſententia antiquorum, ſuccus flavus ad gingiuas viperæ deferretur.

Ejuſmodi vero occupatio prætere a euidens eſt in ejuſdem Adverſarij ſerie, quo medicum illum Italum inventorem ſtatuit Glandularum Salivarium in Vipera, etiamſi ex illius ſcriptis manifeſtum ſit, ſicuti id ipſum a me adnotatum quibuſdam in locis mei operis, ipſum ambiguè tantum & ex coniectura de duabus ſolum Glandulis ſalivalibus verba feciſſe, quas fingit ſitum obtinére infra fundum Veſicularum ſuccum flavum continentium, quo in loco nequaquam conſpicuæ ſunt, Id quod etiam patet ex iis quæ ad Amicum ſcribit de duabus prædictis Glandulis, illum monens ne ſententiæ ſuæ ſubſcribat, quandoquidem,vt ipſius ait, ex mera coniectura loquatur, ac forte chimerica, cum priore meo libro palam faciam, ex accuratis deſcriptionibus a me allatis, vti & ex figuris, ad vivum mea cura delineatis, inſignis numeri Glandularum conglomeratarum, ſitum pone orbitas oculorum obtinentium, & ad temporum latera iſtius animalis, admodum a veſicularum fundo diſſitarum, vnde conſtat Dominum *Redy* plurimum aberraſſe in ſictitiis ſuis Exploratis, iniuriam vero ab illis mihi inferri, qui inique, inter quos Dom. *Denyſius*, primam inventionis illarum laudem mihi detrahunt.

At vero illud manifeſtum eſt nullum ipſi alium ſcopum fuiſſe in prædictis Adverſariis, dum tuetur opinionem de ſitu Glandularum ſalivarium infra veſicularum fundum, quam patrocinium ſuſcipere, inique tamen, ſententiæ Domini *Redy*, de ſictitia ſucci flaui malignitate, ſi enim a partibus ſtetiſſet improbæ illius ſententiæ, repugnante experientia, opinionis fa'ſitatem vel oculis deprehendere licuiſſet, qua experientia duce veritatem eſſet aſſequutus.

Ex quibus evidens mera illius ſimulatio, dum mihi adhærere velle videtur quoad ſalis naturam, (quæſtionem enim nequaquam attingit) quo aſtute indicet ſibi mecum non convenire quoad naturam & facultates ſucci flavi, ea omnino ſilentio involuens quæ firmis rationum momentis fultus adduxi, manifeſtum facturus veneni plane illum eſſe expertem, Illud quoque prætermittens quod experimenta a me facta publicis in conventibus peracta fuere, cum ex oppoſito a Dom. *Redy* allata ſingularia ſint, ſolam fidem propriam teſtem adducente.

Sed præterea, Dom. Deniſio ſatis non fuit, quantum illi licuit, ſubticuiſſe ea quæ in poſteriore meo libro Dom. *Redy* ſententiam apertiſſime convellunt, nam impune ſibi credidit licere a veritate deflectere, ac quæ meæ menti omnino reluctantur adſtruere, vt apertius faveret partibus quas tuendas ſuſceperat; cum vero id illi non liceret, vide-

licet

licet res ipſas convellere, ab iis ad vocabula contentioſum animum avertit, inſinuare conatus, cum de ſpiritibus efferatis verba feci, ſubſtantiam me omnino ſpiritualem intellectam voluiſſe: per ideam autem vindictæ & iræ, a me viperis adſignatam, exiſtimaſſe animalia iiſdem animi pathematis quibus homines adfici, ab ingruentibus vehementibus paſſionibus, in illorum ſpiritibus animalibus contingentibus.

At vero arguties eiuſmodi imponere nequaquam poterit ſolidis ingeniis, nemini enim, qui ad ſermonis mei tenorem adverterit, in mentem venerit dubiuſne fuerim, num venenum Viperinum ſubſtantia ſit materialis necne, quam quidem tanta tenuitate & ſubtilitate donatam credidi, vt cum in ſenſus non incurrat, merito ſpiritualis nominanda ſit, aut, vt verius dicam, ſpirituoſa, vt contradiſtinguatur a ſucco flauo, cujus partes ſenſibus ſat obviæ ſunt & craſſæ, vt ab his percipi queant, adeo vt cum ſpirituum efferatorum memini, ſemper partes humorum maxime commotas audierim, ex maſſa deductas, & genitas, a vehementia actionis ſuſcitatas, ob impreſſionem extraordinariam ab objectis in corpus inductas: ſi vero aſſerui ejuſmodi ſpiritus omni vinculo determinato carere, quando animal laceſſitum non fuerit, id a me non immerito prolatum, quandoquidem tunc temporis forte non adhuc geniti ſunt, vel ſi geniti, adeo intime cohærent cæteris humoribus, ut nulla ſedes peculiaris illis adſignari queat, niſi quo tempore inde diſcedunt cerebrum impetituri cum animal excandeſcit, At vero hoc vlterius comprobat me nunquam ancipitem fuiſſe num hi ſpiritus latitudinem obtinerent, ac proinde in loco aliquo conſiſterent, atque fidem facit quod alias aſſerere mihi non licuiſſet hos ex ore viperæ mediante morſu in ſanguinem alterius animalis commeare poſſe, tumultus exoriri ſolitos excitaturos.

Adeo vt admirationis cauſa ſubſit, quod Dom. *Deniſius* adeo à recta ratione aberraverit, ut opiniones, a quibus omnino ſum alienus, mihi adfingat, circa Viperæ naturam emittens, cum morſui ſeſe accingit, mentem meam adeo perverſe explicet, mihi imponens, quaſi credi-derim ſpiritus laceſſitos Viperæ quidpiam eſſe materiæ expers, ea ratione inductus quod dixerim venenum illis ſpiritibus inſitum, effectum tantum eſſe Viperæ indignabundæ, tunc temporis vindictæ ideam concipientis, venenum vero illico fatiſcere & annihilari, ſtatim ac irritatio deſinit; nemo enim probæ mentis ex prædictis colligat crediſſe me horum ſpirituum naturam mere ſpiritualem eſſe, ſi enim in legitimum detorqueantur ſenſum a me prolata, cuivis manifeſtiſſimum fiet figurato me vſum eſſe loquendi genere, in eum vtique finem vt omnium captui me adcommodarem, Imaginationis voce nihil aliud audiam

quam partem cerebri organicam iſtius animalis, in quam ſpiritus hi, a maſſa ſanguinea ſecreti, omnes confluunt per vindictæ ideam, nihil aliud quam eorum determinatam inclinationem ad organa ad ſui defenſionem conſtructa: Per iram autem & excandeſcentiam, tumultuoſam agitationem & violentam, qua corpuſcula hæc de loco in locum commeant: Quando vero adſtruxi venenum hoc ad nihilum deduci ſi quando iſtud animal ira percitum non fuerit, nihil aliud inducere in animum volui, quam tumultu extraordinario non amplius exagitatis humoribus, hos priſtino ſtatui reſtitui, per quem cum ſpiritus hi non amplius percellantur, ab illis divelli nequeunt, adeo ut metuendi non ſint effoctus funeſti alias ab illis excitari ſoliti.

Cæterum admirandi maior cauſa ſubeſt quod Dom. *Deniſius*, ſilentio involuens veriſſima mea experimenta, mihi impingat & adfingat ea quæ nunquam in mentem venerunt, nedum a me ſcripto conſignata, quando profert a me obſeruatum fuiſſe ab hauſto ſanguine Viperino, vel eodem in vulnus quodpiam infuſo, nihil quicquam ſiniſtri ideo emergere. At ex illius ſcriptis adnotare eſt probæ fidei ipſum non admodum litare, ac quicquid in mentem venerit effutire, veritate ſuſque deque habita.

Id nihilominus concedendum ipſum magis rationi conſona prolaturum fuiſſe, ſi in conſcribendis adverſariis nullus alius ipſi fuiſſet ſcopus quam ut compendioſe proponeret id quod in meis Experimentis maxime obſervandum occurrit, ſimulque adduceret potiſſimas rationes quibus ſententiam meam fulcio, ſicuti id præſtitum a Præclariſſimis Academicis Londinenſibus, qui in ſuis Ephemeridibus honorifice de meis libris meminere.

At vero hæc procedendi ratio illi non arriſit, ut enim acrius tueretur partes à quibus ſtetit, ſatius duxit in alium transferre id quod meum eſt, ſcriptiſque meis alienum ſenſum adfingendo, quæ ad rem nequaquam pertinent inferre, omnino prætermiſſis iis quæ ſcitu neceſſaria erant, adeoque, quod iuſtitiæ eſt, rationem amplecti. Adeo ut iure merito cum illo expoſtulare queam, idemque exprobrare quod Martialis Poſthumo Cauſidico, hic enim illius agens cauſam contra vicinum qui tres capras illi ſurripuerat, dimiſſa facti narratione ad Syllam digrediebatur, bellum Mithridaticum &c. Nam poſthabitis iis quæ vera continet Liber meus, quem examinandum ſuſceperat, illa ſubticet, in ſcenam adducens Dominum *Redi*, huic adſignans quæ revera mea ſunt, quinimo vim intulit veritati propriorum ſcriptorum viri illius, mea autem in alienos omnino ſenſus, mentique meæ plane diſſentaneos detorquendo.

Hic

Hic quoque miſſum faciam Dominum Fridericum Hofmannum, Medicum Germanum, qui nuper nonnulla conſcripſit adverſus mea experimenta circa Viperam, capite de malo Citrio, libro cui titulum fecit, *Pharmaciæ Schroderianæ clavis*, quandoquidem a me illi ſatisfactum cum de diſtillatione Citrij actum, adeo ut iterato reſpondere ſupervacaneum ſit

Interim neque diſſenſus opinionum, neque ſcripta ratione minime fulta, quæ reliqui Domini Redi aſſeclæ circa venenum Viperinum emiſerunt ab editione meorum librorum, a mea me ſententia dimovebunt; Veneni ſcilicet Viperini naturam ſolummodo adſcribendam eſſe ſpiritibus animalis illius excandeſcentia percitis, nequaquam autem ſucco flavo, cæteriſque partibus corporis: vt adhuc dubius ſim vetat ingens Experimentorum numerus quibus ſuffragatur ratio, adeo ut illorum teſtimonio potius ſtandum ſit quam illis quæ me priores auctores aut poſteriores ſcripto tradidere.

Revera vix mihi decipi licuit fundamentis illis innixo, vti neque in uſu capitis Viperini, colli, cordis, iecoris, ſicuti & ſalis illius Viperini contra Viperæ morſum: Neque etiam à propoſito divellar, niſi quidpiam ſe offerat rationi magis conſentaneum, cui revera venenum Vipereum adſignari queat, prodieritque in medium remedium quodpiam & celerius & tutius illis quæ felicibus experimentis ad curationem illius morſus mihi innotuere, aut quod efficacia maiori polleat capite viperino contrito, aut lapidibus quibuſdam in Hiſpania repertis, vel quibuſdam Amygdalis Indicis, quorum admotionem nonnulli miris laudibus extulerunt, inefficaciam autem expertus ſum coram ſummis quibuſdam Viris, imo Celſiſſimis.

CAPUT VI.

De Præparationibus Chymicis Cornu Cervini.

AVidiſſimus cum ſit Cervus Viperarum, quarum vorax eſt, (tenuitatem partium illarum modo notam feci) pede celerrimus ſit, quotannis ligna, quæ capite gerit (cornuum nomine a cunctis Medicis donata) deponat, admodum ſit longævus, inde manifeſtiſſime conſtat id animal vitæ principiis inſignibus pollere, ac proinde ex illo in medicos vſus plurima depromi poſſe: Illud quoque notum in illius corpore non exiguum remediorum numerum exquirere poſſe vtramque Pharmaciam, Chimicæ autem amplam ſe exercendi ſegetem occurrere,

præſertim

præſertim circa cornua, quorum variæ conditiones diverſas expoſcunt præparandi rationes.

Primum illorum tempus, primuſque ſtatus dictorum cornuum, cui præparatio debetur, fuerit à medio vere ad exitum vſque illius, tunc enim temporis partibus ſubtilibus & volatilibus admodum turgent, quæ cum definunt ſuppeditare alimentum neceſſarium præcedentibus, has loco dimovent, foraſque expellunt, quo recentioribus locum cedant, non alia fere ratione qua ſucci vere in arbores aſcendentes, nova folia novoſque fructus in præcedentium vicem propellunt: Partes ejuſmodi ſubtiles & volatiles copioſiſſimæ cum ſint, exiguo temporis ſpatio novos ſtolones emittunt, primo exortu tenerrimos, atque per aliquot hebdomadas, ſanguinolento quippe ſucco turgent, ſed de die in diem ſoliditatem conſequuntur, ac magis magiſque quamdiu augmentum capiunt, donec omnimodum complementum obtinuerint, ac tandem recentibus cornubus erumpentibus eandem ſedem cedant quam prioribus conceſſerunt.

Accipiendi ſunt hi ſtolones cum altitudinem ſeptem aut octo pollicum obtinuerunt, hi per taleolas diſſecti, craſſitie circiter coronati argentei, cucurbita vitrea excipiantur, huic Balneo Mariæ commiſſæ, & Alembico ſuo optime lutato coopertæ, exiguum Recipiens adaptetur, diſtillationeque eliciatur liquor igne moderato, donec taleolæ ſiccitatem adeptæ ſint. Liquorem hunc vocant *Aquam Typhorum Cerui*, admodum vtilem, ex plurimorum ſententia, partui promovendo, roborandiſque mulieribus parturientibus: Conducit necnon admodum cordi tuendo, partibuſque principibus adverſus febres malignas.

Segmina exſiccata, in Cucurbita reſidua, duplici nomine vtilia eſſe queunt, harum contuſarum enim pulvis ſeorſum adſervari poteſt, aut eadem immitti vitreæ Retortæ, qua, baſi ſuffulta, arena munita, in furno Reverberij clauſo poſita, adcommodataque eius roſtro luto probe obducto capaci Recipiente, ſuſcipienda erit diſtillatio, igne per gradus, ſecundum artem adhibito, hoc enim pacto exſtillabit ſal volatile, oleum, plurimumque phlegma, poſtmodum rectificandâ in matratio oblongioris colli, ſicuti monui de ſale volatili viperino.

Aqua Typhorum cervinorum exhibenda procul à cibo, à cochleari vno ad duo: licet & eodem tempore eidem doſi adjici ſcrupulus vnus, aut ſemidrachma prædicti pulveris, aut ſalis volatilis, à quatuor ad ſeptem aut octo grana.

Vſtio vſitata fuit præparatio, antiquiſque familiaris, cornu cervini, quam Neoterici etiamnum nonnulli in vſum advocant, etſi non adeo commode, niſi ſola illius pars terreſtris vſurpanda ſit, neque accerſenda

ſenda ſunt Oleum & Sal volatilia, proculdubio vi uſtionis, aut calcinationis diſſipanda :] Sed etiamſi deſtructionis potius quam præparationis nomine donanda ſit, cum peculiares in uſus pars terreſtris venire queat ad plures rectificationes, imo in ea quæ ſuſcipitur proprii illius Salis volatilis, vel ſi uſurpandum ſit tanquam remedium adſtringendi vi præditum ac Acida ſubigendi, Hoc à me eapropter adducendum, ſi ejuſmodi conditionis exoptetur, poſtquam in oblonga fruſta ſerræ ope diviſum fuerit, poſſe illa imponi lateri, ac in furnum Figulinum immitti, ad perfectam uſque vaſorum coctionem detinenda, donec ad albedinem calcinata fuerint.

Licet & prædicta fruſta in Furno Reverberij clauſo calcinare, eadem inter Retortam & operculum fornicatum reponendo, derelinquenda quandiu peraguntur diſtillationes Spirituum corroſivorum, ac præſertim Spiritus Vitrioli, ad quem longa ignis productione opus eſt: Eo modo calcinatum cornu cervinum, ſatis eſt craſſo modo contudiſſe, ſi ad Rectificationes perficiendas ſolum uſurpandum ſit, At vero ſi ore adſumendum fuerit, ſeorſum, aut aliis remediis adſtringentibus commixtum, tunc ſuper Porphyrite lævigandum eſt, quapiam aqua cardiaca irrorando, eadem ratione qua teruntur Gemmæ & Lapides, donec in Alkohol deducantur.

Hodierna die alia Calcinationis ſpecies multo minus deſtructiva in uſum advocatur, cui Philoſophicæ nomen impoſitum eſt; ratione mediorum lenium & induſtriam ſapientium, per quæ id conſequi licet: Eam ob rem, poſtquam in oblongiora fruſta ſerra diſſectum eſt cornu cervinum, unumquodque eorum in ſuo extremo craſſiore filo conſtringendum eſt, idque filum baculo dimenſo adpendendum eſt; tranſverſim hic ponendus intra Capitellum magni Refrigeratorij cuprei, intus ſtanno obducti, adeo ut ſegmina hæc intra collum vaſis ſuſpenſa, quamdiu opus fuerit admittere queant vapores ferventis aquæ, ſurſum ex veſica aſſurgentes, in quam infuſa fuerit Aqua Cardus benedicti, Scabioſæ, Meliſſæ, aut alia quæpiam diſtillationis gratia: At quia hos vapores excipere cornu cervinum neceſſe eſt, toto triduo vel quatriduo ut ex voto calcinatio ſuccedat, unica porro herbæ diſtillatio tamdiu protrahi nequit, eadem ideo fragmenta iterum ſuſpendenda ſunt per totidem diſtillationes, quot neceſſe erit ut prædictum in ſtatum deduci queant.

Sal volatile cornu cervini cum intime cæteris partibus commiſtum ſit, unaque cum illis corpus admodum ſolidum conſtituat, vapores ab aqua ferventе emiſſi inſignem diſſipationem parere nequeunt, quo fit ut etiamſi ſecum abſtrahant partem aqueam & mucilaginoſam, non tamen

inducant inſignem oleagineæ conſumptionem, uti neque volatilis Salinæ, adeo ut exigua portio ſuperſtes ſit in cornu cervino eo pacto calcinato, quapropter etiam optimo jure anteponenda eſt illi quæ igne nudo & patente ac vehementi inſtituitur, ut pote præſtantior: hic quippe quicquid vtile eſt abſumit, ſola ſuperſtite parte terreſtri, cum exiguo Sale,ab Acido materierum combuſtibilium fixo reddito.

Cornu iſtud Cervinum non minus priori candidum eſt,& triturationis capax: Poteſt & ſuper Porphyrite conteri, ad uſus uſurpandam à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, in liquoribus idoneis id diſſolvendo, aut aliis remediis commiſcendo, ubi præſertim Adſtringendi & Corroborandi una ſcopi adſunt, Acida obtundendi, Venena oppugnandi aut Lumbricos interimendi.

Illud nihilominus pro comperto habendum Cornu cervinum, citra majorem adparatum ſcobina detritum, in pulverem adductum, ignem inexpertum, neque ullam utilium partium diſsipationem paſſum, præferendum eſſe Cornu cervino Philoſophice præparato, ſi præſertim Acida obtundenda non occurrant.

Quod attinet ad magiſteria cornu cervini, à quibuſdam authoribus deſcripta, quandoquidem non alia ratione perficiuntur quam ejuſdem diſſolutione & præcipitatione ope ſpirituum aut Salium corrodendi vi præditorum, à quibus proculdubio præ actionis vehementia depravatio optimis partibus inducitur, Ex mea ſententia ſatius multo fuerit eadem non præparaſſe, ſed ſubtituiſſe cornu cervinum deſcobinatum ac in pulverem ſubtiliſsimum contritum.

Separatio partium purarum cornu cervini ab impuris, earumque Rectificatio, præparationes ſunt omnium utiliſſimæ: Eapropter id in fragmenta minuta diſciſſum, diſtillandum ex Retorta in Furno Reverberii clauſo, igne per gradus adhibito, eadem ratione procedendo ac in diſtillatione cranij humani.

Eodem quoque modo Rectificare licet ſubſtantias inde exſtillatas, ſed quandoquidem Sal potiſſimum volatile illorum diſquiritur, præter media à me allata ad cranij rectificationem, commiſceri poterit cum cornu cervino calcinato, ac in pulverem craſſiorem contrito, ter imo quater rectificando, quo depoſitis impuritatibus, ac odore empyreumatis quem id diſtillatione contrahit, tandem purius & candidius in Alembicum efferatur, eoque in ſtatu diutius adſervari queat, recondi tum in ampulla denſa accurate occludenda.

Hoc loco non immorabor in recenſendis facultatibus, dozibus, neque uſu Salis volatilis Cornu cervini, uti neque illius Olei, quandoquidem eadem ratione in uſum adduci poteſt, iiſdemque in affectibus ad quos Sal volatile & Oleum Cranij humani.

Cornu cervinum calcinatum, craſſius contritum, uſurpatur ad diſtillationem medullæ aut axungiæ cervinæ, quinimo & humanæ, ac quarumvis pinguedinum aut partium unctuoſarum Animalium; Materias prædictas igne leniori colliquefaciendo, tantum illis commiſcendo iſtius cornu cervini quantum abſorbere poterunt; demum excipiendo Retorta, ac in fornace Reverberij clauſa igne per gradus adhibito diſtillando, at multo illo remiſſiori qui ad diſtillationem ejuſdem cornu cervini admitti ſolet.

Per Retortam diſtillare licet fragmenta Eboris, non ſecus ac Cornu cervini, atque inde elicere Sal volatile ſicuti & Oleum, facultatibus non multum abſimilia ab illis quibus donantur Sal & Oleum volatile cornu cervini; relictis in Retorta fruſtis Eboris intus & extra nigerrimis, dummodo Diſtillatio ope ignis ultimi gradus peracta fuerit; Hæc Eboris fragmenta Pictoribus in uſum veniunt ad illum colorem nigrum effingendum quem vocant *de Velours* pannin holoſerioco: cujus præparatio perquam difficulter ſuccedit ſi igne patente Ebur combuſtum fuerit, cujus inæqualitas in cauſa eſt ut fruſta neque probe, neque æqualiter nigreſcant, ſed ſemper intermiſtũ ſit quid candicans aut cineritii coloris.

Licet &, ſi lubet, eadem Eboris fruſta lateri inſternere, ac furno Figuli immittere, in eo ſinenda donec ad candorem calcinentur, ac in Spodium, antiquis dictum abeant, quod deſtitutum propriis Sale & Oleo volatilibus, non pluris æſtimandum eſt quam cornu cervi igne aperto calcinatum: Rationes à me adductæ de nigredine in lignis poſt dillationem ex Retorta ſuperſtite, & quod in cineres converti nequeant, quantumvis vehemens & diuturnus ignis adhibitus fuerit, quamdiu concluſa manent, neque aer illa ambire nequit, Hæ inquam rationes cum non minus ſpectent nigredinem Eboris, eaſdem huc iterum allaturus non ſum, eo Lectorem curioſum remittens.

Sanguis Cervinus eodem modo quo Humanus diſtillari poteſt: Poſſunt & diſtillationi ſubjici Pinnę, Coſtę aliaque Balænarum oſſa, monocerotis marini, omniaque Oſſa, Vngulæ & Cornua aliorum Animalium Terreſtrium, Aquatilium & Volatilium, non diſſimili ratione qua cornu cervinum.

Facultates & uſus Salis volatilis & Olei ex iis eliciendi plurimum ad ea accedunt quæ fundere queunt ſimiles partes aliorum Animalium: Nonnulli tamen Medici Sali Volatili & Oleo è pinnis Balænæ extrahendo, vim ſpecificam adſignant ad ſolatium, imo & curationem Arthriticorum; adſumpto ore Sale volatili, partibus autem afflictis Oleo delibutis.

CAPVT VII.

De Præparatione Bufonum.

ETſi in Bufone Natura repoſuiſſe videatur horroris & abominationis ſimulachrum, facultates tamen nequaquam contemnendas in ſe is continet; Mitto imperium quod conceſſum aiunt in Muſtelam, invitam in os Bufonis patulum illius irrepentem, ibique ſuffocandam; Miſſas quoque facio Philoſophorum diſquiſitiones circa nativam illius induſtriam in pugna quam adverſus Araneum init, hic enim cum invadere nequeat illud animalculum, cum pendulum ex filo à ſe deducto Bufonem impetiit pupugitque, illico remeans, caſtraque ſua repetens, in illum lotium ejaculatur; locum ictum plantagini adfricat, in eaque medelam quærit; pugnamque redintegrans lotium rurſus in illum effundit, ſpiritibus laceſſitis turgens: Id adduxiſſe mihi ſatis ſit, preter partes utiliſſimas quas Chymicum artificium in illo comperit, ex ejus cadavere exſiccato petendam eſſe curationem aut auxilium adverſus plurimos imminentes morbos.

Bufonum exſiccatio præbet primam & maxime vulgatam præparationem tam ad illorum Diſtillationem Chymicam, quam uſum Galenicum; Eapropter alligandus illorum eſt filo craſſiori pes poſterior, ac ſuſpendendi in aëre libero, ubi derelinquuntur non ſolum quoad ſponte intereant, ſed & omnino exſiccentur; demum ſi Chymice diſtillandi, prius fruſtillatim diſſecti in Retortam argillaceam conjiciuntur, aut vitream probe luto circumlitam, qua impoſita fornaci Reverberij clauæ, admotoque ejus roſtro capaci Recipiente probe lutando, igne per gradus adhibito elicitur Sal volatile & Oleum plurimo phlegmati adſociata, Recipiente ſimul excepta; quorum poſtmodum inſtituitur Rectificatio Balneo Arenæ, igne moderato in Matratio oblongo collo donato, inditoque illi operculo rite loricato; quoad cætera eandem ineando viam quam indicavi ad diſtillationem & rectificationem puriorum viperæ ſubſtantiarum, à quarum facultatibus non multum recedunt quæ ex Bufone depromuntur, dozibus item & uſus ratione ſimul convenientes.

Speciatim tamen commendabile eſt Sal volatile Bufonum ad Hydropicorum curationem, ſi præſertim commixtum fuerit pauco Sali fixo, mediis ordinariis ex eo quod in Retorta à diſtillatione reſiduum eſt eliciendo.

Bufo èxſiccatus manu detentus, aut ſub axilla, vel pone aurem collove adpenſus, ſpecificum Hæmorrhagiæ narium habetur remedium: Coërcet etiam menſes immodicos, & hæmorrhagias muliebres ſuperfluas, umbilico admotus: Os Tibiæ anterioris, quod vocant brachiüm Bufonis, denti admotum illius dolorem ſedat, Helmontio teſte & quorundam Neotericorum experientia: Pulvis totius animalis contriti Bubonibus impoſitus, aut Anthracibus peſtilentibus, eorum malignitatem ad exteriora evocat, ſicuti & Bubonum venereorum, Hydropicorum aquas etiam expellit Renum regioni impoſitus, vel ex vino albo hauſtus ſcrupuli unius quantitate vel ſemidrachmæ.

Helmontius plurimi facit Amuleta, quæ præparari jubet expulvere Bufonis exſiccatis, ac ex illius pede alligati penduli excretis ab ore quæ moriens in ſuppoſitum catillum cereum evomit; aſſerens ejuſmodi Amuleta eſſe ſpecifica tam ad præſervationem Peſtis quam ejuſdem curationem.

Bufonis vires quæ inſunt omnes ab Auctoribus adſignantur Lapidi (aut Oſſi) qui nonnunquam occurrit in dictorum animalium grandiorum & vetuſtiorum capite, vocantque Lapidem Bufonitem.

CAPVT VIII.

De Præparatione Ranarum.

RAnæ cum omnis plane veneni ſint expertes, prius fruſtillatim diſſectæ, immitti poſſunt cucurbitæ vitreæ, in Balneo Mariæ collocandæ, alembico ſuo munitæ, deinde igne leniſſimo elicienda Aqua, quæ plurimum commendatur ad Dolores internos leniendos, ſingulariter vero Renum, Vreterum & Veſicæ.

Ea peracta diſtillatione, id quod in Cucurbita reſtibile eſt excipi poteſt Retorta argillacea, luto obducta, qua impoſita Fornaci Reverberij clauſæ, admotoque ejus roſtro capaci Recipiente, accurateque incruſtatis juncturis, ſuſcipienda Diſtillatio igne per gradus adhibito, eadem methodo qua ad viperarum diſtillationem, unde emanatura ſunt Sal & Oleum volatilia, quæ commixta occurrent, una cum multo phlegmate in imo Recipiente, demum ad Rectificationem iuxta artis leges deveniendo.

Oleo & Sali volatilibus eædem adſcribuntur vires illis quæ inſunt Oleo & Sali volatili Bufonum.

Comburi etiam poſſunt Ranæ in olla, & in cineres redigi, quorum

uſus eſt ad cohibendam Vulnerum hæmorrhagiam ſi illis inſpergantur; vel Narium, ſi naribus inſupplentur, commiſcentur etiam remediis Pilos producere aptis natis: Interius nec non exhibentur à ſcrupulo ad drachmam ex propria Aqua, ſiſtendæ cauſa hæmorrhagiæ, ſuperata prius virulentia.

Authores eſum Ranarum commendant adverſus venenum Serpentum, ſicuti & vinum in quo fuerint ſuffocatæ ad conciliandam illius abominationem: Iubent etiamnum admoveri carbonibus peſtilentialibus, quorum virus peſtilens foras educere aiunt.

Vires etiam ſingulares adſignantur Cordi, Iecori, Pinguedini ac quibuſdam Ranarum partibus, ſed Ova præſertim plurimi faciunt, vel ſperma, menſe martio obvia in paludibus innatantia, quæ præſertim à pleni lunio colligi, ac diſtillari ſolent Balneo Mariæ, inter ferventem & tepidum medio, Aquam ſic exſtillatam uſurpando, tam interius ad ſiſtendum vomitu erumpentem ſanguinem, aut alia quapiam via, aut adverſus inflammationes internas; Tam exterius admovendo, ad extinguendum Eryſipelatis fervorem, faciei rubores delendos: Prurituſque mulcendos, inductos ab humoribus acribus, tum acidis tum Salſis.

Vtiliſſime illa utitur Crollius ad præparationem Pulveris quem nomirat Sperniolam, cujus tradidi præparationem paginis 267. & 268. hujus Pharmacopoeæ; Vbi quoque tradita eſt deſcriptio Aquæ Spermatis Ranarum abſque igne præparatæ, refrigerationi multo plus idoneæ illa quæ Mariæ Balneo exſtillatur.

CAPVT IX.

De Diſtillatione Cancrorum Fluviatilium.

FAcultas refrigerans & humectans Cancrorum fluviatilium, eōs commendabiles cum reddat phthiſicorum reſtitutione, eorumque quos febres lentæ conficiunt, aut morbi chronici, ideo inid elaborandum ut horum animalium humiditas naturalis conſervetur illam diſtillatione eliciendo; Eapropter etiam fere negligitur eductio Salis eorum volatilis, etſi illo non careant dicta Animalia, ſicuti experientia id manifeſtum facit ſi contundantur & per Retortam diſtillentur in Furno Reverberij clauſo, eadem ratione procedendo ſicuti ad diſtillationem aliorum Animalium, vel eorundem partium, nec diſſimili modo Recti-

ficando

ficando Arenæ Balneo, ex Matratio oblongiore collo donato, ſubſtantias diſtillatione eductas.

Aſtacorum Diſtillatio uſitatiſſima hæc eſt, Prius probe contundantur & Cucurbita vitrea excipiantur, hac Alembico ſuo inſtructa, optime commiſſuræ luto incruſtentur demum Balneo Arenæ impoſita, igne leniſſimo, exſtilletur Aqua ad ſiccitatem fere omnimodam materierum in Cucurbita: poſtea ſponte refrigerato Balneo, decruſtatoque Alembico, Aqua diſtillata magmati affunditur, Iterumque impoto, ac loricato Alembico, iterata ſuſcipitur diſtillatio, eadem methodo qua priori: Imo cohobatio repetitur Aquæ diſtillatæ ſuper materias quinquies vel ſexies, quo melius Cancrorum partes ſolidæ reſerentur, facilius dirimantur, & ſurſum una cum aqua partes volatiles evehantur.

Peracta iſtius Aquæ diſtillatione, magma reliquum igne patente calcinatur, quo in cineres deducto, lixivium ex eo paratur, mediiſque ordinariis Sal extrahitur: Poſtmodum, ſi aquæ ſtillatitiæ commiſtum fuerit hoc Sal, non modo idonea evadit Phthiſicis reſtaurandis, ſed etiam expediendis & reſerandis lotii meatibus, adeo ut nonnulli contendant ea efficacia pollere ut paulatim comminuat & conterat calculos non in Renibus modo ſed & in veſica. Exhibetur cochleare unum, duo, imo tria vel quatuor una vice, procul à cibo, in uſu prout neceſſitas poſtulat pergendo.

Si qui ſolum vim Diureticam venantur, hos aperto igne calcinant, prætermiſſa diſtillatione, ex iiſque incineratis lixivium parant, extrahuntque Sal ſcopo admodum conveniens, etſi exigua admodum copia, ob partis Salis volatilis igne patente factam diſſipationem.

Iſtud Sal mane, jejuno ſtomacho, datur à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, ex vino albo aut liquore quopiam diuretico.

Lapides, inepte oculi appellati, qui in majorum Aſtacorum capitibus reperiuntur quando Sol ſignum Cancri oberrat, cum plurimo Sale volatili donati ſint, nonnihilque fixi poſſideant, non ſolum vi diuretica pollent, ſed eximia efficacia Acidum ventriculi domant: Per Retortam, eliciuntur Sal & Oleum volatilia, non ſecus ac ex cæteris Animalium partibus: Datur etiam Tinctura, ex illis per vinum album extracta, imo in ſubſtantia exhibentur ſuper porphyrite levigati, à ſcrupulo uno ad drachmam, ex juſculo aut quopiam liquore idoneo.

CAPVT X.

De Diſtillatione Ciconiarum.

VT omnia in commodum cedant quæ Ciconiæ poſſident, deplumes, exenteratas in fruſtula minima dividas, poſtea immiſſis cucurbitæ vitreæ in Balneo Arenæ collocatæ, coopertæ proprio Alembico, amyla incruſtato, adplicatoque exiguo Recipiente illius roſtro, educenda erit Aqua Igne leniſſimo, ad omnimodam fere materierum exſiccationem in Cucurbita: Demum recondita hac Aqua in lagena, excipiatur Retorta argillacea aut vitrea, luto circumlita, quicquid comprehendit Cucurbita, collocataque Retorta in fornace Reverberij clauſa, adcommodatóque eius roſtro grandi Recipiente, optiméque loricatis commiſſuris, igne per gradus accenſo ſuſcipienda diſtillatio, eandem ineundo viam quam præmonſtravi ad diſtillationem aliorum Animalium, eorumque partium: Eo pacto conſequi dabitur Sal volatile cum Oleo, in Recipiente commixto plurimo phlegmate occurrentia, quorum Rectificatio Balneo Arenæ perficienda, in matrario probofcide prædito, cooperto capitello accurate luto obducto, iuxta methodum à me traditam rectificationis gratia aliorum Salium & oleorum volatilium.

Sal volatile Ciconiarum admodum commendatur adverſus omne Venenorum genus & morborum Epidemicorum: Habetur etiam pro ſpecifico Epilepſiæ remedio: Procul à cibo exhibetur ex propria illarum aqua ab octo aut decem ad viginti aut triginta grana, pergendo in vſu juxta neceſſitatem.

Ad eoſdem etiam vſus venit Oleum ſtillatitium, id præbendo à duobus aut tribus ad novem aut decem guttas, exceptas Saccharo pulveriſato, ac in illarum aqua diſſolutas, aut alio quopiam liquore cephalico, Eodem quoque tempore licet inungere Nares & Tempora dicto oleo, exterius adhibendo & inungendo membra paralyſi affecta, ſicuti & membra nervoſa & artus dolentia.

Eundem quoque in ſcopum in vſum accerſitur Pinguedo iſtarum Avium colliquefacta, ſicuti & ad mulcendos dolores Podagricos: maximi etiam momenti cenſetur Pulvis partis internæ ventriculi Ciconiarum adverſus quodvis venenum, exhibendo ex liquore aliquo Cardiaco, ſcrupuli vnius, imo drachmæ quantitate.

Licet etiam eadem dozi, non abſque fructu, adſumere fimum exſiccatum

ſiccatum iſtarum Avium, 'ſed Sal & Oleum volatile ex eodem fimo educta multo præſtantiora ſunt.

Apud Hollandos verò tantum aut Helvetios, vel aliis in locis ubi hęcAnimalia ſuper caminorum ſummam partem nidos exſtruunt,quod fimus abunde ſuppetat, diſtillatio inſtitui poteſt.

Antiquorum nonnulli has Aves comburebant, ſicuti & Hirundines, obtinendorum gratia cinerum, rati quaſi in compendio ibi ſe repertu-ros vim præcipuam illorum Animalium:Sed diſſipatio Salis & Olei vola-tilis contingens,Artifices ab ejuſmodi deſtructionibus deterrere debet.

CAPVT XI.

De Præparationibus Apum, & Mellis ab illis confecti.

EX Apibus per Retortam eædem propemodum ſubſtantiæ quæ ex cæteris Animalibus educi poſſunt, una eademque methodo: Sed exigua utilitas harum ſubſtantiarum diſcretarum, in cauſa eſt ut ſatis ſit animalcula hæc combuſſiſſe & in cineres deduxiſſe, unguentis Po-matis commiſcendos, quorum pinguedo Vrſina & oleum Avellana-rum ut plurimum ſunt baſis, Ilorum vero uſus eſt ad inungenda loca in quibus pili deſiderantur, nam in hunc fere ſolum uſum trahuntur hæc Animalia:annonnullis tamen illa non crementur,ſed ſolum in pulverem teruntur tenuiſſimum, eodem modo quo cineribus in uſum adducendo.

Omnibus compertum eſt Mel eſſe delectum & congeriem ab Apibus factam, partium puriſſimarum ſuaviſſimarum & maxime odoratarum Plantarum, ac præſertim Florum & Fructuum; Ceram autem corpus eſſe ex maxime terreſtri, ſolidiſſima, & tenaciſſima materia, commix-ta ſubſtantiis unde Mel illæ deducunt; Mel collectum in locis editis montium regionum calidiorum, Orienti obverſarum, aut Meridiei, omnium eſt præſtantiſſimum; nam potius ratio habenda eſt loci unde manavit quam multo ſtudio id depurare diſtillationis gratia; ſi præſer-tim ſuſpenſis alvearibus, incluſis ſacco lineo rariori, loco clauſo & ſponte calente, permittatur exſtillare mel, quod neque id can-dore nativo ſit exutum, aut aliis qualitatibus utilibus, ab igne aut alia ratione.

Nonnulli Mel diſtillaturi illi addunt calculos aut arenas, vel aliud quidpiam ſimile; At vero cum experientia mihi compertum ſit ejuſ-modi materias cum melle utcunque ſubigi & coire, ac fracturam Cu-curbitæ inducere; ſi vitrea ſit aut fictilis, multo ſatius fuerit ejuſmodi repudiaſſe.

Accipiantur, exempli gratia, Mellis puriſſimi libræ duæ, excipiantur Cucurbita cuprea ſtanno optime obducta parte interna, & excelſa; exiguæ fornaci imponatur, alembico ſuperpoſito; commiſſuræ luto cooperiantur, admoveaturque exiguum Recipiens illius roſtro, demum ſubdatur ignis carbonum, & foveatur, ſed adeo exiguus ut nequaquam ſufficiat mellis effervefcentiæ procurandæ, ſolummodo ad ſtatum paulo ſupra tepidum deducat, Quo pacto ſurſum promovebitur aqua limpida & odorata mellis, quam ſubſequuturus eſt ſpiritus, ex ſapore acido, & calore utcunque flaveſcente deprehendendus, qui magis ac magis intenſus evadet, ſi præſertim ignis inſenſibiliter augeatur, Adeo ut tandem mellis pars Oleaginea ſurſum ſe evehat, quæ pars ultima eſt à diſtillatione expectanda: Seorſum adſervari poteſt Aqua limpida & odorata, Oleum à ſpiritu ſejungi, interveniunte charta emporetica madida, infundibulo vitreo ſuperpoſita, ac rectificari ſpiritus, parte aquea illi adhuc commiſta in vapores ope Balnei vaporoſi ſoluta.

Aqua Mellis Aperitiva eſt & Diuretica, ſi præſertim aculeum proprio ſpiritu obtinuerit: Vna ſi commiſceantur non parum conducunt eliciendis capillis iiſque producendis, ſicuti plurimis oculorum affectibus curandis, ac præſertim ſuffuſionibus: Nec minus utiles ſunt faciei maculis delendis; ſpiritus autem, etiam ſolus, Martem diſſolvere valet. Saturnum atque alia quædam mineralia.

Ex Melle, cum pauciſſimum Oleum eliciatur, ideoque vix Diſtillatio ad extremum uſque producitur; Admodum tamen convenit in mundificatione Vlcerum ac Oſſium carie emendanda; Neque præterea curæ eſt igni comburendum tradere magna in Cucurbita ſuperſtes, educendi gratia Salis, cum pauciſſimum illi inſit, uires autem non multum ſint inſignes.

Nonnulli Auctores modos quoſdam tradunt Aceta ex melle extrahendi; ſed nullum compertum mihi rationi magis conſentaneum, quam ſi Hydromel, fermentationem expertum, ſponte in Acetum degeneret, à me deſcriptum inter præparationes Galenicas iſtius Operis; Id quod brevi tempore ſperandum eſt, dummodo apertum maneat dolij oſtiolum ſupernum, Hydromel continens.

CAPVT XII.

De Diſtillatione Ceræ.

CVm exiguum adſit diſcrimen inter varias agendi rationes, ab Auctoribus deſcriptas ad Ceræ diſtillationem, ideo immoraturus non ſum

ſum in illorum procedendi viis examinandis, aut carpendis ; vti neque in eam vlla impoſſibilitatis arguenda : Cum præterea ab aliquoties iterata diſtillatione, & additione materierum, ad id ab iis vſurpatarum, liceat tandem finem conſequi, atque obtinere Oleum Ceræ, non plurimum ab illo diſſimile quod ij ſpondent: Porro, cum in Chymia, ſicuti in univerſa medicina, eo collineandum ſit vt Tuto, Cito & Iucunde peragantur omnes operationes ſuſceptæ; neque mihi ſcopus ſit hoc loco, vti nec alias, arcana propria adſervare, huc adduco præparationem illam quæ maxime prædictis conditionibus conſona eſt.

Accipiantur Ceræ flavæ electæ adoratiſſimæ, puriſſimæ, quæ in fæcum ſecretione exiguum ignem experta ſit, libræ duæ; in minima fruſta dividatur, colliquentur in ſartagine ferrea, aut cuprea, igni admodum leni expoſita : Cum illis compingantur cinerum optimorum lignorum, nullis vſibus dicatorum, quantum comprehendere illi poterunt. Commixta hæc indantur ingenti Retortæ vitreæ, Balneo arenæ committendæ, intra capſulam correſpondentem, adeo vt Retortam omnino ambiat & cooperiat Arena, ſolo exerto collo; demum impoſito operculo fornicato capſulæ, adcommodato autem, & accurate loricato Semi globo vitreo roſtro Retortæ, ſuſcipienda erit Diſtillatio igne per gradus adhibito, initio leni, tandum ſat intenſo, imo eodem in tenore producto donec ex Retorta nihil amplius prodeat : poſtmodum ſponte frigefacta arena, decruſtatoq; Recipiente, occurrent Oleum Butyri forma concretum, Phlegma & Spiritus, cum tantillo Sale volatili, paululum autem hę materiæ in Recipiente prius commotæ, quo ſal volatile in his liquoribus diſſolvi queat, decantandę erunt in lagenam: demum colliquefactum igne leniſſimo Oleum coagulatum, effundendum in vas vitreum aut Faventinum, ſeorſum, ſi vis, vſurpandum; vel ſartagine excipiendum, qua igni modico impoſita, vt id colliquatum maneat, oleo concorporanda erit calx viva recens, in pulverem ſponte ſoluta, ea quantitate quę ſufficiat illi compingendo, demum excuſſis ex Retorta cineribus reſiduis, his ſubſtituenda erit dicta miſtura, ex butyro Ceræ & calce conflata, ſicuti prius Balneo Arenæ commiſcenda; ex diſtillatione autem (quoad cætera ſicuti prius procedendo) proditurum eſt Oleum Ceræ limpidiſſimum, aquæ fere inſtar candidiſſimum, nonnullo phlegmati & ſpiritui adhuc remiſtum, per infundibulum vitruum aut aliter ſecernendum.

Sal volatile Ceræ poſſet rectificari in matratio oblongiore collo donato, Balneo Arenæ, non alia ratione qua cætera Salia volatilia, ſi Ceræ non mediocris copia diſtillationi ſubiiceretur, id exhibendo ab octo aut decem ad quindecim vel viginti grana, ex vino albo, aut alio quo-

piam liquore; Præſtantiſſimum quippe diureticum eſt & diaphoreticum:
Butyrum,aut Oleum Ceræ concretum, vſurpari poteſt ad Fiſſuras & Rimas mammillarum, manuum, pedum & ani, ſicuti & ad Perniones, ac diſſolvendas ſcirrhoſas durities & oedematoſas: Quibus cunctis affectibus convenire poteſt Oleum limpidum, quod præterea non minima vi lotium pellendi præditum eſt, ſumptum quantitate trium, quatuor, imo novem aut decem guttarum, ſaccharo in pulverem contrito exceptarum, ac in vino albo dilutarum, vel alio quopiam liquore: Spiritus iiſdem pollet viribus, ſed minori pollet efficacia.

CAPVT XIII.

De Diſtillatione Aſellorum, & Lumbricorum Terræ.

ASellorum & Lumbricorum terrenorum diſtillationem ſimul complector, tum quod vna eademq; fit procedendi via, tum quod facultatibus inter ſe multum conveniant, tum ſubſtantiæ conſimiles ex illis educantur, Animalcula hæc, quanquam contemnenda videantur, non minus prægnantia ſunt, proportione habita corporis, Sale volatili & Oleo, quam pleraque alia Animalia, etſi priora largo humore perfuſa ſint.

Induntur Retortæ, qua impoſita furno Reverberij clauſo, adcommodatoque & accurate loricato grandi Recipiente eius roſtro, igne per gradus adhibito eliciuntur Sal & Oleum Volatilia, plurimo phlegmati commiſta, quorum poſtmodum rectificatio inſtituitur Balneo Arenæ, igne moderato, in matratio oblongo collo donato, cooperto copitello proprio, probe luto incruſtato: Educto vero ex capitello, ac in lagena denſa recondito, Sale volatili prius ſurſum evecto, productaque rectificatione,reconditur itidem oleum ſeparatum,cum reliquo Sale volatili, in portione quadam phlegmatis diſſoluto, ſtillantibus poſtmodum in exiguum Recipiens, adaptatum roſtro alembici & luto obductum.

Nonnulli tenaces erroris Antiquorum comburunt & incinerant Aſellos & Lumbricos, vel citra alium adparatum taliter in vſum ducentes; vel ex iiſdem cineribus Sal educere tentantes, nequaquam attendentes diſſipationi Salis volatilis illorum animalium ab igne imminenti; ignari nullum aliud ſupereſſe Sal quam id quod Acidum materierum combuſtibilium fixare potuit: quantulumcumque tamen emanet, ſumma id vi diuretica præditum eſt.

Nonnulli etiam poſt diſtillationem Aſellorum, aut Lumbriſcorum terræ, ex Retorta, diſſolutionem Salis volatilis in parte Aquea, ac ſeparationem

tionem huius liquoris ab Oleaginea, mediante charta emporetica madida, impoſita ſupernæ parti infundibuli vitrei, ſtillatim affundunt poſtea ſpiritum Salis aut Vitrioli, donec nulla amplius adpareat effervefcentia, vnde non ſolum conſequitur conjunctio Salis volatilis cum Acido, ſed etiam illorum concorporatio & commutatio in Sal fixum, in quo Sal volatile, antea diaphoreticum, diureticum tantum evadit.

Neque iis admirationi eſſe debet iſtiuſmodi immutatio quibus perſpecta eſt inſignis diſpoſitio Salium volatilium per quam Acidis ſe adjungunt, ac immutatio vtrinque ad tempus adveniens ex iſta vnitate. Neque etiamnum mirum eſſe debet quod poſtmodum ab addito duplo pondere Salis fixi, educti è Tartaro rite calcinato, Sali eo modo fixo reddito, Acidum, Volatile deſerat, Sali huic fixo ſe adjuncturum, ac Volatile priori libertati reſtituens, id idoneum reddat ſublimationi, adeo vt ad ſummum capitellum evehatur ſi calore moderato impulſum fuerit.

Sal volatile Aſellorum, uti & Lumbricorum terreſtrium, æquali diaphoreticavi pollent, admodum idonea depurandæ maſſæ ſanguineæ; illiuſque impuritatibus per inſenſibilem tranſpirationem diſcutiendis: Foras quoque expellunt, ac per poros cutaneos humores fuliginoſos, acres & malignos ejiciunt; Acida potentiſſime ſubigunt, adeo ut illorum uſus plurimi fiat ad curationem vetuſtorum ulcerum, cancrorum & ulcerum: Neque minus commendabilia ſunt ad ſolatium Arthriticorum, Rheumatiſmo laborantium, dolore aut aliis affectibus muſculorum & nervorum.

Doſis & uſus ratio horum Salium, uti & ſalium volatilium aliorum animalium admodum inter ſe conveniunt; Nec diſpar eſt Olei ratio, cujus vires eundem ſcopum ſpectant.

Nonnulli per biduum aut triduum Lumbricos terrenos & Aſellos inter duas patinas fictiles concludunt, quo ingeſta evomant; poſtea vino albo eluunt, ac in furno exſiccatos, remiſſo intenſo hujus ferrore, in ſubtilem pulverem deducunt, quem à ſcrupulo uno ad drachmam exhibent adverſus urinæ difficultatem, uti & ad aliorum affectuum curationem, ad quos convenire cenſetur Sal volatile.

Neque diſſimilis eſſe debet procedendi ratio ad diſtillationem Lumbricorum in ventriculo & inteſtinis humanis natales habentium, ex iis eliciendo Sal & Oleum diverſa volatilia, qualitatibus non; quæ eadem ratione in uſum trahi poſſunt.

CAPVT XIV.

De Diſtillatione Cantharidum.

NVlli dubium eſſe debet Cantharidum ſubſtantium ſumma acrimonia & corrodendi vi præditam eſſe,quandoquidem contritæ,& cuipiam corporis parti admotæ veſicas excitant, imo & ulcera ſi diuturnior ſit mora : ore item adſumptæ, minima etiam dozi, & granorum aliquot pondere cladem ſæpenumero inducunt, inflammationes in partibus internis excitant, ſpeciatim Renibus, veſica, ac vaſis eo pertinentibus, aut finitimis, unde nonnunquam conſequuntur urinæ ardores adeo intenſi ut mictus cruentus adveniat.

Neque tamen prohibet ejuſmodi malignitas quin ſæpius ad uſus externos præſcribantur, imo & nonnunquam interius adſumantur, dummodo adſint cautiones neceſſariæ, necnon diſtillationis ope elicientur ex illis Sal & Oleum volatilia, à quibus, exigua etiam copia adſumptis, inſigniores expectandi ſunt effectus quam à quovis alio Sale volatili, parari ſolito.

Accipiantur Cantharides ſiccæ, neq; capitibus neq; alis, neq; pedibus abjectis, conjiciantur in Retortam argillaceam, velvitream luto obductam, adeo ut quarta circiter pars vacua ſuperſit, qua in furno Reverberij collocata, adcommodato ejus roſtro grandi Recipiente, ſedulo loricando, ſuſcipiatur diſtillatio igne per gradus adhibito, eadem cautione adhibita ac in diſtillatione cæterorum animalium, vel illorum partium; Tum obvia erunt in Recipiente Sal volatile cum Oleo, plurimo phlegmate commixta, ſimul effundenda in Matratium oblongo collo donatum, quo impoſito Arenæ Balneo, Capitello proprio, optime loricando, cooperto, adcommodatoque ejus roſtro exiguo Recipiente, itidem incruſtato, Rectificationi harum ſubſtantiarum incumbendum erit igne moderato adhibito, cujus beneficio ſtatim proditurum eſt, ſurſum aſcenſurum, Sal volatile album & cryſtallinum, non minori induſtria quam ſedulitate recondendum, in lagena vitrea denſa, accuratiſſime occludenda; Capitellum aliud priori adempto ſubſtituendo, cujus probe luto munitis commiſſuris, ignem continuando, in exiguum Recipiens procuranda erit diſtillatio Olei & reliqui Salis volatilis diſſoluti in pauciſſimo phlegmate, quod ſecum abduxerit : Quibus peractis ſecernendum Oleum à Liquore, ſeorſum utrunque adſervanda in lagenis vitreis denſis rite obturandis.

Sal volatile Cantharidum potentiſſimum eſt omnium Diureticorum, adeo ut etiam illi quidam adſcriptam velint vim atterendi & diſſolvendi Calculum in Renibus & Veſica: Tanta pollet penetrandi facultate & acrimonia ut in lingua libantium ulcuſcula patiat,nec aliter adſumi queat quam liquoribus quibuſdam dilutum, aut accuratiſſime Opiatis commixtum aliiſque remediorum formis mollibus; Dozis autem eſt grani unius, duorum aut trium,quaterna nequaquam excedendo.

Effectus autem omnino præſtantiores ſunt, & multo magis periculi expertes quam ab exhibitis Cantharidibus in ſubſtantia, ad excitandos veneris ſtimulos in utroque ſexu ; Cui rei Oleum etiam idoneum eſt, commixtum æquis partibus Olei ſtillatitii caryophyllorum, ac duodecies tantum Olei è Nuce Myriſtica expreſſi, inungendo plantas pedum, teſticulos & perinæum, dummodo vehementia odoris moleſta non fuerit.

Liquor reliquum Salis volatilis obtinens, ad eoſdem uſus transferri poteſt ac Sal ipſum, dozin adcommodando pro majori aut minori phlegmatis copia remixta: Salis autem volatilis tutiſsimus uſus ſi minima dozi exhibitum fuerit, ac plurimo liquore dilutum, quo in quam minimas divellatur particulas.

CAPVT XV.

De Diſtillatione Formicarum.

MAtratio convenientis capacitatis excipiatur ea Formicarum quantitas quam colligere licebit circa tempus meſſium ; ſuperaffuſoque ſpiritu vini rectificatiſſimo, adeo ut tribus digitis ſupereminear, accuratiſſime autem occluſo Matratio, effuſoque in Cucurbitam vitream liquore, hæc ſuo Capitello cooperiatur, cujus juncturæ rite luto obducendæ; Hac autem Balneo Arenæ commiſſa, adcommodato ejus roſtro exiguo Recipiente, probeloricando, ſuſcipienda erit diſtillatio ſubdito igne moderatiſsimo, donec pauciſsimus liquor in cucurbita ſuperſtes ſit: Demum ſponte refrigeratis, ac decruſtatis vaſis, effundenda erit, & adſervanda Aqua ſpirituoſa diſtillata,Sale volatili Formicarum prægnans,reondenda in lagena vitrea denſa optime occludenda, ad uſus.

Aquam hanc ſpirituoſam admodum conferre aiunt excitando & corroborando calori nativo; Tum & ad viros tardos, & mulieres in Venerem ſegnes proritandum, quamobrem aculeus illi datur additis quibuſdam Aromatis,cuiuſmodi ſunt Cinnamomum, caryophylli, Macis,&c.

Idonea necnon cenſetur reſtaurandis Atrophia laborantibus.

Exhibetur à ſemicochleari ad integrum, ſeorſum aut pauco vino commixta, vel etiam tertiæ aut quartæ parti aquæ cinnamomi.

Poſſunt & Formicæ matratio excipi, quod accurate occluſum, & obvolutum paſta ex qua panis conficitur ad craſſitiem tranſverſi digiti, immittitur Furno Piſtoris, detinendum toto tempore quo indiget panis ſyncomiſtos ad perfectam ſui coctionem: Eo autem ſponte refrigerato, percolandus erit liquor, & committendus lagenæ vitreæ denſiori accurate obſtruendæ, plurimi vſus, vti ferunt, contra ſurditatem,

Infunduntur etiam, ac poſtmodum decoquuntur, igne ſubdito leniſſimo Formicæ in Olivo, poſtmodum percolando, adſervando ad inunctiones partium genitalium, Veneri torpidæ ſuſcitandę: Poteſt & elici Sal volatile, vti & Oleum Formicarum, has ex Retorta diſtillando non ſecus ac Cantharides, ad eoſdem fere vſus revocando.

CAPVT XVI.

De Præparationibus Pavonis.

PAvo, Avium cunctarum elegantiſſima, vitæque, vt perhibent, productioris, non immerito Avis medicinalis nomen conſequuta eſt, quandoquidem non ſolum ex ejus corpore deducuntur plurima vſibus medicis idonea, ſed etiam caro illius incorrupta diu manet, ac diutius quam cuiuſvis alterius animalis.

Adſumitur quidem Pavonis Iuſculum tanquam pleuritidis remedium ſpecificum, ſed ex eius corpore integro, imo & illius excrementis, ſpeciatim autem ex ſtercore, medicamenta ſpecifica vi Epilepſiam impugnantia eruuntur, prætermiſſis plurimis viribus corporis illius partibus à quibuſdam adſcriptis,

Plumis exuatur Pavo, exenteretur, in fruſta diſſecetur, illis autem immiſſis Cucurbitæ vitreæ, Balneo Arenæ impoſitæ; hac Alembico proprio cooperta, commiſſuriſque amylo obductis, adcommodatóque eius roſtro exiguo Recipiente, igne moderato aqua extrahatur, admodum idonea corroborando cerebro, illíque adverſus affectus, quibus obnoxium eſſe ſolet defendendo.

Diſtillatione hac peracta, exemptóque ex cucurbita id quod in illa ſuperſtes fuit, excipitur Retorta argillacea luto circumlita, qua impoſita Fornaci Reverberij clauſæ, adcommodatóque eius roſtro capaci Recipiente, accurate lutando, igne per gradus adhibito elicitur Sal volatile, & Oleum, cum admiſto plurimo phlegmate; quorum poſtmodum inſtituitur

ſtituitur Rectificatio in matratio oblongi colli, capitello ſuo, probe luto obducto, cooperto, ſicuti præmonui ad præparationem eiuſmodi ſubſtantiarum, vnde exſurgit Sal volatile; album & cryſtallinum, cum Oleo limpido, eximiarum virium, præſertim adverſus Epilepſiam, eadem ratione id in vſum adducendo, parilíque dozi ac cætera Salia volatilia eiuſdem indolis: Imo ad Illitus Oleum vſurpando, Narium, Temporum, & regionis Suturarum cranij.

Stercus Pavonis quod ſpectat, hoc probe exſiccatum, & comminutum, immittitur Retortæ argillaceæ, luto circumdatæ, qua ſuper Furno Reverberij clauſo collocata, & adaptato eius roſtro Recipiente capaci probe luto obducto, igne per gradus adhibito eliciuntur ſubſtantiæ non multum illis abſimiles quas fundit Pavo mediante eadem diſtillatione; eadem etiam ratione rectificandâ in matratio prolixi colli, vtiles ad morbi Herculei curationem, ſicuti illæ quæ ex Pavone eruuntur: Sal volatile, & Oleum idillatitium Pavonis, necnon & huius ſtercoris, admodum conducunt ſiſtendæ Vertigini, diſintiendíſque vaporibus huius parentibus.

Nonnulli cenſent ſtercus Pavonis exſiccatum, drachmæ pondere vino albo infuſum, demum percolatum, ac jeiuno ventriculo mane exhibitum, à nova Luna ad plenam, imo vlterius ſi neceſſitas vrgeat, remedium eſſe vi ſpecifica Epilepſiam & Vertigines abolens: Valere etiam aiunt Pinguedinem iſtius Animalis ad colilos dolores; Pennarum autem combuſtarum nidorem ad diſintiendis vaporos ex vtere elatos.

CAPVT XVII.

De Præparationibus Caſtoris.

EX Retorta partes omnes Caſtoris Diſtillationi ſubjici poſſent, ſicuti & cæterorum animalium; ac Balneo Arenæi in matratio oblongi colli Rectificari quæcunque ſubſtantiæ exinde expectandæ, ſed eximius vſus, & facilis præparandi ratio Salia volatilia, ex plurimis aliis Animalium partibus eruenda, virtutumque adfinitas cum illis quæ ex hoc Animali obtineri poſſunt, in cauſâ ſunt vt illorum negligatur præparatio, Eaque potiſſimum ratione, quod eximiæ dotes ſubſtantiarum, in ſcroto iſtius animalis latentium deprehenſę, quibus per excellentiam Caſtorij nomen inditum eſt, efficiant vt contemptim habeantur cęteræ partes.

Eaſdem ob qualitates, & pretium non vile horum Teſticulorum, igni Reverberij non exponuntur, ſecernendi gratiâ Salis volatilis, & Olei ex Retorta extrahẽdi: Seorſum autẽ adſervata parte unctuoſâ, ſummæ parti

horum Teſticulorum impoſita, in veſicula ſeparata: contuſæ vero, aut minutiſſime inciſæ, ſubſtantiæ carneæ, exceptæque Matratio capacitatis convenientis, ſuperfunditur ſpiritus vini alkoolifatus, adeo ut quatuor circiter digitis ſupereminear: demum perquam accurate occluſum Matratium ſuperimponitur furno Piſtoris, inibi derelinquendum per dies quindecim aut tres hebdomadas, imo, ſi libet, ulterius, materias per vices commovendo, quo in vini ſpiritum id quod maxime eſſentiale continent tranſmeet, qui tandem coloris ſaturati adparet: Poſtmodum percolatis & expreſſis materiis, reconditur liquor in lagena vitrea denſa, probe obturanda, Tincturæ Caſtorei nomine inſignitus.

Sin Diſtillatio ſuſcipienda ſit, Cucurbitæ vitreæ cunctæ materię incluſæ Matratio immittendæ, quo Balneo Arenæ commiſſo, & Alembico ſuo accurate luto obducto cooperto, ſicuti & exiguo Recipiente, cucurbitę adcommodando, procurandus erit aſcenſus & diſtillatio ſpiritus igne moderatiſſimo, pergendo in diſtillatione donec omnis pars ſpirituoſa ſurſum evecta ſit, Qua ratione conſequi licebit id quod vocant Spiritum Caſtoriis; qui ſecum in diſtillatione abduxit ſubſtantiam maxime volatilem iſtius partis Caſtoriis, alias in Tinctura ſuperſtitem; quorum vires, doſes & uſus admodum inter ſe conveniunt, quandoquidem & hic & illa admodum conducunt adverſus quoſvis Cerebri & Ventriculi affectus frigidos, ſed pręſertim Vteri.

Exhibentur à ſemidrachma ad duas, imo & nonnunquam, quibuſdam in caſibus, ad ſemunciam, vino commiſcendo aut Aquis quibuſdam cephalicis, ſtomachicis, aut hyſtericis: Licet & Naribus immittere, Temporibus, Carpis admovere.

Reſiduum vero in cucurbita quod attinet, huius colo tranſmiſſi, vaſe exiguo fictili probe vitreato excepti, igne ſuppoſito leniſſimo, paulatim humoris ſuperflui abſumptio procuranda ad conſiſtentiam vſque extractorum ordinariam: quod refrigeratum recondendum in Vaſe Faventino optime obturando, ad vſus ſervandum.

Extractum hoc complectitur partes puras & minus volatiles Caſtorei, ideóque non contemnendum, diſſolvendum, ſi lubet, in ſpiritu Caſtorei, aut liquoribus Cephalicis vel Hyſtericis, vel ſeorſim Boli forma adſumendum à ſemi ſcrupulo ad ſemidrachmam, in iiſdem affectibus ad quos præſcribitur Tinctura aut Spiritus Caſtorei.

Quoad partem Vnguinoſam, veſicula peculiari concluſam, ſummæ Teſticulorum parti Caſtoris impoſitam, hæc vexationibus Chymicis obnoxia non eſt; vtiliter tamen in vſum adduci poteſt ad præparationem Galenicam Olei Caſtorei, id quod à me ſuo loco oſtenſum.

Plurimas alias præparationes Animalium, vel partium illorum Chymicas

micas hunc in librum conferre potuiſſem, ſed ſufficere allatas exiſtimo, iis ſatisfacturus qui Chymico ſtudio ſe addicunt, ac prætereà ſatis eſſe exemplorum vt quis audeat & ſuſcipere, & perficere cunctas Præparationes Animalia ſpectantes, quamobrem ad Mineralia tranſitum faciam.

PHARMACOPOEÆ REGIÆ CHYMICÆ.

LIBER TERTIVS.

MINERALIVM

Præparationes Chymicas exhibens.

CAPVT I.

De Præparationibus Terrarum & Bolorum, Et data occaſione, de Oleo Lateritio ſeu Philoſophorum.

INITIVM duxi Primi Libri tertiæ hujus Partis meæ Pharmacopoeæ à præparatione Chymica Plantarum illarumque partium, quippe quæ in ſuperficie terræ, illas producentis, obviæ ſunt ac ſtatim in oculos incurrunt; Immediate has excepit Præparatio Animalium, in quorum gratiam cæteræ Terræ, Maris & Aëris productiones conditæ ſunt: Iam ad

Terram propero, matrem, nutricem, baſin & centrum rerum omnium creatarum: Ideóque tempeſtive traditurus ſum Præparationes potiſſimarum ſubſtantiarum quas ſinu ſuo continet (à quibuſdam Mundi ſubterranei nomine inſignito) & Auctores omnes generali mineralium voce complexi ſunt.

Terra oculis noſtris expoſita, quam pedibus terimus, aut fœcunda eſt aut ſterilis: Fœcunda ejuſmodi eſt, pro ſubſtantiæ ſuæ natura, magis aut minus arenoſa; qualitate & quantitate Salis illi remixti, Aquarum humectantium, Climate ſub quo eſt, ſilicum aut lapidum majori aut minori abundantia: Sterilis quia aut Sale caret, generationi Plantarum neceſſario; aut quod aridior eſt à ſolis æſtu nimio, ac privatione humiditatis propriæ; vel calcinata, ac propemodum ad vitri naturam ab igne centrali accedit; aut ad petrificationem vergit, à ſucco vel ſpiritu petrificandi vim nacto; vel ſuffocata ab abundantibus materiis ſulphureis aut bituminoſis, aut ſalibus, aut ſpiritibus corroſivis, ſive tandem ab innata diſpoſitione ad generationem metallorum in ſuo ſinu, gemmarum aliarumve ſubſtantiarum, quas Sal, generationi Plantarum idoneum, producere nequit: optima Terra, quanquam fœcunda & parens productionum generationi inſervientium, nutritioni & conſervationi Animantium, quoad propriam ſubſtantiam exercitio Chymico admodum inepta eſt: in illa enim præter principium activum nihil deprehendere eſt, videlicet Sal: Ambo paſſiva exiſtimata, nempe Aqueum & Terreſtre, vix ut in conſiderationem adducantur digna ſunt.

Sal, à terra fertili ſegregandum, ad naturam Salis marini propemodum accedit, conſtat enim ex eodem ſpiritu acido, eodemque Sale fixo, quæ veriſimiliter eaſdem influentias, eandemque originem cum Sale marino agnoſcunt; Eapropter per quam raro hujus Salis extractioni quiſquam navat operam, At cum huic libro illam inſertam velim, ecce methodum in eundam ut voti quis compos fiat.

Terra fertilis aratro ſubacta, cum fœcunditatem fere quotannis exuat per varias productiones, neceſſe erit ad illam ſe convertere quæ per aliquot retro annos inculta fuit, imo hanc effodere ad altitudinem pedalem aut bipedalem, eam ſolum quæ in fundo eruta eſt uſurpando: Adſumantur ergo iſtius Terræ aliquot modii, hęc cupæ cuipiam idoneæ immiſſa, diluenda erit, in triplo vel quadruplo tantum aquæ pluviæ, per triduum aut quatriduum derelinquenda, per vices agitando ad faciliorem Salis diſſolutionem: Demum omnimoda facta Terræ ſubſidentia, ac decantato, & percolum trajecto liquore ſupernatante, promovenda erit humiditatis in vapores reſolutio ſartagine ferrea, eam excipiendo, igne moderato ſuppoſito, Tunc obvium erit Sal Terræ in fundo

Sar-

ſartaginis concretum, cui maior candor conciliari poteſt & ad cryſtal-linam naturam deduci, ſi id cruciculo exceptum incandeſcat, demum in aqua pluvia diſſolvatur, filtretur & in cryſtalla deducatur, cucurbitæ vitreæ inditum, ſuppoſito igne Arenæ moderato: Ex hoc Sale educi poteſt Spiritus illi ſimilis quem ſuppeditat Sal marinum, eandem ineundo viam.

Etiamſi Terra ſpecie ſterilis in contemptum venit quod nuda ſit ac ſuperficiem exhibeat vilem, non tamen non commendabilis eſt ob res raras & in pretio habendas quas ſinu ſuo fovet, materiam & ſubjectum elegantiſſimarum operationum Chymicarum: Conjunctio ſæpiſſime ad-veniens, intra Terræ viſcera, ſubſtantiarum acidarum & corrodendi vi præditarum, cum Salinis, vel metallicis, ſulphureis aut bituminoſis, vnde excitantur ignes variæ intenſionis & diverſorum graduum, admi-randis generationum ſpeciebus anſam præbet, ac præparationibus Chymicis ſoli Summo Opifici, & Naturæ magiſtro adſcribendis, adeo aperte in oculos incidentibus, vt demonſtrationibus rem manifeſtam facere inutile ſit: Satis mihi jam ſit caput præſens prorogare, adductis aliquot Terrarum præparationibus, & Bolorum, ad medicos vſus ac-cerſitarum, etſi recenſeantur inter viliſſimas Terræ infœcundæ pro-ductiones.

Terræ Lotiones hic non attingam; vti neque Bolorum, quandoqui-dem hæc præparatio ad Pharmaciam Galenicam pertinet; hoc ſolum obiter adducturus ſum, immodicas Lotiones abluere & detrahere Ter-ræ id quod ſalinum & ſpirituoſum obtinet; Illas autem (cum eo ſolum ſcopo conſtituantur lotiones vt Terræ ab arenoſis partibus liberentur, aliiſve ſordibus) licere (intactis & ſalvis viribus harum Terrarum) ido-neas ſcopo reddere triturando, & per cribrum ſericeum tranſmitten-do, cuius telæ arenulæ aliæque quiſquiliæ inhæſuræ ſunt, Argilloſas ta-men Terras, aut Bolos, ſuper porphyrite terandas, non inutile eſt hu-mefeciſſe aquis aut decoctis cordialibus, aut in exiguas metas effinge-re, dummodo ea ſolum aquæ quantitas affuſe fuerit ut abſorbendæ pares fuerint.

Ex Terris argillaceis, nominatim Lemnia exſiccata, educitur Phleg-ma & Spiritus acidulus, ſudoribus evocandis vtilis, diſtillatione per Re-tortam inſtituta in Furno Reverberij clauſo; Poſſunt & præparari ma-giſteria harum Terrarum, diſſolutione facta in ſpiritu Salis; aut Nitri, ac præcipitando iniecto Sale Tartari in liquorem reſoluto, quod ſpiri-tibus his acidis commixtum, in cauſa eſt vt ſecedant à corpore ab ipſis reſoluto; vel ſuperaffuſa copioſa aqua communi, àqua infractis iiſdem ſpiritibus ſimilis prodit effectus: At ob iniuriam Terræ ſpiritibus illa-

tam hanc diſſolvendo, à diſſipatione ſpirituoſarum partium & ſalinarum, contingente ab adſociatione eorundem ſpirituum, ac lotione requiſita, retundendæ cauſa acrimoniæ, id ratum habeo eiuſmodi Argillas, e minera depromptas, ac per incerniculum ſericeum tranſmiſſas, multo præſtantiores futuras; Neque enim exuunt ſingularem, qua pollent, facultatem exſiccandi & adſtringendi, humorum putredini obſiſtendi, quinimo & venenis ac febrium malignitati, ſanguinem concretum reſolvendi ac ſudores excitandi; Sed præcipua illarum efficacia adverſus Diarrhoeam quamvis & Lienteriam.

Etiamſi Laterarij Figuli, dum lateres coquunt, Naturæ imitatores quodammodo videantur, quippe quæ Argillę lapideam inducit indolem, in Bolum illam convertens, media tamen, quibus Natura vtitur, leniora proculdubio ſunt & potiora, quandoquidem in Bolo ſuperſunt omnes vtiles qualitates quibus donatum erat ſub Argillæ forma: id quod nequaquam mirum videbitur ſi animadverſus fuerit tepor & lenitas ignis centralis illam coquentis, temporis autem diuturnitas quod Natura ad hoc operis impendit: Cum ex oppoſito ignis vehementia, argillam in lateres commutantis, deſtruat & abſumat quicquid purum & ſubtile illi ineſt, idoneam ſolum efficiens conſtructioni Fornacum aliorumque ædificiorum: niſi forte vſui eſſe videatur ariditas & ſiccitas laterum, abſumendæ gratia cuiuſpiam humiditatis terreſtris, ac liberandæ puriorique efficiendæ cuipiam ſubſtantiæ liquidæ, id quod conſpicuum eſt in præparatione olei, Lateritis dicti, aut Philoſophorum, cuius per tranſennam trado deſcriptionem.

Superfluum cenſeo Auctorum omnium proceſſum, Lateres antequam Oleo immittantur prius ut candeſcant curantium, eo quod diuturnitas & vehementia ignis, ad iſtius Olei diſtillationem requiſita, lateribus ſufficientem calorem inurat quo pervadi queant ab Oleo Olivarum, & quicquid aqueum & terreum huic ineſt abſorbere valeant: Ex mea vero ſententia, poſtquam incanduerint, abſumendæ cauſa humiditatis extraneæ, forſan contractæ, ſatis eſt ſi calentes conterantur, ac demum Olei Olivarum quantum abſorbere poterit pulvis affuſum fuerit; poſtmodum Retortæ lapideæ argillaceæ, luto obductæ tres circiter partes impleantur, qua collocata in Furno Reverberij clauſo, adcommodatoque illius roſtro amplo Recipiente, probe loricato, ſuſcipiatur diſtillatio igne per gradus adhibito, producto & impulſo non ſecus ac innui pro diſtillatione Cranij humani, plurimorumque aliorum ejuſmodi: Oleum, ſi libet, rectificandum, affuſum recenti laterum pulveri, ex Retorta, Balneo Arenæ, igne per gradus adhibito, ut puritas & tenuitas major illi concilietur.

Inſigni penetrandi vi prçditum eſt iſtud Oleum, digerendi, reſolvendi, maturandi & emolliendi humores frigidos, quos ad ſuppurationem tandem deducit; Scirrhos Iecoris & Lienis abſumit, nec non nodos Podagricorum, Lueque Venerea infectorum tophos & gummata: Non minimæ eſt efficaciæ inunctum adverſus Paralyſin, Rheumatiſmum, Iſchiadicum dolorem ac quamvis Arthritidem; Vtero immiſſum illum ab impuritatibus liberat, Odontalgiam ſedat, Otalgiam, Auriumque ſuſurrum; Naribus inditum Lethargicos & Epilepticos excitat: Temporibus & ſupra cranij ſuturas admotum, cerebrum mire excalefacit & roborat, Lumbricos quoque enecat, Pulmoneſque pituita infarctos extricat, ſi guttæ aliquot ex liquoribus idoneis datæ fuerint.

CAPVT II.

De Præparatione Aquarum.

HIc loci ſermo mihi non eſt inſtituendus de Aquæ uſu, uti neque de neceſſitate illius cum Terra conjunctionis, ad generationem & productionem mixtorum; Neque etiamnum huc revocaturus ſum id Phlegma, vel Aquam, diſtillatione Chymica ex pleriſque mixtis elici ſolitam, à Chymicis inter Principia Paſſiva repoſitam, ac ſubſtantiam ad illorum compoſitionem neceſſario concurrentem; Sat multa me dixiſſe capite quarto hujus Pharmacopoeæ exiſtimo, è re tantum eſſe ut verba faciam de Præparationibus Chymicis Aquæ Elementaris, à cunctis Authoribus in cenſum Mineralium relatæ.

Pharmacia utraque quotidie uſurpat Aquam fontanam, & fluviatilem in plurimos uſus; Nulla etiam pravia præparatione: quibuſdam in locis Putealis ad uſum accerſenda eſt, quinimo & Paluſtris cæterarum inopia; Chymia autem in Aqua pluvia præſtantius quiddam agnoſcit, illa præſertim quæ Æquinoctiorum tempore effluit, ſpeciatim verno; Omnis Aqua Pluvia ut plurimum dulcior eſt, tenuior & levior cæteris omnibus, quod à Sole ſurſum evecta fuerit, materiam præbentibus vaporibus aquarum ſubtiliſſimis; imo illi conceſſum ſit tempus ad depurationem, tum & ſui attenuationem in tranſitu per aërem prius quam in terram recidat: Illo præterea tempore Aër Spiritu Vniverſali magis abundat, cujus effectus in productione rerum omnium adeo efficaces ſunt; plurimoque ſale volatili inviſibili turget, cunctis ſubſtantiis ſublunaribus Animam adflante:

Aquæ Pluvię puritas non obſtat quominus ſubſidere permittatur per

biduum aut triduum, ac ante uſurpationem per colum trajiciatur, aut ex Alembicis vitreis in diplomate diſtilletur, aut Balneo vaporoſo, ſi tenuitas illi major & penetrabilitas concilianda, Eapropter ſatis eſt mediam circiter humiditatis partem igne moderato eduxiſſe, demum effuſis, ac ſeorſum repoſitis ſubſidentiis, ſubſtitutaque illis recenti aqua Pluvia, Diſtillatio producitur donec ſufficiens Aquæ illius attenuatæ, ac ſubtiliſſimo Aquæ pluviæ ſale volatili prægnantis, copia ſuppetat. Poſtmodum cunctis ſubſidentiis vni aut pluribus Cucurbitis vitreis, eodem in Balneo, immiſſis humiditas in vapores diſſolvitur, quouſque in imis Cucurbitis ſolum Sal fixum Aquæ pluviæ ſuperſit, exſiccatum ac parti terreſtri cuipiam remixtum.

Nonnulli, Aquæ ſpirituoſioris avidi, Aquam pluviam Matratio concludunt, quod hermetice occluſum per triginta aut quadraginta dies in digeſtione aut putrefactione detinent, quo melius præcipitentur fæces, & pars ſpirituoſa ab aquea facilius ſecerni queat, ac in diſtillatione ad ſuperiora prior evehatur.

Nix, cum ſit pluvia concreta à frigore in aëre, pars autem illius ſalina volatilis quodammodo eo pacto coërcita videatur, iiſdem viis elipoteſt Aqua, non modo colore perſimilis, ſapore & facultatibus, illi quæ ex Aqua pluvia educitur, ſed etiam majori penetrabilitate prædita, quod Nix ſale plurimo gaudeat, quo fit ut major occurrat copia hujus evaporatione facta quam aquæ.

Aquæ ſtillatitiæ Imbrium aut Nivis, idoneæ ſunt penetrandæ ſubſtantiæ plurimorum mixtorum, ac præſertim Vegetabilium, illorumque extrahendis Tincturis; Cui uſui magis conducunt ſi illarum Sal fixum additum fuerit; Rentur etiam nonnulli ſpiritum, ex Sale hoc fixo eliciendum, præſtantiſſimum eſſe metallorum diſſolvens, potiſſimum Auri.

Roris natura plurimum affinitatis habet cum Pluvia vel Nive, at vero citius in nihilum abit, quod cum ſolummodo evehatur è terræ exhalationibus, neque tam alte efferatur ac vapores imbribus materiam præbentes, eapropter etiam minori provenit copia, ac vix diu ſubſiſtere poteſt: Cum enim ſolummodo circa veris initium adparere ſoleat, cum Sol ſolſtitio proximus ad perpendiculum horizonti noſtro imminet, cœlum admodum eſt ſerenum, nubibus nequaquam obſitum, non item ulla alia tempeſtate, neq; cum aër nubibus obſitus eſt, his radios ſolares intercipientibus; & impedientibus ne terra exhalationes ſuas provehat, aut eas in imbrem convertat; cum vero aëre ventis exagitato nullus Ros reperiatur, ab illis diſſipatus, diligentia in illo colligendo adhibenda

adhibenda eſt ſtatim ac excidit, aut, quod ſatius, pelvibus excipiendus, aliiſve idoneis vaſis ipſo quo effunditur tempore, lagenis accuratè obturandis identidem recondendo, in uſus citra adparatum advocando; vel ſpiritum ex illo eliciendo, prævia digeſtione, per triginta aut quadraginta dies in matratio hermeticè occluſo, non aliam ineundo viam quam quæ pro Aqua pluvia indicata eſt, etſi nequaquam in vaſis fundo exquirendum ſit idem Sal fixum quod ab aqua pluvia, à ſumma quippe volatilitate ſalis roris in diſtillatione omnino ſurſum evectum.

Aqua marina ad Solem aut ignem in vapores diſſolvitur, ſicuti & Fontium ſalinorum, in Comitatu Burgundiæ ſcaturientium, aliiſque locis, conſequendi ergo ſalis abſumpta humiditate reſtibilis: At vero diſtillationi non ſubiicitur comparandæ gratia aquæ, præterquam in navigatione maritima, inopia aquæ dulcis, etiamſi hoc pacto elicienda acrimoniæ nonnullius ſit particeps, ratione partium volatilium ejuſdem ſalis, in diſtillatione una abreptarum.

Hoc loco Aquarum mineralium diſtillationem prætermitto, eo quod ſi illarum incidat uſus, inutilis ſit, in uſum ſolummodo accerſuntur cujuſmodi in fonte occurrunt: miſſam etiamnum facio methodum obſervandam in diſquiſitione & exploratione variarum ſubſtantiarum aquis mineralibus præcipuas vires impertientium; cum proculdubio curioſorum animos expleturus ſit liber obſervationum circa aquas minerales Galliæ, à Domino Cloſſæo, Conſiliario & Medico ordinario Regio, Academiæ Regiæ ſcientiarum adſcripto, eruditiſſime conſcriptus, publicíque juris factus anno poſtremo 1675, præmiſſo inſigni experimentorum non vulgarium numero materiam hanc ſpectantium.

Neque præterea neceſſe duco ut huc adducam aquas artificiales, quovis tempore parabiles, diſſolvendo in aqua pluvia, vel fontana, aut fluviatili, varia ſalia varioſve ſpiritus, hæc adcommodando affectibus & temperamento ægrorum; quarum legitima compoſitio non raro quàm mineralium nativarum uſum ſalubriorem præſtat, omnibus ex æquo morbis, ſi credere fas eſt, expugnandis parium; quippe cum omnino impoſſibile ſit præciſam determinare quantitatem cujuſque mineralis illas componentis, in terræ viſceribus obvij; etiamſi ex earumdem ſapore, colore, inſtituendaque analyſi, non levis notitia comparari queat mineralium facultatibus ſuis illas imbuentium; Neque etiam ullo modo quicquam colligere liceat ex ſalubribus effectibus, in plurimis ab illarum uſu comprobatis, ad morbos ſimiles curandos transferendum.

CAPUT III.

De Præparatione Lapidum & Gemmarum.

AD examen deducturus non ſum rationes à variis Authoribus adductas circa ſoliditatem & duritiem Gemmarum & Lapidum,ſicuti & petrificationem illarum ; parvi enim intereſt ab illis adſcriptæ fuerint cauſæ unitati proportionatæ Alkalium cum terra, aut utrorumque cum Acidis, vel cum Aquis, vel ſuccis, fermentum intra ſe continentibus, aut ſemen lapidificum, quorum effectus elucefcunt in lignis, oſſibus, plurimiſque aliis materiis in quibuſdam aquis lapideam duritiem nactis ; In calculis inin plurimorum animalium corpore genitis, imo & hominis ; Infanibus quibuſdam duritiem lapideam in utero materno adeptis. Neque etiamnum refert illorum generationem adſignarint partim Acido aëri inexiſtenti, cujus manifeſti adparent effectus in terris, ſuperficiem montium aut planitiem operientibus, ſucceſſu temporis in lapideam abeuntibus naturam ; Vel etiam adjungere prædictæ cauſæ velint innatam diſpoſitionem quorundam lapidum, ad readſumendam priſtinam lapidis formam qua exuti fuerant, ſicuti adparet in gypſo, vel transferendam diſpoſitionem hanc in ſubſtantias ipſis commiſcendas, id quod præſtat calx ; Scopus hic erit meus ut adferam præcipuas præparationes Chymicas quas in Gemmas & lapides exercet Chymia.

Mechanice, Chymiæ imitatrix in furnis, eum in finem conſtructis, igne vehementi & diutius producto plurimos lapides obvios calcinat, cujuſmodi ſunt ſilices fluviatiles, ac quidam lapides, ex quibus conficitur calx ad ædificiorum ſtructuram, necnon illi qui gypſo materiam præbent: Chymia in calcem nonnunquam deducit quaſdam lapides, per plures horas igne Fuſionis adhibito, ſicuti in Cryſtallo fieri ſolet.

Nonnunquam remiſcet Nitrum, ſal Tartari, aliudve ſal, ſi calcinatio inſtituenda fuerit, obtinendi cauſa liquoris, ſicuti cum ex Cryſtallo hunc educere ſcopus eſt : Nonnunquam illi ſatis eſt igni, ut candeſcant, ter quatérve expoſuiſſe,ac toties in aqua extinxiſſe,ſicuti id fieri ſolet in lapide Lazuli : Aliquando in ſpiritibus corrodendis vi præditis diſſolvit, ſicuti Saphyrum in ſpiritu vitrioli, ac nonnullas alias gemmas in Aceto ſtillatitio &c. Quæ calcinationis ſpecies Potentialis vocatur, aut ſolutio, quam quædam aliæ operationes excipiunt à me poſtmodum memorandæ: Exinde etiam conficere ſolet magiſteria, ſed inepte, cum inferiora ſint & viliora lapidibus è quibus educuntur.

CAPUT IV.

De Præparationibus Calcis.

NEminem latet lapides, è quibus Calx conficitur, effectus in ea notabiles edere non poſſe niſi ignem prius experti fuerint, eamque conditionem calcinatione prævia adepti ſint: Illud quoque notum à vehementi illa ignis actione omnem quiſquis eſt humorem abſumi: Vim autem in unam maſſam compingendi, ac in lapidem indurandi arenam, aliáſque materias quibus commiſcetur, niſi calcinatio & aquæ perfuſio præceſſerint, nequaquam adipiſci.

Illud porro concedendum Calcem nequaquam immunem eſſe impreſſionum ignearum, neque tamen ideo inferendum facultatem illius cauſticam adſcribendam eſſe atomis igneis illic concluſis; Id enim ſi ſtatueretur, lateritia opera, ignis vehementiam experta non minorem, igneis illis corpuſculis nequaquá carerent; Lapides, alterius naturæ ab iis ex quibus conficitur calx, ſæpe per incuriá illuc illabentes, ſimili vi cauſtica gauderent, idem ignis examen cum lapidibus calcariis perpeſſi, imo quandoque diuturnius: Ferrum item, cuprum, aurum, argentum, plurimæque ſimiles materiæ, non minori vi cauſtica donatæ eſſent, tamdiu ignem expertæ, imo aliquando repetitum.

Quapropter, cum nihil ſimile deprehendatur, neque cauſtica vis illis inſit, niſi igni ſtatim præreptis, aut cum maxima pars empyreumatis adhuc ſupereſt, vel ſicubi aqua humefiunt, in propria calcis ſubſtantia, neque alibi, diſquirenda eſt qualitas illius comburens, ſpeciatim ſal illius ſemiſpirituoſum, cujus tenuitas, & penetrandi vis admodum obviæ ſunt; etſi id à parte terreſtri, in ſingularem maſſam deducendum divelli nequeat, ſicuti in cæteris ſalibus id fieri ſolet.

Sola igitur ſalis ariditas, partiſque illius terreſtris, inſigniſque utriuſque diſpoſitio ad conjunctionem cum aqua, juvante & comite acido hujus naturali, cauſæ ſunt caloris & efferveſcentiæ manifeſtæ cum invicem illa coëunt: ex iſta, inquam, combinatione oritur proprietas calci innata colligendi, ac petrificandi quæcumque corpora attingit: quæ actio nequaquam adſcribenda eſt, uti neque vis cauſtica, atomis igneis, quorum exiſtentia eo minus probabilis quod, teſte experientia, calx viva nequaquam incaleſcat ab affuſo vini ſpiritu vel oleo, etſi utrumque flammam illico concipiat, quin potius excitatum in calce calorem ab

aquæ infuſione extinguant: Calcis effectus cauſticos quod attinet, adſignandi illi vehementiæ & penetrabilitati partium proprij illius Salis, non minori vi cauſtica præditi quam ſunt partes ignis, quibus imputantur prædicti effectus.

Prædicta argumenta, utut apertiſſima, cum dimovere à ſententia nequierint nonnullos, illius quanquam male ſtabilitæ pertinaciſſimos, Lectori manifeſtum facere volui quam levibus innitantur principiis, atque incogitanter,& contra mentem principum Auctorum qui de Calce viva ſcripſerunt, docere conati ſunt hanc atomis igneis præditam eſſe, ſale autem deſtitutam eſſe tradidere, quia, inquiunt, nullum ab ipſis repertum, etſi multo ſtudio id ab ipſis conquiſitum fuerit.

Illi inquam declinare conati exemplum à me de lateritiis operibus & fictilibus allatum, lapidibus, ferro, cupro, argento, & auro, eundem ſæpe ignis gradum, imo majorem ſuſtinentibus illo quem calx in ſui caleinatione experitur, etiamſi nullum ejuſmodi corpuſculorum igneorum veſtigium adpareat quæ in calce animo fingunt, illi, inquam, diverſitatem pororum prædictarum ſubſtantiarum comminiſcuntur, ſtatuentes, *Lateres, alioſve lapides calcinatos, aliter poros diſpoſitos ac calcem obtinere, ut totidem particulas igneas continere nequeant: Sin quædam metalla dum calcinantur has admittant, eaſdem intra partes ſuas adeo tenaciter continere multo ſolidiores partibus calcis, ut neque calor, neque humiditas aëris illinc eas ſeducere valeant quo corrodere poſſint.*

At his perpendendum fuerat cum, non obſtante varia pororum diſpoſitione laterum & lapidum, ac diſſimili poris Calcis, eædem ſubſtantiæ, ex illorum mente, non minimam copiam prædictarum atomorum ignearum continent, etſi minori quam quæ in Calce reperitur; cum porro ſuppoſititiæ illæ ignis particulæ nequaqaum manifeſtæ ſint, neque ullum motum prodant quando aqua has ſubſtantias pervadit, ideo neceſſe eſſe vt accenſeantur numero non entium & impoſſibilium; ac ſtatuendos in vero & reali ſale calcis motum & calorem, ſuccedentes cum aquæ immerguntur.

Exemplum adductum de incremento, pondere calcis plumbi, dum calcinationem ſuſtinet, & adſcriptione iſtius augmenti corporibus igneis quæ ſubingreſſa eſſe ſuſpicantur, ac eorumdem deſtructione inducta à fuſione iſtius calcis, eadem quoque ratione entibus rationis annumerentur, quandoquidem iſtiuſmodi augmentum aliunde ortum non ducit quam à partibus fuliginoſis & excrementitiis materierum accenſarum plumbi calcinandi gratia, in ſcorias ſecedentium aut fumum fuſionis tempore; fictitia autem gravitas atomorum harum ignearum, quas inviti concedunt in metallis compactioribus contineri per lon-

gam

gam illorum calcinationem, pro chimerica tantum habenda eſt & phantaſiæ opere; teſtibus enim iis qui trutinæ rurſus expoſuerint, auri ponderi, ac præſertim argenti, potius quid deceſſurum eſt quam ut augmentum accedat; in ferro autem & cupro manifeſta eſt imminutio, ſi ſcoriæ & excrementitiæ partes ablatæ fuerint.

Excuſationem autem allatam circa impoſſibilitatem excitandi in flammam exigua illa corpuſcula ignea fictitia, affuſo ſpiritu vini, oleo, aliiſve liquoribus flammæ rapacibus ſupra calcem quod attinet, uti & id quod adfertur ſubſtantias ejuſmodi, quæ particulas calcis divellere deberent, id quod præſtat aqua, impedire quominus ab invicem diducantur, poros videlicet obſtruendo, eventus comprobat falſitatem principij corporum horum igneorum ſuppoſititiorum; nam prætterquam quod experientia manifeſtum faciet ſpiritum vini facillime ſubire ſubſtantias quas aqua pervadit, niſi præpediant ſalia in illis contenta; oleum autem effluere è vaſis, quibus concluditur, multo facilius aqua; Ex his merito colligendum, cum calx omni corpore deſtituta ſit igneo, magno vel minimo, quod erga oleum & ſpiritum vini producere valeat, id quod minima ignea atomus vel momento efficere poſſet, penetratio autem in calcem illis non concedatur ob partem ſalinam concluſam, quam nequaquam pervadere aut diſſolvere idonea ſunt, id quod aqua præſtat, colligendum inquam, ab eodem tantummodo Sale obſtrui calcis poros, aditumque præcludi ſpiritui vini & oleis, tantum abeſt ut penetrare valeant, poroſque occupare: Qui calcis vivæ effectum pauxilla aqua dilutæ animadverterint, admotæ autem fundis doliorum oleum continentium, præpediendi cauſa hujus effluxus, deprehenſuri ſunt id calcem penetrare non poſſe; Ij quoque diſcent calcem ea tantum ratione oleo obſiſtere quod Sale gaudeat, ſi in eos uſus quis adducere velit poſtquam in aqua fuerit extincta, ſecretúmque fuerit ſal ope lotionum.

Interim, etiamſi conceſſerim poſt dilutam in plurima aqua calcem, ſecretámque partem terreſtrem, ſi in vapores diſſolutus fuerit iſte liquor, in fundo occurrere pauxillum terræ ſalis expertis, non tamen me iudice inferendum omnino illam ſale ſpoliatam eſſe, ſed admiſſa *Helmontij* ſententia, hoc vero Sale à me perpenſo tanquam *Gas* admodum volatili, quod corpus adſumere nequeat, viſúmque ubique effugiat præterquam aqua exceptum; hoc vero præterea conſiderato aquam ſimplicem, cui acidum innatum non deeſt, facillime ſubire calcis poros; hujus Sal ab illa diſſolvi, parteſque ab invicem diduci; ab actione & reactione utriuſque æſtum & efferveſcentiam excitari, aquam hanc impregnatam parte ſalina & cauſtica calcis, in

ſe comprehendere quicquid hæc generoſiſſimum obtinet, partem autem terreſtrem lotionum ope hoc exutam, neque fervere, neque incaleſcere, neque id, quo antea valebat, præſtare. His, inquam, omnibus veriſſimis perpenſis, dimiſſiſque aliis rationibus Lectori tædium allaturis, in ea adhuc hæreo ſententia ſuppoſititia hæc corpora ignea accenſenda eſſe entibus rationis, adſignandum autem omnino æſtum & calorem ſuccedentes diſſolutioni ſalis calci, inexiſtentis in aqua, mutuæque vtriuſque actioni & reactioni.

Calcis vivæ ſimpliciſſima præparatio ea eſt quæ per elixiviationem perficitur, etſi exinde, ſicuti ſupra a me indicatum fuit, ſecerni exinde poſſe Sal, ſicuti ex cæteris lixiviis, ſperandum non ſit, ſed in aqua diſſoluitur ſal illius ſpirituoſum & exſiccans, quod cauſtica vi præditum evadit, ſi cum ſubſtantia quadam analoga concentratum fuerit.

Eapropter Calcis vivæ optimæ tribus aut quatuor libris, capaci pelvi ex ſtanno ſonoro confectæ exceptis, ſenſim aquæ pluviæ aut fluviatilis affundatur quantum ſatis eſt vt referari poſſit ac ad diſſolutionem diſponi; demum repetitis vicibus nova iterum inſtilletur, donec aqua Calci emineat quatuor aut quinque digitis, materias interim rudicula lignea commovendo, vt Calcis pars ſpirituoſa ſalina in aqua rite diſſolui valeat; demum quieſcentibus omnibus per aliquot horas, & ſubſidentia facta, decantata ac per colum tranſmiſſa aqua ſupernatans, in lagenis vitreis denſis adſervanda erit, quam vocant Aquam Calcis.

In eandem Calcem reaffundere licet recentem aquam, ac tantumdem quantum prima vice, agitatione facta, ſubſidentia, filtratione ſicuti prius, ſeorſim poſtremam hanc aquam recondendo; quæ operatio ter ſi libet repeti poteſt, vt Calx parte ſalina omnino exuatur.

Poſtmodum Calcis ſubſidentia exſiccari poteſt, ſervanda tanquam remedium exſiccativum leniſſimum & optimum: Quæ aquarum prædictarum efficacior ſit non difficile eſt diiudicare; Seorſum vnaquæque reponenda, diverſimode uſurpanda, prout effectus maior aut minor expetitur, tam adverſus gangrænam, quam affectus oculorum ac pleraque ulcera.

Componitur etiam Aqua, Neotericis dicta Phagedenica, quæ nihil aliud eſt quam miſtura ex tribus libris prioris aquæ cum ſemilibra ſpiritus vini rectificati & ſemiuncia ſublimati corroſivi; hęc tamē proportio ſtricto adeo iure obſervanda non eſt quin huius vel alterius medicamenti minor aut maior fieri poſſit doſis, præſertim ſublimati; Imo nonnulli Arſenici pulveriſati & ſublimati æquales portiones imponunt, necnon aliquot guttas ſpiritus Vitrioli.

Admodum probatur hæ Aqua ad cohibendæ Gangrænæ progreſſum, eiuſque ſymptomata, Curationem vlcerum malignorum & corrodentium, quos in uſus commovenda lagena ut turbida fiat Aqua; quæ commotio lo-

cum non habet ad effectus oculorum, limpida enim uſurpanda, imo tempe-rari ſolet adjectione aquarum ophthalmicarum : præſcribi etiam ſolet ad ſananda Eryſipelata, Phlegmonas, Ambuſta, omnéque inflammationis genus, temperando, ſi neceſſe ſit, commixtione aquarum idonearum.

Præparatur Aqua Ophthalmica ex ſemilibra prioris Aquæ; libra una ſecundæ; ſeſquilibra tertiæ; ſalis Ammoniaci drachmis tribus, cuncta ſi-mul immittendo vaſi cupreo, ſinendo donec liquor elegantem colorem cœruleum nactus ſit; demum per chartam emporeticam trajecta hæc aqua recunditur in lagena probe occludenda ad uſus: particulæ cupreæ in hac Aqua diſſolutæ, ſali ammoniaco commixtæ, utilem edunt effectum, præ-ſtantiſſima enim eſt hæc Aqua in affectibus oculorum.

Schroderus ſpiritum Calcis vivæ magnis encomiis evehit, ad commi-nutionem & diſſolutionem calculorum in Renibus & Veſica, ex vino albo exhibendo, vel juſculo, à guttis duabus ad quinque aut ſex; Præparationis gratia præcipit præmiſſa ſubtili trituratione calcis vivæ ſuper Porphyrité, pulveri affundi ſpiritum vini rectificatum, diſtillationem fieri, cohobatio-nem, octies aut decies repetendam ex Alembico vitreo accuratiſſime lu-to obducto, Diplomati impoſito, aut Balneo vaporis; admixtiſque decem unciis capitis mortui ejuſdem ſalis optime exſiccati, mixturam hanc ex-cipi capaci Retorta luto incruſtata, diſtillationémque ſuſcipi igne per gra-dus adhibito, in Furno Reverberij clauſo; cujus fundum aliquid ſpiritus vini contineat, exiguúnque canalem obtineat infra locum quo pertingit roſtrum Retortæ, adcommodato prius huic canali exiguo Receptaculo, adeo ut diſtillatione facta phlegmatis in hoc receptaculum, intenſiore paulatim reddito igne, conſequatur paulatim ſpiritus calcis, qui in vapores ſolutus, majus Recipiens ſubingrediens, reſolvatur & ſpiritui vini com-miſceatur: poſtmodum poſtremo hoc accenſo, & combuſto, in fundo ſuperſit ſpiritus calcis, prædictis uſibus idoneus.

Nonnulli laboris parci prius ſubtiliter terunt calcem vivam, irrorant ſpiritu vini, affunduntque quantum abſorbere valet, coniiciunt in magnam Retortam, luto circumlitam, adeo ut partes duæ hujus vacent; qua Furno Reverberij impoſita, adcommodatóque accurate loricato ejus roſtro grandi Recipiente, igne per gradus adhibito ſuſcipiunt diſtillationem; prolectóque ſpiritu vini ſpiritui calcis commixto, accenſo & aſſumpto priori, vaſe excepto, in fundo ſupereſt ſpiritus calcis, quem recondunt in lagene vitrea denſa rite obturanda.

Calcis facultas cauſtica optime convenit cum ſalibus corroſi-vis, conficiendorum gratia lapidum cauſticorum: ad quorum præparationem, prius contrita in tenuiſſimum pulverem libra una optimæ calcis vivæ; commixtáque libris duabus Sali Tartari re-cens præparati, & pulveriſatis, ſimul calcinationi exponuntur per

horas duas aut tres, impoſita capaci crucibulo, igne patente ; deinde lixivio facto, per filtrum tranſmiſſo & evaporato, donec Sal in vaſis fundo ſiccum conſpicuum fit, hoc crucibulo Germanico optimo excipitur, admoto igne vehementi, inibi detinendo ad perfectam uſque fuſionem, tunc temporis effundendum in ſartaginem cupream depreſſam, prius excalefactam, ubi obvium fit Sal quamdiu adhuc calet, in fruſtula diviſum, idonea efficiendis fonticulis ; illico recondendum in phialis vitreis denſis, accuratiſſime occludendis.

Poſſunt & lapides cauſtici præparari ex lixivio forti, ſaponi nigro conficiendo deſtinato, qui conſtat ex calce viva & ſalibus corroſivis ; Materiam etiam illis præbere poſſunt partes æquales calcis vivæ & cinerum clavellatorum, ſimul in aqua per aliquot dies maceratorum, demum filtratorum & ad lapidis cauſtici duritiem coctorum : Præparantur etiam facto lixivio ex cineribus fraxinis, quercus, ſarmentorum vitis, aut ſiliquarum fabarum, calci vivæ commixtis, comite filtratione & in lapidem coagulatione, ſicuti prædictum, Optima necnon cauſtica confici queunt ex ſolo lixivio cinerum quernorum, ad ſiccitatem evaporato, fuſioni tandem expoſito, ſicuti prius procedendo.

CAPUT V.

De Præparationibus Lapidum Iudaici & Lincis.

CVm non exigua ſuppetat remediorum ſylva, novaque quotidie in vſum ducantur ad deobſtruendos Renes, Vreteres alioſque Lotij ductus, ideoque rarius lapis Iudaïcus, uti & Lyncis præparantur ; quorum prior, alias Lapis Syriacus nominatus, aut Phœnicius, coloris eſt ex candido cinerei, ſubſtantiæ mollis & friabilis, colore & figura ad olivam accedens, ſed aliquando oblongior, externa facie ſecundum longitudinem plurimis ſtriis oblongis æquali proportione à ſe invicem diſſitis donatus : poſterior autem, Belemnites etiam dictus, quod figura illius, quodammodo pyramidalis, ſagittam utcumque referat, æqualiter mollis eſt, ſed variegatus & abſque ſtriis, non inutile tamen futurum credidi ſi præparationem traderem, in exemplum ad cæteros lapides ſubſtantiæ propemodum ſimilis trahendum.

In ſubtiliſſimum pulverem comminuatur alteruter horum lapidum, commixtuſque æquali ſulphuris contriti ponderi, candenti crucibulo ab intenſo carbonum igne, paulatim & per vices immittatur, adeo ut comburatur & abſumatur ſulphur uniuſcujuſque projectionis, ante-

quam nova fiat, pergendo donec omnis miſtura projecta ſit, ac ſulphur univerſum conſumptum; demum iterata facta ſubſidentiæ tritione, hacque cucurbitæ vitreæ indita, paretur miſtura ex duabus partibus aceti diſtillati; parte una ſpiritus ſalis optimi, parte item alia ſpiritus mellis optimi probe rectificati, hæc affundendo dictæ ſubſidentiæ quoſque menſtruum quatuor circiter digitis ſuperemineat, demum cucurbita Balneo Arenæ impoſita, papyroque cooperta, ſubtus accendendus erit ignis leniſſimus, à quo ſolummodo calor,tepidiori paulo intenſior excitetur, per vices materias rudicula lignea commovendo, donec adpareat menſtruum ſufficienter imprægnatum ſubſtantia lapidis ab ipſo diſſoluti, poſtea decantato, ſeorſimque in lagena recondito ſupernatante liquore, ejus vices ſubeat æqualis menſtrui quantitas ſubſidentiæ affundendi,eidem Balneo curcurbitam rurſum imponendo, æqualique temporis ſpatio ac ante detinendo; dehinc commiſti cum priore hujus liquoris, utriuſque filtrati, humiditatis ſuperfluæ abſumptio erit procuranda ad pelliculam vſque, ſi ſal cryſtallinum expectatur, aut ad ſiccitatem, uſque ſubſidentiæ ſi ſolummodo ſal coagulatum in fundo curcurbitæ obtinere volueris.

Eximium cenſent hoc Sal ad comminuendos & diſſolvendos calculos Renum & Veſicæ, magnoque eſſe ſubſidio in quavis urinæ difficultate: Exhiberi poteſt à granis ſex ad duodecim uſque & quindecim ex liquoribus diuretica vi pollentibus: Poteſt etiam in liquorem deduci aëri id exponendo, ſicque in uſum, ſed auctiore dozi, adduci, proportione habita majoris aut minoris humoris copiæ admiſtæ.

Hallucinaretur tamen qui exiſtimaret quicquid in vaſis fundo ſubſidet, id totum eſſe ſal à lapidibus ſuppeditatum, menſtruorum horum non habita ratione, Sal enim exigua admodum copia obtinent, ac veriſimiliter ſal elicitum parti ſalinæ menſtruorum, concorporatæ propriæ horum lapidum ſubſtantiæ ab ipſis diſſolutæ imputandum eſt: Eadem enim hîc eſt ratio ac Corallorum & Margaritarum, aceto ſtillatitio diſſolutorum, aliove quodam liquore corradendi vi prædito: Id quod ita ſe habere apertum fit ſi his diſſolutionibus affuſus fuerit liquor ſalis Tartari, aut cujuſpiam alterius ſalis alkali; Conſpicuum enim fiet ex conjunctione horum ſalium cum acidis, cum poſteriora hæc deſeruerint propriam lapidum ſubſtantiam ab ipſis diſſolutam, hanc obviam futuram forma pulveris in fundum vaſis præcipitatam, forma magiſterij: ſin quis demum exſiccari curaverit, ac ad trutinam expendi, is comperiet æquale fere eſſe pondus tum lapidis, priuſquam à menſtruo diſſolutus fuerit, tum ejuſdem dicto modo præparati.

CAPUT VI.

De Præparationibus Lapidis Hæmatitis.

LApis Hæmatites pro Ferri materia haberi poteſt, cum non ſolum hujus facultatibus polleat, ſed etiam id metallum ex illo lapide extrahere liceat; Hoc nomen gerit ſive quia hæmorrhagias cohibere aptus natus eſt, ſive quia colore ad ſanguineum accedit, etſi intermixtas habeat ſtrias fuſcas, paulo quam in Cinnabari majores.

Pharmaciæ Galenicæ ſatis eſt humectaſſe lapidem Hæmatitem aquæ quapiam adſtrictoria vi prædita, ſubtiliter ſuper porphyrite contriviſſe, ac in exiguos Trochiſcos deduxiſſe, poſtea exſiccandos, At vero Chimica ulterius tendit, præparationibus enim inſignioribus navat operam, Diſtillationi præſertim, Sublimationi, Tincturæ & Extractioni.

Diſtillari poteſt hic Lapis ſolus ex Retorta more ſolito, ac igne pergradus adhibito Extrahi ſpiritus acidus Martialis ad vitriolicum accedens, ſed in ulteriores uſus pertrahi poteſt hac methodo.

Subtiliter in pulverem deducantur Lapidis Hæmatitis libræ duæ, additis libris duabus ſalis Ammoniaci commiſceantur, una coniiciantur in capacem cucurbitam argillaceam luto circumlitam, quæ proprio capitello cooperta, commiſſuriſque accurate luto obductis, imponenda eſt Fornaci proportione reſpondenti; demum adcommodato probe loricato Recipiente roſtro alembici, ſuſcipienda diſtillatio igne patente, initio quidem leniſſimo, demum gradatim adaucto ad inſignem vehementiam, quo pacto in Recipiente obvius erit ſpiritus urinoſus admodum penetrabilis, coloris flaveſcentis, & ad latera cucurbitæ, ſupra materias, conſpicui erunt flores, colore & odore croci præditi, unde Philoſophorum Aromatis nomen adepti ſunt.

Neque inutile & quod in cucurbita ſuperſtes eſt, ex hoc enim Retortæ, luto munitæ, immiſſo, ſupra furnum Reverberij clauſum impoſitæ, mediis ordinariis extrahitur ſpiritus Martialis acidus, nonnullam portionem obtinens ſpiritus Salis marini, partem compoſitionis Salis Ammoniaci conſtituentis.

Tinctura quoque è floribus educitur, eapropter his matratio exceptis affunditur ſpiritus vini rectificatiſſimus donec quatuor digitis illis ſupernatet; demum accuratiſſime occluſum matratium, macerationi per ſeptem aut octo dies exponitur ſupra furnum piſtoris, poſtea

colo-

colo tranſmittitur ſervaturque Tinctura, quæ in Extracti formam deduci poteſt, abſtracta maxima parte ſpiritus vini ope Alembici vitrei, Balneo cinerum aut arenæ, igne admodum remiſſo.

Spiritus acidus Lapidis Hæmatitis, cum Martis non exiguam portionem obtineat, ſumma aperiendi vt præditus eſt; efficax ad reſerandas obſtructiones Iecoris & Lienis, ac omnium viſcerum, admodum quoque diureticus: Spiritus volatilis vrinoſus, cum ſalis Armoniaci præſertim ſit ſoboles, diaphoretica vi pollet, maſſam ſanguineam depurare aptus natus: Quamobrem vtiliſſime in vſum ducitur adverſus Febres malignas, Scorbutum & affectus Cerebri; Vtriuſque doſis eſt a quinque aut ſex ad quindecim aut viginti guttas ex liquoribus convenientibus: Sal volatile plurimi fit, ac ejuſdem Tinctura & Extractum, ad obtundenda Acida morboſque inde oriundos ſanandos: Exhibetur Tinctura ab octo aut decem, ad viginti & triginta guttas, Sal autem vel Extractum a ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, diluendo liquoribus idoneis, aut præſcribendo adſumenda forma Boli.

CAPVT VII.

De Præparationibus Cryſtalli.

DE pleriſque Cryſtalli præparationibus, ab Authoribus propoſitis, liceat dicere ipſos oleum & operam perdidiſſe, plurimo carbone, materiis & vaſis incaſſum abſumptis, nullo ſucceſſu vtili expectando, ſicuti id obſervare eſt in Sale, Magiſterio, Liquore, Elixire, Eſſentia, aliiſque nonnullis præparationibus eiuſmodi, quas nonnulli circa Cryſtallum meditati ſunt, quarum cauſa vehementiam ignis adhibuerunt, cuius efficaciam repetitis vicibus, & diu experiri voluerunt Cryſtallum, ad actualem illius calcinationem perficiendam igne nudo; In vſum ſalia advocantes & ſpiritus corroſivos ad illius diſſolutionem.

Id vero pro comperto habendum Salia, vel Liquorem exinde eductum, nihil aliud fere eſſe quam ſalia, aut ſpiritus corroſivos illi concorporatos, a quibus corroſa fuit & diſſoluta propria Cryſtalli ſubſtantia: Cineres enim clavellati, ſal Tartari, Nitrum, ſal Marinum, vel Ammoniacum, Cryſtallo commixta quando in crucibulo igne aperto calcinatur, Acetum ſtillatitium, aut ſpiritus Nitri, a nonnullis vſurpata ad calcinationem potentialem Cryſtalli, prægreſſa actuali illius calcinatione, cum extremam vim vniverſæ ipſius ſubſtantiæ inferant,

Proculdubio qualitatibus illius inſignem depravationem inducere, ipſamet vero reapſe ſint id quod vocant Sal Cryſtalli, ac materia præcipua liquoris eo nomine inſigniti; ſubſtantia autem ipſa Cryſtalli omnino in eo diſſoluta, lateat, ſecerni ab eo, cum libet, habilis, ſive ad parandum ex ea magiſterium, ſive curioſitatis tantum gratia explendæ.

Vnde facile quivis colligat optimam Cryſtalli præparationem illam eſſe quæ minorem illius naturæ vim infert, minoremque qualitatibus alterationem inducit: Quapropter commodiſſime in uſum duci poteſt præmiſſa ſuper perphyrite trituratione, illam in Alkool fere deducendo: vel ſæpius ignitione prægreſſa, totidemque vicibus in aquis diureticis, ſpiritu ſalis aculeato, aut vitrioli, facta extinctione: Eo enim pacto adquiritur liquor utiliſſime in uſum addu-cendus ſi urinæ meatus reſerandi ſint, infimul pulvis Cryſtalli extinctæ, uſurpandus in debilitate ventriculi & inteſtinorum, vel ad obtundendum Acidorum aculeum & humorum acrimoniam.

Quoad Tincturam, quam quidam multo molimine elicere conati ſunt, prævia diuturna per ſalia corroſiva calcinatione, tandem una cum ipſis fuſioni exponendo, Color ille ruber potius adſcribendus connubio, per diuturnam calcinationem inducto, partium maxime volatilium dictorum ſalium cum ſpiritu vini ſulphureo, quam ipſi Cryſtalli ſubſtantiæ in illis ſalibus diſſolutæ; quandoquidem idem contingit in ſale Tartari cum ſpiritu vini ſulphureo digeſtoque abſque ulla Cryſtalli commixtione.

Sed præter iſtas animadverſiones, non levis imminet metus ne iſtiuſmodi Chymicæ præparationes, ex Cryſtallo calcinationem experto perficiendæ, materias in meatibus urinariis obvias, potius ad petrificationem inducant quam ut eaſdem diſſolvant, aut per vias ſolitas expellant, ſicuti illi intendunt: Vix enim quis ſibi in animum inducat fermentum petrificum dictarum calcium naturam exuere per præparationes ipſi inductas, ac effectus producere poſſe omnino contrarios illis ad quos noſtro judicio videtur omnino determinari.

Nihil hic me movet ut ſingulares Silicum preparationes producam, nam preterquam quod hic eadem methodus valet que in preparationibus Cryſtalli, non minus periculi metuendum ab effectibus illorum fermenti lapidifici quam ab ipſa Cryſtallo.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Præparationibus Coralij.

Didici à Præfectis Piſcationi Caralli in oris Africæ, juxta Galliæ propugnaculum, in mari mediterraneo, Coralium reperiri in maris fundo non minus durum ac rubrum quam cum erutum eſt: Hæc tamen circumſtantia exigui eſt momenti, quandoquidem neque naturæ neque qualitatibus Coralij ideo quicquam decedit, cujus durities, eadem fere quæ lapidum, in cauſa eſt ut in mineralium cenſum repoſitum fuerit, etiamſi in ipſo maris fundo vegetationem obtineat ſicuti Plantæ in terra, quarum figuram refert.

Nemo porro Coralio rubro præeminentiam ſupra cætera Corallia detrahit aut in dubium revocat, ut vero ſubjectum eſt operationum præcipuarum quibus incumbunt artifices, quarum ratione idem fere ſentio quod circa Cryſtalli præparationes, illas ſcilicet præſertim amplectendas eſſe quæ ſimpliciſſimæ ſunt minuſque ſubjecti deſtructivæ.

Pharmacia vulgaris conſultiſſime Coralium in pulverem fere impalpabilem conterit, ſuper porphyrite lævigando ſicuti cæteros lapides; Satius vero fuerit ſi in uſum adducta fuerit machina, nobis à Domino *Ioële Langelotio*, meritiſſimo Medico Domini Ducis Holſatiæ communicata, cujus figuram exprimi curavi in hac Pharmacopœa; cum enim Corallij ſubſtantia nihil contineat quod non explere poſſit ſcopos ob quos in medicina uſurpatur, ſatis eſt illius reſeraſſe corpus omneſque partes, illaſque in atomos quaſi diduxiſſe, id quod poſſibile videtur ope prædictæ iſtius novæ machinæ, cujus effectus eo magis probandus videtur quod magnus ſic progreſſus factus fuerit ad omnes ſequuturas præparationes, ſive probe inſtitutas circa id mixtum, ſive ſecus.

Coralij actualis calcinatio, illiuſque repetitæ extinctiones, deſtructionis potius nomine nuncupandæ ſunt quam legitimarum præparationum, ſicuti id à me adnotatum capite de Cryſtallo.

Soluitio Corallorum in ſpiritibus acidis facta majori aut minori corrodendi vi præditis, ad ſalis illius eductionem, aut magiſterij, non multo commodior eſt, quandoquidē Calcinatio eſt potentialis, neque exinde legitimum ſal Coralli expectandum venit, ſed tantum ſal menſtrui concorporatum propriæ Coralli ſubſtantiæ: cum porro magiſterium quod ex iſtis diſſolutionibus præcipitatione facta expectandum eſt, nihil aliud ſit quam Coralij pars maxime terreſtris, proculdubio inferius eſt Corallo

ſubtiliſſima contrito, quod nullum vexamen expertum, & cujus ſubſtantiæ nihil deceſſit.

Numeroſas Tincturæ Coralli præparationes quod attinet, quibus plurimi turgent libri, etiamſi forte occurrant nonnullæ veriſimilitudinem quandam præ ſe ferentes, & efficaciam, pro legitimis tamen omnino habendæ non ſunt, ſi præſertim Coralium violentiam ignis expertum fuerit, vel ſalium corroſivam vim, aut ſpirituum: nam præterquam quod impoſſibile eſt ut Coralium colorem ſuum transfundat, quo ab ignis vel corrodentium vehementia éxutum eſt, color ruber, in menſtruis uſitatis conſpicuus, perpendendus eſt ſolum tanquam diuturnæ digeſtionis effectus, id quoque veriſimile eſt non levis eſſe negotij corallij rubrum colorem ſecernere, ac in aliud ſubjectum reapſe transferre comite virtute.

Coralij trituratio ope machinæ Domini Langelotij omnino potior eſt quibuſvis calcinationibus, permanentibus enim Corallij natura & qualitatibus, neutiquam alteratis, illius diſſolutionem faciliorem efficit, imo ut citius ſuccedat menſtruis lenibus adhibitis, ſpeciatim ſpiritibus Mellis & Terebinthinæ, ſuccis Oxyacanthæ, Limonum & ſimilibus, ſpiritibus plurimorum lignorum, ſalis & vitrioli, edulcoratis & commiſtis ſpiritui vini, poſtremo autem hoc aculeato floribus ſalis Ammoniaci aut cujuſpiam alterius ſalis; Imo poſtea multo facilius ex Retorta licet elicere ſpecioſam Coralli Tincturam quibuſdam uſitatam, remiſcendo partes æquales ſacchari cantij.

Cum porro conſpicuum ſit Menſtrua, hactenus uſitata educendæ gratia Tincturæ Coralij, ejuſdem fuiſſe diſſolventia, quandoquidem facili negotio ſecernitur Corallum diſſolutum, atque præcipitatur illi affundendo liquorem quempiam ſalinum, Neque aſſerere liceat menſtrua reverá colorem ex illo extraxiſſe, quippe cum dictum colorem illis conciliare liceat eadem adhibita digeſtione erga Corallium rubrum, oculos cancrorum, plurimaſque alias ſimiles ſubſtantias nequaquam rubras, nec porro probabiliter adſcribi queat ruber color menſtruorum alteri cauſæ quam diuturnæ digeſtioni, vix aliud quid ſperandum ex omnibus his Tincturis quam quod ipſa menſtrua, aut Coralli ſubſtantia, in ipſis diſſoluta, ex ſe depromere poſſunt.

Sed & ex his arguere liceat Corallum crudum in alkohol deductum, ex liquore quopiam idoneo alióve modo exhibitum, cunctis iſtis Tincturis præferendum eſſe; Ex quarum numero ea cæteris præferenda eſt in qua Corallum minori adhibita vi diſſolutum eſt, cujus menſtruum minori vi corrodendi facultate præditum, ideoque ſecurius ore adſumi poteſt.

Cum

Cum exiguæ admodum efficaciæ eſſe cunctas has Tincturas exiſtimem, eapropter ut in molem excreſcat hoc caput non patior, allatis illarum deſcriptionibus, quarum apud *Schroderum* non exiguus occurrit numerus, apud *Gruelingium*, plurimoſque alios authores, ſatis mihi fuerit illam adduxiſſe quam nuperrime Dominus *Langelotius* in publicum emiſit, eo inductus tum quod optime de eruditiſſimo illo Viro exiſtimem, tum quod in uſum leniſſimum menſtruum adducens, legitimæ Tincturæ dotes in præparatione conſpicuæ eſſe debeant; Optatus præterea expectandus ſit ſucceſſus a ſinceræ fidei Viro.

Aſſerit prædictus Author, ſe cum aliquot retro annis effudiſſet fragmentis non tritis Coralli rubri oleum quoddam ſtillatitium omnium mitiſſimum, (ipſo judice) inter ea quæ è vegetabilibus extrahuntur, periculum facturum num forte aliquam Tincturam elicere poſſet, diu poſt ſe animadvertiſſe neque oleo neque Corallo ullam immutationem accidiſſe, ſpe autem omni abjecta vas continens neglexiſſe: præterita autem hyeme, dum aliis operationibus intentus eſſet, in Fornace digeſtionis ſuſceptis, in mentem ſibi veniſſe illi imponendi vas Corallia continens; exacto porro circiter menſe, dum pro more commoveret materias, deprehendiſſe ſe Corallorum rubrum colorem paulo intenſiorem evaſiſſe, & aliquantiſper emollita fuiſſe, olei colore neutiquam alterato; producta autem digeſtione, eodem ignis gradu, paucis poſt diebus ſe animadvertiſſe Corallia reſoluta eſſe, & in ſubſtantiam mucilaginoſam rubicundiſſimam commutata; olei interim ſupernatantis colore ſuperſtite; Addit idem nullam ſe illi immutationem inducere potuiſſe, neque materiæ iſti mucilaginoſæ concorporare, quamcumque agitationem vel digeſtionem poſtmodum adhibuerit, oleum enim ſemper eminuiſſe, materias autem mucilaginoſas in imum detruſas fuiſſe: Aſſerit præterea, cum in oleo eundem pene odorem ſaporemque qui ante inerant deprehendiſſet, alteroque vaſi id infudiſſet, affudiſſe ſe ſpiritum vini tartariſatum materiæ mucilaginoſæ; pauciſſimo autem tempore cum digeſtioni permiſiſſet, materiam hanc in Tincturam rubicundiſſimam abiiſſe; quam diutinæ digeſtionis opus eſſe arbitratur, inſigniumque effectuum à volatilibus edi ſolitorum cum fixata fuerint.

Exiſtimant nonnulli ab Authore prædicto in uſum adductum fuiſſe oleum ſtillatitium Aniſi, corticum Citri, aut baccarum ſuniperi, emolliendorum gratia Corallorum, & ut idonea fiant Tincturæ effundendæ.

Præparationem hanc experimento proprio comprobare non licuit; at propediem operam me illi navaturum ſpero: cenſeo præterea ſi

ſucceſſus reſpondeat præceptis Domini *Langelotij*, id quod admodum veriſimile eſt, Tincturam hanc Coralli pro omnium maxime legitima & optima habendam, neque meliorem hactenus excogitatam, potiorique jure illi adſcribendam maximam partem virium, cæteris Tincturis adſignatarum, tam ad roborandum Cor & Iecur, reſerandas iſtius obſtructiones, cunctoſque huius affectus curandos, quam depurandam & innovandam maſſam ſanguineam, auxiliúmque non leve procurandum in morbis ab ejus alteratione pendentibus: Neque minoris utilitatis eſt in ventriculi debilitate & inteſtinorum, vnde origo vomitus, diarrhœæ, dyſenteriæ vel lienturiæ, ac ad cunctas hæmorrhagias in utroque ſexu.

CAPUT IX.

De Præparationibus Margaritarum.

ORigo Margaritarum intra conchylia, quibuſdam piſcibus domicilium præbentia, Oſtreis non abſimilia, ut Animalibus accenſerentur innuere quodammodo videretur niſi candor, nitor, gravitas & denſitas partium, gemmarum etiam pretioſiſſimarum in cenſu reponerent: Eaſdem ob qualitates nulli non medici ab omni ævo optime de illis exiſtimavere, quorum ex ſententia facultatibus quibuſvis lapidibus ſuperiores eſſe debuerunt, aut ſaltem æqualitate certare: Idem cum ſenſerint plurimi Chymici, ut varias excogitarent præparationes impulſi fuere, ſed eas non minus erroneas, imo periculi magis plenas illis quas circa Coralia meditati ſunt, cum ſubjectum illarum ſit materia non vilis pretij, ſubſtantiæ non modo purioris, majoremque perfectionem quam Corallia adeptæ, ſed & multo magis idoneæ excipiendis probis aut improbis alterationibus & impreſſionibus.

Pharmacia vulgaris Margaritas ſuper Porphyrite terit, aqua Roſacea irrorando vel aqua quapiam cordiali, ſicuti & Coralia alioſque lapides: Iſtiuſmodi præparatio, etſi ſimpliciſſima, potior tamen eſt plurimis à Chymicis excogitatis, dummodo Margaritæ integræ ſuper eodem Porphyrite conterantur, contritio vero eo uſque producatur donec Margaritæ ad ſummum lavorem perducantur; Id quod multo facilius peragitur ope machinæ Domini *Langelotij*, à me modo memoratæ: cum enim Margaritæ aliquid de natura Animalium obtineant, ſubſtantiámque nonnihil volatilem, diſſolutionem omnimodam conſequuntur à calore ventriculi, aut, ſi mavis, ab efficacia Archei, ſi præſertim intenuiſſimum

nuiſſimum pollinem imminutæ fuerint, adeo ut citiſſima facta digeſtione, id quod maxime eſſentiale poſſident, ad cor celerrime, parteſque auxilij egenas deferatur.

Vt vero illis ſatisfiat qui exiſtimant Margaritas vim facilius diffundere, ſi diſſolutæ & deductæ fuerint in liquorem, diſſolvantur illæ ſucco limonum per digeſtionem probe defæcato; Exitus facilis erit ſi uncia una Margaritarum, optime ſuper porphyrite lævigatarum, matratio, aut cucurbita vitrea excepta fuerit, ſuperaffundendo ſuccum limonum prædicto modo depuratum donec tribus circiter digitis emineat: vas in Balneo arenæ temperato collocatur, detineturque per triduum integrum, materias per vices commovendo, demum decantatur liquor, per chartam emporeticam traiicitur, ac limpidus lagenæ immittitur, æquale pondus ſpiritus Roris illi admiſcendo, una ad uſus ad ſervando.

Adſumitur hic liquor ex aquis cordialibus ab octo aut decem guttis ad viginti uſque aut triginta: Novum ſuccum depuratum affundere licet Margaritis in vaſe reſiduis, prægreſſaque maceratione, eidem omnino methodo ac priori inſiſtendum, imo eædém operationes repeti poterunt donec Margaritæ ad omnimodam reſolutionem fere perductæ ſint.

Sal & Magiſteria Perlarum quid attinet, apud quoſdam authores celebria, illa non pluris quam corallorum facienda, quandoquidem prius aliter accipiendum non eſt quam pro ſale aceti, concorporatum Margaritarum ſubſtantiæ ab illo diſſolutæ; ac tanquam compoſito qualitatibus admodum adverſo illis quæ in Margaritis requiruntur: Poſterius autem cenſendum eſt pars Margaritarum craſſior puriſſima deſtituta, quam ſibi diſſolventia aut præcipitantia adſumpſere.

Oleum, aut liquor Perlarum, elicitus per deliquium illarum ſalis, eiſdem de cauſis non majoris eſt momenti, uti neque eſſentiæ, Tincturæ, Arcana, Flores aut Spiritus, ex iis deducenda ope variorum menſtruorum corrodentium, deſtructionum potius quam præparationum nomine donandorum.

Margaritæ ſubtiliter pulveriſatæ admodum commendantur ad cor roborandum & recreandum, ac partes principes; ad Venena arcenda, peſtem, febreſque malignas, ac reſtitutionem languentium & debilium.

Exhibentur ex Aquis cardiacis aut juſculo, à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, commiſcentur etiam Tabellis, Opiatis, Potionibus aliiſque remediis: Vires & uſus Perlarum, in ſucco limonum diſſolutarum, ac in ſpiritu Roris, admodum conveniunt.

Data occaſione cogitationes meas exſeram circa præparationes

Chimicas Smaragdorum, Hyacinthorum aliarumque Gemmarum ; videlicet, cum illarum ſubſtantia admodum dura ſit, ſi præſertim exquiſitæ ſint & puriſſimæ ; diſſolvi autem aliter nequeant quam ope corrodentium generoſiſſimorum, ſatius eſſe ab illis abſtinere, quamdoquidem fieri vix poteſt adhibitis mediis iſtis violentis, quin harum Gemmarum utiles facultates in nihilum abeant, ideoque, me judice, multo ſatius eſt illas ſuper porphyrite conterere & lævigare eadem ratione qua uniones, donec ad ſubtiliſſimum lævorem deductæ ſint ; aut, quod melius, uti machina verſatili Domini *Langelotij*, ea ratione præparatas ad quoſlibet uſus adducendo ; hacque potiſſimum de cauſa, quod ſi fides pluribus celeberrimis Authoribus adhibenda, Gemmæ vires ſuas, etiam integræ, citra præparationem transfundere poſſunt anulo geſtatæ, collo appenſæ aut brachiis adalligatæ, femoribus, tibiis, aut variis corporis partibus admotæ, ſicuti & plurimi lapides minus pretioſi, cujuſmodi ſunt Ætites, Nephriticus & multi alij.

CAPUT X.

De Præparationibus Talci.

TAlcum, cognomento Venetum, colore candicans, pellucidum & argenteum cum in particulas dividitur, id quod facile eſt, lamellas videlicet tenuiſſimas ; ſed colore accedens ad viride maris ante, diviſionem ac quamdiu lapidiforme adhuc eſt, illud eſt, ſive genuinum ſive ſpurium fuerit, quod majori in pretio habetur : ſubjectum operationum plurimis, præſertim ad olei extractionem, inter Coſmetica præſtantiſſimi ſemper habiti, in ſubſtantia illius deliteſcere exiſtimati, ratione lævoris & apparentis cujuſdam ad manus contrectantium unctuoſitatis, etiamſi nequaquam digitos inquinet.

Miſſam facio quorundam opinionem Talcum, rubrum aut flavum, in ſe continere Auri mineram, atque ex illo poſſe elici menſtrua idonea tranſmutationi metallorum in Aurum, aut Argentum, ac fixationi & Tincturæ Mercurij perficiendæ.

Prætermiſſo quoque nonnullorum figmentum, ſtatuentium in Talco latere medicinam univerſalem, omnes quoſcunque affectus deploratos ſuperare aptam natam, ſatis mihi fuerit dixiſſe præparationem veri Olei Talci non minus arduam eſſe ac tranſmutationem metallorum imperfectorum in Aurum vel Argentum, quam plurimi oſtentarunt, & adhuc gloriantur quaſi adepti, etiamſi talentum quod poſſidere

dere ſe jactant, nequaquam è miſeria eripiat, ad exitum uſque vitæ illorum comite.

Calcinatio Talci Veneti ex præparationibus omnibus maxime in diſquiſitionem venit, cujus cauſa nullum non ignis vexamen adductum fuit, imo & maxime diuturni & violentiſſimi, vitriariorum præſertim, illi exponendo Talcum modo ſolitarium, modo remixtum Argento, Cupro, Oricalcho, Sulphuri, Calci, Tartaro, Salibus, aliiſve materiis corrodendi vi præditis: Etiamſi vero Anglia ſuppeditet Talcum quod ſeorſim calcinationem patitur, ac breviori quam horæ ſpatio in calcem albiſſimam admodum friabilem abit; imo in Gallia ſpurium Talcum non unius generis occurrat quod vehementiam ignis eludat, non idem tamen de Talco Veneto ſucceſſus expectandus, citiſſimam operationem reſpuens, etiamſi per octavam horæ partem ignem flammeum expertum, ac pene ad rubedinem incandeſcenti mortario grandi ferreo commiſſum, piſtilli altero extremo eodem modo excalefacto, exiguo temporis ſpatio in ſat ſubtilem pulverem conteri poteſt, illico partem illius per incerniculum ſericeum tranſmittendo, eoque modo adquiratur pulvis Talci albus, ſubtilis, Pomaceis unguentis commiſceri idoneus, aliiſve coſmeticis.

Talcum ea ratione ſubtile redditum exponi poteſt cochleatis limacibus, inditum vaſi fictili vitreato & cooperiendo, inibi derelinquendo donec univerſum abſorpſerint, demum probe cum teſtis contriti ac cucurbitæ vitreæ inditi, impoſito Alembico, ex Diplomate educenda aqua, dealbationi aptiſſima, illuſtrandoque matronarum vultui, ac nitori conciliando.

Ii qui Salia Talco remiſcent, juvandæ gratia calcinationis, cellæ vinariæ & aëri humido committere ſolent, prægreſſa calcinatione, vel ſub divo exponere, obtinendi ergo liquoris, quem nonnulli nomine Olei Talci donant, ſed inepte, quandoquidem ejuſmodi liquor nihil aliud eſt quam ſal in humido, quod ſe immiſcuit, reſolutum, Talci particulis impregnatum, ab illo corroſis & diſſolutis.

Crollius, nonnullique alij Neoterici, qui ex illo exſcripſere, perfectionem operis quæſituri, præparari præcipiunt ſpiritum Aceti, ac dividi Talcum Venetum in tenuiſſimas lamellas, has matratio immitti, optime humefieri iſto Aceti ſpiritu, vaſe vero Soli lucido expoſito, vel fimi calori, quotidie tantillum recentis ſpiritus Aceti affundi, pergendo donec materiæ in mucilaginem tandem convertantur, ac propemodum oliagineæ fiunt, adeo ut ex hoc indicio Talci diſſolutio manifeſta fiat: Jubent poſtmodum cuncta Retorta luto obducta excipi, hanc furno Reverberij imponi, adcommodatoque capaci reci-

piente, igne per gradus adhibito, primo extrahi Aceti ſpiritum, dehinc oleum album, cuius effectum, à de albatione faciei, vel alterius cujuſpiam corporis partis, etiam ab unica illitione, per menſem integrum durabilem eſſe afferunt.

Cum veriſimilitudine & ſpe ſucceſſus careat iſtiuſmodi operatio, ad experimentum transferre nolui: qua de cauſa illius vadem me non præſto, neque legitimum oleum Talci cuiquam ſpondeo, uti nec etiamnum jactabo me intra ſemihoræ ſpatium calcinatione ſubigere poſſe legitimum Talcum Venetum, igne non vehementi, exiguo artificio, idque ſpongiforme reddere, eumque in ſtatum deducere ut digitis affricatum in Alkohol abeat, ſicuti afferit Dominus *Morhoſius* epiſtola ad Dominum *Langelotium* ſcripta, etiamſi poſſibilitati refragari nolim, quandoquidem ſpes eſt celeberrimum illum Virum præparationem adeo curioſam in publicum aliquando emiſſurum.

CAPUT XI.

De Præparationibus Salis Communis.

SAl generice ſumptum ſtatuendum eſt quaſi baſis, anima, ſubſiſtentia ac principium ſecretum vitæ & conſervationis omnium mixtorum, nullum quippe horum proprio Sale non gaudet, majori aut minori copia, quo ſi exutum fuerit, præcipuis ſuis viribus orbum fit: Sal autem Marinum tanquam omnium maxime copioſum in Natura perpendendum eſt, ac ſicuti fundamentum & ſemen cæterorum omnium Salium; Cum enim mare abſque omni dubio Terram multum excedat, eo modo conſtitutum ut non ſolum maximam illius partem ambiat, limites præfigens, ſed & plurimis in locis illam tranſmeet, per canales ſubterraneos oberrans, ex quibus in fontes erumpit, aut ſtagna ſalſilagine imbuta, cujus etiamnum quædam portio ſæpe ab igne centrali coagulatur in Sal Gemmeum, obvium in imis cavernis quorundam montium, ſicuti in nonnullis Poloniæ obſervare eſt, aliiſque locis: Vapores autem è mari elati particulas non mediocres illius ſalis volatilis ſecum abſtrahunt; demum in vapores terram irrigantes reſolvendi.

His ſuppoſitis, nemini dubium ſit terram frui hoc beneficio, commercio videlicet cum aquis maritimis, ac proinde Sal marinum nonmodo eſſe principium omnium Salium coagulatorum aut diſſolutorum in terra deliteſcentium, ſed etiam in Aëre ejuſque meteoris; ſicuti & omnium quæ compoſitionis Vegetabilium, Animaliũ & Mineraliũ partem conſtituunt.

Etiamſi

Etiamſi enim ſeminum diverſitas, variáque ſubſtantiarum creatarum determinatio, ſicuti figuræ & ſitus partium, materierumque illis commixtarum magnas variis Salibus inducant alterationes, cuncta tamen ſuam originem legitimam, & principium in Sale Marino agnoſcere tenentur; Vitriolum enim, Nitrum, Alumen, & Sal Ammoniacum particulas quaſdam Salis Marini tanquam baſin obtinent, diverſitatem autem ſolum nanciſcuntur à corporibus extraneis ſibi obviis & diſſolutis, aut artificio conjunctis.

Sal Gemmeum quippe pro genuino Sale Marino habendum, maxima humiditatis parte orbato, vi caloris ſubterranei aut Solis coagulato: Id quod è fontibus ſalſugineis educitur, ejuſdem etiam eſt fere indolis cum Marino, derivatum ſcilicet ex mari mediantibus meatibus ſubterraneis; Diſcriminis enim maxima ratio pendet à modo humidum ſegregandi, quandoquidem adhibetur ignis abſumendæ cauſa in vapores aquæ dulcis fontium, In regionibus autem calidioribus beneficio caloris ſolis humiditas maris reſolvitur; hoc vero ſal cæteris præfertur, quod minorem partium ſuarum alterationem ſubeat quam quod ignem expertum eſt.

Sal Marinum multo crebriùs ad alimenta transfertur quam ad medicamenta; prima autem quæ illi debetur præparatio eſt purificatio, Eapropter hoc in aqua fontana vel fluviatili diſſoluto, tranſmiſſa autem per chartam emporeticam diſſolutione, humiditatis evaporatio ſuſcipitur illo ollæ vel aheno ferreo indito, donec Sal album & cryſtallinum in fundo vaſis ſubſideat: Ejuſmodi perpurgatio non ſolum utilis eſt ſecretionem partium terreſtrium Salis, ſed & ad temperandam illius acrimoniam, aptiuſque ad quoſvis uſus efficiendum, præſertim alimentorum condituram, ſi nempe diſſolutio aliquando reiterata fuerit, filtratio & coagulatio.

At vero quandoquidem etiamſi una vel altera humiditatis evaporatio prægreſſa ſit, plurimæ adhuc ſuperſunt aqueæ particulæ intra illius ſubſtantiam coercitæ, ſtricta autem Acidi cum Alkali conjunctio, partium illius conſtrictio & compages, ac figura cubica granorum ſalis, tam arcte particulas illas humidas compectuntur, ut cum grana illa igni expoſita fuerint, exinde exilire nequeant quin maxime vis illorum vinculis inferatur, adeo ut in fragmenta diviſæ diſſiliant partes ſalis, plurimis autem ejuſmodi fragminibus ſimul junctis imminet metus effracturæ vaſis, cui ſal diſtillandum immittitur, ideo opus eſt Calcinationis quadam ſpecie, aut exſiccationis, quam Decrepitationem vocant, ratione crepitationis accidentis in granis ſalis igni impoſitis: Cum vero crepitus major aut minor ſit pro magnitudine granorum Salis, poſtquam exſiccat_s

fuerint ſalis grana in furno, illi immiſſa pane educto, conterantur, excipianturque vaſe fictili quod ignis vehementiam ſufferre valeat, hocque in fornace collocato, accenſo gne carbonum luculento, per vices verſetur Sal ope ſpathulæ ferreæ oblongioris, pergendo donec Sal non amplius crepitet, indicio certiſſimo diſſipationis particularum aquerum commixtarum & confuſarum partibus Salis eſſentialibus, Id quod etiam citius peragetur ſi optime contrita ſalis grana in particulas adeo exiguas diducta fuerint, ut aquæ extraneæ particulæ facilem exitum nanciſcantur.

Fuſionem Salis quod attinet, plus facilitatis quam utilitatis obtinet, ſi qui tamen illam perficere voluerit, facili negotio id conſequuturi ſunt Sal marinum contritum crucibulo immittendo ac igni fuſionis committendo, Id quod nequaquam impedit quominus quotieſcumque libuerit in aqua diſſolvi poſſit, prævia & perfecta hac operatione.

CAPUT XII.

De Diſtillatione Salis Marini.

INſignis diſpoſitio in Sale Marino ad fuſionem cum obſervetur; impoſſibile autem ſit Retortas, vitreas, aut argillaceas diu hoc Sal fuſum continere quin diſrumpantur; Intima porro cum adſit conjunctio ſpirituum cum cæteris ſubſtantiis quamdiu Sal in fuſione verſatur, Ideoque neceſſario ad alias materias confugiendum, quarum commixtio efficit ut dividantur partes Salis, prohibitáque illius fuſione, ſpiritum ſuppeditare cogatur mediis uſitatis.

Non inficior equidem ſpiritum acidum è Sale citra additionem elici poſſe, ſi præmiſſa & peracta decrepitatione, diúque Sale Marino igni commiſſo, poſtmodum ſub divo plurimorum dierum decurſu repoſitum fuerit; Pars enim ſalis maxime fixa cum in igne Acidi ſui plurimam partem depoſuerit, illius autem recuperandi deſiderio cum teneatur, Acidum aëri inexiſtens facillime concipit, quod huic ſali ſe adjungens, ideo ut in unum corpus coëant, quantitas hinc illius adaugetur, Cum porro Sal Acidum Aëris propria indole magis volatile ſit acido Salis Marini, ab eoque facile abſcedat, ut neceſſe non ſit intenſum adhibere ignem, haud arduum eſt nullo additamento id diſtillare: At ſpiritus exinde eductus cum nihil aliud fere ſit quam Acidum illud aëris, ideo non dignandum nomine ſpiritus Salis Marini;

neque

neque iſtiuſmodi præparatio uti nec quoddam ponderis augmentum in hoc Sale tanquam myſterium decantandum, quandoquidem eadem concorporatio idémque incrementum in Alumine contingit, in Nitro & Vitriolo, ab adjunctione recentis Acidi poſtquam ſpiritus exſtillatus fuit; Ipſum porro Plumbum, Antimonium, plurimáque alia corpora compactiora Sale Marino, ope aëris increſcunt, illorum poros ſubeuntis, aliiſque materiis ab igne dificctis ſuccedentis.

Accipiantur Salis Marini probe exſiccati & pulveriſati libræ duæ; Terræ figulinæ libræ octo, aut terræ Blaſenſis per pondus, eodem modo pulveriſatarum: Alterutra autem dictarum terrarum cum libris duabus ſalis probe commixta, cunctis Retortæ argillaceæ immiſſis, luto circumlitæ, ejus capacitatis ut tertia circiter pars vacet; Impoſita Retorta furno Reverberij clauſo, obturatóque ſpiraculo operculi fornicati, accedendus erit in foro exiguus ignis carbonum, à quo ſolummodo paulatim incaleſcant Fornax & Retorta, qui poſtquam circiter per horam eo in ſtatu fuerit, inſenſibiliter erit augendus, ac demum per gradus intenſior reddendus, imo ſenſim ſpiraculum operculi fornicati reſerandum, qua parte roſtrum Retortæ ſpectat; cum vero phlegma ſtillare incipiet, eodem in tenore ignis fovendus donec exſurgere conſpiciantur quidam vapores albi ex roſtro Retortæ, quo tempore illi adplicandum grande recipiens, commiſſuriſque accurate luto obductis, paulatim adhuc augendus ignis, ſpiraculo paulo amplius ad proportionem diducto, ignem gradatim augendo donec ad ultimam vehementiam perductus fuerit, illumque urgendo quouſque nulli amplius vapores è Retorta prodeant, Recipiens autem diaphanum evadat. Demum, ſponte refrigeratis vaſis, Recipientéque decruſtato, obvius erit ſpiritus flavus, acidus, odoris non ingrati, comite pauco phlegmate, In collo autem receptaculi, pauxillum ſal volatile illi adfixum.

Licet etiam, dimiſſa Salis Marini exſiccatione, id in aqua diſſolvere, ſalſugine autem inde producta prædictas Terras imbuere, aut Bolum pulveriſatas, demum maſſam ſolidiuſculam ex his conflatam in globulos compingere, ejus magnitudinis qui collum Retortæ ſubire valeant; qui rite ad ſolem exſiccati, aut ſub divo expoſiti, in Retortam immittendi, adeo ut tertia illius pars vacua ſuperſit; poſtea eadem methodo ſuperius indicata eliciendus erit ſpiritus prædicto non abſimilis.

Odor ſpiritus Salis, quo aër impregnatus eſt in locis Laterum coctioni deſtinatis, aperte oſtendit argillam, ex qua lateres conficiuntur, Sale non deſtitutam eſſe, atque proinde illam quæ commiſcetur ſpiritui Salis Marini, ſi quando ex illo eliciendus eſt ſpiritus, proculdubio

augmentum illi inducere ſui adjunctione : cum vero Sal argillæ inhærens natura maxime accedat ad Sal Marinum, citra hæſitantiam in uſum poteſt adduci.

Nonnulli cohobant ſpiritum hunc affuſione facta parti in Retorta ſuperſtiti, ex qua maſſam conficiunt, ex hac exſiccata globulos, iterumque diſtillant, imo cohobationem ſæpenumero reiterant, eaſdemque operationes, quo melius ex illius corpore pars Salis ſpirituoſa divellatur: Cum vero ſpiritus hic plerumque plurimum phlegma obtineat, infundi poterit exiguæ cucurbitæ vitreæ, qua Baneo Mariæ commiſſa, & proprio Alembico impoſito, adcommodato exiguo Receptaculo, inſtituenda erit Rectificatio igne moderato : Hoc enim pacto cum phlegma prius evehatur, in fundo ſubſidebit ſpiritus Acidus, qui majori aut minori penetrabilitate præditus erit prout rectificationis ope phlegmatis plus aut minus receſſerit : Neque inutile erit iſtud phlegma, quia etiamſi Balnei temperatus fuerit calor, ſurſum tamen ſecum id abſtraxit nonnullas particulas acidas volatiles Salis, quapropter non ſolum vi diuretica præditum eſt, ſed etiam efficax temperando ardori febrium biliosarum: poteſt & ulterius concentrari hic ſpiritus ſi Balneo Arenæ rectificatus fuerit, cum ad auri diſſolutionem deſtinatum eſt.

Præparatur etiam ſpiritus Salis commiſcendo Aluminis vſti pulveriſati libras duas, Salis optime uſti itidem pulveriſati libras tres, ſimul cuncta ex Retorta diſtillando, more ſolito ; ſed hoc pacto elicitur ſpiritus utriuſque particeps, ad plurimas nihilominus præcipitationes utilis, eximia vi diuretica & diuretica præditus.

Poſſunt etiam commiſceri partes æquales Salis Marini & Salis Nitri, optime exſiccatorum & pulveriſatorum, addito quadruplo pondere Boli, aut terræ figulinæ pulveratarum, ex quibus cucurbitæ immiſſis, in furno Reverberij clauſo, extrahetur ſpiritus ex utroque Sale conſtans, utilis non modo ad Hydropicorum curationem, ac carnium ulcerum fungoſarum abſumptionem, ſed etiam Calcinationem immerſivam Auri & Argenti.

Nonnulli Authores exiſtimarunt ſe præparaturos ſpiritum Salis vi Corallorum imprægnatum, commiſcendo Sali Corallia ſuper porphyrite lævigata, dimiſſa Terra figulina, vel aliis materiis uſitatis, cum inſtituenda eſt diſtillatio : Sed cum pars Acida Salis agat in Corallia magis intime quam in Terras, accidit ut illa corrodat, corroſione autem facta cum illorum partibus concorporetur, in Retorta autem remanens phlegma ſolum inutile ſuccedat : quo fit ut ſatius ſit ſeorſim admittere ſpiritum Salis, ſeorſim Corallia, prout opus fuerit, quam ſimul nullo fructu eadem conjunxiſſe

CAPUT

Caput XIII.

De Edulcoratione Spiritus Salis.

SPiritus Salis aciditas cum nonnullis noxia eſſe queat, iis præſertim qui affectibus ab Acidis inductis laborant, eapropter Artifices ad varia Salia fixa vel volatilia confugere neceſſe habuerunt, quæ huic Spiritui commiſcuere obtundendorum gratia illius aculeorum temperandorumque affectum, Nam præterquam quod remiſcetur Sali Abſinthij, plurimiſque aliis plantarum ſalibus,imo ſalibus Animalium violatilibus ad horum fixationem, interim dum ipſummet fixum redditur, illis ſe concorporando : Remiſcetur etiam æqualibus partibus ſpiritus Vini, cujus Sal volatile & inflammabile, intime ſe adjungens partibus acidis hujus Spiritus, ex duobus unum conſtituit, odoris grati & ſuavis, ſaporis multo minus acidi, cujus uſus & vires longe melius affectibus conveniunt, & plurimorum temperamento quadrant quam Spiritus Salis uſitatus.

Eapropter etiam inditum eſt illi nomen Spiritus Salis dulcis, aut dulcificati; ad cujus præparationem immittuntur Cucurbitæ vitreæ partes æquales Spiritus Salis & ſpiritus Vini, adeo ut pars tertia Cucurbitæ vacet; qua impoſita Baneo Arenæ, & cooperta ſuo capitello accurate lutato, & adcommodato exiguo Recipiente, etiam luto obducto, inſtituitur diſtillatio igne moderato, cui inſiſtendum quoad totum fere exſtillarit, demum ſponte refrigeratis vaſis, effuſóque in Cucurbitam liquore diſtillato, iterum is diſtillationi ſubiicitur in eodem Balneo, eaſdem operationes trina vice repetendo; quo pacto à perfecta horum ſpirituum conjunctione & unitate expectandi optati effectus, iique efficaciſſimi.

Prætermiſſo ſpiritu Vini vulgari ad dulcorem Sali conciliandum, uſurpari poſſet Tinctura Tartari, Spiritus Theriacalis, Spiritus ardens Roſamu, Iuniperinus, vel quiſpiam alius ſpiritus ex aromatibus conſtans, aliiſve ſubſtantiis affinibus qualitatibus præditis iis quas conjungere animus eſt ſpiritus Salis: Imo dupla vel tripla portio alterutrius horum ſpirituum ad ſpiritum ſalis addi poſſet, quo melius hic temperetur, quoad cætera eidem methodo inſiſtendo.

Cuncti Auctores admodum probant Spiritum Salis ad reſerandos urinæ ductus, incidendas & detergendas materias viſcoſas & tartareas, aperiendas obſtructiones Iecoris, Lienis omniumque viſcerum: Eapropter etiam feliciſſime in uſum adducitur ad Hydropem, atque affectus

ab infarctu vaſorum oriundos; Quamobrem præferendus eſt ſpiritus dulcis non edulcorato, utpote ad omnia utilior: Valet etiam uterque ad ſitim extinguendam, exhibendo à quinque aut ſex ad duodecim aut quindecim guttas ex liquore quopiam idoneo; vel ea quantitas immittitur quæ gratum acorem potui uſitato conciliare valeat, vel aliis liquoribus quibus infunditur: Præſtantiſſimus eſt hic ſpiritus ad diſſolvendas manuum & pedum congelationes antequam in ulcera abierint, leniter partem affectam penna intincta illinendo: perpurgandis & dealbandis Dentibus admodum conducit, Oſſium cariei delendæ, carnibuſque vulnerum & ulcerum fungoſis abſumendis.

Prior ſpiritus, optime rectificatus uſurpatur ad diſſolutionem Auri; Nec inutilis eſſe poteſt præcipitandis mineralibus ab aqua forti diſſolutis, aut Spiritu Nitri.

At vero hujuſmodi Præcipitatio adſcribenda non eſt, ſicuti quidam, contendunt neque gravitati, neque viribus, uti neque cuipiam concuſſioni aut commotioni quam inferat Aquæ forti, vel materiis diſſolutis, at vero adjunctioni Acidi huic ſpiritui inexiſtentis, ſpiritui volatili & ſulphureo Aquæ fortis, aut ſpiritus Nitri, ea efficacia poſtremum hunc impellentis ut dimittere cogatur partem mineralis à ſe diſſoluti.

Vt vero manifeſtum fiat iſtam præcipitationem, uti neque quampiam aliam, nec gravitati adſcribendam eſſe, nec potentiæ, nec concuſſioni aut commotioni ab hoc ſpiritu, vel quopiam alio præcipitatorio Diſſolventi inductæ, aut materiæ diſſolutæ; deducendam vero eſſe à reciproca conjunctione Alkalium cum Acidis, aut ſpirituum Acidorum cum Volatilibus ſulphureis, aut infirmo reddito diſſolvente ab aquæ expia, vel additione cujuſdam novæ materiæ quam diſſolvens iterum penetrare valeat, Hoc ſciendum Spiritum Salis, cum non potuerit combinari ſpiritui volatili ſulphureo Aquæ fortis, ideo ſolummodo præcipitare potuiſſe illam mineralis portionem quæ ab eodem ſpiritu diſſoluta fuerat, quo fiat ut ipſius præcipitatio neque cita ſit neque copioſa, eo quod pars Acida Aquæ fortis cohibeat adhuc partem mineralis à ſe diſſolutam; quia ſcilicet pars acida ſpiritus Salis affinitate nimia illi conjuncta eſt, ideoque vim illi inferre nequit, atque ut dimittat id quod retinet, cogere: Sin poſtquam ſpiritus Salis inefficax eſt factus erga diſſolutionem; affundatur Spiritus Tartari, aut Nitri Sal fixum, quocum Acidum Nitri facillime conjungitur, illico nova proditura eſt præcipitatio priori copioſior; Atque ex his innoteſcit veriſſima præcipitationum cauſa, circa quas ulterius non evagaturus ſum, lectorem remittens ad exempla deinceps adferenda.

Porro, cum per inſcitiam Typographi, qui vocem *Alkali* in præſenti diſceptatione

diſceptatione bis uſurpavit vice vocabuli *Spiritus* ; atque ejuſdem errorem circa quaſdam alias voces antographo meo diſſentaneas, anſa nonnullis fuerit porrecta in me torquendi adagium *Obſcurum per obſcurius*, Id apud me jam ratum eſt ab emendatione harum vocum, futurum *lucidiſſimum quod per me prius plane lucidum fuiſſet* : Eos vero à quibus obſervatum fuerit id quod alias publicis in conventibus à me non ſemel enuntiatum, atque variis in locis iſtius operis traditum, de Natura Spirituum & Salium, & diſcrimen circa hæc à me conſtitutum, imo circa vera Alkalia à plurimis mixtis, parum Salinis, plurimum terreſtribus diſtinguenda, quæ pro Alkalilus venditare intendunt, eos inquam proculdubio pronuntiaturos eſſe errorem nequaquam mihi adſcribendum, atque argumenta contra allata repulſione non indigere.

Sin forte contingeret ut iidem Adverſarii in poſterum vera mea aſſerta impugnare aggrediantur, doceant me quæſo Illi, ubi lateat gravitas & potentia Spiritus Salis quibus ſuperet illas quæ inſunt A quæ forti & minerali ab hoc diſſoluto ? quo manuum robore id commoveat & concutiat ? quæ porro ſit cauſa cur liquor Tartari, aut Sal fixum Nitri, vel ejuſdem liquor majori longe efficacia præcipitationem perficiant quam hic Spiritus Salis, adeo (juxta eorum mentem) efficax ad convellendum & concutiendum, præſtare tamen non potuit ? Qui fit, inquam, ut ſola aqua frigida, longe gravitate inferior Spiritu Salis, affatim huic diſſolutioni affuſa, ac pluribus aliis, præcipitationem illarum abſolvat ? Doceant me iterum, rogo, gravitati ne id adſcribendum, an robori, an concuſſioni vel commotioni, quod Laminæ cupreæ, immiſſæ infra Argenti diſſolutionem ab Aqua forti inductam, præſtant ut eadem aqua præceps det Argentum, Laminas prædictas corroſura ? An iiſdem de cauſis cuprum ab Aqua Forti diſſolutum præceps defertur immiſſis laminis ferreis illius diſſolutioni ? Cum ergo vix veriſimile ſit ut in poſterum harum ſubſtantiarum præcipitatio aſſignari queat aut gravitati, aut viribus, aut commotionibus & concuſſionibus inductis à liquoribus corroſivis, aliiſve mediis eapropter in uſum advocatis, futurum ſpero ut abdicata hac opinione, meæ omnes ſubſcribant.

Nomen autem Alkali, quod iidem Adverſarij variis ſubſtantiis craſſis, ex mineralium familia deſumptis adſignare intendunt, non ſecus ac legitimis ſalibus, quandoquidem vox iſta *Alkali* in confuſionem illos adducere poteſt qui in Chymia exiguos progreſſus egere, animus eſt in eorum gratiam huc adferre quæ ſæpius publice circa hæc enuntiavi, ſcilicet vocem Alkali, ſignificase *Sal Kali*, *Kali* autem plantam eſſe ubertim pluribus in locis maritimis naſcentem, quæ comburi ſoleat extrahendi gratia Salis, copiam, & familiarem uſum iſtius Salis.

in cauſa fuiſſe, vt cum tanquam ſpecies tantum haberi debuiſſet, inconſiderate vt genus perpenſum fuerit; ac poſtmodum nonnulli, parum accurati, *Alkali* nomen pluribus mixtis adſcripſerint, quorum ſubſtantia & qualitates multum ab illis diſcrepant quæ legitimis Salibus inſunt: me quod attinet, aſſenſum præbeo vt Salia omnia, tum Fixa tum Volatilia nomine *Alkali* comprehendantur, ſed ſi talia cenſenda ſint ſaporem Salis exhibeant neceſſe eſt, in aqua ſint diſſolubilia, atque in ea coagulentur cum in vapores abſumpta fuerit, aptitudo ad actionem & reactionem in Acida obſervetur, & vt cum illis coire queant, Nullum vero Præcipitatorium a ſe invicem divellere queat, vti neque Aquam à qua diſſoluta fuere: Si Margaritæ, Corallia, Metalla, Metallica, ac plurima eius indolis mixta, qualitatibus his eſſent prædita, Salium individuſis comitibus, citra hæſitantiam Alkali vocabulum illis imponendum foret, At cum nulla revera inſit, ſed tantum diſpoſitio quædam ob quam penetrationem admittunt, corroſionem & diſſolutionem, deſtituantur vero actionis & reactionis efficacia, Acidorum vero injuriis obnoxia ſint, ac Præcipitationi ab admixtione Salium, vel aquæ, vel aliorum mediorum, vix credo deinceps *Alkali* nomen illis inditum iri, vel inter Salia collocanda.

CAPUT XIV.

De Præparationibus Salis Nitri, & primo de ſimpliciſſimis.

SAl Nitrum, vero nomine Sal Petræ vocandum, a quibuſdam Draconis epitetho inſignitum, Cerberi, aut Salis infernalis, ratione vehementiæ affectuum quos aptum natum eſt edere, cenſetur Sal ſulphureum, ob innatam illi diſpoſitionem ad ſubito accendendas materias quæ commixtas habent particulas ſulphureas, vel minima ignea ſcintilla proxima, etſi ex ſe & ſolitarium crucibulo candenti inditum flammam non concipiat, niſi adiectus fuerit carbo, vel alia quæpiam ſubſtantia ſulphuris cuiuſdam particeps.

In Nitro tres Salis ſpecies deprehenduntur, videlicet Volatile Salinum Sulphureum; Volatile Acidum, & Fixum terreſtre: Horum tamen trium Salium conjunctio adeo arcta non eſt quin ab Artifice variæ ſubſtantiæ prout libet ab invicem divelli queant, ſicuti manifeſtum eſt in illius præparationibus.

In Gallia tres Salis Petræ ſpecies reperiuntur, quoddam nonnullis rupibus, aut muris adhæret, cryſtallorum candicantium forma; Aliud terræ quarundam cavernarum aut locorum ſubterraneorum commix-

tum eſt, vel antiquorum equilium; Tertium in ruderibus ac vetuſtorum ædificiorum ruinis: Nitrarij operarij hujuſmodi terras, aliaſve materias Nitro prægnantes, grandibus caldariis immittunt, igne ſubdito, affuſa aquæ ſufficienti quantitate, factaque horum Salium elixiviatione, illa filtrant, demum ſal coagulant; id iterum diſſoluentes, filtrantes ac rurſus coagulantes, non ſolum ut defæcatius evadat, ſed ſegregandi cauſa, quantum conceſſum eſt, ſalis terrei illi ſemper adjuncti; quod vero Nitro craſſius, ſapore, figura & indole plurimum ad Sal Marinum accedit.

Cum non difficili negotio Nitrum puriſſimum obtinere liceat, ideo in illo depurando multus labor non inſumitur, ſatiſque eſt candidiſſimum eligere, diaphanum, in longiores cryſtallos effictum, multis circumcirca donatum angulis, qui per longitudinis decurſum cylindriforme id effiuciunt: Ejuſmodi Sal ſaporem exhibet Salino acidum, amaroris participem; Præter has probitatis notas, & hoc illius puritatis indicium eſt, ſi fruſtulum candenti carboni impoſitum illico pene totum abſumatur, adeo ut ſuper carbonem ſuperſit ſolum tantillum Salis albi; pro Sale fixo Nitri habendi: Nitrum primo cryſtalliſatum, è priori aqua elicitum, probitatis omnes notas præ ſe fert, optimumque cenſendum.

Nitri depuratio idoneum id reddit præſtandis uſibus expectatis, interins præſertim: Ab eadem cæteræ præparationes initium etiam ducunt, quarum frequentiſſima eſt Calcinatio, magis aut minus valida inſtituenda pro maiori aut minori partium ſecernendarum copia: Quæ Cryſtalli mineralis præparandi gratia ſuſcipitur, omnium ſimpliciſſima eſt; Satis enim eſt, exempli gratia, Nitri puri libram unam crucibulo immiſiſſe, tripodi in fornace impoſito, carbonibus accenſis circumdato, in quod colliquefactum, iteratis vicibus, uncia una florum ſulphuris infunditur, ibi accendendorum & ſuper nitrum abſumendorum, quod demum è crucibulo effunditur, ubicumque circumfundendo fundo ſartaginis mundæ, ferreæ aut cupreæ: Id frigefactum, & in frugmenta diviſum, committitur vaſi vitreo aut Faventino, probe obturando.

Salis Prunellæ nomen Cryſtallo minerali etiam inditum eſt, eo quod admodum conducit curandis faucium inflammationibus, Anginæ præſertim, quibuſdam *Pruna*, aut Prunella dictæ; ſi præſertim ejuſmodi affectus à Salibus volatilibus originem duxerint, atque in principio fuerint: Acidum enim Nitri ſalibus volatibus ſe adjungens, horum naturam immutat, effectuſque inhibet: Hoc Cryſtallum nomine Anodyni mineralis donatum eſt, ob efficaciam in ſedandis doloribus, illis potiſſimum, quos inducunt Salia fixa aut volatilia: Aperiendi vi præditum eſt, diureticæ; humores viſcidos & tartareos incidendi: Purgantibus remixtum illis vehiculo eſt; variiſque inditum menſtruis adjuvat Tincturarum mixtorum extractionem, coloremque intenſiorem reddit; humorum

Ff 3

putredinem cohibet, ſitim æſtumque febrilem extinguit, etiam exigua ex liquoribus idoneis adſumptum copia.

Qui veriti ſunt calorem partis maxime volatilis & ſulphureæ Nitri, non inutiliter crediderunt accedendos illi affundi debere flores ſulphuris, adſumendæ una cum his, & abſtrahendæ illius partis ſulphureæ, communicando ſimul portiunculam acidi, floribus illis inexiſtentis : Id quod jam uſitato more receptum eſt, neque repudiando, cum, experientia quotidiana teſte, probi oriantur effectus, etſi commodiſſime illius ſuccedaneum eſſe queat Nitrum rite depuratum & cryſtalliſatum, ſulphur nequaquam expertum : Sed Nitrum multo minoris acrimoniæ particeps quam Cryſtallum minerale, & Nitrum depuratum, comparare licet, idem Nitrum quinquies aut ſexies diſſolvendo in aqua pluvia, æquinoctio verno decidua, unaquaque vice aqua in vapores faceſſere juſſa, ad pelliculam uſque, more ſolito, Nitrum cryſtalliſando; Concurrente enim partium diviſione multoties facta partium Nitri à prædicta aqua, Et abſtractione particularum maxime ſulphurearum ope harum evaporationum ; ac præterea adſociatime ſalis Aëris, quo dictus imber imbutus eſt, Nitrum nonmodo acrimoniæ fit fere expers, & edulcoratur, ſed etiam abſque corroſimis metu, & jucunde, edere valet eos effectus qui Cryſtallo Minerali & Nitro depurato adſcribi ſolent.

CAPUT XV.

De Nitri Fixatione.

OMnia Salium genera à cæteris ſubſtantiis ſecreta, etſi in liquido diſſolubilia ſint Fixorum nomen gerunt,cum eum in ſtatum adducuntur ut vim ignis experiri valeant,id quod conſequi non licet alia ratione quam partem illorum volatilem, Salium aut ſpirituum Acidorum ope ſiſtendo & cohibendo, vel aliarum ſubſtantiarum quæ cum illis concorporari queant, ob innatam diſpoſitionem ad mutuam conjunctionem : Nitrum cum conſtet ex Sale volatili ſulphureo, Sale acido, utcumque volatili, ac Sale fixo, admodum difficile eſt reperire Sal, aut Spiritum, à quo ſimul & ſemel cunctæ illæ partes fixitatem conſequi valeant ; Si enim Salia volatilia admixta fuerint, futurum eſt ut quædam portio aliorum Salium cum illis in auras abeat : ſin alia Acida in auxilium advocentur ad Salia ſiſtenda, Acidum exſuperans diſſolutionem & immutationem naturæ totius inducturum ſit, adeo ut quacunque proceſſus ra-

tione

tione neceſſe ſit dum Fixum Nitrum reddere eſt animus, volatilis partis non minimam portionem perire.

Ex Glauberi ſententia Nitri puriſſimi libræ duæ aut tres capaci crucibulo ferreo excipi poſſunt, tripodi impoſito, in media fornace idonea, quo circumdato carbonibus accenſis, & Nitro colliquato, ſuper iniicia-tur pulveris carbonum circiter ſemuncia, qui illico flammam concep-tari ſunt, parteſque Nitri volatiles abſumi incipient, Hac Nitri ſemi-vncia abſumpta, tantumdem pulveris carbonum adhuc adiiciendum, eo-dem modo igne devorandi; Ejuſmodi projectionem reiterando, illiuſ-que conſumptionem, eundem etiam ignis tenorem ſervando, donec nul-la amplius in Nitro ſuperſtes ſit pars acida, uti neque flammæ capax, pulvis carbonum non amplius hanc concipiat, Nitrum autem craſſeſcat & fiat coloris virideſcentis ad cæruleum declinantis: Tunc Nitrum ex crucibulo eruendum dum adhuc calet, quod in magna fruſta con-fractum, eo modo, ſi libet, conſervandum, in lagena vitrea duplici, accu-rate occludenda.

Vel idem in aqua diſſolvendum eſt, factoque lixivio, hoc filtrandum; Sal coagulandum, ſicuti prius adſervandum; Iſtud Sal, per calcinatio-nem deſtitutum parte volatili inflammabili, ac fere omni ſuo Acido, quamdiu in ea eſt conditione cryſtalliſationem reſpuit, cuius capax eſt Cryſtallum minerale, quod cum leviſſimam calcinationem expertum ſit, ſibi innato Acido fere omnino fruitur, a quo in cryſtallaabeundi vim obtinet: Figuræ tamen Chryſtallinæ non levi negotio reſtitui poteſt, diſſolutioni illius filtratæ inſtillando Nitri ſpiritum, quovſque deſinat omnino ebullitio: procurata enim poſtmodam iſtius liquoris ad pelli-culam vſque conſumptione, poſtmodum ſponte refrigerata Cryſtalla emergent illis propemodum ſimila quæ in Nitro, antequam crucibulo immitteretur, conſpicua erant; pondus autem & moles Nitri adaucta ab adiuncto ſpiritu illi coadunato reperientur.

Iubet Glauberus Nitro, vti prius dixi calcinato ope pulveris Car-bonum, crucibulo exempto, exceptoque vaſe quopiam idoneo, id ſub divo humidiori exponi, aut in cella vinaria, donec in liquorem omnino abeat, cui Alkaeſt nomen impoſuit, ex illo menſtruum vniverſale medita-tus, apprime idoneum Tincturis omnium miſtorum eliciendis, tam Ve-getabilium quam Animalium & Mineralium; Sed etiamſi in uſum venire queat ad plurima mineralia, ſuppetunt tamen menſtrua multo conve-nientiora Vegetabilibus & Animalibus.

Nonnulli Nitrum ea ratione calcinatum in Spiritu Aceti diſſolvunt, diſſolutionem filtrando, Sal autem coagulando, ter repetitis diſſolutio-nibus, filtrationibus & congulationibus, demum diſſoluto hoc ſale in ſpi-ritu vini alkoolifato, diſſolutione autem excepta cucurbita vitrea, alem-

bico ſuo probe loricato inſtructa; adaptato, recipiente ſimiliter luto incruſtato, Balneo arenæ igne moderato ſpiritum vini abſtrahunt, ad ſubſidentiæ ſiccitatem; in fundo demum Cucurbitæ occurrit Terra Talci inſtar ſquamoſa, igne fuſilis, non ſecus ac cera, Nitri ſale fixo impregnata, Aceti acidum continens: Iſtud remedium conducere aſſerit reſerandis Iecoris obſtructionibus, Lienis & Meſenterij: Exhibet a ſcrupulo vno ad duos, ex liquoribus aperiendi vi præditis, vel aliis purgantibus remiſcet: Non multum abſimilis hæc præparatio à Sale Tartari foliato, de quo a me actum capite ſexageſimo octavo de Præparationibus Vegetabilium.

CAPUT XVI.

De Sale Polychreſto.

FIxationi Nitri adde præparationem Salis Polychreſti, eo quod eius ope Nitrum fixum evadit, exuens quicquid volatile continet: mitto etymologiam cognominis huius Salis, quod deducendum non a voce polycryſos, ſed a polychreſtos, indicante quiddam ad plures uſus natum; Inventio huius Salis antiquitate cum cognomine non certat, quod à pluri-mis Authoribus fuit inditum Pilulis, aliiſque compoſitionibus, idoneis pluribus ſimul humoribus expurgandis; Authores enim nonnulli ſolum neoterici huius meminere, atque illius uſus, etiamſi hodie multo id ſit uſitatius Pariſiis quavis alia præparatione Chimica, ex immenſo earum numero quas continent antiquorum libri.

Si more uſitato præparandum ſit hoc Sal, accipiendæ erunt partes æquales Sulphuris puri & Nitri cryſtalliſati, quibus commixtis, & craſſe contuſis, imponendum erit crucibulum pedamento in medio foco Fornacis anemiæ, accenſoque in ambitu luculento igne carbonum, cum incanduerit Crucibulum, immittatur illi uncia circiter prædicti pulveris, qui flammam illico concepturus eſt; ſulphur autem in auras diſcedens ſecum ſimul abſtracturum eſt partem Nitri volatilem: Flamma diſcuſſa eadem Pulveris in crucibulum projectio repetenda erit, per vices iterandа, vna quaque vice concedendo ſulphuri ſpatium temporis ad deflagrationem, ex intervallis materias contentas commovendo oblonga ſpathula ferrea, pergendo donec totus pulvis projectus fuerit, vel crucibulum amplius capax non ſit materiæ: Poſtmodum ignem adhuc urgendo per bihorium vel trihorium, ac ſponte frigefacto crucibulo, eximendum erit Sal, in aqua poſtea diſſolvendum, Per colum traiecta

hæc

hæc diſſoluta & ad ignem evaporata, ſola pellicula ſuperſtite, refrigerari permittitur; dehinc decantata in exiguam Cucurbitam aqua ſupernatante, obvium erit Sal Polychreſtum in fundo vaſis hujuſque lateribus adhærens, quod exemptum ſiccandum erit: Deinceps igne moderato Arenæ liquor in parvam Cucurbitam effuſus abſumendus erit; ad pelliculam uſque, extrahendo & exſiccando Sal ſicuti prius: Idem quoque faciendum erit de liquore Sali ſupereminente, ne quidquam diſpereat, cuncta hæc ſalia commiſcendo & ad uſus recondendo.

Diſſipatio partis Acidæ & ſpirituoſæ volatilis Nitri, contingens per Nitri calcinationem cum ſulphure; in cauſa eſt ne Cryſtalla inde oriunda amplius obtineant figuram qua donatum erat Nitrum priuſquam crucibulo immitteretur, Neque etiam Cryſtalla expectanda eſſent, niſi Sal ſibi adſumpſiſſet portionem quampiam Acidi ſulphuris dum ſimul utriuſque calcinatio inſtituta eſt.

Cum vero Sal Polychreſtum, hoc modo præparatum, complectatur ſolummodo partem fixam Nitri, cum portione nonnulla Acidi ſulphuris, hac vero conditione donatum per dejectiones tantum opus perficiat, exemplo Salis Tartari, aliorumque Salium fixorum, conciliari illi præterea poterit vis partim diaphoretica, partim diuretica, addendo & concorporando quatuor uncas Spiritus aut Florum volatilium Salis Ammoniaci cum libra una Salis Polychreſti, prædicto modo præparati, una iterum in Cryſtalla deducendo cucurbitæ vitreæ indita, Balneo arenæ impoſitæ, igne moderato.

Ex proportionata enim unitate trium harum diverſarum ſubſtantiarum exſurget compoſitum, potiori jure Salis volatilis nomine inſigniendum quam id cujus deſcriptio à me tradita: Cum enim prius opus ſum perficiat comite non levi acrimonia, ac ſolum inteſtinorum ductum affectet, poſtremi hujus Salia, per reciprocam temperationem ſimul coeuntia, opus quoad omnia leniſſime peragent, Neque id prohibet quin facillime permecent corporis partes illorum ope indigentes, ac præſertim ductus urinarios, venas, arterias, quinimo & partes carneas, nullo acrimoniæ veſtigio relicto.

Mixtim hæc ſalia exhibentur adrachma ſemis ad drachmam unam, cum variis remediis, præſertim ad ſtimulanda purgantia, diluendo in liquoris unciis quinque vel ſex: Seoſim etiam præſcribuntur à duabus vel tribus drachmis ad quinque aut ſex, ex duabus vel tribus libris aquæ fluviatilis, vel ptiſana quapiam, iteraltis vicibus uſurpanda

non ſecus ac Aquæ minerales, ſi incidendi & detergendi craſſi humores, demum per vias conſuetas expellendi.

CAPUT XVII.

De Spiritu Nitri.

AD quorundam normam conteri ſimul & commiſceri poſſunt Nitri libræ duæ cum libris ſex Boli communis, ex quibus in maſſam ſolidiuſculam compactis, infuſa aqua frigida Nitro imbuta quantum hujus diſſolvere valuerit, concinnantur globuli, qui optime exſiccati ex Retorta diſtillandi juxta regulas ordinarias, At vero res melius voto reſpondebit, expeditiorque erit ſucceſſus, ſi hac via incedatur.

Contundantur, unaque commiſceantur Nitri probe exſiccati, & nitide cryſtalliſati libræ duæ, triplo vel quadruplo ponderi terræ figulinæ, accuratiſſime exſiccatæ, itidem pulveriſatæ ; committantur Retortæ argillaceæ luto obductæ, ejus capacitatis ut materiæ immiſſæ duas tantum vaſis partes adimpleant, tertia vacet : Hoc in furno Reverberij clauſo collocato, adcommodato autem grandi Recipiente ejus roſtro, eo itidem lutato, ſuſcipietur diſtillatio igne gradatim adaucto, illum tertia quoque hora intendendo, tandem ad extremam uſque violentiam pergendo, donec manifeſta adpareat ruboris ſpirituum in Recipiente diminutio, caloris autem ejuſdem Recipientis remiſſio ; id quod accedere ſolet adhibito ultimo igne per tres horas : Poſtmodum obturato ſpiraculo operculi fornicati, ſicuti & cinerarij ac foci oſtiis, ſponteque frigefacto furno ac vaſis, decruſtandum erit Recipiens, lutum linteo madido humectando, illoque à roſtro Retortæ divulſo, ſpiritus Nitri infundendus lagenæ denſæ, accuratiſſime occludendæ, ſpiritum ad uſus recondendo.

Nitri pars aquea ſeorſim adſervare poſſet prior in diſtillatione prodiens, Recipiens autem ſolum eo educto loricando, quo pacto obtinere licet ſpiritum Nitri multo majoris efficaciæ ad diſſolutionem quorundam metallorum eo qui remixtum habet phlegma ; ſed è re fuerit partem aqueam primo prodeuntem cum ſpiri-

tu

tu dimittere nec ab invicem ſecernere, eo quod acutièm ſpiritui impetitur, efficitque ut Argentum facilius pervadat & diſſolvat quam cum à phlegmate nimis liberatum eſt, aculei autem obtuſiores fiant, ſicuti id à me compertum.

Pars ſulphurea & Salina volatilis Nitri, conjuncta parti Acidit una forma vaporum rubrorum ex Retorta prodeunt, ac in ſpiritum convertuntur, quapropter nonnulli authores ſanguinis Salamandræ nomine donaverunt; Nitrum quippe inter ſalia ſolum eſt quod ſpiritum ſuum forma vaporum rubicundorum effundit, cum cæterorum omnium Salium ſpiritus albi prodeant.

Qui uno eodemque Recipiente ſimul excipiunt quicquid ex Retorta, Nitrum diſtillando, exſtillat, ij liquoris tantumdem fere adipiſcuntur quantum Nitri Retortæ inditum fuerat; quapropter qui rati ſunt totum Nitrum in ſpiritus converti, hallucinati ſunt, nam præterquam quod terra addita, utut ſicca, plurimum in hac diſtillatione phlegmatis ſuppeditat, non ſecus ac cum ſpiritus Salis diſtillatur, proculdubio præterea ſibi adjungit, retinet, in vicem proprij phlegmatis, partem Nitri fixam; Vnde etiamnum eluceſcit perperam creditum eſſe partem Nitri fixam totam in ſpiritum abreptam fuiſſe; id enim ſi contingeret, nihil prohiberet quin ſpiritus priorem Nitri formam readſumeret, id quod tamen nequaquam præſtare poteſt quandiu ſolitarium eſt, revera quidem ſi remixtum fuerit proprio Sali fixo aut Sali Tartari, vel cuipiam alio ejuſmodi: Vnde etiam colligere licet quid in illo deſideretur quominus ſtatui priſtino reſtitui queat, quandoquidem ſi reaſſumere debeat corpus Salis unde prodiit, id nequaquam conſequi licet niſi adjectum fuerit Sal fixum, ejuſdem indolis cum eo quod in Retorta ſuperſtes eſt cum diſtillatio ſuſcepta eſt.

Neque etiam accurate res ad examen adductæ ſunt ab iis qui exiſtimant totum Nitrum diſtillationi ſubjectum in ſpiritum converti, eo fundamento nixis quod nullum Sal ex capite mortuo educere liceat, quando illius diſquiſitio facta eſt adhibitis diſſolutionibus, filtrationibus & evaporationibus; quandoquidem Sal fixum Nitri, diuturnitatem ignis expertum, imo vehementiſſimi per diſtillationem, coit tandem & in vitrum quodammodo abit terræ commixtum; immutata vero ſalis indole, vitri naturam induens, diſſolutionis omnino incapax redditur; Si

enim ex copia liquoris ab ejuſmodi diſtillationibus prodeuntis, norma deducenda eſſet, idem judicium ferendum eſſet de Sale marinæ, cujus libræ duæ commixtæ æquali quantitati ejuſdem terræ, adhiberi ſolitæ ad diſtillationem Nitri, æqualiter effundunt à libra una cum duodecim unciis, ad libram unam & quatuordecim uncias liquoris, quem vocant Spiritum, cuius maxima pars in aqua reſidet, ac tantillo ſpiritu à terra ſuppeditato, altera minor in parte aquea ejuſdem ſalis; cujus reliquum pro legitimo ſpiritu, accipiendum, vix totius tertiam partem conſtituit; interim dum pars fixa ejuſdem ſalis, quæ evehi non potuit, terræ intime ſe conjunxit & in vitrum fere una cum illa abiit, pro capite mortuo accepta: Atque hæc, ſi bene iudico, illis à præconceptis opinionibus erroneis liberatura ſunt qui contrarium ſenſerint.

Spiritum Nitri plurimi fic adverſus malignitatem febrium, ſicuti & ad diſcutiendes vapores ex materiis crudis elatos, nitroſis & tartareis, atque ſedandam effervefcentiam humorum, vi proprij ſalis liquidi volatilis ſulphurei, acido conjuncti: Conducit præſertim in Colico dolore, obſtructiones Iecoris aperit, Lienis, omniumque viſcerum, ſanguinem concretum reſolvit, per ſudores, aut inſenſibilem tranſpirationem humores diſpoſitos expellens, quo fit ut plurimum conferre cenſeatur in legitima & ſpuria Pleuritide, in Rheumatiſmo omnique dolore vago, ac Hydrope Tympanite.

Exhibetur à ſemiſcrupulo ad integrum, imo & ſemidracmam ex liquoribus idoneis, præbendo ſemi cyathum vel integrum.

Partes acres & corrodentes quibus ſpiritus Nitri præditus eſt, corroſioni aptum illum efficiunt, imo & diſſolutioni omnium metallorum, etſi Auro pareat, quod ſubingredi ſolitarium nequit & citra additamentum, ratione exiguitatis & figuræ pororum illius, aditum non concedentium particulis iſtiûs ſpiritus, quorum magnitudo & figura huic effectui inidoneæ ſunt, etiamſi id ipſum præſtare valeat addita quarta parte ponderis Salis Ammoniaci, Marini, aut Gemmei, à quibus immutatione recenti inducta illius partibus, aut novos aculeos tenuiſſimos affingendo, congruam inducendo aut figuram, ob quam hujus metalli poros ſubire valeant, idoneum penetrationi eorum efficiunt, illiuſque ſubſtantiæ diſſolvendæ: Varia etiam mineralia diſſolvere poteſt, imo vim catharticam & emeticam quorundam in diaphoreticam tranſmutat, nominatim Antimonij, ſicuti id in ſerie manifeſtum fiet.

Cum-

Cum eadem acrimonia nonnihil deterreat ab uſu illius interno, confugiendum eſt ad ſpiritum vini, partibus æquis commiſcendum; diſtillatione utriuſque Baineo arenæ inſtituenda, ex capaci & excelſa cucurbita vitrea, alembico idoneo inſtructa accurate lutato; quæ diſtillatio etiam terna vice iteratur, ad magis intimam partium ſpiritus vini commiſtionem, eadem procedendi via quam demonſtravi ad dulcorationem ſpiritus Salis: Ex hac unitate exſurgit ſpiritus compoſitus, non ſolum odoris gratia ſuavior, ſed & guſtui gratior, uti & ad cunctos effectus, imo Naturæ noſtræ multo convenientior; quod vero potiſſimum, ad diaphoreſim procurandam adcommodatior ſpiritu Nitri vulgari: mitium qualitatum & temperatarum gratia ſpiritus Nitri dulcis, aut dulcorati nomen adeptum eſt, cujus ultima & perfecta dulcoratio commodiſſime ſuſcipi poteſt; ope vaſorum Gemellorum dictorum, quorum figura inter cætera vaſa depicta eſt, Gemella hæc committenda Balneo Arenæ, igne moderato adhibito, capacitatis circiter mediam partem implendo, his ſpiritibus partibus æquis commiſtis, luto probe obducendo cuncta illorum orificia & juncturas, toto triduo producendo diſtillationem conjunctorum, & abſque intervallo, horum ſpirituum, quæ hoc modo cohobationem continuam comitem habitura eſt rei diſtillandæ in materias ſucceſſive in fundum vaſorum dilapſuras: Doſis hujus ſpiritus eadem; imo major eſſe poterit quam prioris, ex liquoribus convenientibus.

CAPUT XVIII.

De Aquis Fortibus, Et de Aquis Regiis.

PLus diſcriminis occurrit in compoſitione Aquarum Fortium circa electionem & doſin materiarum ad illas requiſitarum, quam in præparandi ratione ubique fere ſimili; Etſi enim utplurimum tantum conſtent ex Nitro & Vitriolo, Nitrum autem omnium ſit baſis, doſes tamen apud Authores non ubique inter ſe conveniunt; adde quod modo Alumen remiſceant, modo Viride æris, nonnunquam Antimonium, Arſenicum, Sublimatum, Sal Ammoniacum, Marinum, Gemmeum &c. dimiſſo vel admiſſe Vitriolo.

Quibuſdam etiam ſatis eſt exſiccaviſſe, ac contriviſſe, Nitrum & Vitriolum, alij poſtremum hoc nonniſi ad albedinem calcinatum

uſurpant : Quidam duas partes Vitrioli, unam Nitri accipiunt, alij partes æquales ; Imo nonnulli tantundem pondo, aut dimidiam ponderis partem boli aut laterum contritorum adiiciunt, adeo ut cuique Artifici pro arbitrio agere liceat ; Nihilominus tamen præparationem Aquæ Fortis maxime uſitatam in medium allaturus ſum, ac me judice maxime idoneam corroſioni & diſſolutioni plurimæ partis metallorum ac quorundam mineralium, ad illorum naturam accedentium.

Vitrioli communis duæ libræ & ſemis ad albedinem calcinentur & in pulverem terantur ; Exſiccetur & pulveriſetur æqualis quantitas optimi Nitri, commiſceantur ac in capacem Retortam argillaceam luto obductam coniiciantur ; hac impoſita furno Reverberij clauſo, adcommodatoque, accurate lato obducto, ejus roſtro grandi Recipiente, inſtituatur Diſtillatio igne primo moderatiſſimo, demum gradatim adaucto, ad ultimam uſque vehementiam, eoque modo producto quouſque imminutio coloris ex rubroſulvi vaporum in Recipiente concluſorum, calor autem admodum remiſſus : Tunc obturato ſpiraculo operculi fornicati, ut & oſtiis cinerarij ac foci fornacis, vaſa ut ſponte refrigeſcant permittendum, demum decruſtato Recipiente, educta Aqua Fortis effundenda in lagenam vitream denſam, acurate obturandam.

Ex conjunctione Nitri & Vitrioli cum malignitas emergat ſi una diſtillationi expoſita fuerint, eapropter Aqua Fortis ex illis elicita multo periculoſior eſt ſpiritibus ſeorſim ex Nitro & Vitriolo eductis, neque Aqua hæc ore adſumenda præſcribitur ; præcipui autem uſus ſpectant calcinationem immerſivam aut metallorum præparationem, quo fit ut Aquæ cauſticæ nomen adepta ſit, & Aquæ Separatoriæ.

Etiamſi vero quis immerito aſſereret ſpiritus corroſivos Vitrioli, tempore ad diſtillationem Aquarum fortium deſtinato, univerſos evehi poſſe, quandoquidem Vitriolum per plures dies ignem experitur antequam ultimos profundat ſpiritus, Illud tamen in comperto eſſe debet illos qui è Nitro emittuntur partem maximam eorum una ſecum abſtrahere, & quantum neceſſe eſt adaugendam vim illius corroſivam ; quandoquidem commixtio vitrioli cum Nitro duplicem uſum præſtat, communicatione enim facta ſpirituum Nitri partes in Retorta impermixtas detinet, fuſionemque illius impedit, per quam cohibentur & concentrantur ſpiritus, unde Retortæ fracturæ periculum imminneret.

Aquæ

Aquæ Fortis malignitas ſuſpectum facit uſum ſalis in Retorta poſt diſtillationem reſidui: Etſi enim celebre ſit apud quoſdam Authores titulo *Salis*, aut *Arcani duplicati*, vel *Panaceæ duplicatæ*, aut *Salis de duobus*, eximiaſque illi adſignarint vires, arduum tamen eſt vim emeticam & corroſivam Vitriolo tenaciter adfixam divellere, eoque amplius quod in prædicto Sale adhuc latent ultimi iique maxime acres Vitrioli ſpiritus, imo Nitrum fixum illi remixtum majorem ideo contraxit acrimoniam: Id quoque cenſeo quicunque labor adhibitus fuerit in diſſolvendo, filtrando, & repetitis vicibus coagulando iſtud Sal, irritum forte fore, ſicuti & additionem particulæ Cryſtalli mineralis, ab authoribus quibuſdam propoſitam obtinendorum gratia effectuum ſperatorum, quandoquidem ſuppetunt alia Salia magis ad rem facientia, & majori ſecuritate ſcopos omnes adimplentia, Atque licet, ad *Zvvelferi* mentem, calcinare reſidentiam diſtillationis ſpiritus vitrioli, adeo ut nullus commino ſapor illius ſuperſtes ſit, & ex illa Soli per plures hebdomadas, & divo expoſitam, abſtrahere Sal Aëris, qui adimplevit illius poros; quod cum ſapore acri careat, deſtitutumque ſit facultate emetica vitrioli, ſed polleat ſapore acido ſalino gratiſſimo, proculdubio anteferendum ut pote præſtantius & magis idoneum commiſtioni cum æquali pondere ſalis Polychreſti, aut Nitri fixi, vel cujuſpiam alterius ſalis fixi plantæ alicujus adpropriatæ.

Alia Aqua Fortis conficitur ex partibus æquis Nitri & Aluminis, ex Retorta una diſtillandis, ſeorſim reponendo phlegma primo prodiens, in lagena autem vitrea denſa, accurate occludenda, cuſtodiendo Aquam fortem ſubſequentem, quippe quæ Biſmuthi admodum idoneum eſt diſſolvens, Mercurij, aliorumque ad vultus coſmeticen uſitatorum mineralium.

Porro cum uſitatæ hæ Aquæ Fortes, etiamſi Argentum diſſolvere valeant, omniaque metalla imperfecta, non eodem tamen erga Aurum robore polleant, ideo confugiendum ad Salia Ammoniacum, Marinum aut Gemmeum, à quorum adjectione aculei particularum iſtarum aquarum immutationem & tenuitatem adepti, Aurum diſſolvere valent eadem facilitate qua antea cætera metalla; Nomen eapropter Aquarum Regiarum illis inditum, ob potentiam qua præditæ ſunt Aurum diſſolvendi, quod metallorum Regis nomen obtinet.

Aqua Fortis in Regiam facili negotio tranſit, exiguoque temporis ſpatio, immittendo parvo matratio uncias quatuor optimæ aquæ Fortis, cum uncia una Salis Armoniaci minutiſſime contriti, vel uncia una Salis Marini aut Salis Gemmei, litidem pulveriſatorum, alterutrum di-

ctorum Salium in Aqua Forti diſſolvendo Balneo Arenæ, igne Digeſtionis.

Poteſt etiam præparari Aqua Regia unica diſtillatione, hoc proceſſus modo, Accipiantur libra una Nitri puriſſimi; libra una Salis marini optime exſiccati, Vitrioli ad albedinem calcinati libræ duæ, conterantur, miſceantur, una conjiciantur in capacem Retortam argillaceam luto veſtitam, qua impoſita furno Reverberij clauſo, adcommodatoque ejus roſtro magno recipiente, ſuſcipiatur igne gradatim adhibito Diſtillatio, ſicuti ad ordinariarum Aquarum Fortium, ſic nanciſci dabitur in Recipiente Aquam Regiam, admodum idoneam diſſolutioni aut calcinationi immerſivæ Auri.

Præparatur necnon Aqua, quibuſdam dicta Aqua Philoſophica, vel Aqua duorum Pugilum, hac ratione, ſumantur unciæ duæ Nitri puriſſimi optime exſiccati, Vnciæ duæ Salis Ammoniaci; quibus contritis, & ſimul immiſſis grandi Retortæ argillaceæ luto obductæ, impoſitaque Retorta Furno Reverberij clauſo, & adaptato grandi recipiente eius roſtro, exſtillanda igne gradatim adhibito Aqua, nulli Aquæ Regiæ ad Auri diſſolutionem inferior.

Sed circa hanc præparationem obſervandum capacitatem inſignem Retortæ, necnon Recipientis, non minus requiri quam ignis regimen, quia ſcilicet ſpiritus e quatuor iſtis unciis Salium elati, tam inſigni erumpunt vehementia, vt ab igne impulſi diſruptionis Retortæ & Recipientis cauſa eſſent, niſi ſpatium idoneum impetui excipiendo obtinerent.

Butyrum Nitri Vitriolati Petri Iohannis Fabri, cum a quibuſdam Authoribus neotericis commendetur, ideo hic inferendum volui, Accipiantur partés æquales Nitri & Tartari crudi, quibus comminutis in pulverem, & ſimul exceptis grandi mortario ferreo, aut cupreo, prius excalefacto, accendatur ignis carbonum, ſed modicus, in camini foco, Nitrum & ignem ut libere d micent permittendo; demum collectis, & optimo crucibulo immiſſis Salibus fixis Nitri & Tartari, ſimul in mortario reſiduis, imponatur Crucibulum idoneæ Fornaci, accenſo circumcirca igne carbonum, inibi detinendo donec Salia perfectam adipiſcantur albedinem, quæ poſtmodum diſſoluta, filtrata & coagulata in Sal album, additoque & commiſto æquali pondere Salis Vitrioli diſſoluti in aqua pluvia, ad ignem lentum deducantur in coagulum, aut Butyrum albiſſimum, recondendum in lagena vitrea denſa accuratiſſime obturanda.

Magni fit ab Authore, tum ad internos uſus, tum ad externos, leniſſime

leniſſime enim purgare aſſerit humores melancholicos & tartareos, à drachma una ad duas exhibitum, ex uncia ſemis ſyrupi Roſati aut Violati: Idoneum præterea eſſe ad Arthritidis curationem parti affectæ admotum: Reſoluere etiamnum humores frigidos & ſcirrhoſos, oedematoſos & pituitoſos diſcutere, ac denique quodvis ſerpiginis & ſcabiei genus curare.

CAPUT XIX.

De Præparationibus Aluminis.

ALumen ſuccus eſt ſalinus, ex quibuſdam terris erutus, aut lapidibus plumbi naturam reſipientibus, plurimo phlegmate conſtans, pauco ſpiritu acido, non mediocri copia Salis acris & corroſivi, accedente plurima terrea portione.

Alumen Rupeum omnium commendatiſſimum eſt, vulgatiſſimum, quod maxima copia occurrit, Dicitur etiam Alumen glaciale, cum referat aquam frigore concretam: Tres illius ſpecies ſtatuuntur, quarum prima ſponte in terræ viſceribus coagulata reperitur, cæteræ vero artificium requirunt, Alterum enim Alumen educitur decoquendo & coagulando Aquas minerales illo prægnantes; Alterum elixiviando terras aut lapides quibus commiſtum eſt.

Alumen colore ad rubedinem inclinans, cognomento Romanum, optimum inter illa quæ in Gallia occurrunt cenſetur, attamen neque Romanum neque cætera ideo remediorum feraciora ſunt, inter ſalia enim Alumen omnium pauciſſimis præparationibus ſubjacet.

Diſſolvitur Alumen in aqua pluvia, cujus filtrata diſſolutio evaporatur ad pelliculam uſque, hac ſponte refrigerata ſecernuntur & exſiccantur Cryſtalla, Aluminis, quæ iterum nonnulli diſſolvunt; filtrant & cryſtalliſant repetitis viribus, tum ut puriora evadant, tum ut ſpiritus quantum licet leniatur; Non inutilis eſt ejuſmodi depuratio, cum Alumen in Gargariſmatum compoſitionem admiti debet, aliorumve remediorum internorum, ſed ad externum uſum prætermittitur,

Nonnunquam in crucibulo calcinatur Alumen, vel vaſe figulino vehementiæ ignis non impari; inibi enim candorem adquirit, ſpongiforme & leve evadit, quando phlegmate illius repudiato, uti & illius ſpiritu, expetitur ſolummodo Sal acre & corrodens, quod vulgo vocant Alumen uſtum, nonnulli poſtmodum diſſolvunt in aqua pluvia, filtrant, ac coagulant obtinendi gratia Salis fixi Aluminis; Qui vero cum

ctas Aluminis partes utiles ſibi comparare voluerit, id ex Retorta diſtillent ratione ſequenti, nec defuturus eſt ſucceſſus.

Excipiantur binæ vel ternæ Aluminis libræ, grandi Retorta luto circumlita, qua impoſita furno Reverberij clauſo, conjunctoque ejus roſtro capaci Recipiente luto non incruſtato, ſuſcipiatur diſtillatio igne primo leniſſimo, illo poſtmodum ad ſecundum uſque gradum adaucto, in eo perſeverandum donec univerſum exſtillarit phlegma, conſpiciaturque ingreſſus in Recipiens ſpiritus Aluminis forma vaporum candicantium: Tunc affuſo, & ſeorſimque Phlegmate repoſito, accurate luto obducto collo Recipientis & roſtro Retortæ, continuanda erit diſtillatio, gradatim adaucto igne ad ultimam uſque vehementiam, pergendo donec nulli amplius ex Retorta prodeant vapores poſtmodum obturato ſpiraculo operculi fornicati, ac ſimul oſtiis fornacis, ſponte refrigeratis ac decruſtatis vaſis, obvius erit in Recipiente Spiritus acidus Aluminis, in Retorta autem Alumen calcinatum in maſſam candidam conglobatnm, ſpongioſam, levem, illi ſimilem quæ in crucibulo poſt calcinationem occurrit: Eoque pacto cunctę Aluminis partes utiles in poſſeſſionem venient.

Spiritus Aluminis admodùm utilis habetur ad urinæ difficultates, ac illius vias liberas à calculo & arenis reddendas, aliiſve curſum ejus intercipientibus, Plurimum quoque conducit reſerandis Iecoris; Lienis, omniumque viſcerum obſtructionibus, ſicuti ad febricitantium ſitim leniendam, Illum commiſcendo liquoribus conuenientibus, à quinque vel ſex, ad duodecim vel quindecim guttas: Commiſcetur etiam Gargariſmatis extinguendarum gratia inflammationum oris cavitatem affligentium & gutturis, Ad intercipiendum fluxum, obtundendumque aculeum humorum acrium & tenuium in dictas partes decumbentium, ſicuti & ad ſananda ulcuſcula gingivarum, linguæ partiumque circum ſitarum, ſolo attactu.

Phlegma in uſum adducitur ad perpurganda & ad cicatricem ulcera deducenda; Diſtillationis autem ſubſidentia abſumendarum gratia carnium fungoſarum in ambitu vulnerum & vlcerum excreſcentium, cohibendæque putredinis.

Spiritus Aluminis dulcorari poteſt eadem ratione qua ſpiritus Salis, & Nitrij, commiſto æquali optimi vini ſpiritus pondere, ſimul diſtillando, cohobando, eodem prorſus proceſſus genere in omnibus quem indicavi vbi de dulcoratione prædictorum ſpirituum.

Spiritus Aluminis dulcoratus ore tutius adſumitur non dulcorato, duplicataque dozi poteſt exhiberi.

Nonnulli diſſolutione facta Aluminis Rupei in aqua, filtratum liquorem

rem Balneo cinerum diſtillant ad ſiccitatem vſque in cucurbita vitrea humili, impoſito illi Alembico probe luto obducto; demum frigefactis vaſis, in aqua ab hoc exſtillata Alumen in cucurbita reſtibile diſtillant, repetita filtratione & eodem Balneo liquoris colo trajecti diſtillatione, reiterando diſſolutiones, filtrationes & diſtillationes ad omnimodam vſque puriſſimæ ſubſtantiæ ope diſtillationis in ſublime evectionē, cunctarum vero Aluminis partium terreſtrium in colo ſubſidentiam: Iſtiuſmodi Aquam Spiritus magiſtralis Aluminis nomine donant, ſtypicorum omnium medicamentorum maxime ſtrenuum cenſentes.

Id porro pro comperto habendum vſum iſtius Aquæ, aut Spiritus Magiſtralis, non inutilem fore ſi decima aut duodecima illius pars Gargariſmis remixta fuerit, aliiſve liquoribus ex aquis aut decoctis refrigerantibus, adſtringentibus & detergentibus comparatis, tum curationis gratia oris affectuum, quam aliorum exteriorum refrigerio indigentium per purgatione & adſtrictione; quinimo & potionibus vulnerariis, accifa huius parte media, proportione habita liquoris: Adeo vt ſi copia adfuerit iſtius liquoris, in parato autem Aquæ ſtillatitiæ, Decocta vel Succi partium plantarum, idoneis qualitatibus præditarum, quovis tempore parabiles ſint liquores, proculdubio præſtantiores cunctis Aquis Aluminoſis ſtillatitiis ab authoribus deſcriptis.

Nonnullli certa quantitate Aluminis calcinati immiſſa Cucurbitæ vitreæ, in Balneo collocatę, affuſaque illa aceti copia quæ ad diſſolutionem ſufficiat, hanc colo tranſmittunt, evaporatione eodem Balneo facta ad pelliculam vſque, ſpontéque refrigerato Balneo, ſegregant, ſiccant, & recondunt Cryſtalla in cucurbita obvia, pro re nata exhibendo ex liquore quopiam idoneo, pondere duodecim aut quindecim, ad octodecim vel viginti granorum, bis in hebdomada, paulo ante paroxyſmi adventum, in febribus Tertianis: Succeſſum vero in re dubia ſpondere non auſim, mihi per experimenta non confirmata.

CAPVT XX.

De Præparationibus Salis Ammoniaci.

AMmoniaci cognomen huic Sali impoſitum prævaluit triginta & amplius aliis nominibus ab Authoribus ipſi inditis, quorum enumeratio foret inutilis. A Iovis templo Ammonis, mediis in Lybiæ deſertis ſito, nomen illius deductum eſt, quod olim iſtud Sal ſublimatum ſuperficiei incumberet arenarum adurentium prædictæ regionis.

Vrina Camelorum catervatim prædicta loca prætereuntium per pe-

regrinationes, ad id templum continuo inſtitutas, prima & precipua illius fuit materia, coadiuiante Sale acido Aëris, per noctem Vrinę adjuncto, à quo partes volatiles cohibebantur, à retorrido Solis ęſtu alias diſſipandæ. At cum Sale iſto antiquorum Ammoniaco careamus; neceſſitas incumbit vt id in vſum ducamus quod Venetiis, Antverpiæ aliiſque in locis adparari ſolet, ex quinque partibus vrinæ virorum proba valetudine vtentium, parte vna Salis marini; & dimidia parte fuliginis camini; quæ ſimul decoquuntur & in maſſam conglobantur, poſtmodum ſublimandam, illa indita forma qua nobis obvium eſt, nomen ab antiquis impoſitum gerens: Fuliginis impuritas, & inſignis copia vænalis ſalis Ammoniaci, in cauſa ſunt ſpurcitrei fere ſemper comitis; Vt vero elegans & purum nanciſci liceat, in aqua diſſolvendum eſt, addita filtratione ac coagulatione in maſſam aut cryſtalla.

Calcinatur Sal Ammoniacum additis partipus æquis calcis vivæ, in Crucibulo ædamento ſuppoſito, media in fornace anemia, fuſioni tandem id committendo, poſtmodum in aqua diſſolvendum; filtrata autem & coagulata diſſolutio paulatim liquationi in cella humida exponitur, vnde oritur liquor ad modum idoneus Argenti & Auri diſſolutioni.

Sal Ammoniacum ſublimari poteſt Balneo Arenæ igne gradatim adhibito, commixtis partibus æquis Salis marini: Commode & ſublimationem experitur eodem ignis gradu, concorporatum videlicet prius partibus æqualibus limaturæ chalybis, vel, ſi libet, æquæ portioni ſquammarum illarum exiguarum ferri, circa incudes Fabrorum ferrariorum decuſſarum, vnde exſurgunt Flores contra Febrem quartanam admodum decantati; initio paroxyſmi febrilis præbendi, quinque aut ſex granorum pondere ad vſque ſcrupulum unum, ex vino vel alio quopiam liquore, prægreſſis remediis catharticis aut emeticis.

Sed & hæc ſubliinandi Flores Salis Ammoniaci ratio admittenda, hoc videlicet commiſcendo partibus æqualibus Salis Tartari aut Lapidis hæmatitis: At vero cum Sal Ammoniacum in ſui compoſitione plurimum Sal volatile Vrinoſum complectatur, Vnam autem partem Salis Marini, partim acidi partim fixi; in elevatione porro florum ſeorſum ambo diverſi ſpiritus colligi poſſint, Vrinoſus unus alter Acidus, quos idem Sal intra ſuam ſubſtantiam continet, earum præparationem ad capita ſequentia remitto.

CAPVT

CAPVT XXI.

De Diſtillatione Spiritus Vrinoſi Salis Ammoniaci.

SAl volatile urinæ, conjunctum Sali volatili fuliginis, cum copia majori inſit quam Sal marinum in compoſitione Salis Ammoniaci; poſtremum vero hoc alterum idoneum præſtare nequeat ut ignis vi obſiſtat, etſi ad tempus odorem urinoſum illius ſupprimere valeat, fixitatiſque ſpeciem præbere, quamdiu ignis vehementiam non tolerat, ideo Sali marino aliud Sal fixum neceſſario roboris cauſa adjungendum, ſi diſtillationi ſubjiciendum ſit, aut in flores evehenda ſola illius pars volatilis; alias futurum ut Sal volatile dum ſublimatur ſecum abſtrahat totum Sal marinum, idque particeps reddat naturæ ſuæ volatilis: ut ergo, ſpirituum forma, aut Florum, aſcendat pars volatilis urinę, in fundo autem vaſis ſubſiſtant partes tum fixa tum acida Salis marini, hic debet eſſe proceſſus.

Accipiatur libra una Salis Ammoniaci, libra itidem una Salis Tartaris vel, ſi lubet quatuor libræ puriorum cinerum ligni quercini, undis non iactati, hæc contrita, & ſimul Cucurbita non exigua exceptæ; hac autem Arenæ Balneo commiſſa, miſtura dicta irroretur aquæ ſemi libra, illico autem cooperta Cucurbita, ſuperimpoſito Alembico, accurateque luto obductis commiſſuris, admota charta & amylo aut veſica madida, adaptato præterea & luto munito exiguo Recipiente roſtro Alembici, infra Balneum accendendus erit ignis carbonum moderatus, per quinque vel ſex horas producendus, vel eovſque donec univerſus ſpiritus volatilis Salis Ammoniaci in Recipiens exſtillarit, cuncti autem Flores ſublimatione evecti ſint, partem in Alembicum, partim in cucurbitæ latera ſupra materias: Poſtmodum refrigeratis vaſis in Recipiente deprehetur ſpiritus volatilis ſubtiliſſimus, cujus neque nares neque oculi vehementiæ patientes ſunt futuri, ob inſignem penetrandi vim, recondendi in lagena vitrea denſa accuratiſſime occludenda; ſeorſum etiam eodem temporis momento flores Alembici, & eos qui Cucurbitæ adhæſere, in lagena itidem vitrea denſa, rite quoque obturanda, repoſitos adſervando.

A me præceptum ut ſine mora Cucurbitæ Alembicus imponeretur, ſtatim ac aqua materiis affuſa fuerit, eo quod ob inſignem convenientiam, ac propenſionem ad unitatem mutuam Salis Tartari cum Acido Salis marini, illico ambo congrediuntur, præſertim ſi addita fuerit aquas

cujus ope diſſoluta ſalia facilius invicem agunt & reagunt, majori celeritate quam ante diſſolutionem: Eapropter etiam ſal volatile urinæ, in compoſitione Salis Ammoniaci admiſſum, extricatum à vinculis Salis marini, ſurſum effertur, odore ſuo penetrabili illico ſeſe prodens, ſurſum evectum, ſicuti modo innui, partim forma ſpiritus, qui proprie nihil aliud eſt quam Sal volatile in aqua qua ſalia irrorata fuere reſolutum; partim Florum ab igne elatorum & impulſorum in Alembicum, vel ad latera ſuperiora Cucurbitæ.

Spiritus volatilis ſalis Armoniaci exhibitus à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo & drachmam integram ex liquoribus adpropriatis, potentiſſimum eſt Hidroticum: Eapropter etiam adhiberi ſolet felici ſucceſſu ad curationem febrium malignarum, cunctorumque morborum in quibus provocandi ſudores, quinimo & in lue Venerea, ſi præſertim Mercurius perperam adhibitus fuerit, vel nimia copia, ſpiritus enim iſte impellit, ac per poros cutaneos Mercurium in habitu corporis ſubſiſtentem extrudit, præſertim partibus ſolidis, in Apoplexia, Epilepſia, Lethargo, ac pleriſque cerebri affectibus præſentaneo eſt auxilio, tam ore adſumptus quam naribus admotus: aperit enim, penetrat, incidit, ſubtileſque reddit materias craſſas ac viſcidas, tum reſolvit diſcutitque cunctos vapores ex inferioribus partibus ſublatos, ventriculos cerebri adimplentes, Vertiginem inducentes, aliáque moleſta ſymptomata, influxum ſpirituum neceſſarium intercipientia functioneſque omnium partium: Quapropter etiam admodum convenit in Syncope, Cordis debilitate & palpitatione, ſpeciatim abſumendis vaporibus ex Vtero oriundis: Putredinem potentet cohibet, Vermes enecat, viſcerum omnium obſtructiones reſerat, ac præſertim meatuum lotii excretioni dicatorum, dummodo commixtus fuerit quibuſdam ſalibus fixis vel acidis qui efficaciam illius ad loca dicta deferant: Commode quoque & in vſum venit ad affectus Scorbuticos, ob vim qua pollet maſſam ſanguineam defæcandi, circulationemque illius promovendi.

Commiſcetur variis Aquis ſtillatitiis, tum ſimplicibus tum compoſitis, Tincturis, Syrupis, Extractis, Confectionibus aliiſque præparationibus Galenicis & Chymicis; remiſcendo à ſcrupulo vno ad duos, ſeptem vel octo liquoris vnciis, ex omnibus Miſturas componendo, exhibendas per intervalla medio paſtuum intervallo, ad vnum vel alterum cochleare vnaquaque vice, præſertim in morbis chronicis, aut in recidivas proclivibus.

Spiritus volatilis ſalis Ammoniaci, cum nihil ſit aliud quam pars volatilis, aut Flores ejuſdem ſalis, in quadam phlegmatis portione diſſolutiis, eædem dotes aſſignandæ, dummodo reconditi fuerint

in

in lagena vitrea denſiſſima, accuratiſſime occludenda: Doſis nihilominus paulo parcior eſſe debet, quod careant humiditate ſpiritus volatilis comite.

Ad quorundam mentem Sali Ammoniaco commiſceri poſſet tertium tantum calcis vivæ pulveratæ, ad eliciendum ſpiritum volatilem, ſed nihil emolumenti inde ſperandum, eo quod ſi poſtmodum ſpiritus acidus ſalis marini eliciendus eſſet, res ſucceſſu careret, quandoquidem ſal, ac pars terreſtris calcis vivæ, cum dominium obtineant in partem acidam ſalis, impedimento futura ſint ne idem Sal ſpiritus ſuos effundat, ſi illos evocare animus eſt, id quod Sal Tartari prohibiturum non eſt: Neque etiam credendum Calcem vivam, nec Sal Tartari, ſi Sali Ammoniaco commiſcenda veniant, cum ſpiritus volatilis ex illis educendus eſt, aut Flores, infractura eſſe vim ſalis marini, quod partem compoſitionis ſalis Armoniaci conſtituit, cum contra à ſalibus fixis robur accipiat, naturam ſuam per ea tueatur ac facultates proprias; quandoquidem ſal marinum, etſi ad tempus partem volatilem ſalis marini morari queat, tum quamdiu præparatio inſtituitur, tum hac abſoluta, dummodo ſuo in ſtatu detineatur, nihilominus tamen illum coercere nequit, neque idemmet ſubſiſtere, ſi vna ignis vehementiam experiri debeant, Tunc enim pars volatilis ſalis Ammoniaci Acidum cum impetu adgreditur, ſurſum id ſecum evehit, tantum abeſt vt ab acido cohiberi valeat, cum & hoc ipſum abripiatur, tunc inquam vim volatilis retundere nequit ab igne impulſi, niſi robur adeptum ſit ab addito ſale quopiam fixo, quod copia ſuperans partem volatilem ſalis Ammoniaci, in ſal marinum dominium obtinentis, poſtmodum hoc corroborare valeat, ac prohibere ne id ſal volatile per ſublimationem aut diſtillationem evehat.

Id enim ratum eſſe debet, ob intimam diſpoſitionem partis acidæ ſalis marini verſus ſalia fixa potius quam volatilia, quo illis conjungatur, ſalia fixa ipſi copulata id omnino cohibere ſibíque adſumere, prohiberéque ne pars volatilis ſalis Ammoniaci id abſtrahat, id quod præſtitura eſſet ſi hujus partes intra poros illius adeo intricatæ non eſſent: Si enim ſalia fixa, hic à quibuſdam additi ſolita, ſalis marini vim infringerent; ſicuti exiſtimant, poſtmodum non amplius idoneum eſſet ſpiritui ſuo acido effundendo; ſicutl alias, quando ſali Tartari adjunctum & coadunatum à ſale volatili evtricatum fuit: Sin ex ſe ſatis potens eſſet, non concurrente ſale iſto fixo, non ſe abſtrahi pateretur à parte volatili, ſicuti ſolitarió contingit, id quod experientia confirmatura eſt, ſi ad illam provocatum fuerit.

Etiamſi porro commiſtio Salis alicuius fixi cum Sale Ammoniaco cohibeat & robur addat partibus acidis & fixis Salis marini, dum partem urinoſam volatilē dimittit, eamque idoneam reddit vt in ſpiritus aut flores converti queat, illorum tamen agendi ratio admodum debilis eſt & ignava, niſi liquor quiſpiam Salibus iſtis prius commiſtis affuſus fuerit; liquor autem hic quodammodo diſſolvens acidum Salis marini, ac Sal fixum recens additum, hac ratione idonea fiant actioni reciprocæ invicem exercendæ, & unita corpus ſingulare conſtituant, interim dum Sal volatile vrinoſum priſtinam indolem recuperat, acidum autem & ſal fixum in fundo ſubſident: priori autem non denegata innata libertate ſurſum id evehitur, nares illico & oculos acri ſuo odore feriens.

Etiamſi vero aquæ additio admodum conducere videatur diſtillationi ſpiritus vrinoſi, ac ſublimationi florum ſalis Ammoniaci, eo quod ſalium diſſolutione facta faciliorem reddit coniunctionem Acidi Salis marini cum ſalibus fixis, locumque concedit maiori ſeparationi partis ſalinæ volatilis à fixiori, non tamen inde colligendum eſt non poſſe educi ſpiritum volatilem vrinoſum ex ſalibus iſtis ſimul conjunctis, niſi quodpiam humidum acceſſerit, imo quin nequeat ſublimari florum inſignis copia, dummodo Cucurbitæ tres circiter partes vacent, vaſa luto accurate obducta ſint, regæatur vere eo modo ignis vt præceps nimis non ſit diſtillatio ſpiritus, aut ſublimatio florum: Iſta enim ſalia cum ab aëre vtplurimum humorem aliquem admittant, apum natum diſſolvere, atque Acidi quandam portionem ſali fixo adjungere, idem humor poſtmodum igne impulſus, atque in apores neceſſario converſus, diſſolvit etiam ac ſecum evehit nonnullum portionem ſalis volatilis vrinoſi fixo derelicto; quo fit vt demum liquoris forma in Recipiens exſtillet, interim dum, etiamſi humidum deficiat, conjunctio maximæ partis Acidi cum ſale fixo paulatim neceſſario ſuccedit, quantumvis lentius procedat, minoríque perfectione, atque anſam præbeat ſecretioni maximæ partis ſalis volatilis, illiuſque in flores ſublimationi.

CAPVT XXII.

De Diſtillatione Spiritus Acidi Salis Ammoniaci.

SPiritus Acidus *S*alis Ammoniaci cum tantummodo ortum ducat à parte acida *S*alis marini, poſtremi autem hujus portio in compoſitione iſtius *S*alis Ammoniaci multo minor ſit quàm *S*alis volatilis vrinoſi,

noſi, hinc ſpiritus iſte ab aliis ſubſtantiis vix ſeparabilis eſt, quamdiu volatilis commixta hæret: Eapropter initium diſtillationis ab illa duci-tur, Spiritus vero Acidi tantummodo ſuſcipitur cum volatilis illi locum ceſſit.

Magma à diſtillatione Spiritus volatilis in Cucurbita ſuperſtes adſu-mere licet, id pulveriſatum, ac commixtum quater tantum Boli vulga-ris, itidem pulveriſati, conjicere in Retortam, hacque Furno Reverbe-rij clauſo impoſita, adcommodatoque ejus roſtro, lutoque obducto grandi Recipiente, igne gradatim adhibito Spiritum Acidum edu-cere.

Sed & aliter res tranſigi poteſt, nam præparando optimum Spiritum Salis Ammoniaci, & ſimul adquirendo utiles partes materiarum com-miſtarum, conſequi tandem dabitur Spiritum Acidum.

Eapropter prius in pulverem comminutis libris duabus Salis Ammo-niaci, ac tantundem Lapidis Hæmatitis, iiſque commiſtis, unaque conjectis in capacem Retortam vitream, hæc Balneo arenæ commit-tenda erit, qua Alembico proprio cooperta, adaptatoque ejus roſtro Recipiente, & accuratiſſime luto obductis omnibus commiſſuris va-ſorum, infra Balneum ignis initio mitiſſimus accēdendus erit, paulatim gradatimque intendendus, donec ad ſummam tandem vehementiam deducatur, eo in ſtatu illum producendo per quinque aut ſex horas; poſt ſponte frigefactis vaſis, in Recipiente obvius erit ſpiritus volatilis urinoſus Salis Ammoniaci, odoris admodum penetrabilis, in lagena vitrea denſa accuratiſſime occludenda adſervandus; In Alembico autem & circa cucurbitæ latera, ſupra materias, occurrent Flores Salis Am-moniaci, coloris flavi, eo in ſtatu, ſi lubet, adſervandi, in lagena vitrea denſa, probe occludenda reponendi.

Sed uberior erit proventus, ſi prius illis ſubtiliſſime pulveriſatis, ac Matratio exceptis, extracta fuerit Tinctura adfuſo optimo vini ſpiritu; mediis ordinariis leniſſimis, poſtmodum autem colo trajectis cunctis Tincturis, ſpiritus abſtractus fuerit Balneo Mariæ, ad ſiccitatem uſque Salis, elegantioris ipſis floribus futuri, colore & odore aromatico cro-cum referentis: Poteſt & talis conſervari, aut in cella vinaria repoſi-tus reſolutioni in liquorem exponi, aureum colorem referentem, exhi-bendum à quinque aut ſex guttis ad decem aut duodecim, ex liquori-bus adpropriatis, quodvis obſtructionum genus, præſertim hypochon-driorum reſerare aptum natum.

Cum porro pars Acida Salis Ammoniaci in fundo Cucurbitæ adhæ-ſerit, commixta ſubſidentiæ Lapidis Hæmatitis; prius comminutis & permiſtis omnibus cum triplo pondere terræ figulinæ exſiccatæ & co-

tritæ, excipienda erunt capaci Retorta argillacea luto obtecta; quæ impoſita furno Reverberij clauſo, adcommodatoque ejus roſtro grandi Recipiente probe incruſtato, ſuſcipienda erit diſtillatio igne gradatim accenſo, in omnibus more ſolito procedendo, quoad ejuſmodi ſpirituum extractionem; ſic conſequi dabitur ſpiritum flavum, ſapore acidum, multo ſuaviorum, ac ad plurimos uſus magis idoneum eo qui è ſale marino educitur.

Licet etiam præparare Spiritum Vrinoſum ex floribus, & Spiritum acidum Salis Ammoniaci, imprægnatum Chalybis facultatibus; hac methodo.

Conterantur & commiſceantur libræ duæ Salis Ammoniaci æquali limaturæ Chalybis quantitati, ſimul committantur grandi Cucurbitæ vitreæ Balneo arenæ impoſitæ, qua proprio Alembico cooperta, roſtro illius adaptato Recipiente, lutoque accurate communitis juncturis, accendendus erit, & aliquandiu fovendus ignis ſub Balneo mitiſſimus, paulatim ac per gradus ad ſummum uſque intendendus, eodemque in omnibus proceſſus genere ſervato ad diſtillationem & ſublimationem iſtius ſalis cum lapide Hæmatite; ſeorſum recondendus erit ſpiritus urinoſus in lagena vitrea denſiſſima, accuratiſſime obturanda: Demum collectis floribus fuſcis, Alembico adhærentibus, ac lateribus Cucurbitæ, ſupra materias elatis; contrita & commixta ſubſidentia cum floribus, omnibuſque vaſe idoneo exceptis, die noctuque ſub divo exponenda erunt per aliquot ſeptimanarum decurſum; demum paulatim ſupra materias conſpicuus erit quaſi flos extans, illæ humeſcentes emollientur, coloremque cineritium ad flavum vergentem adipiſcentur, ſimulque ſaporem acutum, acrem & vitriolatum, adfinem Martis ſapori ad dulcedinem vergenti, Tunc exceptis omnibus grandi Cucurbita argillacea, luto obducta, amplo collo donata, hæc imponenda erit Furno Reverberij clauſo, poſt adpoſito illi grandi Recipiente, accurateque loricatis cunctis commiſſuris, ſuſcipiatur diſtillatio igne aperto, initio mitiſſimo, demum per gradus adaucto ad extremam uſque vehementiam, eodem modo producto ac ad diſtillationem cum lapide hæmatite: Sic obtinebimus ſpiritum Acidum, coloris aurei, igne leniſſimo, ſi lubet, rectificandum ad ſecretionem partis aqueæ, in hac quam in præcedente copioſioris, ratione humiditatis ambientis ſe illi adjungentis.

Maximæ commendationis eſt hic ſpiritus ad referandas cunctas obſtructiones imi ventris; ad atterendos & expellendos Calculos, Dolores Inteſtinorum demulcendos, illa ſicuti & Ventriculum roborandas;

randa, Iecur & Lienem: Præbendus à quinque aut ſex ad decem vel duodecim guttas ex liquoribus adpropriatis.

Si quis commiſcere Flores cùm maſſa reſidua à diſtillatione Spiritus Vrinoſi recuſet, adſumat is dimidiæ partem ponderis Salis Ammoniaci recentis, illiſque commiſceat, omnibuſque Arenæ Balneo commiſſis, in Cucurbita vitrea Alembico ſuo inſtructa accurate lutato, cui adjunctum ſit Recipiens ſimiliter loricatum, ſublimari curet, hinc exſurgent Flores flavi, ac inſimul paucus Spiritus Acidi & Vrinoſi particeps, eoſdem ad fines in uſum illos adducendo ſicuti Spiritus à me memoratos.

Qualitates diſſimiles Spiritus Vrinoſi & Spiritus Acidi, ex Sale Ammoniaco educti, illos fortè in admirationem pertrahent quibus nota hujus Salis exterioris facies, intima autem ejus compoſitio ignota uti & indoles Salium illud conſtituentium; Neque minus ſuſpiciendum eſt compoſitum Sal ex duobus his contrariis Spiribus emergens; ac præterea quod duo liquores limpidi, cujuſmodi ſunt illi ſpiritus, adſumere queant corpus, figuram & ſaporem Salis, nulla accedente materia extranea, quæ quoquomodo concurrat & coadjuvet hanc concorporationem: Hæc tamen cum ab experientia confirmationem accipiant, dubitandi omnis anſa ſubtrahitur, ſi præſertim quiſpiam huic experimento attendat, ab immiſſo ſcilicet Cucurbitæ Spiritu Acido Salis Ammoniaci, ſique illi paulatim & per vices affuſus fuerit ſpiritus urinoſus ejuſdem Salis, aut eodem vaſe exceptus ſpiritus urinoſus, ſuperfuſus itidem ſpiritus acidus, donec nulla amplius adpareat ebullitio, Ambos Spiritus conjunctos, ac quaſi reciproca reactione ſe invicem pervadentes, non modo ſapore quo ante conjunctionem pollebant unumquemque exutum deprehenſum iri, ſed ſi aliquantiſper Cucurbita illos comprehendens Balneo arenæ aut cinerum admota fuerit, igne moderato adhibito, manifeſtum futurum, phlegmate inſipido, illis remiſto, in auras faceſſente, corpus illos readſumpturos, figuram ac quaſvis Salis qualitates, utroque tamen incolumi, qui iterum non inidonei futuri ut priſtinæ Spiritus formæ reſtituantur, ſi quando Artifex ſegregare inſtituat Sale quopiam fixo mediante.

CAPUT XXIII.

De Præparationibus Vitrioli.

AB omni ævo Vitriolum in cenſu Salium fuit repoſitum, etſi non-nulli non immerito ab eorum indole multum recedere ſtatuant, atque Sal ſingulari natura donatum exiſtiment, conſtans ex ſpiritu acido ad Sulphureum plurimum accedente, ac particulis quibuſdam ferrei & æneis, aliove quopiam metallo, vel materia metallica, nonnihil terreſtri, huic eidem ſpiritui in terræ viſceribus obvia, quibuſcum concorporatum Salis formam adſumpſit: Varietas ſubſtantiæ & colorum Chalcanthorum, ac partium illa conſtituentium, non parum huic opinioni fovendæ contulit, etiamſi enim quoddam Vitriolum occurrat, ac nominatim album, cujuſvis metalli expers, vel materiæ metallicæ ſenſibus obviæ, attamen cæterorum pars maxima particulas in ſe ferreas aut cupreas, ac ſæpe utraſque conjunctim obtinent; adeo ut non inconſiderate electio facienda ſit, ſed ad effectus optatos adcommodanda, ratione habita ſubſtantiarum, compoſitionis illorum partem conſtituentium: Ideoque ſi ſolummodo referandi ſint meatus, ac partes ſimul & ſemel corroborandę, vitriolum ſolius ferri particeps admittendum ſit; ſin vi emetica opus fuerit, id quod plurimo ære donatum diſquirendum ſit.

Ab omni ævo plurimo in uſu habuit Vitriolum utraque Pharmacia: Imo nonnulli, qui Remedium univerſale anxie diſquiſiverunt, id in Vitriolo latitare exiſtimaverunt, hac ratione ducti quod vox *Vitriolum* in ſe myſticum quid involveret, unaquæque quippe litera vim vocabuli implicaret, ſic explicandi, *Viſitando Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem veram Medicinam.*

Sed neque hęc figmenta, nec quicquid hac de re adferri poteſt, Vitrioli naturam immutant: A colore enim, & generationis loco, cum illius diſcrimina fere petantur, indeque compoſitionis diverſitas manifeſta fiat, uti & qualitatum varietas, Aliud nihil allaturus ſum quam colorem cœruleum tum in Vitriolo, tum in Aquis; cum ſit nota intrinſeca & maxime eſſentialis Cupri exiſtentiæ inter alias ſubſtantias, nemini dubium eſſe debere quin Vitriolum Cyprium, aut cupreum, illud ſit quod maxime iſtius metalli particeps eſt; Porro, cum color viridis ex cœruleo & flavo conſtet; viridis autem maxime obſcurus, cœrulei plurimam partem obtineat, certiſſimum eſſe vitriolum viridiſſimum Cupri majorem

majorem copiam poſſidere eo qui remiſſionis eſt viriditatis, cujus colorpallidus, ad flavum aut terreum accedit, prędominantis terræ eſt indicium, aut materiæ ferrugineæ ipſi concorporatæ: Veriſimile quoque eſt Vitriolum album id eſſe quod omnium minime fit particeps ſubſtantiarum metallicarum : Rubrum colorem, nonnullis Chalcanti ſpeciebus innatum quod attinet; à Phyſiologis nominibus Sori, Chalcitidis & Miſy expreſſum, is ſolummodo calori ſubterraneo adſcribendus videtur, à quo color illi propemodum ſimilis impreſſus eſt quem ignis ordinarius rebus ſibi ſubjectis indere ſolet.

Salia cujuſcunque naturæ fuerint, ac quantamcumque puritatem obtinere videantur, interius tamen perpetuo particulas terreſtres fovent, baſeos quaſi vicem obtinentes, magis aut minus conſpicuas pro majori aut minori diviſione, adeo ut quæcunque diſſolutio & filtratio adhibita fuerit, colo terreſtre quidpiam perpetuo adhæreat; calcinationes autem fuſioni tantum utiles ſint, atque magis intimæ terreſtrium ejuſmodi partium cum Sale unioni, quam ſecernere animus eſt, promovendæ.

Hoc fundamento innixus, ſtatuo minimè eſſe exiſtimandum Vitriolum, cujus potiſſima materia eſt ſuccus acidus,corrodendi vi præditus, reliquum vero conſtat tantummodo particulis terreſtribus aut metallicis, ab eodem Acido corroſis, quibuſcum figuram Salis adſumpſit; Non, inquam, exiſtimandum Vitriolum non adundare particulis terreſtribus aut metallicis, magis quam legitima Salia, ideoque fere vix poſſibile eſſe illud omnino ab iis liberare.

Neque tamen propterea non indagandæ viæ legitimæ ad ejuſmodi ſcopum conſequendum, ſicubi illius depuratio eſt neceſſaria. Eapropter aliquando ſatis eſſe videtur Vitriolum in aqua communi diſſolvere, id filtrare & cryſtalliſare, eadem progrediendo ratione qua in cæteris Salibus.

Sed ſi ad perfectam purificationem deducendum ſit, plurimæque partes terreſtres ſecernendæ, quinimo & particulæ metallicæ illi ſemper intimius remixtæ, colum illico evadentes, neceſſe eſt ad diuturnas digeſtiones confugere, quarum beneficio partes terreſtriores & metallicæ in imum liquorem præcipites feruntur; quo fit ut Cryſtalla deinceps adquiſita colore multo elegantiora ſint, magiſque perſpicua ipſo vitriolo, priuſquam ipſius depuratio ſuſcepta fuerit.

Nonnulli compendium temporis quæſituri, diſſolutioni Vitrioli novum quoddam acidum affundunt, nominatim Nitri liquorem, vel Acetum ſtillatitium, quæ parti Salinæ fixæ Vitrioli ſe adjungentia, efficiunt ut particulas terreſtres aut metallicas ab ipſis diſſolutas dimittat, unde ſubſequitur ad imum liquorem precipitatio: At vero hujuſmodi

mediis ſolummodo quibuſdam in caſibus locus eſt, quando miſtio huiuſmodi Acidorum non reluctatur effectibus à Vitriolo eiuſve partibus deſideratis, vbi etiamnum illorum commiſtio forte neceſſaria eſt, ſicuti id obſervare licet in Aqua ſequenti.

Aqua Styptica Domini Matte la Faveur
Diſtillatoris Monſpelienſis.

Diſſolvantur in ſufficienti quantitate aquæ communis Vitrioli libræ viginti quinque; diſſolutio hæc per linteum craſſius traducta, igni imponatur excepta cacabo æneo; poſt nonnullas ebullitiones, remotumque ab igne vas, illico liquori affundatur libra vna ſpiritus Aceti, præcipitandæ cauſa in vaſis fundum partis terreſtris Vitrioli, improprio Sulphuris nomine donatæ; demum liquore per decem aut duodecem horas quieſcente, quo pars terreſtris univerſa illuc confluat & congregetur, liquor ſupernatans decantandus erit, poſtea probe eluto, dulcorato & exſiccato ſupra cineres calidos pulvere in fundo ſubſidente, hujus vnciæ octo immittantur Retortæ vitreæ, ſuperaffuſiſque ſpiritus Vitrioli optime dephlegmati libris octo, commiſſáque Retorta Balneo Arenæ, ſuſcipienda erit diſtillatio igne gradatim adhibito, mitiori initio, tandem vehementiſſimo, pergendo eouſque donec ex Retorta nihil amplius exſtillet: Demum ſponte refrigeratis vaſis, effracta Retorta, contuſaque maſſa ſuperſtite, hæc matratio indatur, quod poſt affuſum ſpiritum Vini cum ſale Tartari rectificatum, donec illi ſupereminea quinque vel ſex tranſverſis digitis, coopertumque matratium, appoſitũ Alembicũ cœcum accuratiſſime loricatum, id exponendũ erit Balneo Digeſtionis per viginti quatuor horas, poſtmodum ſpiritus Vini, cui intenſiſſimus color ruber conciliatus, calide per chartam emporeticam tranſmittendus, qui demum per alembicum vitreum eductus, leni evaporationi ſubjiciatur ad ſiccitatem uſque ſubſidentiæ, in fundo relicto pulvere candicante, cuius unciæ uni affundantur aquæ pluviæ unciæ quatuor; Miſtura autem hæc per aliquot dies Soli exponatur, filtretur liquor, Aquam Stypticam exhibens ad quamvis Hæmorrhagiam compeſcendam idoneam.

Aquam hanc inſertam volui Vitrioli præparationibus, ex mandato Domini D'Aquin, primarij Majeſtatis Regiæ Medici, cui cum ab Authore exhibita fuiſſet, & coram illo confecta, munus & titulum Diſtillatoris Chymici Regij Monſpelienſis in illius gratiam à Rege conſequutus eſt, quo hactenus nemo donatus fuerat.

Dictus D. *la Faveur* aliam præterea Aquam Stypticam præparavit, ejuſdem cum præcedenti facultatis, etſi aliquantiſper diſcrepantis, quæ ſic habet.

Vitrioli

Vitrioli Pizani libræ ſeptem vel octo decoquantur in Aquæ libris ſexdecim, diſſoluto autem Vitriolo, & ab igne remoto, ſuperfundatur ſemilibra ſpiritus Aceti; demum ſponte ſubſidentibus materiis, decantatóque liquore, Pulvis in fundum præcipitatus eluendus erit, dulcorandus & exſiccandus;quo poſtea Retorta vitrea,ima parte ſolum luto incruſtata excepto, ſuperinfuſóque duplo pondere ſpiritus Vitrioli optime rectificati, inſtituenda erit Diſtillatio igne nudo, ſed moderato; ad ſiccitatem vſque materię, quæ cineritij coloris evadet; Poſtea effractu Retorta, contrita maſſa crucilulo immittenda erit, ſuper candentes carbones, ſpathula ferrea aſſidue commovendo quouſque flaveſcentem colorem nanciſcatur: Tunc in mortarium conjicienda erit,optime conterenda; huius unciæ duæ Matratio excipiendæ, additis aquæ communis libris tribus, præmiſſaque per ſemihoram digeſtione, liquor hic per chartam emporeticam tranſmittendus, in lagena vitrea denſa accurate occludenda adſervandus, quamvis hæmorrhagiam exterius admitus cohibens.

CAPVT XXIV.

De Præcipitatis, Terris, aut Sulphuribus Vitrioli.

Vitrioli purificatio ope diuturnarum & repetitarum diſtillationum in aqua communi peracta, ac præparatio Aquæ ſtypticæ à me modo deſcriptæ, aperte oſtendunt præcipitationem plurimarum partium terreſtrium Vitrioli: Aliis vero mediis inſtitui poteſt præcipitatio, & perfectior ſeparatio partium ſolidarum ab acido ſpiritu Vitrioli diſſolutarum, quam nonnulli ſimplici nomine Terræ indigitant, aut Terræ metallicæ, alij Sulphuris Vitrioli.

Nonnulli adſumptum Vitriolum viridiſſimum & cryſtallinum, in aqua pluvia calente diſſolvunt, filtrationéque præmiſſa paulatim ſuperaffundunt liquorem Tartari, vel lixivium cinerum clavellatorum donec nulla amplius excitetur ebullitio, eo fine ut Acidum Vitrioli, & ſal fixum Tartari, aut cinerum clavellatorum in ſe invicem agant, junctis vero ſubſtantia & viribus, prius illorum dimittere cogatur materiam à ſe diſſolutam, in imum terræ ſpecie devolvendam, quæ pluribus aquis eluitur & exſiccatur, effuſo per decantationem, & ſeorſim repoſito liquore ſupernatante.

Huic Terræ nomen Sulphuris dulcis Vitrioli impoſitum eſt, etſi non appoſite, quandoquidem revera nihil aliud eſt quam Terra metallica,

quam conferre aiunt potiſſimum curandis affectibus Pulmonum ; & perpurgandis,ac ad cicatricem deducendis vulneribus & ulceribus , ſicuti & necandis lumbricis.

Neque tamen credendum decantatione effuſum Vitrioli liquorem, terræ ſupernatantem, præcipitatione ad imum detruſæ , nullius vſus eſſe, non enim repudiandus eſt, quippe qui in ſe contineat partem puriſſimam acidam & ſalinam Vitrioli, parti ſalinæ Vitriolæ fixæ Tartari, aut cinerum clavellatorum conjunctam ; cum præterea ex iſto liquore optimum remedium exſurgere queat, præmiſſa præcipitatione Terræ Vitrioli cum liquore Tartari; Eo enim pacto pars terreſtris, naturaliter in ſale Tartari occulta , una cum Terra Vitrioli præcipitatur, dum ab adjunctione partis acidæ Vitrioli,cum Salina fixa Tartari , & evaporatione aquæ infuſæ , in fundo vaſis deprehenditur Sal purum & cryſtallinum ex utroque ſale compoſitum ; cuius effectus diſcrepant ab iis quæ edunt ſalia vitrioli ordinaria, vi emetica prædita ; hoc quippe per inferiora tantum expurgat, perquam raro vero vomitum ciet, exhibitum à ſemidrachma ad integram ; in febribus Intermittentibus inſigne, ſi præſertim purganda ſit melancholia.

Adpoſitiſſime Vitriolum Martis vulgari ſubſtitui poteſt, quo diſſoluto in aqua pluvia ſtillatitia, aut Vitrioli pblegmate, præmiſſáque digeſtione in matratio per aliquod tempus , filtrandus liquor , demum præcipitandus una cum liquore Tartari , ſecretio neque facta , lotione & exſiccatione Terræ præcipitatæ ; Salium humiditas evaporanda , & una in cryſtalla deducenda , ad vſus adſervanda : Cum enim à Martis adſtrictiva vi melius emendetur facultas Vitrioli vomitoria, ideo iſtud ſal idoneum evadit movendæ alvo aut urinæ.

Nõnulli immiſſis Cucurbitę parte una limaturę chalybis,partibus duabus Vitrioli electi,affundunt Acetumſtillatitium donec duobus aut tribus digitis ſupernatet, demum commiſſa Cucurbita Balneo Arenæ,humiditatem in vapores abſumi curant ad ſiccitaté vſq; materierum, imo & donec rubeſcant, Poſtea ſponte frigefactis vaſis, contrita maſſa, & in aliam Cucurbitam immiſſa,ſuperfundunt iterum Acetum diſtillatum, quouſq; quatuor aut quinque digitis ſuperemineat; omnibuſque in digeſtione poſitis , quouſque acetum ruborem intenſum adquirat , Tincturam hanc filtrant , affuſo liquore Tartari præcipitant , hac methodo verum Sulphur Vitrioli conſequuturos ſe ſperantes.

Alij feliciori viæ ſe inſiſtere rati,prius diſſolutione Vitrioli Martis facta, aut Vitrioli vulgaris in aqua, hoc liquore limaturá Chalybis irrorant, quá Balneo Arenæ exſiccatam, iterum eadem diſſolutione irrorant, eodémq; Balneo exſiccant,in exſiccatione & irroratione Limaturæ pergendo, do-

nec

nec ſummum ruborem adepta ſit; demum ex contrita maſſa ope aceti ſtil-laticij eliciunt Tincturam, eandem filtrant, ac infuſo liquore Tartari præcipitant, inde ſulphur Vitrioli ſe educturos eſſe rati cui Anodyni titulum indunt, imo Landano æquipollere cenſent: At vero nihil mirum ſi pollicitis non reſpondeat eventus, quandoquidem ſuppoſititium illud ſulphur aliud revera nihil eſt quam terra metallica.

CAPUT XXV.

De Diſtillatione Vitrioli.

QVi contemptui habent partem ſubſtantiarum è Vitriolo elicienda-rum; primum præterea ſolum & ſecundum ſpiritum diſquirunt, ac temporis ad diſtillationem neceſſarij compendium quærentes negligunt indagare in poſteriore hoc ſpiritu quicquid virium & penetrabilitatis illi ineſſe poteſt, li ſolum Vitriolum Anglicum admittunt, quod cum veriſimiliter Ferri magis quam Aeris ſit particeps, minuſque obtineat ſalis fixi, at multo plus ſalis Acidi Aëris quam pleraque Chalcanthorum genera, ideoque partes minus compactas cum habent, citius minorique labore ſpiritus ſuos profundit.

Neque tamen ideo exiſtimantium Vitriolum Anglicum omnino deſtitutum eſſe particulis cupreis, ſicuti à quibuſdam proditum eſt, quandoquidem ſi illis omnino careret, ferrum autem copioſe ineſſet, per calcinationem conſpicuum eſſet ex colore fuſco prædominante; cum vice verſa color ruber in hujuſmodi Vitriolo cito manifeſtus, ſicuti in cæteris (excepto tamen Albio) ſi igni vehementiori tradita fuerint, indicium ſit certiſſimum cupri in eo latitantis, etſi minima quantitate; non ſecus ac color ruber in viridi æris igni expoſito eluceſcens, teſtimonium præbet luculentum id donatum eſſe plurimis cupri particulis.

Sed etiam ſi pretium non modicum, & inſignis copia particularum cuprearum in Vitriolo Cyprio concluſarum (quarum cœruleus color notam indubiam præbet) in cauſa ſint cur rarius in uſum accerſatur ſpiritus eliciendi gratia; id tamen compertum eſt Angelum Salam; Schroderum, plurimoſque alios Auctores jubere diſtillationis gratia accipi Vitriolum mediæ naturæ, in quo plurimæ particulæ æneæ deliteſcant: At vero experimento comprobatum eſt Vitriolum Germanicum, eleganti cryſtallorum viridium forma præditum, ac proinde cupro magis impræ-gnatum quam Anglicum, id eſſe quod ſpiritus omnium generoſiſſimos ſuppeditat, eoſque copioſiſſimos: quo fit ut ad diſtillationem Anglicum admitti non ſoleat, niſi magis expetenda veniat Martis adſtrictio quam ſpiritus vis penetrabilis.

Vt porro cunctæ Vitrioli partes utiles in uſum accerſantur, illius electione facta quod ad rem magis facere videtur, coniiciatur id in cucurbitam vitream humilem, ea copia quæ dimidiam hujus capacitatem adimpleat, Balneo Mariæ commiſſam, huic Alembico proprio impoſito, adcommodatoque illius roſtro Recipiente, & accurate commiſſuris omnibus luto obductis, Balneo fervor abſque irremiſſione conciliandus, uſque quo in Recipiens nihil amplius diſtillet, demum ſponte ſemi-refrigeratis vaſis, decruſtatoque Recipiente, in lagena rite occludenda recondenda erit Aqua exſtillata, cui Auctores nomen Roris Vitrioli indidere, quam proficuam potiſſimum cenſent adverſus Cephalalgiam, & ad robur cunctorum viſcerum, ſicuti & ad refocillationem calidi innati, drachmarum duarum pondere illam exhibendo, ab uſu non deſiſtendo, præſertim vere & purgatione prævia.

Eodem tempore Cucurbita à Balneo Maris removenda eſt, cui ſubſtituendum Arenæ Balneum, loricatiſque iterum Recipientis commiſſuris, igne validiori quam Balnei æſtuantis, omnis aqua quantum licuerit elicienda eſt, limpida proditura, odoris grati, quæ ſeorſim ut adſervetur non indigna eſt, utpote Renibus abſtergendis idonea, meatibus urinariis reſerandis, corroſionibuſque internis leniendis, drachmæ pondo illam præbendo ex carnium jure: Vulnerum quoque inflammationes extinguit, dolorem ſopit, atque admota ad cicatricem perducit: Scabiei etiam curandæ non parum conducit.

Vtraque hac Aqua non inutili educta, omninoque ſponte refrigerato Arenæ Balneo, maſſa in Cucurbitula reſidua conterenda eſt, atque Retortæ argillaceæ, luto obductæ immittenda, partes duas illius implendo, furno Reverberij clauſo demum imponendæ, adcommodato autem ejus roſtro magno Recipiente, acuratiſſime luto incruſtando, ſuſcipienda erit diſtillatio igne gradatim adhibito, initio miti, demum ſeorſim & per intervalla adaugendo, ad ultimam tandem vehementiam perducendo, eoque in ſtatu conſervando quouſque ex Retorta nulli amplius vapores prodire conſpiciantur, Recipiens autem omnino pellucidum adpareat; Quo tempore ſponte perfrigeratis vaſis, decruſtatoque Recipiente, infundendus erit liquor diſtillatione elicitus in lagenam vitream denſam, qua optime occluſa ſpiritus ad uſus cuſtodiatur.

Vel, ſi libet, idem ſpiritus Cucurbita vitrea excipiendus, qua Balneo Arenæ impoſita, Alembico ſuperaddito, admoto illius roſtro Recipiente, accurate luto obductis cunctis juncturis, Igne moderato primo extrahendus ſpiritus ſulphureus, ſubtiliſſimus & admodum penetrabilis, in lagena vitrea denſa, exactiſſime occluſa, ſeorſum cuſtodiendus, Deinde producto igne Phlegma impellendum & diſtillandum,

dum, poſtmodum ſequuturus, ſpiritus nonnihil Acidus ; In fundo autem Cucurbitæ obvius erit ſpiritus graviſſimus & acerrimus, cui immerito nomen Olei Vitrioli impoſitum fuit.

Vitriolum emittit ſpiritus forma nubecularum candicantium, ritu cæterorum Salium, Nitro excepto, cujus vapores rubeſcunt ; at ob partium illius conſtrictionem ſpiritus tardius evehuntur, Ignis enim per triduum aut quatriduum integrum producendus, imo quandoque diutius, ſi præſertim diſtillationi Vitriolum Germanicum expoſitum fuerit, cum ultimos ſpiritus educere animus eſt, Sique ignis urgendus donec intra Recipiens id conſpicuum fiat quod vocant *la Piſtole*, ſcilicet orificium Retortæ admodum candens, indicio certo ex illa nihil amplius prodire, cunctos autem vapores in Recipiens reſolutos exſtillaſſe.

Porro cum poſtremi ſpiritus ſumma corrodendi vi præditi ſint, imprægnati ſubſtantiis metallicis in Vitriolo contentis, intercipienda erit diſtillationis ſeries exactis duodecim horis, poſtquam vapores albi in conſpectum ſe dedere, aut cum guttæ nonnullæ ad fuſcedinem vergentes collo Recipientis adhærentes adparebunt.

Neque tamen id prohibet quin decruſtato Recipiente, humefacto luto commiſſuras conjungente ope calidæ aquæ, reconditoque ſpiritu diſtillato, prædictum vas iterum admoveri queat, luto adhuc inveſtiendum, imo igne vehementiſſimo diſtillationem producere quouſque Vitriolum quicquid ſpirituum obtinet effuderit.

Poſtremi hi ſpiritus à prioribus divulſi, aculeis tam duris atque acutis prædici ſunt, ut momento temporis pervadant & corrodant eam ſubſtantiarum partem quarum poros ſubire valent, Etiamſi vero nativa indole liquidi ſint, fieri poteſt in productis diſtillationibus, ut tandem in Retorta diſſolutis nonnullis particulis metallicis, aut terreſtribus ſalinis, una cum illis in Recipiens recidant, ibique gelatinæ pellucidæ quandam ſpeciem pariant ; id quod nemini cuiquam mirum eſſe debet, quandoquidem ſpiritus acidi, qui ex ſublimato corroſivo ſecedunt, in præparatione Butyri Antimonij, & nihil aliud ſunt quam progenies Vitrioli & Salis, exiguo admodum temporis ſpatio, juvante igne exiguo, partem Antimonij Regulinam diſſolvunt, una cum illis in Recipiens liquida forma decidui, quam vocant Oleum aut Butyrum glaciale, propter illius craſſitiem & diaphaneitatem.

Iidem Spiritus, tam liquidi quam concreti, proprio phlegmate exuti, ſubſtantia pollent adeo compacta, & humoris adeo egena, ut non modo admodum graves ſint, ſed ſi præterea contingat ipſos ſibi invicem occurrere, minima etiam copia, vel in maximo Recipiente, ſi forte pauciſſima

aqua affuſa fuerit, protinus tam violento motu cicantur, tamque inſignem æſtum concipiant, ut Recipiens, quantumvis ſolidum & denſum, in frag-menta diſiiciant; Etiamſi, me judice, cauſa adſcribenda non ſit qubuſdam particulis igneis horum ſpirituum; quacunque corrodendi vi præditi ſint, ſed ſolum ſubſtantiæ illorum compactæ, ariditati & aviditati recu-perandæ partis aqueæ qua exuti fuere, uti & citato motui, vehementique æſtui quem aquæ vicinia inducit, memento temporis dividens & didu-cens & expandens ſtupendum in modum cunctas illorum particulas.

Examen motus & caloris, etſi minorum, ab eadem aqua excitatorum quando remiſcentur ſpiritibus Vitrioli & Sulphuris, à phlegmate non liberatis, facile perſuadebit quanto vehementiores eſſe debeant effectus prædictorum ſpirituum quando omnino phlegmate exuti fuere; At ve-ro examen refrigerationis & tranquillitatis, exiguo poſt tempore ſucce-dentium intimæ illorum cum aqua conjunctioni, manifeſtum facturum eſt inique culpari partes igneas tanquam huius tumultus auctores, quan-doquidem deſinente motu, & calor & cæteri effectus protinus deſinunt: Cum porro Aqua, hos ſpiritus aperte in tumultam ciens, contrarium omnino effectum editura ſit, (nam innatum illi eſt ignem extinguere ſopitis partibus illis igneis obſiſtere non admodum aptis) motus, & cun-cti huius effectus deſituri quoque eſſent, cum tamen iterato oborturi ſint, ac tamdiu, donec ſpiritus illi aqua, cuius avidiſſimi ſunt & famelici, ad ſatietatem expleti fuerint.

Prior ille ſpiritus Vitrioli, cum corrodendi eadem vi qua poſterior non polleat, tutius ore adſumi poterit: Diuretica vi præditum eſt ac nonnihil diaphoretica: Incidit, attenuat, humorumque putredini obſiſtit: Appeti-tum amiſſum revocat, Obſtructiones Iecoris, Lienis & Meſenterij reſerat; Febrium ardorem temperat potui commixtus, à quatuor vel quinque ad duodecim vel quindecim guttas; aut ad gratum uſque liquoris acorem: Vlcera linguæ & oris interiora curat ſolo attactu; Valet & in cunctis affe-ctibus cutaneis, à pituita ſalſa genitis.

Terra metallica, in Vitriolo abundans, cum impedimento ſit hujus fu-ſioni ſtatim ac ignis humoris inexiſtentiis maximam partem abſumpſit; hæc autem conſumptio cum acciderit antequam Vitriolum in Retortam conjectum fuerit, ideo commiſcendæ non ſunt ſubſtantiæ ſiccæ & aridæ, adiici ſolitæ cæteris ſalibus, prohibendæ cauſa illorum fuſionis quando eliciendi ſpiritus, ſed ſolitarium, ita exſiccatum, in Retortam coniicitur: Imo ob terram, quæ non exigua copia illi ineſt, fuſionem illam non admittit, & à Nitro non ſecedit, quocum commiſcetur ad Aquæ Fortis præparationem.

Nonnulli Auctores poſt immiſſum Vitriolum Cucurbitæ vitreæ, Bal-neo

neo cinerum impoſitæ, huic proprium Alembicum addunt, accurate luto obductis commiſſuris, admotoque Recipiente ejus roſtro, igne moderato diſtillatione eliciunt Phlegma & Spiritum Acidum in eo exiſtentia, demum cohobitatione facta liquoris ſupra ſubſidentiam; iterataque diſtillatione & cohobatione ſepties vel octies, educunt tandem phlegma plurimo ſpiritui Acido commiſtum, cujus odor admodum ſuavis evadit, ſi per biduum aut triduum circulationi traditus fuerit in vaſe idoneo, rite obturato, & arenæ impoſito ad ignem digeſtionis.

Phlegma iſtud Acidum commendabile eſt, ſicuti & ſpiritus Acidus Vitrioli, jam à me memoratus; ad diſcutiendam Cephalalgiam & curationem Epilepſiæ: Doſis non aliis limitibus præſcribenda quam ex ſuavitate ſaporis acidi, quam liquoribus quibuſcum commiſcentur conciliant: Omnis ſpiritus Vitrioli admodum conducit necandis Vermibus, corroborandoque Ventriculo & Inteſtinis: Singulariter vero phlegma Acidum Vitrioli inſervit ſiſtendis Hæmorrhagiis internis extinguendiſque oculorum inflammationibus.

CAPUT XXVI.

De Spiritu Vitrioli Dulci, Et Nonnullis aliis Spiritibus Vitrioli.

QVidam Auctores præcipiunt affundi Spiritum Aceti Vitriolo calcinato, donec quatuor digitis ſupereminеat, ſimul digeſtioni committi per aliquot dies, decantato autem liquore ſupernatante, ſeorſim ad ſervando, ſubſidentiæ alium Aceti ſpiritum affundi, digeſtionem iterari totidem diebus, liquore autem ſupernatante decantato & recondito una cum priori, novam fieri Aceti affuſionem, ſepties etiam iterandam, ſicuti cæteras operationes: Demum Tincturis omnibus Cucurbitá vitrea exceptis, Balneo cinerum commiſſa, impoſito illi idoneo Alembico, Aceti phlegma extrahi, ſicuti & Vitrioli, igne miti, quouſque Tincturarum ſubſidentia in mellis conſiſtentiam ſpiſſeſcat, qua poſtmodum arenæ aliquot manipulis remixta, vel materiæ cuipiam ſimili, miſtura autem hac Retortæ immiſſa, igne per gradus adhibito, educi ſpiritum Vitrioli, quem nuncupant Dulcem, ſed præterquam quod iſte ſpiritus acoris expers non eſt, veri ſpiritus Vitrioli nomine gaudere nequit, quippe qui potius eſt ſpiritus Aceti.

Alij digeſtione præmiſſa Spiritus Vitrioli, affuſi limaturæ Chalybis, aut Corallio, aut cuipiam rei non diſſimili, in pulverem redactæ; ad cujus occurſum ſpiritus Vitrioli aculei obtundantur; Vel ſim-

pliciter remixto prædictis materiis ſpiritu Vitrioli, mediis ſolitis eliciunt Spiritum, ſed minus pungentem, quod ſpoliatus fit plurimis partibus acidis ab iſtis materiis abſorptis & cohibitis.

At vero hic ſpiritus omnino imperfectus cenſendus eſt, quandoquidem plurimis partibus utilibus exutus eſt: Imo illum repudiandum cenſeo, non ſecus ac priorem, cum omnium optima dulcorandi ſpiritum Vitrioli ratio ſit eadem quæ reliquorum ſpirituum Salis & Nitri; illum commiſcendo videlicet partibus æquis ſpiritus vini optime rectificati, miſturam hanc multoties diſtillationi ſubiiciendo ex Alembico Vitreo, igne cinerum, calore moderatiſſimo: Ex intima enim conjunctione eo modo facta partis acidæ ſpiritus Vitrioli, cum ſulphurea ſalina volatili ſpiritus Vini, exſurgit ſpiritus multo dulcior & quoad ſaporem, & quoad effectus ipſo ſpiritu Vitrioli impermiſto: Etiamſi vero omnino concedendum ſit ſpiritum hunc ex ambobus compoſitum eſſe, ſincerius tamen de hoc ſentiendum, quandoquidem unitas contigit abſque alterutrius deſtructione; Ex novo autem contextu partium à prædicta conjunctione, quicquid violentum in utroque aderat retuſum eſt: conjuncta autem actio naturæ noſtræ magis congrua & conveniens: Quo fit ut uſus iſtius Spiritus majorem vulgari uſum præſtet, iis præſertim quibus Acida minus conveniunt, ac pluribus affectibus conveniat, præſertim ſcorbuticis: Spiritus enim vini vim diaphoreticam ſpiritui Vitrioli impertitur, neque tamen facultatem deobſtruentem infringit, nec corroborantem: Spiritus iſte dozi paulo maiori præſcribi poteſt non dulcorato.

Ex capite mortuo, à diſtillatione ultimi ſpiritus Vitrioli reſiduo, educi poteſt ſpiritus acidus, multo remiſſiorum virium eo qui more ſolito è Vitriolo elicitur, ſi nempe id illo in loco poſitum fuerit in quo Solis radios & Lunæ influxus aliorumque ſiderum admittat, una cum Aëris humiditate, à pluviis tamen tutum ſit, Illic ſpatio plurium menſium detinendum, vel, quod ſatius, etiam toto anno: Eo enim pacto terra Vitrioli arida, ſale ſuo nativo deſtituta, non tamen fermento, Sal Acidum Aëris admiſſura eſt, ac quodammodo novam Vitrioli naturam indutura eſt, è quo mediis ordinariis decem vel duodecim horarum ſpatio, ſpiritum Acidum extrahere licet, ſuaviſſimum, quem nonnulli nominant *Spiritum Vitrioli regeneratum*, cujus uſus tutiſſimus erit, & felix in cunctis affectibus in quos acceſſitur ſpiritus Vitrioli ordinarius, eadem dozis, iiſdemque ex liquoribus præbendus.

Spiritus Vitrioli compoſitus hac ratione præparatur, Vitrioli ad rubedinem calcinati libræ quatuor conteruntur, ac commiſcentur ſilicum fluviatilium calcinatorum libris quinque, & Salis Tartari ad albedinem calcinati libræ uni, his Retorta exceptis, hac vero furno Reverberij

clauſo

clauſo impoſita, diſtillatio fit igne gradatim adhibito more ſolito, donec phlegma cunctique ſpiritus prodierint: Poſtea ſponte refrigeratis vaſis, ac decruſtato Recipiente, liquor in hoc contentus commiſcetur ſubſidentiæ in Retorta reſiduæ, ſterataque ſuſcipitur Diſtillatio ad felicius eliciendum ex ſubſidentia partes omnes quæ diſtillatione educi poſſunt; quamobrem bis vel ter iterum eædemmet operationes inſtituuntur; hac ratione evocatur ſpiritus, quem plurimi authores magnifaciunt ad reſerandas obſtructiones Iecoris, Lienis omniumque viſcerum, ſpeciatim in Hydrope, Ictero, eodem modo in uſum ducendo ac cæteros ſpiritus.

Paracelſus magnifacit Spiritum Vitrioli quem vocant Correctum; hunc præparandum præcipit cohobando ſpiritum, affundendum reliquiis Retorta exceptis poſt illius diſtillationem, iteratæ diſtillationi hanc ſubiiciendum; eaſdem cohobationes & diſtillationes repetendo octies vel novies: Dein jubet poſt ultimam affuſionem ſpiritus diſtillati ſupra ſubſidentiam, additumque vini ſpiritum optime rectificatum, quantum ſatis eſt ut omnia in maſſam coire poſſint, hanc Retortæ imponi, igneque per gradus adhibito diſtillari ſicuti prius: Spiritum hunc adverſus morbum Herculeum extollens, exhibitum à quinque aut ſex ad octo vel decem guttas, ex aqua aliqua cephalica.

Hartmannus miris laudibus effert ſpiritum quem Antepilepticum nominat, componitque ex partibus æquis Vitrioli Hungarici rite perpurgati, & Vrinæ puerorum proba valetudine utentium, in Diplomate per aliquod tempus digeſtioni commiſſorum, cucurbita vitrea cooperta exceptorum, demum eodem Balneo diſtillandorum; Ipſo aſſerente, Prior Aqua exſtillans præſtantiſſimum eſt remedium ad ſedandos dolores Podagricos, parti dolenti admotum; Poſterior autem ſingulare eſt præſidium in quibuſvis oculorum affectibus.

Dehinc præcipit, præmiſſa contritione ſubſidentiæ, hac Retorta excepta, admoveri grande Recipiens probe loricatum illius roſtro, elicique igne patente & gradatim adaucto ſpiritum auſteri ſaporis, odoris ſulphurei, eumque bis aut ter rectificari: ſpiritum hunc præſidium certiſſimum adverſus Epilepſiam ait, quod puerilem omnino ſuperet, ſi illius ſcrupulus unus remiſtus fuerit aquæ ſtillatitiæ radicum Pæoniæ ac florum Tiliæ unciæ uni, ac cochlear ſemis in paroxyſmo exhibitum fuerit, in uſu poſtmodum illius pro re nata pergendo.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De Sale & Terra Vitrioli.

NEc ſatis eſt è Chalcantho diſtillationis ope Phlegma varioſque ſpiritus in eo deliteſcentes eduxiſſe, In ea præterea illius parte, quam vocant Caput mortuum, quædam portio ſalina ſuperſtes, revera verum Vitriolum, diſquirenda eſt, etſi maxima auctorum pars id à Vitriolo diverſum quid, alteriuſve indolis exiſtimaverint: illud vero obtinere dabitur, id quod à diſtillatione relictum eſt elixiviando, filtratione que facta humiditatem ſuperfluam in vapores diſſipando, Sale in fundo vaſis coagulato demum ſe prodente, colore ad roſeum accedente, ab impreſſis ſcilicet ignis veſtigiis, Vitriolo ruborem inducentis: Iſtud Sal, Vitrioli ſapore præditum, præcipuæ illius materiæ, iiſdem quoque viribus præditum eſt & facultatibus, ac præſertim emeticis.

Sed etiamſi exigua hujus Salis copia, aut, ut verius dicam, Vitrioli, in Capite Mortuo poſt diſtillationem reſtibilis, diſquiſitionis & elixiviationis labore indiguum ſit, neceſſitas tamen ad id impellit ſi modo Terram comitem obtinere voluerimus, cujus cuncti Auctores vim ſtypticam præſertim magnifaciunt, Si enim ſinceram nanciſci libuerit, & elixiviandi labori parcendum ſit, ſaltem repetita ſæpius lotio requiritur, adeo ut omnino puram ſe exhibeat, omnis miſturæ partium ſalinarum Vitrioli expertem, ſi qualitatibus ipſi adſcriptis frui voluerimus, quarum præcipuæ ſunt Dyſenteriæ curatio, Leienteriæ & Diarrhoeæ; cohibitio Vomitus & Hæmorrhagiæ cujuſvis, tum internæ tum externæ: Ventriculi debilis & Inteſtinorum corroboratio ac Vulnerum & Vlcerum perpurgatio.

Sed etiamſi ſubſtantia Salina Vitriolica, è maſſa diſtillatione peracta reſidua, cunctis polleat qualitatibus quas Auctores Sali Vitrioli adſignavere, cum quantitas exigua exinde elicienda ſit, potius Vitriolum Album in uſum advocandum, in aqua filtro tranſmiſſa diſſolutum, & in Cryſtalla deducta, vice Salis Vitrioli;eoque maxime quod ex illo cuncti,iique benigniores effectus expectandi ſint qui in Sale Vitrioli expetuntur, inter quos hi præcipui ſunt, per Vomitum aut Dejectiones vitioſorum humorum in Ventriculo contentorum; vel inteſtinis, excretio; Prohibitio vaporum ad cerebrum exinde exſurgentium,Epilepſiam inducere aptorum, alioſve effectus quibus obnoxium eſt:Lumbricorum internecio, Febrium intermittentium curatio, Obſtructionum Iecoris & Leonis apertio, ſicuti & Renum ac ineatuum urinæ vacuationi deſtinatorum.

Præſcribitur

Præſcribitur à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo & drachmam integram, ex juſculo vel liquore quopiam idoneo.

Licuiſſet hic plurimas Vitrioli præparationes inſerere, at cum nullus illarum ſit uſus ideo à me prætermittuntur.

CAPUT XXVIII.

De Sulphuris Præparationibus.

INſignis affinitas quæ ſpiritui acido Sulphuris cum illo qui è Vitriolo educitur intercedit, cujus etiam priorem nonnulli cenſent eſſe baſin, me impellit ut immediate Sulphuris præparationes adducam: Sulphuris nomine hoc loco illud non accipio à cunctis Chymicis, quod una cum reliquis principium mixtorum omniũ ſtatuitur, uti neque id quod ex Antimonio extrahi ſolet, ex Cinnabari, aliiſque quibuſdam mineralibus, quorum compoſitionem ingreditur, ſed Sulphur commune & vulgare, pro Reſina habitum, pinguedine, aut ſucco minerali, pingui & unguinoſo, in viſceribus terræ obvio, puro aut illi remixto, vel lapidibus, aut quibuſdam aquis, è quibus artificioſe ſecernitur.

Pars reſinos apinguis & inflammabilis majori reperitur copia in Sulphuris compoſitione, ſed illius comes eſt paucum Sal liquidum, aut ſpiritus Acidus, Aquæ tantillum, ac portio Terræ nonnulla ſuperſtes poſtquam ab igne conſumptum fuit, & à cæteris partibus ope ignis ſecretum.

Abſonum eſſet hoc loco recenſere varia loca ſulphuris feracia, uti & media ad depurandum uſitata, illud à materiis inquinantibus ſeparando, quandoquidem ad nos ſyncerum defertur: ſufficit autem optimum eligere, ac noſcere quodnam puriſſimum ſit, quod enim facillime accenditur, ac accenſum citra intermiſſionem facilius deflagrat, coloris ad viridem utcunque inclinantis, omnium maxime idoneum eſt & optimum ad quas vis præparationes Chymicas, ſpeciatim autem ad ſpiritum eliciendum.

Sulphuris pars reſinoſa & inflammabilis cum ſupra cæteras dominium obtineat, ſuapte porro natura cum admodum ſit volatilis, hinc non modo facillime ſurſum effertur igni ſi admoveatur, vaſe quopiam excepta, ſed etiam ſecum cæteras partes abducit, adeo ut in vaſe nihil fere ſuperſtes maneat cum diutius igni expoſita fuerit, ſicuti id obſervare licet in præparatione Florum ſulphuris, quam mox attingam.

Cucurbita fictilis, intus vitreata, aliquantum humilis, igni obſiſtere

validà; imponatur fornaci idoneæ;luto obducatur pars interna & ſuperior dictæ fornacis toto cucurbitæ ambitu, adeo ut omnino illac flammæ præcludatur, vel ſcintillæ exitus, à qua accendi queat ſulphur, relictis nihilominus quatuor vel quinque oſtiolis, conis ſuis inſtructis, pro re nata eximendis vel intromittendis: Poſtea accenſo igne carbonum moderato in foco Fornacis, in Cucurbitam coniiciantur tres quatuorve unciæ Sulphuris craſſo modo contriti, cooperiendam impoſito Alembico vitreo, cujus orificium proportione collo reſpondeat, adeo ut arcte illud complectatur, nec lutatione opus ſit: hoc pacto Flores ſulphuris paulatim in Cucurbitam evehentur, in Alembico colligendi.

Ignis moderatus, ſemper ſibi ſimilis infra Cucurbitam fovendus; Flores imæ parti Alembici adhærentes ex intervallis avellendi & reconden-di: Vt prius ſulphur in flores reſolvitur,ita novum adiiciendum; imo duo Alembici ejuſdem magnitudinis præſto eſſe debent, adeo ut Cucurbitam unus cooperiat, interim dum ex altero Flores leguntur.

Imo, ſi lubet, licet pluribus vaſis ſimul & ſemel uti, aut in uſum ducere fictilia, Aludellorum forma donata, craſſo roſtro utraque parte inſtructa, quorum unicuique admoveatur Retorta globoſa, in vertice foramine etiam pertuſa, cui imponi poſſit Alembicus vitreus, ſicuti Cucurbitis: qua ratione pars Florum in Alembicum ſublimis feretur, altera autem per roſtra Aludelli prodiens interiori parti Retortarum globoſarum adhæſura, unde per vices eximenda ope cochlearis idonei.

Nonnulli Auctores afferunt præparationes Florum Sulphuris compoſitorum, addentes Myrrham, Aloen, Thus, Olibanum, Maſtichen, Benzoinum, Crocum, &c. medicamenta hæc conterentes, ac ſulphuri pulveriſato commiſcentes, eademque ratione qua flores ſulphuris ſublimantes: Sed etiamſi patronos aliquos nacti ſint, cum tamen certiſſimum ſit prædicta ſimplicia ferendo igni, qui ſublimationi Florum ſulphuris debetur, imparia eſſe, ac inde inſignem depravationem & optimarum partium depauperationem imminere, ſatius eſſe cenſeo Floribus ſulphuris commiſcere unum vel alterum prædictorum medicamentorum, quod maxime ex uſu futurum videbitur eligendo.

Præparationi Florum Sulphuris Alborum, ab *Angelo Sala*, nonnulliſque illius aſſeclis propoſitæ, locus hic adſignandus: Adſumatur libra ſemis Nitri calcinati & cum ſulphure fixati (juxta methodum à me propoſitam ad conficiendum Sal Polychreſtum, ubi de Nitri præparationibus) prius in ſubtilem pulverem contrita, ac commixta libræ uni ſulphuris tubulati, ſublimetur in Cucurbita, Arenæ Balneo commiſſa, Alembico ſuo inſtructa, adhibito igne & ſpatio temporis requiſitis: Eo pacto exſurgent Flores ſulphuris Albi, minus inſuaves, ſed efficacia pares magiſterio ſulphuris;

Cujus

Cujus præparationem traditurus ſum, potius in gratiam celebrium quorundam ſcriptorum qui illius meminere, quam præſtantiæ illorum opinione fretus.

CAPUT XXIX.

De Magiſterio, aut Lacte Sulphuris.

HVic methodo ad præparationem Magiſterij Sulphuris, aut Lactis Sulphuris, præſertim inſtitere Auctores, Adſumitur pars una Florum Sulphuris, commiſceturque Salis Tartari libris tribus; Excipitur miſtura hæc grandi olla fictili intus vitreata; illi affunditur Aquæ fluviatilis ſeptem aut octo tantum pondo; poſt igni Olla impoſita hæ materiæ per quinque aut ſex horas fervere ſinuntur, vel donec flores Sulphuris propemodum diſſoluti fuerint in prædicto liquore, per vices tamen addita aqua fervente, quæ ſuccedat priori in auras per æſtum diſcedenti; Cum vero liquoris pars media circiter abſumpta fuerit, decantetur calens quicquid liquidum eſt in pelvim fictilem intus vitreatam, amplam; eodem tempore, ſed paulatim, inſtillando Acetum ſtillatitium, aut Aluminis liquorem, donec omnino deſinat ebullitio: Quo pacto pars Aceti acida, aut Aluminis, Sali Tartari fixo ſe adſocians, à quo diſſoluti fuerant Flores Sulphuris, ab illis abſcedere id cogit: Flores autem hi colore flavo in menſtruo exuti, egreſſi vero poros ſalis Tartari, quos acidum Aceti, aut Aluminis, ſubiit, illico ſingulas liquoris partes pervadendo, Lactis colorem illi conciliant, donec paulatim in fundum liquoris ſecedant ſubſtantiæ candicantis ſpecie: Tunc decantato ſupernatante liquore, ſæpius aqua limpida eluuntur, donec iteratis lotionibus diſſolventis & præcipitantis ablata omni acrimonia, omnino dulceſcant, exſiccandi & ad uſus adſervandi, titulo Magiſterij aut Lactis Sulphuris.

Extat & alia Magiſterij Sulphuris præparandi ratio, quæ ſic habet, Capaci cacabo ferreo excipiätur libra una Sulphuris pulveriſati, & Calcis vivæ libræ duæ, ſuperfundatur non exigua aquæ communis copia; ſimul ferveant, donec liquoris circiter tres partes abſumptæ ſint; aut, quod ſatius, donec intenſum adeptus ſit ruborem, atque hinc indicium ferri poſſit Alkali calcis pervaſiſſe ab eoque diſſolutum fuiſſe Sulphur: Tunc liquor hic calens per manicam tranſmittendus, cui ſponte refrigerato, decantatoque liquore limpido in grandem pelvim fictilem vitreatam, affunditur urina calens, donec nulla amplius ebullitio adpateat, Alkali autem ſulphureum calcis, combinatum Sali volatili urinæ, abſcedat, ac ad fundum ferri ſinat ſulphur à ſe diſſolutum: Tunc permittendum ut materiæ ab

Ll 2

horis matutinis ad veſpertinas ſubſideant, demum decantato liquore, ſul-phuri præcipitato ſupernatanti, hoc decies vel duodecies eluendum, quo-uſque Salium omnis omnino acrimonia receſſerit.

Magiſterium ſulphuris apud Auctores celebre eſt, Balſami Pulmo-num elogio id donantes, utpote eximium præſidium adverſus Tuſſim, Aſthma, Phthiſin; quod & valeat ſiſtere fluxiones in pectus irruentes, fa-cilem anacatharſin promovere, colicos dolores ſedare, flatus Ventricu-li & Inteſtinorum diſſipando.

Exhibent à granis quinque aut ſex ad decem vel duodecim, ex aqua aliqua cardiaca vel thoraciea, cui vigor accedat addita pauca aqua Cin-nanomi.

At cum varias alterationes magiſterium ſulphuris experiatur, tam à diſ-ſolutionibus quam præcipitationibus, ac improbis impreſſionibus à mate-riis quibuſcum commiſcetur inductis, quarum indicium eſt teter odor ſu-perſtes, non eluendus ab iteratis lotionibus, Ex mea ſententia illo abſti-nuiſſe ſatius eſt, illi potius ſubſtituendo Flores Sulphuris, præſertim albos, quorum à me allata eſt deſcriptio; quippe qui cum minus inſuaves ſint, non minori efficacia præſtare poſſunt quicquid ab hoc magiſterio expe-ctant ſcriptores, quod præſcribunt à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam.

CAPUT XXX.

De Diſtillatione Sulphuris.

CVm exiguam admodum copiam Spiritus Sulphur ſuppeditare ſo-leat, impoſſibile autem omnino ſit Spiritum obtinere citra Sul-phuris concluſionem, ac Aëris mediationem, Vaſa porro idonea, ut commode hujuſmodi Diſtillatio inſtitui poſſit, vix occurrant, ideo hactenus plurimi non parum inſudarunt in hoc opere, imo & ij qui di-gitos nigredine inquinare in aliis præparationibus Chymicis detrecta-vere; Nullus non Auctor diſcrepantes præparationes invexit, imo diverſa vaſa exhibita ſunt, quorum ope conſequendi ſpem iis fecere qui idonea nacti fuerint & in uſum dextere flectere noverint.

Quicquid vero alij ſcripſerint, ſyncere & ex officio publici juris factu-rus ſum media & facillima & optima, mihi familiaria, & uſu comperta in hujuſmodi diſtillatione, allatis etiamnum figuris vaſorum eum in finem adhiberi ſolitorum.

Vt minimum quatuor Vaſorum genera præſto eſſe debent ad diſtil-lationem ſpiritus ſulphuris, quorum maxime humile, idemque omnium latiſſimum, vitreum aut argillaceum, deſtinandum excipiendo ſpiritui

quamdiu

quamdiu exſtillat: Secundum collocandum eſt in medio fundo primi vaſis, fulcimentumque præbere debet tertio, Sulphur excepturo; Quartum ſuſpenſum ſit, aut eum ſitum obtineat ut cohibere poſſit vapores, aut è ſulphure manantium, quamdiu deflagrat, reſolutionem facilem reddere: poſtremum hoc vas vitreum eſt, in campanę formam exſtructum, majus aut minus, in faſtigio nonnunquam apertum, aliquando non, Id autem in quo ſulphur defragrat fictile ſit, quod igni obſiſtere valeat, ſubſtratum habens vaſculum aliquid vitreum aut Faventinum, ſi enim fundo vaſis inferioris innixum eſſet, omnem ſpiritum qui in illo colligeretur abſorberet.

Ad id operis eligi ſolet tempus imbriferum, aut ſaltem interior Campanæ pars, ac vaſis inferioris, humectari debet ad facilem vaporum reſolutionem efficiendam, eoque pacto uberiorem ſpirituum proventum obtinendum; Quinimo & utile eſt ab initio pauxillum aquæ immiſiſſe fundo vaſis infimi, eo quod ſpiritus facillime huic ſe remiſceat, immutata tamen indole, quandoquidē integris & illibatis viribus inde eximi poteſt, adhibita eadem rectificatione quæ in uſu eſt ad ſpiritum Salis aut Vitrioli.

Pro hoc diſtilllationis genere familiaria mihi eſſe ſolent magna Vaſa argillacea, vulgo Salaria dicta, in quibus res ſalitæ reconduntur, duas aquæ ſitulas circiter continentia: Vaſa hæc parte ſuperiore in ambitu habent incile, tribus aut quatuor foraminibus in ſubdita vaſa pervium: Interiorem partem aqua humefacio, imo in fundum tantillum aquæ infundo; demum conſtituto vaſculo vitreo aut Faventino, illi impono Vas in quo ſulphur accendendum eſt: Eligo ſulphur vireſcens, in exiguos magdaleones effictū, in quod liquefactū immergo ellychnia ex goſſypio in fila deducto, his uſus accendo ad deflagrationem uſque portionem aliquam in olla, eodem momento temporis impoſita campana illis ſimili qua utuntur Olitores, proportione orificio & incili vaſis reſpondente, interiora humectando: Eo pacto vapores albi, è ſulphure evecti, cum amplum ſpatium nanciſcantur, tam intra Ollæ capacitatem, quam Campanæ, humiditatem etiam requiſitam cujus ope poſſint adhærere, in ſpiritum faceſſunt, majorque illius copia eo modo extrahitur repetita ſæpius hac operatione, iterum intingendo & accendendo ellychnia dum priora abſumuntur, quam ſi aliam quamvis inire velis viam.

Hoc ipſo libro obvia erit figura Ollarum, & Campanarum his adcommodatarum, At vero artificium multo commodius foret ſi in vitrariis officinis ejuſmodi Ollæ, ejuſque amplitudinis conflari poſſent, quippe cum Ollæ argillaceæ diutius obſiſtere non valeant vehementiæ ſpiritus Sulphuris, qui tandem illas pervadit, interim dum ſpiritus portionem aliquam abſorbet, ſi præſertim cura interiora humectandi per vices prætermiſſa fuerit: Neque tamen ſpem depono quin ex Vitrariis opificibus Anglicis

ejuſmodi Ollarum potiundarum, quippe qui nonnullas iam conflavere à voto meo non multum diſſitas, adeo ut tandem repetitis vicibus & conatibus mihi ſatisfacere valeant.

Hoc ipſo quoque libro exhibeo figuram magnarum Patinarum vitrearum, mihi familiarium ad excipiendum ſpiritum ſulphuris ex Campanis in faſtigio adapertis ſtillantem; anſis binis donatis, impoſitis duobus baculis illas ſuſtinentibus, aperturam dictam negligenter exiguo capitello vitreo obtegendo, cui adeungi poteſt exiguum Recipiens; In ſpiritus diſtillatione procedendo eadem ratione qua in præcedenti, hoc excepto, quod tranſverſi digiti diſtantia inter oras campanę ſuſpenſæ & patinæ margines interponenda ſit, id cavendo ne flamma ſulphuris accenſi campanam attingat quandiu ſulphuri ſatis aëris ſuppetit ad deflagrationem: Ope iſtorum vaſorum tam inſignem ſpiritus copiam conſequi non licet ac priorum à me deſcriptorum, eo quod iſta minora ſint, ac portio vaporum diſpergatur in Campana vel in Patina, ac ſpiritus præſtantiſſimus ſit & penetrabilis: Diſpendium autem compenſabitur pluribus adhibitis vaſis, quorum beneficio non mediocrem ſpirituum copiam comparare licet.

Sulphuris Acidum cum ſtatuatur baſis, prima ac potiſſima Vitrioli materia, cui facultates præcipuas quibus præditum eſt impertitur, non immerito ſpiritui ſulphuris adſcribendæ videntur cunctæ vires quas in Vitrioli ſpiritu deprehendere eſt: Sed præterquam quod ſapor ſpiritus ſulphuris multo ſuavior eſt eo quem dat Vitriolum, effectus etiam illius multo præſtantiores ſunt, tum ad extinguendum ardorem febrilem, bilioſarum præſertim febrium, tum ad putredinem humorum coercendam, Appetitum revocandum, Ventriculum & Inteſtina corroboranda, Pectoris affectus curandos, ſpeciatim Aſthma & Phthiſin: Etiamſi vero plerique cenſeant Acida Pectori bellum indixiſſe, id tamen ſyncere profiteor ante aliquot annos Concionatorem quendam, huius vrbis incolam, ¡voce fere deſtitutum, illius uſum omnino recuperaſſe ope ſpiritus ſulphuris potui ordinario commixti, juſculis, imo quibuſvis cibis; ſolo inquam uſu ſpiritus ſulphuris, à me præparati, à tam ſævo ſymptomate libertatem obtinuiſſe.

CAPUT XXXI.

De Sale Sulphuris.

SVlphur cum pene omnino in igne abſumatur, ab eius vero deſtructione ſola ſuperſtes ſit pauciſſima terra, nemo Salis copiam inſignem inde deducere ſperet, niſi quis ſpiritum prædictum, utut liquidum, nomine

Salis

Salis Acidi ſulphuris donare voluerit: Eapropter etiam exiſtimandum Auctores qui de ſulphure conſcripſere, omnino prætermiſiſſe præparationes ejuſmodi Salis; Chymiæ autem, quæ Naturæ non raro auxiliatrices manus præbet, ſuppletque illa in quibus deficit, media ſuppetunt per quæ Sal perficere valet, cui jure merito Salis Sulphuris nomen imponi poteſt; Cujus binas vel ternas præparationes allaturus ſum.

Conteratur libra una Nitri puriſſimi, una cum æquali ſulphuris quantitate, collocetur crucibilum forte ſuper pedumentum in medio Fornacis foco; circumcirca accendatur ignis carbonum luculentus: Cum crucibulum incanduerit, in id coniiciatur uncia circiter pulveris ex nitro & ſulphure conflati, qui flammam illico concipit, qua extincta, in idem crucibulum eadem Pulveris quantitas immittenda, ut exſpiret flamma permittendo; pergendo in ejuſmodi Pulveris projectione, expectando donec flamma diſpareat unaquaque vice, quouſque totus Pulvis abſumptus ſit: poſtmodum ignis luculentus per bihorium integrum circa crucibulum fovendus erit, demum ſponte refrigeratæ materiæ, in ſartagine ferrea mundiſſima elixiviandæ erunt, filtrationeque facta calentis liquoris, hic Cucurbita excipiendus, Balneo Arenæ moderate calenti committendus, dehinc humiditate abſumpta ad quartæ partis remanentiam, frigefactoque reſiduo in Cucurbita, tunc paulatim affundendus erit optimus ſulphuris ſpiritus, pergendo in iſtius ſpiritus affuſione donec liquor manifeſtum acorem nactus ſit; Poſtea iterum accenſo Balnei igne in eadem cucurbita illi impoſita, evaporatio humidi ſupervacanei ad cuticulam uſque procuranda, ſi ſal cryſtalliforme adquirendum; aut ad ſalis uſque ſiccitatem, ſi hoc pulveris forma, aut conglobatum expetatur.

Eo pacto ſal albiſſimum exſurget, conſtans ex parte Salina fixa Nitri; & Acida ſulphuris, felici ſucceſſu exhibendum tum ad extinguendum ardorem febrium, tum reſerandas obſtructiones omnium Viſcerum; Diluitur in potu ordinario vel in aliis liquoribus, ea potiſſimum ratione ſuaviter ſumendum quod acorem præ ſe ferat.

Poteſt & præparari Sal Sulphuris minori labore, nec adeo intricato, ea ratione quam mihi exhibuit Dominus Freſlinus, vir non minus rerum naturalium ſedulus indagator, quam ſolide doctus & in utraque Philoſophia eruditus: In capacem Cucurbitam coniiciatur libra una Nitri puriſſimi pulveriſati, ſuperaffuſaque ſemilibra Spiritus Sulphuris rectificati, & optime commota Cucurbita, ad omnimodam Nitri in hoc ſpiritu diſſolutionem, Balneo Arenæ imponatur Retorta, admotoque ejus roſtro grandi Recipiente luto obducto, igne leni adhibito initio, peragatur diſtillatio; deinceps paulatim adaucto, etiam ſub finem accenſos carbones Balneo arenæ ſuperimponendo, immediate in ambitu, quin.

& univerſũ Cucurbitæ corpus operiendo,quo omnino prodeat quicquid Nitrum fundere poteſt: Quo pacto comparare licebit optimum Nitri ſpiritum, multiplicis utilitatis,etiam in diſſolvendis metallis, Ex ſpiritu quippe ſulphuris,intime conjuncto ſali fixo Nitri, unum emergit corpus compoſitum, in Retorta,poſtquam effracta fuerit,conglobatum in maſſam obvium, coloris candidiſſimi, ſaporis acidiſſimi ſed grati, cujus vires non multum recedunt ab iis quas obtinet præcedens.

Si hujus præparationis ratio diſquirenda ſit, non alia me iudice occurret, quam quod Nitrum, ut alibi à me obſervatum, cum duplici ſpiritu conſtet,uno mediocriter acido,altero ſulphureo volatili ſalino, utroque in poris ſalis naturaliter fixi involuto; ſpiritus autem ſulphuris cum ex partibus & ſolidioribus & ſubtilioribus compoſitus ſit quam quæ inſunt ſpiritui Nitri, figuris præditus ob quas pervadere valeat cunctas hujus ſalis partes, ideo accidit ut à miſtione ambarum harum ſubſtantiarum particulæ Sulphuris penetrent univerſum Nitri corpus, quo fit ut, juvante ignis efficacia, ſatis validæ ſint ad occupandam ſedem ſpirituum Nitroſorum in partibus ſalis fixi, quibus adeo arcte adhærent, ut conjunctæ unicum corpus ſolidum deinceps conſtituant, cujus unitatem vix ignis potentiſſimus diſſolvere poteſt, dum Nitri ſpiritus vaporum rubrorum ſpecie erumpunt, Recipiens adeuntes, ubi in liquorem condenſantur.

Id etiam perpendendum in iſta operatione, non perire ſpiritum Nitri, alias in auras abiturum quando ſal iſtud cum ſulphure calcinatur: Hoc vero veriſimile apud me eſt, obſervationem à me factam de hoc ſpiritu, ex hac miſtura infractis viribus exſurgente, inducere opinionem probitatis ſalis in Cucurbita ſuperſtitis, tantum abeſſe ut ulla ratione metus immineat ab illius effectibus, quandoquidem præterquam quod plurimos in uſus feliciſſime trahitur Nitrum nullam præparationem expertum, imo ſæpiſſime illius ſpiritus potionibus quibuſdam admiſcetur, quinimo & Iuſculis, hic ſola ſupereſt Nitri pars fixa, non ſolum propria natura utilis, ſed & præſtantior reddita ab unitate cum ſpiritu ſulphuris contracta, qui proculdubio emendat & temperat acrimoniam in dicto ſale verendam.

Præparatio iſtius Salis, utut facilis, multum lucis affert ad conſequendam notitiam partium ex quibus Nitrum conflatum eſt, imo majorem præbet quam ulla quæpiam earum quæ hactenus uſitatæ fuerunt: Nam adde quod elicitur ex eo ſpiritus volatilis acidus ſulphureus, non minus generoſus eo quem ſuppeditant media ſolita, copia ſalis acidiſſimi, in fundo cucurbitæ obvia, clariſſime oſtendit id quod alias à me allatum, à quibuſdam tamen in dubium revocatum, videlicet Sal fixum Nitri, in cucurbita à diſtillatione ſuperſtes

eſſe,

eſſe,quippe cũ ſolus illius ſpiritus volatilis ſursũ acidus ſulphureus evehi poſſit;Si enim Nitrum per diſtillationem totum educeretur, id quod ſibi fingunt ; niſi porro ſpiritus acidiſſimus ſulphuris obvium Sal quodpiam haberet quo cum conjungi & adhęrere poſſet, proculdubio idem ſpiritus, una cum ſpiritu Nitri ſurſum aſcenderet ; ſi autem ſolitarium in fundo remaneret, nunquam Salis formam indueret, deficiente ſcilicet materia adfini cum qua poſſet concorpari : Sapor,inquam, propria natura acidiſſimus, ejuſmodi non reperiretur, Salini particeps cum levi amarore ; neque tanta Salis copiá adeſſet, niſi Sal fixum Nitri partem illius maximam conſtitueret.

Exinde etiamnum iudicium ferre licet quid adſit diſcriminis inter Spiritus volatiles, acidos ſulphureos, & mere acidos ; Priores videlicet ignis vehementia impulſi, Salia quibuſcum naturaliter unita & concorporata erant deſerere coguntur,interim dum poſteriores,etiamſi peregrini, non ſolum illorum locum occupant, ſed adeo ſtricte dimiſſis illis ſpiritibus adhęrent, ut nec idem ignis, qui priores ſede expulit, vel minimum concutere valeat.

Evincet quoque hoc exemplum illos aberrare, qui cenſuerunt à gravitate, vi, agitatione, & concuſſione, deducendam cauſam Præcipitationum ſubſtantiarum à Salibus fixis diſſolutarum, vel à ſpiritibus acidis corroſivis, quandoquidem ſolum adſcribenda venit conjunctioni ſpirituum acidorum cum ſalibus, aut ſalium cum ſpiritibus acidis, inductam ab inſigni & innata diſpoſitione illorum ad mutuam omni tempore conjunctionem, atque deferendas alias ſubſtantias ab ipſis corroſas & diſſolutas, in liquorum imum illas deturbando quibuſcum mixtim reperiuntur.

Licet etiam pręparare Sal Sulphuris, præſtantia ambobus præcedentibus nequaquam inferius, ſed præterea depurandæ maſſæ ſanguineæ multo aptius, atque ad humores tenues & acres, ſi modo eo vergant, per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem excludendos, neque minus illis album ac ſuave.

Eapropter libra una ſalis Vrinæ, puriſſimum & albiſſimum, indatur Cucurbitæ capaci & celſæ ; affundatur illi paulatim ſpiritus ſulphuris optime rectificatus, donec fervor omnis deſinat, Imponatur Cucurbita Balneo Arenæ, igne moderato ſubdito, evaporet humiditas ad pelliculam uſque, ſecernendo cryſtalla, vel eouſque ſollicitanda erit evaporatio donec Sal exſiccatum fuerit : Sal enim dictum urinæ volatile, etſi ad tempus fixum ſit redditum à ſpiritu ſulphuris, cum prior em non exuat naturam, ſuos etiam effectus depromere valet, cum præſertim Acidum ſulphuris, à quo fixatum eſt, in ventriculo obvium ha-

bet aliud quodpiam corpus cui cohærere poſſit, eoque pacto ſal urinæ volatile priſtinæ libertati reſtituere valeat.

Poſſet etiam in uſum adduci Sal volatile Vrinæ, quod revera nihil aliud eſt quam Sal illius reſolutum, ſubſtituendo id ſali illius congulato; peractaque illius conjunctione cum ſpiritu Sulphuris, ſicuti ante monui de ultimo hoc ſpiritu cum ſale urinæ, poſtremos ambos hos ſpiritus commutare in corpus album & ſalinum, illi non diſſimile de quo à me modo actum.

Ii qui ſpreverint ſaporem acidum horum Salium, exhibere illa poterunt à ſemiſcrupulo ad ſemidrachmam, imo & drachmam integram ex liquore quopiam idoneo.

Imo & facilius ſal Sulphuris præparare licet, affuſo liquori optimo ſpiritu Sulphuris, vel ſali Tartari optime depuratis, ad illorum vſque ſatietatem, non ſolum quouſque nulla amplius deprehendatur effervescentia, ſed etiam donec Acidum Sulphuris dominium ſufficiens obtineat ſupra ſal; quoad cætera eadem via procedendo quam innui ad confectionem Tartari vitriolati: Eo pacto ſal Acidum conſequi dabitur, nomine ſalis Sulphuris donandum, aut Tartari ſulphurei; cuius vires proculdubio adfines futuræ ſunt amborum priorum ſalium Sulphuris, quorum à me allata ſunt præparationes.

Cum inter compoſitiones Galenicas, vbi de Balſamis à me actum, Balſami Sulphuris duas deſcriptiones adtulerim, ideo prohibor iterum huc illos referre, eo Lectorem curioſum remittens.

Plurimas hoc loco Sulphuris præparationes prætermitto, apud non paucos Auctores obvias; quarum nonnullæ impoſſibiles ſunt, aliæ nequaquam accuratæ, quædam exiguum vſum præſtant; ſatius itaque duco minorem exhibuiſſe numerum, ſed earum quæ experientiæ & rationi magis conſonæ ſunt, quam curioſos invitare ad operatione aut dubias aut inutiles.

CAPVT XXXII.

De Præparationibus Arſenici.

ARſenicum in conſiderationem venit tanquam fuligo, vel ſuccus quidam mineralis, unctuoſus & naturæ ſulphuris particeps, ſed admodum balſamo vitæ noſtræ infenſus, quapropter Venenis accenſeri ſolet, in uſumque adducitur prægreſſis ſingularibus cautionibus, ac ſecretione ab arte facta, correctionéque partium maxime nocuarum.

rum & à quibus periculum imminet.

Auctorum maxima pars, nominum non adhibita diſtinctione, ac facultatum Arſenici, tres tantum illius conſtituunt ſpecies, Aliud faciente Album, aliud Flavum aliud Rubrum: Quatuor vero ſpecies mihi innotuere, quorum primum eſt Arſenicum vulgare, videlicet Album; nonnunquam quibuſdam in particulis cryſtalli inſtar diaphanum; Secundum Arſenici ſpeciem gerens, de quo modo à me actum, coloris eſt flavi, Realgar dictum; aut Reargar: Tertium iterum flavum eſt, ſed ſubſtantiam obtinet ſquammeam, quæ vix conteritur, minii formâ; cui Auripigmenti nomen inditum eſt: Quartum Sandaraca dictum, coloris eſt rubri, forma ad Arſenicum vulgare admodum accedens, & ad Realgar, ſolóque rubro colore ab illo diſcrepans.

Arſenicum vulgare ad nos allatum, ſubſtantia eſt ſublimata, ex æquis partibus ſalis Marini & Auripigmenti pulveriſatis, & ſimul commixtis, in vaſis ſublimatoriis conflata: Quamobrem nemini mirum eſſe debet ſi Arſenicum venenum ſit præſentiſſimum, quandoquidem in illius ſublimatione ab acrimonia ſalis augmentum etiamnum ſuſcipit innata Auripigmenti malignitas; Idemque ſal acidum Vitrioli, commixtum Mercurio, quando ſublimatur, corrodendi vim huic conciliat, veneníque pernicioſiſſimi natura imbuit.

Me judice quoque perperam nonnulli idem Sal Arſenico commiſcent, vel limaturam chalybis aut æris, inter ſublimandum, id dulcorandi ſcopo, quandoquidem ab his materiis incrementum potius fit acrimoniæ quam ejuſdem imminutio, quam fere inſuperabilem eſſe exiſtimo, neque enim hactenus ulla mihi innotuit præparatio quæ ſpecie tenus id temperare valeat, ea excepta cui nomen Rubini Arſenici nomen inditum fuit, hac ratione præparandi.

Conteratur Arſenicum vulgare, indatur Cucurbitæ vitreæ, cuius ad minus capacitatis tres quadrantes vacent, committatur Balneo Arenæ, illíque impoſito Alembico cœco; ſuſcipiatur ſublimatio igne per gradus accenſo, non diſſimili ratione qua in Mercurij ſublimatione; demum abjectis fæcibus, excuſſoque pulvere, qui à maſſa abſcedens vaſis adhæret, iteranda ſublimatio ſecretióque fæcum & pulveris ad tres vſque vices: Poſtmodum ſubtiliter contrito, commiſtóque hoc Arſenico ſublimato partibus æquis florum Sulphuris; vltima inſtituenda erit ſublimatio, cujus ope ab intima conjunctione florum Sulphuris cum Arſenico, ſimul ſublimatorum, illi huic impertituri ſunt, vnáque adſumpturi Rubini colorem, quo nomine inſignitur iſtud Arſenicum, cuius nonnulli Auctores vſum commendant à tribus aut quatuor granis exhibiti ad ſeptem vel octo; ex condito quopiam, conſerva aut

eclegmate, tam in affectibus Pectoris quam illis in quibus ſudores pro-movere vtile eſt, ſicuti & ad curationem Vlcerum malignorum & re-bellium, deſuper illum admovendo.

At quanquam juſta videatur hæc proceſſus ratio, etſi dubius non ſim vlceribus admotus vtilis ſit necne, aliiſve affectibus exterioribus, ad internos tamen vſus non advocandum exiſtimo, cum eius indolis me-dicamentum perpetuo ſuſpectum eſſe debeat, ſuppetantque & reme-dia, & aliæ præparationes tutius adhibendæ, quam quæ ex Arſenico hauriuntur.

Eadem quoque ratione Rubini ex exteris Arſenici ſpeciebus præ-parari poſſunt, iiſdem vſibus deſtinandi.

Arſenicum commodiſſime ad vſus externos præparationem ſuſcipit, concinnatur enim ex eo Regulus, è quo poſtmodum elicitur Liquor Butyroſus, non ſecus ac ex Regulo Antimonij hac via procedendo.

Conterantur, remiſceantur, ac in mortarium ferreum ex calefactum conjiciantur Nitri & Tartari partes æquales, immiſſóque ope carbo-nis accenſi igne, peracta detonatione, accipiantur materiæ mortario commiſſæ unciæ ſex, contundantur in pulverem & commiſceantur o-cto unciis Arſenici vel Auripigmenti; itidem contritis, & unciis qua-tuor limaturæ chalybis, miſtura hæc ſolido magnóque crucibulo in-datur, pedamento ſuppoſito, in media fornace idonea; materiis au-tem fuſione ſufficienti conciliata, illico hæ infundantur cucullo ferreo, antea excalefacto & interius ſebo candelarum inuncto; eodem tempo-re cucullum ferreum verberando, vt facilius ad fundum deturbetur Re-gulus; demum materiis fere refrigeratis, à ſcoriis liberandus erit Regu-lus; ex quo conficiendus Spiritus & Butyrum juxta hanc me-thodum:

Regulus hic in pulverem conteratur, quo probe commiſto duplo ponderi ſublimati corroſivi, miſtura hæc Retortæ vitreæ, luto circum-litæ immittenda erit, cuius duæ tertiæ partes propemodum vacent; demum hac exiguo Reverberij furno clauſo commiſſa, ſuſcipienda e-rit diſtillatio igne immediato, initio mitiſſimo, dein paulatim adau-cto, ſeorſim adſervato ſpiritu fumido, qui prius evehitur & ſtillat, al-tero vaſe excipiendo liquorem butyroſum ſubſequentem: Poſtmodum mutato Recipiente, ignis urgendus erit donec totus ſublimati Mercu-rius in hoc deſcenderit; dehinc ambienti exponendum erit Butyrum hoc Arſenici; quod cum in liquorem diſſolutum fuerit, hic in lagena vitrea denſa reponendus probe obturanda; vtilis futurus conſumendis carnibus fungoſis vulneribus & ulceribus adnaſcentibus, ac cariei oſ-ſium auferendæ: Id quod multo majori efficacia & vehementia præſtat

quam

quam Butyrum Antimonij, quo fit ut minori multo quantitate admittatur & majori adhibita cautione: Spiritus primo evectus inſigni corrodendi vi præditus eſt, qui Martem omnino diſſolvere poteſt, ac plurima alia metalla penetrare.

Neque tamen mirum eſſe debet ſi ſubſtantiæ ex conſortio Reguli Arſenici cum Mercurio ſublimato corroſivo eductæ, majorem corrodendi vim nactæ ſint quam quæ ex Antimonio eidem ſublimato admixtæ eliciuntur, quandoquidem Arſenici particulæ longe malignitate & corrodendi potentia ſuperant Antimonium, commiſtio autem cum ſublimato facta malignitatem auget intenditque ac corrodendi vim.

Poteſt præparari Arſenicum fixum, vel liquor fixus Arſenici, hac proceſſus ratione, Pulveriſentur Arſenici unciæ octo, Nitri unciæ duodecim, ac Tartari tantundem; hæc probe commiſta; impoſitoque ſolido crucibulo pedamento, in media fornace ſub camino conſtructa, accendatur ignis carbonum luculentus in ambitu crucibuli; quod cum optime incanduerit, in id conjiciatur uncia una circiter prędicti Pulveris, ut Nitrum & Tartarum in Arſenicum actionem ſuam exſerant, exhaletque fumus foetidus inde ſpirans, quo paulatim diſcuſſo, tantumdem pulveris in crucibulum injiciatur; conceſſoque tempore requiſito actioni Nitri & Tartari, ac fumi diſſipationi, iteranda erit Pulveris projectio, in ea pergendo quouſque totus abſumptus fit; curam interim adhibendo ut per vices materiæ longa ſpathula ferrea commoveantur, ad integram Sulphuris Arſenici exhalationem; cujus malignitatem declinare decet, à fumis aſcendentibus recedendo dum calcinatio iſtiuſmodi peragitur; quippe qui non minus noxii quam foetidi ſint.

Poſtmodum adhuc fovendus ignis vehementiſſimus circa crucibulum, per ſpatium quinque aut ſex horarum, aut, quod ſatius, per diem integrum, quo facilius exhalet id quod Arſenicum noxium continet: demum optime refrigerato crucibulo, atque in pulverem contrita maſſa in illo reſidua, plurimis adhibitis lotionibus ſecernendum erit quicquid Salinum ineſſe poteſt; qua optime dulcorata, adſervandus erit Pulvis in lagena vitrea denſa optime obturanda, titulo Arſenici Fixi donata.

Hanc nonnulli tanquam optimum Hidroticum venditant, at præcipuus illius uſus ſpectat perpurgationem vulnerum & Vlcerum; quapropter, pulvere nequaquam loto, ſatis eſt maſſam humiditati cellæ expoſuiſſe, in qua Salia in liquorem diſſolvuntur, hunc recondendo in lagena denſa probe obturanda, nomine Liquoris Fixi Arſenici inſignitum, qui adhibendus ad curationem ulcerum malignorum, Cancroſorum & Fiſtuloſorum ſpeciatim, Venereorum, hunc diluendo in Aquis vulnera-

riis, majori aut minori, pro re nata quantitate.

Huc iterum illaturus non ſum quæ alibi de Magnete Arſenicali tradidi, cum de Emplaſtro Magnetico Angeli Salę verba feci, inter Emplaſtra Galenica, quo loco illius deſcriptionem reperturus eſt curioſus Lector; Neque præterea in molem excreſcere patiar hoc caput, alias Arſenici præparationes exhibens, non minus mihi ſuſpectas quam parum uſitatas.

CAPVT XXXIII.

De Præparationibus Ambræ Griſeæ.

Etſi variæ proferantur ſententiæ de origine Ambrę griſeæ, nequaquam tamen immutatur illius natura: nam quamvis nonnulli pro ſpuma maritima habuerint, alii pro excrementis quarundam Avium circa Inſulas Madagaſcar occurrentium, vel illas quæ Archipelagum circumſtant, alii pro excremento aut ſpermate Balenę, Eorum opinio qui afferunt illam eſſe Bitumen ex viſceribus terræ in mare eructatum, ſicuti & Succinum, mihi magis arridet.

Si enim foret ſpuma maris, ab hujus qualitatibus non omnino recederet, aut rerum illius ſinu comprehenſarum: Sin Avium eſſet excrementum, illa obvia non foret in grandes maſſas uniformes conglobata, centum librarum pondus nonnunquam excedentes: Sin, inquam, eſſet Avium excrementum, vel excrementum aut ſperma Balenæ, in aqua diſſolubilis eſſet, neque tamdiu, ſicuti de re conſtat, fluctus maris ſuſtineret, vel aëris injurias & imbrium, quin inſignem labem experiretur.

Iuxta hanc ſententiam Ambra griſea liquida ex terræ viſceribus erumpit, propter levitatem autem ſupra maris ſuperficiem effertur, ſubſtantiæ verobituminoſæ cauſa in illo non diſſolvitur, ac temporis ſucceſſu, juvante Solis calore, in maſſam ſolidiuſculam indureſcit, ac procellarum tandē impetu ad maris littora propellitur, in quibus illam nanciſci datur, non ſolum in Indiis & America, ſed & aliquando in oris noſtris maritimis, etſi minus frequenter: Sin aliquando acciderit ipſam in corpore cujuſpiam Balenæ repertam fuiſſe, veriſimile eſt ab ipſa obviam voratam fuiſſe ac pro alimento ingeſtam.

Neoterici nihilominus quidam aſſerere audent Ambram griſeam ex quibuſdam favis mellis ejectam fuiſſe, qui diuturnitate temporis excocti, & à radiis ſolaribus exſiccati, à rupibus in quibus Apes ipſos peperere, abſceſſerunt, in mare decidui, in quo accedente Sale & procellarum agitatione, confiſtentiā & colorē, quo donata eſt, adipiſcuntur; interim diſpoſitionem inducunt partibus mellis reſiduis, per quam ſuavem odorem,

ab

ab hac maſſa exhalantem exerunt: Phyſiologis vero hujus rei diſquiſitionem relinquo.

Ambra griſea ferè ſemper marmoris inſtar variegata eſt, cujus fundum modo magis modo minus fuſcum eſt, ſed ad cinerum colorem vergens, albis maculis conſperſum, ad flavedinem nonnunquam accedens; Plus quoque aut minus pura eſt, prout plures aut pauciores partes extraneæ illi remiſtæ ſunt, ſe adjungentes quamdiu adhuc liquida eſt, adeo vt nonnunquam roſtra Arium, vel minuta inſecta in illa deprehendantur.

Igne leni facillime liqueſcit, ſi ſincera fuerit: aut perforatur acu calente, quæ colliquefaciens locum per quem viam ſibi fecit, inde educit odorem gratiſſimum & penetrabilem, ex quo de ambræ bonitate iudicium ferre licet, accedentibus aliis notis; Quinetiam ſæpiſſime in uſum ducitur nulla præparatione alicuius momenti prævia, cum ſatis ſit illam in pulverem contriviſſe, addito fruſtulo Sacchari candidi, ſi ſola adſumenda ſit, aut aliis remediis commiſcenda.

Tenuitas ſubſtantiæ Ambræ griſeæ in cauſa eſt cur ignis vehementiæ nequaquam exponatur, ſatiſque ſit utplurimum illam in vini ſpiritu diſſolvere, ſive ad ſecretionem partium terreſtrium, forte ilii remixtarum, ſive ad adſervandam diſſolutionem, nomen Eſſentiæ Ambræ gerentem, aut Tincturæ.

Sed cum ipſius odor optime conſentiat cum omnibus Aromatibus, imo exaltationem nonnunquam expoſcat, eum in finem ſæpenumero eligitur, illi commiſcendum, quodpiam ex maxime generos, quorum odor & mitior eſt & gratior, cuiuſmodi ſunt moſchum zibetta, eſſentia roſarum, citriorum & alia ſimilia, reſpectu tamen habito odoratus ſenſus, ac conſtitutionis eorum in quorum gratiam eiuſmodi eſſentiæ aut tincturæ præparantur, Eapropter.

In ſubtilem pulverem terantur drachmæ duæ optimæ Ambræ griſeæ, cum æquali pondere Sacchari candidi, ac ſemiſcrupulo moſchi Orientalis, exiguo matratio immiſſorũ, affuſiſque unciis duabus ſpiritus vini rectificati, ac ſemi, uncia ſpiritus Roſarum, imponatur matratio exiguus Alembicus cœcus; quod accurate loricatis commiſſuris radiis Solaribus exponendum erit, vel calori fimi, vel cuipiam alteri ſimili; materias per intervalla commiſcendo, quouſque tota Ambra griſea ſit diſſoluta, ac ſolum quidpiam terreſtrium partium in fundo matratii ſuperſtes ſit: Tunc vaſis decruſtatis, decantationéque facta liquoris partibus terreſtribus ſupernatantis in lagenam vitream denſam, accurate cuſtodienda erit, Tiucturam hanc Ambræ griſeæ ſedulo ad vſus adſervando, vtpote remedium maxime idoneum excitando & fovendo calori naturali, roborando cordi & cerebro, cunctiſque

principibus partibus; ad utrumque ſexum in venereos amplexus ſollicitandos, ſi modo probi odores infeſti non fuerint; dejectas vires inſtaurandas, Evexiam illis procurandam qui à morbis diuturnis attriti fuere.

Exhiberi poteſt à gutta vna vel duabus, ad ſeptem uſque vel octo, ex vino Hiſpanico, aqua Cinnamomi, aliove quopiam liquore cardiaco.

Licet etiam ſubtiliſſimum in pulverem deducere drachmas duas optimæ Ambræ Griſeæ, cum ęquali pondere ſacchari candidi, ac ſcrupulo uno moſchi Orientalis; additiſque in totum guttis duodecim Oleorum ſtillatitiorum corticum malorum citriorum & Arantiorum, Florum Lavendulæ, Maioranæ, Roſarum & Cinnamomi, ſimul conterere, ac in unum corpus compingere in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, indeque conficere Ambram griſeam Eſſentificatam, adſervandam in vaſe quopiam exiguo, optime occludendo, quæ in eoſdem uſus trahi debet ac Eſſentia Ambræ griſeæ puræ, ſed dozi minori; quandoquidem ſatis eſt unaquaque vice exhibuiſſe magnitudinem parvi piſi ex apice cultri, ſuperbibendo pauxillum vini Hiſpanici aut aquæ Cinnamomi.

CAPVT XXXIV.

De Præparationibus Succini.

ORigo Ambræ flavæ & albæ, quibus plurimi nomen Succini, Electri, Chryſo electri impoſuerunt; Carabus item; Gleſſi & Reſinæ terræ, non minus apud Authores dubia eſt quam Ambræ griſeæ; Quidam enim Avium quarundam ſtercus eſſe cenſent; Alii ſuccum reſinoſum cujuſdam arboris eſſe aſſerunt nixi proculdubio Ovidii carminibus in metamorphoſibus, de mutatione ſororum Phaetontis in arbores.

> Inde fluunt lacrymæ ſtillataque Sole rigeſcunt
> De ramis Electra novis, quæ lucidus amnis
> Excipit & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Alii vero ſtatuunt ſuccum eſſe bituminoſum è terræ viſceribus erumpentem, ad maris ſuperficiem elatum, demum à ſole concretum & exſiccatum, ad littora maris, in quibus reperitur, à marinis fluctibus propulſum, Quam opinionem omnium maxime veritati conſonam exiſtimo.

Au-

Authores tria Succini genera adducunt, primum Album eſt, ſecundum Flavum, tertium Nigrum: at vero cum nigredo poſtremo huic tantum contingat à ſordium admixtione, aut vetuſtate, ideoque improbandum eſt, ſolumque flavum cum albo in uſum accerredum; quorum prius poſteriori præfertur, quod melius concoctum, ſit purius, odoratius, imo Sale volatili magis impregnatum :. Non ideo tamen non quotidie uſurpatur Flavum cum album rarius occurrat, ex Flavo autem eædem promemodum ſubſtantiæ quæ ex Albo educi poſſint.

Simplex præparatio Succini, Pharmaciæ Galenicæ familiaris, id ſuper prophyrite terendo, contemnenda non eſt, tum quod appoſitiſſime Succinum præparatum in morbis Cerebri, Ventriculi, Inteſtinorum, & uteri, imo & in Hæmorrhagia quavis, uti & ſicubi adſtringendi occaſio adfuerit, in uſum venit: Tum quod admodum facilem reddit Succini diſſolutionem ſi alia quędam præparatio illam ſubſequi debeat, ac præſertim Tinctura.

Hæc ſi paranda fuerit, matratio immittantur Succini electi unciæ quatuor, ſuper porphyrite lævigati, affunde Spiritum vini rectificatiſſimum, donec quatuor digitis ſuperemineat; ſuperponatur Matratio exiguum vas cœcum, cujus commiſſuræ accurate luto obducendæ, demum Digeſtio fiat Balneo cinerum aut Arenæ, igne mitiſſimo, per vices materias commovendo, donec à Spiritu vini diſſolutione facta maximæ partis Succini ille eleganti flore flavo tinctus fuerit: Poſtmodum decantato in lagenam liquore colorato, novo vini ſpiritu ſubſidentiæ affuſo, impoſitoque iterum Matratio vaſe cœco, optime loricato, eodem Balneo, eodem caloris gradu adhibito id cõmittendum erit, inibi continendum donec à ſpiritu vini reliquiæ Succini fere omnino ſolutæ ſint, ac propemodum liquor eundem colorem ac prior adeptus ſit: Tunc vaſis decruſtatis decantata hæc Tinctura, priorique commiſta, per chartam emporeticam tranſmittenda erit: Qua Cucurbita vitrea excepta, eidemque Balneo impoſita, Alembico proprio cooperta, admotoque illius roſtro exiguo Receptaculo, probeque luto conjunctis futuris, igne leniſſimo extrahenda erit media circiter pars ſpiritus vini: demum ſponte refrigeratis vaſis, in lagena vitrea denſa id quod in Cucurbita ſupeſtes fuerit recondendum, adſervandum titulo Tincturæ Succini, cujus uſus eximius futurus in affectibus præſertim cerebri & uteri, exhibendo à ſcrupulo uno ad drachmam unam ex liquoribus idoneis.

Poſſet affuſa aqua diſſolutioni Succini infringi vis Spiritus vini, eoque pacto hunc ſpoliare partibus Succini quas adſumpſit & diſſolvit, præcipitatione illius facta in imum liquorem forma Pulveris flavi, unde id

quod Magiſterium Succini vocant, compararè liceret ; Sed nullum ex iſtiuſmodi operatione emolumentum expectandum, nam præter temporis diſpendium, ignis & ſpiritus vini jacturam, magiſterium hoc nihil ſingulare obtinet prę Succino ſolummodo ſuper porphyrite contrito.

Schroederus Magiſterium Succini proponit, quod pręparat id in aceto ſtillatitio diſſolvendo, diſſolutionem filtrando, acetum per diſtillationem abſtrahendo, demum ſubſidentiam in aqua roſacea diſſolvendo ; diſſolutionem filtrando, aquam roſaceam educendo, reſidentiam demum in recenti aqua roſacea diluens, filtratione & eductione aquæ ter repetita, ac tandem præcipitatione ultimæ diſſolutionis per ſpiritum vini facta, vel ſuccum citri; præſtanſque hidroticum eſſe aſſerit, datum à ſex ad duodecim grana in febribus Malignis & Pleuritide ; Sed cum Acidum quod Aceto ineſt, & præcipitantibus adhibitis, Succini naturam immutent, vix in eam opinionem adducor ut ab hoc magiſterio expectati effectus prodituri ſint.

CAPVT XXXVI.

De Diſtillatione Succini.

SVccini Diſtillatio omnium ſimpliſſima & maxime uſitata hæc eſt, Retortæ vitreæ indantur Succini confracti quantum ſatis ut tertia pars impleatur, inſtrataque pauca arena fundo capſulæ dimenſæ, impoſitæ idoneæ fornaci, Retorta ibi locanda eſt, qua arena rite in ambitu & omnino cooperto, præter illius collum, admotoq; illius roſtro magno Recipiente probe luto obducto, ac capſula cooperta tegmine concamerato, illi adæquato, accendendus ignis in Fornace, ea ratione regendus ut cum Succinum liquefactum fuerit nequaquam fervere id queat, neque in Receptaculum per Retortæ roſtrum exſtillare, ſed phlegma tantum paulatim emittere, demum Sal volatile & Oleum ; hoc autem primo limpidum proditurum eſt, ſubſequens vero magis ac magis coloratius, adeo ut poſtremum ad colorem fuſcum accedat, imo craſſiſſimum.

Diſtillatio hæc diu protrahitur, imo viginti quatuor horas tranſgredi debet, ſi res ſucceſſum habitura eſt : Neque etiam neceſſe eſt admodum urgere ignem, imo nec in progreſſu ac circa diſtillationis finem, nam præterquam quod materiæ exituræ non admodum graves ſunt, ab igne autem vehementiori alteratio inſignis illis induceretur, Idquod

in Retorta reſiduum forte aderit,inutile futurum non eſt, ſi modo methodus quam deinceps demonſtraturus ſum ineatur.

Igne etiam patente diſtillari poteſt Succinum, exceptum Retorta argillacea, aut vitrea luto obducta, in furno Reverberij collocata; Sed niſi ſumma in ignis regimine præfuerit cautio, periculum imminet à combuſtione, imo ne Succinum è Retorta erumpat, ipſumque Receptaculum in fragmenta diſſiliat; adeo ut huic diſtillationi ea quæ per Arenam perficitur præferenda ſit.

Succinum, ſi quis voluerit, conterat in pulverem, illique partes æquales arenæ aut ſilicum pulveratorum admiſceat, aut cinerum jam lixivium expertorum, Diviſio quippe hæc partium Succini facilem utcunque ſeparationem & ſublimationem illius partium præſtare poteſt, citra bonitatis detrimentum; At vero ea quæ citra additamentum aliquod perficitur Diſtillatio potior mihi videtur.

Succini diſtillatione peracta, vaſis autem refrigeratis & decruſtatis, deraſum Sal volatile, in Retortæ collo ac Receptaculi exiguorum cryſtallorum ſpecie aggeſtum, colligendum ac recondendum in Lagena idonea; poſtea in Matratium effuſis omnibus ſubſtantiis, in Recipiente contentis, hoc aqua calida eluto diſſolvendi gratia, & conjungendi Salis volatilis cum Oleo, ſi quæ ſuperſint, effuſaque hac lotura ſupra reliquas materias, ſuperponendum erit Matratio Alembicum cœcum, optime luto veſtitum, prægreſſaque illius Digeſtione per decem aut duodecim horarum ſpatium, in Arenæ Balneo, moderate calido, ſæpiuſque commotis materiis, reſerandum tandem Matratium, ſecretioneque facta Olei à parte aquea, Salina & terreſtri, ſeorſum illius Rectificatio peragenda erit, videlicet Olei, id commiſcendo quantitati ſufficienti cinerum elotorum, quantum ſcilicet hi abſorbere poterunt, miſturam hanc indendo Retortæ vitreæ, Balneo arenæ, igneque mitiſſimo Oleum extillaturum eliciendo, prodiens primo album & limpidum, ſubſequens autem colore paulo intenſiore prędîtum, poſtremum vero ad levem ſuſcedinem vergens.

Partem Aqueam, Spirituoſam & Salinam quod ſpectat, hujus filtro tranſmiſſæ, ac exiguæ Cucurbitæ vitreæ commiſſæ, Balneo arenę impoſitę, igne leniſſimo, humiditatis ſuperfluæ tres quadrantes circiter vaporum forma abſumendi ſunt, demum Cucurbita in locum frigidiuſculum tranſlata, poſt aliqualem moram deradenda & recondenda Cryſtalla, eodem Balneo poſtmodum procurando evaporationem liquoris ſupernatantis, quo nihil diſpereat Salis ibi ſupeiſtitis, etſi exigua ſe offerat copia, non ſecus ac prius.

Sed ut cunctæ ſubſidentiæ in uſum veniant; tum prioris diſtillatio-nis, tum rectificationis Olei, in pulverem prædictæ materiæ conterantur, concorporentur æquali ponderi Calicis vivæ, ſponte recens in pulverem abſcedentis, immiſſaque hac miſtura grandi Retortæ vitreæ, Balneo arenę impoſitę, adcommodatóque eius roſtro idoneo Receptaculo, igne moderato plurimum quoque Oleum adhuc elicere dabitur, quorum prius proditurum quadamtenus candidum erit, ſubſequentia autem ſat limpida, etſi coloris ſaturatioris.

Oleum Succini præſertim in vſum venit in Apoplexia, Epilepſia, Convulſione, Paralyſi, cunctiſque Cerebri frigidis affectibus uti: & Hyſtericis: Nec minus utile eſt ad enecandos lumbricos, ad miaſmata aërem inquinantia profliganda, tum ore adſumptum, ab una vel duabus ad quinque aut ſex guttas, exceptas ſacchari polline, ac liquore quipiam idoneo diſſolutas, tum naribus illitum, temporibus & locis circa futuras.

Iis omnibus affectibus ſubvenit etiam Sal volatile, quod prætereà præſtantiſſimis diureticis accenſetur, ex liquoribus idoneis adſumptum, à quinque aut ſex ad quindecim aut viginti grana.

Succini Diſtillatio normam præbere poteſt diſtilando Aſphalto, Gagati, Carboni perræ, aliarumque omnium materierum bituminoſarum; quapropter in molem non excreſcet hoc Caput horum deſcriptione.

CAPVT XXVI.

De Metallis in genere.

Metalla corpora ſunt ſolida, gravia, malleabilia, igne liquabilia, in ſingulis partibus æqualis ſubſtantiæ; Cum vero hoc loco ſcopus non ſit varias & ſingulas Authorum ſententias quoad illorum originem & primam materiam ad examen deducere; Satis mihi fuerit paucis meam ſententiam protuliſſe, videlicet, cum calor Solis non modo in terræ ſuperficiem vim ſuam infundat, ad promovendam rerum nobis obviarum, ſpeciatim Plantarum productionem, Sed etiam intime pervadat & penetret interiorem illius maſſam, ad inſinnandum & fovendum calorem, ſubſtantiis illic deliteſcentibus neceſſarium, inibi perpetuas generationes fieri, quas ſubſequitur incrementum ac perfectio materierum ibi genitarum in quarum ſerie reponenda veniunt metalla.

Exiſtimo etiam, ſicuti Plantæ in Terra productæ, primam materiam, per

per quam earum ſemina germinant, è Terræ ſuccis hauriunt; vel ex influxibus Aſtrorum, neceſſe eſſe ut metalla ex iiſdem ſuccis prima Elementa ſuarum ſubſtantiarum deducant, etſi admodum diſcrepant à Plantarum ſubſtantia; Succum porro illum Metallicum ſeminalem, in ſui quidem primordiis liquidum eſſe, ſed præterea idoneum producendo copioſe Metallum, cuius characterem ſinu ſuo gerit, & ipſummet ſuſcipere, ac metallo, à ſe generando, vna cum duritie, ſoliditate & gravitate, cæteras qualitates per quas à reliquis metallis diſcrepat, communicare.

Etiamſi porro generatio, incrementum & perfectio Metallorum non æque ac in Plantis manifeſta ſint, nequaquam tamen in dubium revocari debent, imo admodum veriſimile eſt, quandoquidem metalla exiſtentiam ſuam ſucco metallico debent, quod illis ſeminis vicem præſtitit, proculdubio ex ipſis profundi ſuccum ſeminalem ſimilem, aptum renovandæ ac multiplicandæ ſpeciei non ſecus ac in Plantis: Neque cuipiam dubiæ eſſe debeat iteratæ illæ productiones metallicæ, quandoquidem experimento compertum eſt in mineris ſæpe regenita metalla, iiſdem in locis è quibus ſimilia alias eruta fuerant.

Etiamſi vero Sol principem in generatione locum obtineat, incremento & perfectione metallorum, neque tamen denegandus eſt illis cæterorum Aſtrorum influxus, quæ non minimum concurrunt: Nec enim immerito Antiqui unicuique metallo cujuſdam Planetæ nomen adſignarunt, imo cenſuerunt horum quodvis ſingulari adfinitate cum Planeta, cujus nomen gerit conjungi: Quandoquidem ipſe Aër, qui medius Aſtra & Terram interjacet, ex nonnullorum ſententia in ſe continet prima ſemina aut ſeminales diſpoſitiones rerum quas Terra proferre ſolet; neque dubium eſſe debet quin ab Aſtris has deducat, perpetuo in corpora omnia ſublunaria influentes: Imo huius rei ſenſibiles effectus in terræ ſuperficie obſervantur, tum quoad converſionem quarundam Terrarum in Lapides, quam regenerationem nonnullorum Salium, ac augmentum quorundam Metallorum, ſpeciatim Plumbi.

Authores ſex metalla à ſe invicem diſtincta agnoſcunt, quorum tres ordines conſtituunt; Illorum priori duo maxime nobilia & perfectiſſima accenſent, videlicet Aurum, cui Solis nomen indiderunt, tum ratione coloris flavi; tum ſingularium influxuum quos à Sole mutuari crediderunt; Deinde Argentum, quod Lunæ nomine donaverunt, tam ob colorem candidum, quam ob dominium ſingulare, ex eorum mente, hujus ſideris in id metallum.

In ſecundo metallorum ordine repoſuerunt Ferrum & Cuprum, vtpote minus nobilia, minuſque compacta, ac quoad ſubſtantiam impuriora, etiamſi dura & ſolida: Hæc vero ideo combinavere, & ratione inſignis diſpoſitionis ad mutuam conjunctionem, & quod ſubſtantia non admodum diſcrepent, Ferro Martis nomen adſignantes, Cupro autem Veneris, inſignem inter hæc metalla, ambóque hæc Sidera ſympathiam adeſſe rati.

Stannum tandem & Plumbum in tertio gradu collocavere, vtpote minus ſolida & dura, faciliuſque liquabilia: Prius Iovis nomine inſigni vere, poſterius autem Saturni, ob inſignem adfinitatem quam inter hæc duo metalla, ambóque ſidera finxere.

Prætermitto determinationem ab ipſis adſignatam unicujuſque horum metallorum, ad quaſdam corporis partes, pro variis influxibus Aſtri ipſas regentis, Aſtronomis hæc relinquens; præcipuus enim mihi ſcopus eſt præparationes maxime neceſſarias horum metallorum attingere, ab Auro ducto initio.

CAPVT XXXVII.

De Auri Præparationibus.

NEmo Auro titulum Regis metallorum derogat; quinimo etiamſi illius pretium, Argentum multum ſuperans, nedum cætera metalla, indicium manifeſtum illius excellentiæ non exhiberet, elegantia præterea, coloríſque fulgor, uniformitas & ſubſtantiæ ſoliditas, ac rubiginis immunitas, collectio & compactio partium, ortum illius gravitati præbentes, atque vis qua quamcumque ignis vehementiam eludit, citra ſubſtantiæ ullum detrimentum, aut ponderis, aliarumve qualitatum, ſatis aperte oſtendunt eius ſupra cætera Metalla eminentiam.

Probatiſſimi quique Authores cenſent, vti ſuperius dixi, Solem in Aurum dominium obtinere, nobilique huic metallo vim omnino ſingularem ad robur cordis ineſſe, ac fovendo æquali tenori caloris nativi humidique radicalis: Nihil equidem apertum deprehendo quod illorum ſententiam convellat quoad influxus Solis in Aurum, plurimi autem in hanc opinionem devenere, quamdiu Aurum ſtatu ſuo naturali fruitur, aut priori indoli reſtitui poteſt, etiamſi varias præpa-

tiones

rationes alterationeſque ſubierit, nullum ab ipſo inſignem in cor, cujus vi robur hoc accipiat,influxum expectandum, uti neque in aliquam aliam partem : Imo nonnulli contemptim habuere Antiquorum proceſſum, Auri bracteas confectioni Kermeſinæ remiſcentium ; Pulveribus Cardiacis aliiſve remediorum formulis ; afferunt quippe miſturam hanc Auri bracteati plus faſtus quam utilitatis obtinere.

Id equidem ipſis concederem ſi Aurum, quod omnem ignis vehementiam eludit, itidem calori naturali ventriculi humani obſiſteret, coadjuvantibus ſuccis diſſolventibus in ipſo obviis, nullam præterea ſubſtantiæ propriæ imminutionem experiretur, etſi omnium maxime ſit uniformis, compactiſſima & adſtrictiſſima earum quæ in rerum Natura occurrunt : At vero ex veriſſima Hiſtoria à me allata Volumine primo hujus operis, Cap. XX. Calorem ſcilicet naturalem Ventriculi commodiſſime, imo majori efficacia valere Aurum diſſolvere, non ſecus ac Aqua Regia illud in matratio diſſolvit, imo & nonnullas ipſius particulas in maſſam ſanguineam tranſmittere poſſe, exinde in univerſum corporis ambitum deferendas ; Prætermiſſa irradiatione quam Aurum ſingulis partibus, non ſecus ac Antimonium inferre poteſt : Sed quicquid adferri queat, cum nihil omnino ab uſu Auri metuendum ſit, cenſeo ab uſu bracteati abſtinendum non eſſe, dummodò priùs accuratiſſime depuratum fuerit, uti neque ab illo aliam præparationem perpeſſo, ſi hæc ex artis legibus peracta fuerit.

Auri Lotio perficitur ope Lixivii ex Tartaro & Sale communi parato, ſi ſordes exterius id inquinantes ſolummodo abſtergendæ fuerint : At vero ſi aliis metallis commiſtum fuerit, ſive è minera tale erutum, ſive ab additione artificiali, ad alia media confugiendum eſt, quorum præcipua ſunt Calcinatio, quam vocant Immerſivam, Fuſio & Calcinatio cum Antimonio, Fuſio & calcinatio cum Plumbo in catino probatorio, & Cæmentatio.

CAPUT XXXVIII.

De Calcinatione Immerſiva Auri, per Aquam Regiam Ubi obiter de Auro Fulminante.

MAtratio immittatur ea Auri lima detriti quantitas quæ depuranda venit, ſuperfundatur tertium vel quantum tantum pondus Aquæ Regiæ optimæ; Matratium imponatur Balneo Arenæ modice calenti, in quo cum Aurum diſſolutum fuerit, decantandus erit liquor limpidus in aliud vas, poſtmodum pauca Aqua Regia ſupra ſubſidentiam; quibus demum eodem Balneo paululum digeſtis, decantata poſteriori hac diſſolutione in priorem, relictoque in fundo Matratij pulvere cui Aqua Regia diſſolvendo impar fuit, diſſolutionibus affundendus erit liquor Tartari, aut ſpiritus volatilis Salis Ammoniaci, vel urinæ, quouſque nulla manifeſta adſit ebullitio, ac maxima Spirituum corrodentium Aquæ Regiæ pars, Auro derelicto, Sali fixo Tartari adhæſerit, aut ſali volatili Salis Ammoniaci vel urinæ, Aurum præceps in fundum vaſis colore flavum iturum eſt, quod plurium aquarum affuſione lavandum donec omnino inſipidum reddatur, qua ratione Aurum Fulminas, vi diaphoretica inſigne obtinere dabitur. Sed ſi huic Auro vis cathartica, à Salibus ipſi impreſſa, conſervauda fuerit, unica aut repetita lotio ſatis futura eſt; Calx iſta Auri igne miriſſimo exſiccanda eſt, exhibenda à tribus vel quatuor ad quinque aut ſex grana, ex aliquo conſerva aut condito.

Vehementia effectuum ſtupendorum iſtius Auri Fulminantis, Artificem ſumme cautum preſtare debet, tam in exſiccando quam adſervando & in uſum ducendo hunc Pulverem, nam vel à leviſſimo calore, accenſa parte volatili inflammabili Nitri, in Aqua Forti contenta, antequam in Regiam tranſierit, cum vis inferatur intima unitati quam Salium particulæ cum Auri particulis iniere, crepitus ex illis educitur major & penetrantior eo quem emittit pulvis pyrius; hunc conſequitur motus violentus, cujus effectus præſertim à ſummis ad ima vergit, ob renitentiam Auro obviam. Adeo ut aliquot grana Auri fulminantis, cochleari argenteo immiſſa, parte inferiori excalefacto, impetum faciant verſus huius fundum, flammam concipiendo inſignemque ſtrepitum edendo; ſcrupulus enim hujus calcis majorem effectum & ſonum editurus eſt quam ſemi libra exquiſitiſſimi Pulveris tormentarii.

At

At vero hæc Fulminatio verenda non eſt ab iſtiuſmodi Auro ore adſumpto ; Particulæ enim Salinæ illi remixtæ, quæ etiamnum tertiam partem illius ponderis conſtituunt. ab occurſu Acidorum in ventriculo, cum præterea dimittant auri particulas iiſdem Acidis ſe adſociaturæ, non modo liberantur ab unitate quæ illis cum Auro intercedebat, ſed prætcrea Acido adeo intime commiſcentur, ac proinde tam infractæ & fixatæ, ut omni violento motui edendo ineptæ ſint, atque Auro liberam poteſtatem faciant cunctus ſuas dotes exerendi.

Eadem de cauſa licet, non obſtante Auri diſſolutione per Aquam regiam facta, fulminationem illius inhibere, Calcem Auri ſpiritu Vitrioli humectando, Salis aut Sulphuris, priuſquam omnino exſiccata ſit; cum enim Acidum ſe adjungat particulis Salium arcte conjunctis Calci Auri, hinc diſſolvitur illa unitas, ac inhibetur impetus illorum mutuus accenſione contingente; Licet poſtmodum exſiccare Calcem Auri ſupra ignem, imo in crucibulo candefacere, aut colliquare, abſque vllo fulminationis metu.

Interim non parum miranda eſt illorum opinio, qui cenſent etiamſi ab Aqua Regia Pulvis Auri fuerit diſſolutus, aculeos ejuſdem ſuperficiarie tantum Auri particulas ſubiiſſe, ac hactenus tantum ut ſufficiat ſuſpendendis his particulis, ac prohibendæ illarum præcipitationi; Crediderunt porro ab hujuſmodi ſuſpenſione particulas has imperceptiles redditas fuiſſe; additis autem *oleo Tartari*, *& ſpiritibus volatilibus Alkali*, valeant iſtiuſmodi corpuſcula, motu ſuo & figuris impetum in Acida faciendo, hæc ſufficienter concutere, adeo ut divellantur & abrumpantur; ac poſtmodum Auri particulæ proprio pondere præcipitentur, Exiſtimant, inquam, iſtud Oleum Tartari, atque hos ſpiritus volatiles Alkalinos, ſcatere ſpiritibus ſumme actuoſis & efficacibus, qui occurrentes corporibus quieſcentibus hæc concutiant, ac celeritate motus eo modo convellant ut abrumpantur aculei quorum ope Aurum ſuſpenſum tenebatur, ab iſta autem actione pendere efferveſcentiam, exinde colligentes Aquam Regiam poſtmodum ineptam evadere diſſolutioni, quod penetrabili vi careat, aculeorum iſtius parte maxime acuta in Auro reſtibili.

Magna, inquam, admirationis cauſa ſubeſt circa ejuſmodi opiniones, ac primo, Quomodo fieri poſſit ut Auri limatura, ex ſe ſat craſſa & viſui obvia, ab Aqua Regia diſſoluta ſit ac viſum ſubterfugiat; interim aculei ejuſdem Aquæ ſuperficie tenus tantum dictas particulas attigerint? Secundo, qua ratione Pulvis Auri, in vaſis fundo initio admodum conſpicuus, viſum poſtea ſubterfugiat & deliteſcat? Ac præterea, quo

modo Aqua Regia potuit illum auferre, ſuſpendere, ac oculorum aciei præripere, cum illius particulæ ſuperficiem demum illius particularum ſubierint? Tertio, quæ Salia efficaciora obtineant Oleum Tartari, & Spiritus volatiles Alkalini, iis quæ inſunt Aquæ Regiæ, à quibus Aurum diſſolvitur, quod cæteris impervium eſt? Quomodo item Oleum Tartari, ac Spiritus volatiles Alkalini, commovere valeant, concutere ac convellere Acida, nanciſci hic corpora motui inepta, proprii autem celeritate, illa concutere, Acidorum aculeos obtundere, à quibus Aurum ſuſpenſum tenebatur, neque tamen partes Acidæ Aquæ Regiæ commoveantur, nec conjungant & confundant proprios aculeos cunctaſque particulas una cum iis quæ dictis Alkalibus inſunt? Quomodo, inquam, efferveſcentia poteſt contingere illis abſentibus, quandoquidem non ſecus accidere poſſet Auro non præſente? Quarto, qua ratione ſtatuunt Aquam Regiam iterum ad agendum idoneam fieri diſſolutione facta totius Auri quod diſſolvere valuit, poſtquam illius aculei, cunctæque particulæ confuſæ fuerunt Alkalinis particulis, ad præcipitationem uſurpatis? Quomodo iterum aculei Aquæ Regię adhærere potuerunt Auri ſuperficiei, neque tamen præcipitantibus obvii fuerunt, & ab illis diſſoluti, aut iis ſe adjunxerunt, non ſecus ac totam aquam Regiam amplecti ſolent?

Cum vero cunctæ hæ cogitationes falſorum principiorum ſint ſoboles, innixæ ratiocibus omnino ſibi repugnantibus & impoſſibilitatem arguentibus, ſat multa alias hac de re attuliſſe ſufficiat, ut amplius inſiſtere non debeam.

CAPUT XXXIX.

De Calcinatione Auri Immerſiva. Quartatione dicta.

Iſtiuſmodi, Auri Calcinatio Immerſiva Quartatio vocatur, quia commiſceri ſolet tribus Argenti partibus, catino expurgatorio probati, adeo ut miſturæ tertiam tantum partem conſtituat; Eapropter in forti crucibulo liquefiat Auri uncia una addi-

tis

tis Argenti puriſſimi unciis tribus; Ambo hæc metalla una collicata, in vas cupreum ſat capax aqua plenum infundantur granulationem faciendam, Eo enim pacto in vaſis fundum granulatim decident: his Granulis rite exſiccatis, atque Matratio exceptis, ſuperfunde Aquæ fortis optimæ tertium tantum pondus; Matratium autem Balneo arenę modice calido committendum erit, quouſque Argentum paulatim diſſolutum fuerit, Aurum vero in fundo præcipitatum Pulveris nigri ſpecie ſe exhibeat; Tunc decantato liquore limpido, Auro ſupernatante, in pelvim fictilem aqua repletam, huic iterum tantillum Aquæ fortis ſuperfundendum erit, ad omnimodam Argenti forte ſuperſtitis diſſolutionem; Poſtea decantato, commiſtioneque facta poſtremæ hujus diſſolutionis cum priori in pelvi fictili, aqua plena reſtibili, eluenda erit Auri calx aqua communi, quæ probe dulcorata & exſiccata crucibulo ad incandeſcentiam indenda, in quo intenſum adeptura eſt colorem, eo modo adſervanda, aut eodem in crucibulo liquefacienda, addito pauco Borace, demum in canaliculum cylindraceum effundenda, quo pacto puriſſimum Aurum comparare licuerit.

Tunc immittenda erit lamina cuprea diſſolutionibus Argenti affuſis, & in pelvi fictili, aqua repleta, reſervatis, Eo enim pacto ſpiritus corrodentes Aquę fortis ab Argento, quod diſſolverunt, abſcedentes, Cuprum amplexuri, Argentum aminæ adhæſurum eſt, aut fundum petiturum, in quo decantatione facta liquoris ſupernatantis, quem vocant Aquam ſecundariam, obvium futurum eſt: Tunc Calx iſta Argendi eluenda eſt, exſiccata autem adſervanda, aut ſi vis in crucibulo forti liquefacienda, addito pauco Sale Tartari, demum in canalem cylindraceum, pinguedine interius illitum, effundenda, ea ratione cylindrum Argentaceum puriſſimum obtinere dabitur.

Tunc laminam ferream Aquæ forti immergere licet, quo medio Aquæ fortis ſpiritus corroſivi, quibus Aes diſſolutum fuerat, eo deſerto ferro adhærebunt, calx autem cupri in fundum ſeceſſura eſt, ſicuti de argenti calce dictum, in quo deprehendenda eſt, ferri diſſolutionem in alterum vas infundendo: Deinceps Calx iſta elui poterit, exſiccari, aut eliquari, non ſecus ac Calx Argenti.

Poſſet etiam præcipitari Ferrum, adjiciendo illius diſſolutioni aliquot fragmenta lapidis calaminaris, aut Zincki, ac tandem præcipi-

tandæ novæ hæ ſubſtantiæ, affuſa illorum diſſolutioni Aqua Tartari, aut quopiam alio ſale fixo, diſſoluto in aqua, ſuperſtite illorum calce in liquoris fundo; Imo poſſet ex liquore filtrato extrahi Sal Nitrum, novæ Aquæ forti parandæ idoneum.

Calcinationes Immerſivæ, modo à me memoratæ Auri purificandi gratia, cum me ſenſim deduxerint ad calcinationes immerſivas quorundam aliorum metallorum, omnino incumbit onus rationes indagandi diverſorum effectuum in diſſolutionibus aut præcipitationibus omnium illorum metallorum obſervabilium.

Ac primo, Auri Calcinationem per Aquam Regiam quod ſpectat, hoc ratum eſſe debet, cum Aurum cuncta alia metalla ſuperet, imo omnia mineralia, tum puritate, gravitate, & partium arcta compagine, quam numero & exiguitate pororum, omnino confugiendum eſſe ad ejuſmodi Diſſolvens, cujus acuei eam ſubtilitatem obtineant ut dictos poros ſubire valeant, ac partium Auri diviſionem inducere, id quod ab aqua Regia omnino expectandum; craſſities enim & figura aculeorum Aquæ fortis cum immutata ſit, ſubtilitatémque adepta ab adjecto Sale Ammoniaco, vt in Regiam tranſire valeat, eam tenuitatem obtinent per quam Auri poros pervadere poſſunt, ac facile illius partes ſejungere & divellere, teſte experientia; At cum præ ſubtilitate & tenuitate aculei Aquæ Regiæ, neque ſatis viribus, neque motu ſufficiente polleant ad diſiunctionem partium aliorum Metallorum, quorum pori multo ampliores ſunt; neque ſufficienti craſſitie ſint donati ad adimplendos poros, ac partes ab invicem diducendas, mirum eſſe non debet ſi Argentum præcipitari in fundum permittat, cum id diſſolvere non valeat.

Fulminatio autem quæ Auro obtingit poſtquam ab Aqua Regia diſſolutum fuit, illiuſque effectus deorſum impetum habentes contra ignis genium, quod ſurſum vergit, multo magis illos in admirationem pertrahunt qui Chymicarum rerum rudes ſunt: Cauſam vero ego refero in partes Nitri inflammabiles, in aqua Forti contentas, quod baſis vicem præbet Aquæ Regiæ, acidis partibus ejuſdem Nitri commixtas, intime conjunctas tum parti Salinæ vrinoſæ & acidæ, & Salinæ fixæ marinæ Salis Ammoniaci, Tum Salinæ fixæ Liquoris Tartari, aut Salinæ volatili, quæ Auri præcipitationi impendi potuiſſet.

Id quoque cenſeo dicta Salia eo modo conjuncta, cum alte Auri poris immerſa ſint, neque exuant naturam Salium fixorum: quippe

pe quæ in igne permaneant, valide obſiſtere omnibus quæ divortium inter illa inducere poſſunt: adeo ut unitas prædictarum ſubſtantiarum, cum nequaquam immutaverit diſpoſitionem quæ quibuſdam Nitri particulis ad inflammationem concipiendam ineſt, ejuſmodi particulæ vehementer commotæ, ad occurſum ignis particularum, quæ motus ſui partem illis impertiunt, illico in flammam erumpant: at vero in conatu adhibito ut ſurſum vergant, cum determinatio hæc immutata ſit ad occurſum Salium fixorum & Auro conjunctorum, neceſſe illis ſit eo referri quo exitus illis patet, nam *qua data porta ruunt*, propulſiſque obicibus obviis ſummo nixu & fragore intenſiorem edant effectum quam ſi libertate naturali donati eſſent; Adeo ut Auri pori, & Salium, cum ubique ſibi ſimiles ſint, tum in centro tum in circumferentia, partes Nitri inflammabiles undique eodem impetu erumpant, partes Auri & Salium, quibus diſtinctæ coercebantur, æqualiter diffringant: Etiamſi enim illorum effectus à Natura ad inferna determinatus ſit, partes tamen ſuperiores & laterales æquali robore pollerent ſi Aurum fulminans concluſum eſſet in pyxide ibique flammam conciperet; etiamſi renitentia ſalium fixorum, aut, ſi mavis, Auri, non parum concurrat ad eum effectum quo inferius tendit, in hoc ſale præſertim obſervabilem.

Nonnulli Auri fulminationem adſcripſerunt gravitati & conſtrictioni partium illius metalli, etiamſi vero dictæ Auri qualitates non parum augeant efficaciam conjunctionis Salium, imo illis adſignanda ſit cauſa fragoris & ſtrepitus inſoliti, contingentis quando materiæ inflammationem concipiunt, Salia tamen pro præcipuis in fulminatione motoribus, atque pro *cauſa ſine qua non* habenda ſunt.

Dubium vero removebitur ſi illud perſpectum fuerit Pulverem fulminantem confici poſſe ex miſtura trium drachmarum Nitri electi pulveriſati, cum ſeſquidrachma Salis Tartari, & drachma una Sulphuris, etiam in pulverem deductorum; remiſta hæc congerendo in fundo cochlearis ferrei, infra autem leni ſubſido igne; ſtatim enim ac minima ignis particula particulam aliquam Nitri inflammabilem attingere valet, pulvis in flammam erumpit, vehementi edito ſtrepitu, minus tamen eo ſonoro qui ex Auro fulminante prodit.

Etiamſi vero Pulvis iſte fulminans eodem tempore in univerſa ſua circumferentia erumpat, affectus nihilominus, productus à renitentia Salis Tartari, conſiderationem majorem meretur, quip-

pe cum idem hic Pulvis certiſſime cochlearis ferrei fundum, ſi te-nue ſit, pertundat.

Effectus Aquæ fortis in Argentum quod attinet, quos in Aurum non exſerit, referendi tantummodo ſunt ad magnitudinem pororum Argenti, ac proportione reſpondentem craſſitiem aculeorum particularum Aquæ Fortis, ſufficienter quidem tenuium quoad unum extremum, quo ingreſſum ſibi parent, ſatis autem latitudinis obtinentium in altero, ad diducendas ab invicem Argenti particulas, craſſiorum tamen quam vt ſubire poſſint poros Auri, poſtmodum diviſionem illius partium inducere.

Præcipitationem Argenti per Laminam Cupream, eius diſſolutioni immiſſam quod ſpectat, atque effectum Aquæ Fortis in idem cuprum, quanquam infracta fuerit illius vis ab aqua in vaſe fictili contenta, in quam argenti diſſolutio infuſa fuerat, adſcribi ſolummodo debet mollitiei ſubſtantiæ Cupri, cuius partes infirmiorem compaginem obtinuerunt quam Argenti, atque conformitati pororum ejuſdem Cupri cum aculeis ſuperſtitibus in particulis Aquæ Fortis, etiamſi aliquanto retuſioribus à diſſolutione in Argento inducta.

Eadem ratio locum tenere debet ratione præcipitationis Cupro accidentis, atque diſſolutionis ab Aqua Forti laminæ Ferreæ demum inuſtæ; cum enim illius ſubſtantia adhuc mollior ſit ſubſtantia Cupri, ejuſque pori conformitatem obtineant cum figura aculeorum Aquæ Fortis, ad eam conditionem deducta eſt vt prius deſerat, poſteriori ſe adfixura.

Valet præterea eadem ratio quoad præcipitationem Ferri, & diſſolutionem Lapidis calaminaris & Zincki: Quoad Præcipitationem poſteriorum, ab illis ſuperaffuſo Spiritu Tartari, vel Sale fixo Nitri, adſcribenda ſolummodo fuerit conjunctioni Acidorum corrodentium Aquæ Fortis cum Salibus ejuſmodi fixis; Neque etiam in dubium revocandum quin eadem adjunctio fundamentum ſit illorum in Nitri corpus converſionis: Atque ex his conſpicua eſt ſubſiſtentia formæ interioris Nitri, etiamſi inſignes alterationes ab igne perpeſſum ſit, vel ab advocatis materiis extraneis in miſturam venientibus.

Prætermitto Calcinationes Immerſivas Auri hoc Aquæ Forti immiſſo, robur nactæ ab admiſto Sale Marino, vel Sale Gemmeo, vel ſpiritu Salis egregie rectificato, inſtitutas aut Oleo glaciali Antimonij, aliíſque liquoribus corrodendi vi præditis, ne tædium Lectori inducam.

CAPVT

CAPUT XL.

De Auri depuratione per Cæmentationem,
Et per Antimonium.

OB inſignem adfinitatem inter Cæmentum uſitatum ad Auri depurationem, & Cæmentum fabris Cæmentariis familiare, Authores huic operationi Cæmentationis vocabulum impoſuerunt: Cuius perficiendæ gratia ſubtilem in pulverem conterantur Laterum unciæ tres, Salis Ammoniaci uncia una, tantundem Salis Gemmei & Salis communis; quibus ſimul commixtis, vrina probe humectatis, ac in aëre libero exſiccatis, Auri purificationi deſtinati uncia una in tenuiſſimas lamellas deducenda erit, quibus in particulas minimas diviſis, ut crucibulo plana ſuperficie imponi poſſint; illorum quantitati, ſicuti & cæmenti proportione reſpondenti: Fundo Crucibuli cæmenti pulveriſati ſtratum immittendum erit, quod lamellis Auri cooperiendum; hæ cæmento, cæmentum autem laminis, in ſtratificationibus pergendo donec unaquæque lamina cæmento probe involuta & cooperta ſit, imo ſummam omnium ſuperficiem cæmentum accurate integat; Demum crucibulo imponendum erit tegmen dimenſum, in medio exiguo foramine pertuſum, cujus commiſſuris optime luto obductis, foramine non obturato, crucibulum igne Rotæ circumdandum erit; qui paulatim illi admovendus eſt, tempus concedendo evaporationi humiditatis materierum per foramen, cum vero nullus amplius fumus exiens conſpicuus fuerit, omnino obturato Crucibuli foramine, gradatim ignis augendus erit per novem aut octo horas, imo poſtremis duabus aut tribus horis carbonibus, accenſis id obruendo; poſtea ſponte refrigerato crucibulo, eoque decruſtato, educendæ erunt Auri laminæ, quibus de pondere aliquid deceſſit, ob conſumptionem à Cæmento inductam aliorum metallorum forte illi commixtorum; His elotis, abſterſis, atque in altero crucibulo fuſis, addito pauco Borace, liquefactum Aurum in canalem cylindraceum, pinguedine delibutum, infundendum erit, è quo purum, à cæteris metallis extricatum eximetur, quinimo & Argentum, ſi quod remixtum fuerit, quod nequaquam corroſioni iſtius cæmenti obſiſtere valet, uti neque alia metalla.

Per Antimonium Aurum purius efficitur hac proceſſus ratione, Optimo crucibulo uncia Auri committitur, pedamento ſuppoſito, medio in Fornacis anemiæ foco, in quo accenſo luculento carbonum igne, incandeſcere permittitur; demum adjiciuntur paulatim electi Antimonii pulveriſati unciæ quatuor, quod cito colliquatum in fuſionem etiam adducit Aurum: Materiæ in fuſione continentur donec nullæ amplius ſcintillæ prodeant, atque hinc judicium ferre liceat ab Antimonio quaſvis materias extraneas Auro commixtas, abſumptas fuiſſe: Tunc præſto ſit Cucullus ferreus idoneus, excalefactus, & pinguedine aliqua illinitus, cui infundendæ materiæ, ſtatim Cucullum percutiendo ad faciliorem Auri deſcenſum in fundum: Demum plane frigefactis, atque rite exſiccatis omnibus ſcoriis ſuperficiem obtegentibus, crucibulo immittitur, & Fornaci anemiæ, medio in igne luculento, Id colliquefactum, addito paulatim duplo pondere Nitri depurati, & in fuſione conſervatum donec Nitrum cunctas Antimonii ſcorias, aliaque inquinamenta reſidua abſtulerit, iterum infunditur Crucibulo ferreo, incalefacto & pinguedine delibuto, Sic emergit Aurum puriſſimum, coloris elegantiſſimi & ad quaſvis uſus idoneum.

Liceret & Aurum per catillum obryſæ depurare, cum præſertim ſolum remixtum eſt, fuſionem addito plumbo inſtituendo, metallis imperfectis: At cum Argentum Auro ſæpenumero confuſum reperiatur, ejuſmodi autem purificatio tunc temporis inutilis futura ſit, quandoquidem Argentum non obedit catillo obryſæ, ideo perraro rariſſime hujuſmodi depuratio in uſum advocatur: quamobrem de illa ſolummodo inter Argenti depurationes verba facturas ſum, ubi multo commodior eſt illius uſus.

Cum obvium ſit Aurum egregie depuratum apud Aurifabros, Monetarios, alioſque repurgandi peritos, inutilis videtur fuiſſe diſquiſitio mediorum illius purificationi idoneorum à me allata, at vero curioſitati quorundam ſatisfaciendum credidi, firmandaſque credidi præparatioues rationum momentis additis.

CAPVT

CAPUT XLI.

De Expurgatione Auri per Mercurium.

AMalgama vocant unitatem factam metallorum & Mercurij, una in maſſam mollem & tractabilem deductorum; poſtmodum ab invicem ſegregandorum calcinationis, beneficio, Mercurio in fumum fugato, qui à metallo ſecedit cujus poros ſubierat.

Amalgama Auri cum Mercurio omnium & uſitatiſſimum & conſideratione maxime dignum eſt;Hic autē eſt proceſſus, Imponantur duo exigua Crucibula Fornaci anemiæ, horum unum excipiat Mercurij cum cinnabari revivificati drachmas ſexi, alterum Auri, rite expurgati in lamellas tenuiſſimas deducti drachmam; hæ forfice minutiſſime diſſecentur; in ambitu crucibulorum accendatur ignis carbonum, cum vero Aurum incanduerit, Mercurius autem fumos exhibere inceperit, Aurum Mercurio conjungatur, unoque crucibulo ambo contineantur, virgula ferrea hæc commovendo; quo pacto ex Auri & Mercurij combinatione fiet Amalgama, in ſcutellam aqua ſemiplenam effundendum.

Hoc rite elutum, & manibus iterum atque iterum contrectatum & affrictum in prædicta aqua, ad ſordium abſterſionem, producturum eſt Amalgama lene, tractabile, digitis cedens, & fere unctuoſum; quod exſiccandum, & comprimendum alutæ rupicaprinæ commiſſum, ad expreſſionem portionis Mercurij quæ Amalgamationem ſubterfugit: Maſſa autem ſemunciæ pondus vix ſuperatura eſt, quod Mercurij reliqua pars ab igne exhalarit, vel per alutam evaſerit, quandoquidem Aurum ſibi illius ſubtriplum tantùm ſui ponderis adſumere poteſt.

Præcipiunt nonnulli Auctores Amalgama hoc exiguæ Retortæ immittendum, Mercurio autem igne leni & gradatim adhibito educto, pluribus vicibus iterari Amalgamationem; toties Mercurium in exiguum Recipiens recondendo, roſtro Retortæ admotum, ut Aurum eo pacto admodum ſpongioſum evadat, ac juxta eorum mentem, ineptum admittendo deinceps Mercurio; hunc ſibi coaptando.

Sed præterquam quod dubius eſt ſucceſſus, Operationum autem ejuſmodi diuturnitas & confuſio tædium allatura eſt, ſpe ille non excidet qui Amalgama iſtud crucibulo indiderit, igne mitiori accenſo, exhalato autem, non autem exaltato Mercurio, ſicuti quibuſdam viſum, Amalgamatio Auri, in crucibulo ſuperſtitis, recenti addito Hydrargyro inſtituta fuerit, etiam tribus vicibus dictas repetendo operationes; Poſt-

modum commiſcendum, leniterque incendendum, Auro inſpergendum ſex ex ſerie vicibus, duplum ad Aurum ſulphuris pondus, tam ad faciliorem illius reſerationem, quam ad cunctas Mercurij particulas abſtrahendas, forte reſiduas: Eoque pacto emerget Auri calx, cujus partes accuratiſſime diviſæ erunt, probe eluendæ, & ad uſus ſervanda eoſdem, eoſdemque morbos, ac non diſſimili ratione qua Aurum Fulminans adhiberi ſolet.

Ad majorem præterea perfectionem dicta Auri calx, probe eluta, commiſceri poteſt tertio tanto ponderi florum ſalis Ammoniaci, optime præparatorum & pulveriſatorum, omniumque Alembico cœco proportione reſpondenti, commiſſorum ſublimatio ex Balneo Arenæ, igne moderato inſtitui; demum repetitis lotionibus tota ſubſtantia florum ſalis Ammoniaci abſtracta, probet edulcorati Auri flores adſervandi, utpote præſtantiſſima omnium operationum quibus ſubjacere poteſt metallorum Rex.

CAPUT XLII.

De Calcinatione Auri per Cornu Cervinum.

ETiamſi exigua adpareat Cornu Cervini in Aurum efficacia, ſi præſertim illi remixtum fuerit ſolum id quod uſtionem paſſum, ſicuti præcipiunt iſtius præparationis Authores, ac præterea conſideratio tantum videatur habenda ſeparationis quam præſtat lamellis Auri, interjectum, hoc tamen veriſimile eſt ſi tempus conceſſum fuerit partibus ſubtilibus & volatilibus Coram cervini, in Aurum exſerendi actionem, quantum in ipſis eſt, futurum ut quodammodo illius partes pervadant, ac multum eo pacto conducant illius Calcinationi, accedente igne: Conſtat ſaltem, ſi ineptæ fuerint alterationi qualitatum Auri in ipſa calcinatione, licere in uſum trahere partes utiles Cornu Cervini, utpote quæ adeptæ ſint quandam exaltationem à mora cum Auro contracta; imo, forte, ob quaſdam particulas inter diſtillandum ab illo abſtractas, iſti methodo inſiſtendo.

Accipiatur ſemuncia Auri depurati per Antimonium; eo in tenuiſſimas laminas deducto, hæ in minutiſſimas particulas forfice dividantur, commiſcendæ libris duabus raſuræ Cornu Cervini, miſturaque hac grandi Retorta Argillacea, luto obducta, excepta, hæc Furno Reverberij clauſo committenda, poſtea admoto illius roſtro Excipulo rite loricato, ſuſcipienda diſtillatio igne gradatim accenſo, eadem proceſſus ratione ob-

ſervata

ſervata quam indicavi ad ordinariam Cornu Cervini diſtillationem: Demum ſponte refrigeratis vaſis, Recipiente decruſtato, effuſis in lagenam vitream denſam in eo contentis, optime occluſa lagena, in pelvim infundendæ erunt laminæ Auri cum ſubſidentia Cornu Cervini in Retorta ſuperſtitis, ſeorſimque repoſitis Auri laminis, iiſque commixtis duabus libris recentibus raſuræ Cornu Cervini, iterum omnia Retortæ committenda, ſuſcipiendaque nova diſtillatio; Imo ter cunctæ hæ operationes repetendæ ſunt; Poſtea effuſis laminis Auri cum ſubſidentia poſtremæ diſtillationis in ollam fictilem quæ ignis impetum ſubſtineat, appoſitoque illi operculo, luto probe obducendo, per triduum calori furni figulini committenda; poſtea materiæ frigefactæ, contritæque laminæ cum capite mortuo Cornu Cervini, eadem Olla excipiendæ erunt, reverberationem paſſuræ, beneficio ignis moderati ad aliquot horas, aut donec omnia adepta ſint colorem fere lateritium: Deinceps lotionibus adhibitis ſecernendum erit Cornu Cervinum ab Auri calce, fundum vaſis occupatura, quæ exſiccata ad uſus adſervanda erit.

Interim commiſtæ cunctæ ſubſtantiæ, in Receptaculo reperiendæ, ex triplici diſtillatione manantes, in Matratium prolixiori collo donatum infuſæ, Balneo Mariæ committantur, quo capitello ſuo inſtructo, adjunctum in roſtro gerens excipulum, accurate luto cunctis juncturis munitis, perficienda erit Rectificatio, eodem modo procedendo quem alias innui ejuſmodi materiarum gratia, Inde proditura ſunt Oleum & Sal volatile, proculdubio viribus non inferiora iis quæ è Cornu Cervino extrahi ſolent, nullo Auro admixto.

Silentio prætereo Calcinationes Auri in Furno Reverberij fieri ſolitas, ſive ſolitarium adpoſitum fuerit, ſive commixtum Sali communi, vel ſulphuri; ſat multis me ad tuliſſe confiſus, in normam plurimarum aliarum operationum.

CAPUT XLIII.

De Tincturis aut Extractionibus Auri.

CVm illorum imitator eſſe nolim qui rati ſunt poſſe ſe ſecernere Sal, Sulphur & Mercurium à quibuſvis metallis, ſpeciatim ab Auro; neque gloriari poſſim ejus rei conſequendæ me callere media, uti neque ullam Auri præparationem in medium adferre, qua peracta Aurum nequaquam priſtinæ formæ reſtitui queat; Forſan mirum alicui videbitur quod de illius Tincturis aut Extractionibus ſermonem adgrediar: At vero

ratum cum habeam ventriculi calorem ſufficientem eſſe perficiendis diſ-ſolutionibus & præparationibus,& ſpecialioribus,& magis intimis illis om-nibus quas Ars excogitare poteſt, impellor ut non omnino prætermittam quaſdam præparationes non contemnendus: Atque huc ut inferam illas quibus ſuperandis & digerendis ventriculus par eſſe videtur, ac ſeparatio-ni partium faciendæ, imo, quantum in illo eſt, extrahendo ſucco medi-co, aut alimentario.

Poteſt elici Auri Tinctura,hac ratione procedendo, Accipiatur ſemun-cia Calcis Auri optime reverberatæ, admodum ſpongioſæ, coloris rubri, fuſco proximi; hac Matratio immiſſa, affuſoque ſpiritu vini alkooliſato, additamento ſalis urinæ excitato, uſque dum Calci Auri ſuper emineat tribus digitis; hermetice matratium occludatur, digeſtioneque præmiſſa ſuper Piſtoris furnum impoſito Matratio, materias ex intervallis commo-vendo, menſis ſpatio ibi ſinendo, vel donec Tinctura ſanguinis ruborem adquiſierit, Recludendum erit Matratium, decantandaque Tinctura in lagenam vitream denſam, qua rite obturata, iterata fiet adfuſio recentis ſpiritus vini, acumen nacti ab adjecto urinæ ſale volatili: demum herme-tice occluſo Matratio, iterata digeſtio ſuſcipienda, tamdiu producenda quamdiu priori vice, imo iterato inſtituta, donec menſtruum nullum amplius induat colorem; Poſtea commiſtione facta, & digeſtione om-nium harum Tincturarum, in Matratio, cui impoſitum ſit Alembicum Cœcum,accurate luto munitum,per decem vel duodecim dies infunden-dæ erunt in Cucurbitam vitream, colli anguſti;qua commiſſa Balneo Ma-riæ tepido, Capitello ſuo inſtructo, admoto Excipulo illius roſtro, accura-teque luto obductis cunctis juncturis, igne leniſſimo maxima Tincturæ pars elicienda erit, ad ſimiles uſus adhuc deinceps adhibendæ; Conſpi-cuaque erit in fundo Cucurbitæ Tinctura Auri rubicundiſſima, olei pro-pemodum ſpecie, in quovis liquoris genere diſſolubilis, exhibenda à tri-bus aut quatuor ad ſeptem vel octo guttulas.

Poteſt & huic Tincturæ concentratæ adfundi quintupla aut ſeptu-pla portio ſpiritus vini rectificatiſſimi, præviaque aliquot dierum dige-ſtione, facienda abſtractio ex Balneo Mariæ tepido, imo repetitis vi-cibus, ad adfuſionem recentis ſpiritus vini ſupra Tincturam redeun-do, ſicuti ad digeſtionem & abſtractionem, exaltandæ gratia ulte-rius iſtius Tincturæ, nomine Auri Potabilis inſigniendæ, quippe quæ medicamentum perquam idoneum ſit roborando cordi, feren-diſque illi ſuppetiis in quibuſvis affectibus, ut & cerebri, aliarumve partium principum, humidum enim radicale tuetur, caloremque nati-vum illico recreat, ſpiritus vitales & animales inſtaurat, partibus robur ad actiones neceſſarium reſtituens & conſervans.

Quercetanus

Quercetanus miris laudibus effert Auri quandam Tincturam, cujus præparandæ ergo Calcis Auri digeſtionem in Aceto ſtillatitio inſtituit, uſque dum hoc menſtruum admodum rubrum fiat, demum decantata, & recondita hac Tinctura, recens Acetum calci affundit, donec nulla amplius prodeat Tinctura: Deinceps, abſtracta Balneo Mariæ maxima menſtrui parte, Tincturæ in fundo reſtibili ſpiritum vini rectificatiſſimum adfundit; addita per plurimos dies circulatione una cum Tinctura, abſtracto hoc ſpiritu, affuſoque recenti ſupra Tincturam, ac identidem repetitis hiſce operationibus, rubicundiſſima in vaſis fundo ſe exhibet.

Gruelingius deſcribit Vitrum, aut Rubinum Auri, concinnatque ex limatura ſemunciæ Auri puriſſimi, aut bracteis, & Antimonij Hungarici pulveriſati unciis octo, in crucibulo leni igne fundendis, poſtea in pelvim infuſa, & in tenuiſſimum pulverem deducta, diutinæ calcinationi exponit, eadem ratione qua calcinatur Antimonium cum in Vitrum id conflandum eſt, uſque dum cunctum Antimonij ſulphur omnimode deflagraverit, poſtmodum parte Pulveris exiguo crucibulo indita, pedamentoque Crucibulo ſuppoſito, in Fornace idonea, Pulverem ad fuſionem deducit, fuſumque pelvi cupreæ infundit, occurrente hinc Auro vitriformi, Rubino colore adfini, quod eximium cenſet & ad lenem Vomitum ciendum, Hydropemque curandum, cunctoſque affectus frigidos, Luem Veneream radice tenus exterminandam, dolores illius comitis mitigandos: Ad Peſtem etiam valere aſſerit, morboſque epidemicos, expurgandam ſanguineam maſſam, Pedagricos & Arthriticos ſublevandos, præbetque à grano uno ad duo.

Ex eodem Rubino, in pulverem ſubtiliſſimum contrito, educi ait Tincturam beneficio ſpiritus vini rectificatiſſimi, cujus duo cochlearia integra dare liceat, & nullo excitato vomitu, neque dejectione per imum ventrem, ſudorem efficaciſſime promoveat, ac morbos deſperatiſſimos curet, maſſam ſanguineam depurando, humores ad corruptionem vergentes emendando, cunctaſque corporis impuritates per inſenſibilem tranſpirationem excludendo.

Vlterius excreſcere poſſet hoc caput allatis non exiguo numero præparationibus Auri Potabilis, Tincturis, Extractionibus, aliiſque Auri præparationibus, plurimis in libris obviis, Eam vero ſolum amplector quam eruditiſſimus Dom Ioel Langelotius tranſmiſit ad Academiæ Naturæ curioſos in Germania, Epiſtola ad hos conſcripta, Francofurti edita anno 1672. ubi de obſcurioribus quibuſdam in Chymia agit: Ibi loci præcipit concinnari Molam Philoſophicam, cujus figu-

ram adducit, ex chalybe puriſſimo ſæpiſſime temperato; quam etiam exhibemus Tabula quarta huius libri.

Præcipit inquam, Aurum præparandum in laminas tenuiſſimas diduci, idem forficibus minutiſſime dividi, ac in machina prædicta conteri à mane ad veſperam, toto menſe, citra intermiſſionem, molam ſola charta appoſita integendo, prohibendi gratia ne quid impurum incidat, ac tandem iſtud Aurum, ad atomos fere deductum, excipi Retorta vitrea aliquantiſper plana, cujuſmodi ſunt utplurimum Anglicæ; qua Balneo Arenæ commiſſa, admotoque exiguo Excipulo illius roſtro, adhiberi per gradus ignem, initio mitem, ſub finem ad extremam vehementiam urgendum, exſtillantibus hinc guttis aliquot rubicundiſſimis; quæ digeſtioni ſeorſim expoſitæ, aut ſpiritui vini Tartariſato commiſtæ, in Aurum potabile legitimum tranſeant, quandoquidem nihil plane extraneum illi additum eſt.

Iubet etiam repetitam contritionem fieri, ope ejuſdem molæ, Auri in Retorta reſidui, quod in atomos ſicuti prima vice converſum, iteratiſque iiſdem operationibus quoties neceſſitas adfuerit, totum in liquorem tandem abiit.

Præparationem vero iſtam ad examen deducens ait, ipſam, etſi ſpecie ſimpliciſſimam, diuturnoque labore perfectionem obtineat, ſi accurate perpendatur rationi admodum conſonam deprehenſum iri, eo quod experimento crebro ſibi compertum ſit ejuſmodi triturationem, coadjuvante innata Chalybis, è quo conſtat hæc machina, proprietate, procul dubio admirandum Aëris ſal in ſe allicere, quod paulatim Auri poros pervadens, hujus diſſolutionem promovet: Molam præterea iſtam Chalybeam infinitis paraſangis præſtantiorem eſſe quibuſvis mortariis vitreis, vel aureis in hunc uſum advocari ſolitis.

Præparatio autem iſta nimis ſpecioſa eſt quam ut prætermitti debeat, imo curioſos & divites ad experimentum pellicere debet, tædio diuturni laboris, ad hanc præparationem requiſiti, & curæ adhibendæ ut mola affabre concinnata ſit, excuſſo.

CAPUT XLIV.

De Præparationibus Argenti.

ARgentum nunquam non metallum perfectum indicatum fuit; quod ad Auri perfectionem pluſquam quodvis aliud metallum accedat, etiamſi hac conditione non minimum ab illo recedat.

Lunæ

Lunæ nomen illi inditum eſt, tum quod colore & nitore hoc ſidus referat, tum ob influxus ſingulares quos ab illo ſuſcipit, vimque illi impertiuntur cerebrum ab affectibus, quibus obnoxium eſt, liberandi, non ſecus ac exiſtimatum à Sole in Aurum influxus commeare, ad defenſionem Cordis adverſus morbos illi infeſtos.

Argentum albedinem à candido ſuo ſulphure interno mutuatur, ſicuti Aurum colorem ſuum deducit à ſulphure rubicundo illi innato: Etiamſi vero ſulphur Auri multo perfectiorem digeſtionem obtinuerit, ac puritatem quam ſulphur Argenti majorem adeptum ſit, cum tamen poſterioris hujus puritas longe antecellat Sulphur cæterorum metallorum, Ferri, Cupri, Plumbi, & Stanni, ideoque metalli perfecti titulum, cum Auro illi communem, adeptum eſt, erclusis cæteris omnibus.

Argentum quodammodo ad ignem permanet,at non quamdiu Aurum, etiamſi purificationem ſummam, cujuſmodi capax eſt, nactum ſit, nonnihil tamen illius ſubſtantiæ decedit, ſicuti & ponderi, ſi diutius ignis examini ſubjectum fuerit: Imo neque diu Salium corrodentium impetum ſuſtinet, ſicuti idipſum obſervare eſt quando Auro commixtum Cæmentationi ſubiicitur; A ſalibus enim tunc temporis eroditur non ſecus ac Metalla imperfecta; cujus eventus cauſa non obſcura eſt; quandoquidem ſulphur internum, cunctæque Auri particulæ longe puritate præcellunt, compactiores ſunt ac magis conſtrictæ quam in Argento, quæ cõvenientis digeſtionis,ac perfectionis indigæ, poris præterea inſignioribus interſtinguuntur, qua de cauſa Argentum ſubſtantiã conſequitur minus adſtrictam & coadunitam, adeo ut firmitatem & ſoliditatem debitam non obtineat, ideoque tam firmiter non obſiſtat, nec citra aliqualem diſſipationem iiſdem vexationibus quibus Aurum exponitur quin alterationem ſubeat, aut quantitatis propriæ & ponderis decrementum: Eapropter etiam Argentum minus Auro extenſibile eſt, aëriſque impreſſiones multo facilius excipit, ſicuti id obſervare eſt in vaſis argenteis divo expoſitis, noctu præſertim, quandoquidem candore nativo exuto rubicundum utcunque cum fuſcedine, ſi præſertim impurior fuerit aër,induunt.

Impuritates naturales Argento, quandiu intra mineram eſt, commiſtæ, aliaque metalla aliunde ipſi ad venientia, artifices ad hujus expurgationem impellunt, mediaque indaganda quibus hanc perficiant: Lotiones equidem adhibentur ad terreſtrirum partium, particulas illius inquinantium detractionem, quandiu mineræ adhuc remixtum eſt, ac deinceps ignis, ut in maſſam cogatur; At vero cum Aqua nequaquam craſſioribus & ſolidioribus quibuſdam impuritatibus auferendis par ſit, etiamſi ſuperficie tenus id inquinantibus, Argentum in lixivio ex Tartaro & ſale Marino confecto excoquitur, ſicuti id in more eſt apud Auri

fabros Argentum de albaturos : Attamen ejuſmodi lixivium proculdubio particulas quaſdam metallorum imperfectorum diſſolvit, Argento in ſuperficie ſolum commixtas, quinimo & quaſdam propriæ Argenti ſubſtantiæ particulas; at cum quantitas illa admodum ſit exigua, ideoque illi Aurifices non attendunt.

Calcinatio immerſiva ad Argenti expurgationem non admodum commoda eſt, quandoquidem cum ab illa diſſolvi queant nonnullæ particulæ metallorum imperfectorum, Argento commiſtorum, vix eo pacto puritatem illius adipiſci licuerit : Scopum forte melius aſſequi dabitur Fuſione Argenti in crucibulo, adjectoque repetitis vicibus tantillo Nitro puriſſimo, ibi accendendo ; At cum nec hujuſmodi expurgatio par eſſe queat quibuſvis Argenti impuritatibus detrahendis, ad Plumbi auxilium confugiendum eſt, cujus ſolum beneficio abſumi queant quævis metalla imperfecta, ſi quæ Argento commixta ſunt, aut ab eo ſecerni, ut inde ſcoriæ quædam excernantur, de quibus ſubſequenti capite verba facturus ſum.

CAPUT XLVI.

De Auri expurgatione per Plumbum.

Etiamſi Auri pori multo quam Argenti conſtrictiores ſint, poſterioris autem hujus multo magis quam cæterorum metallorum, ea tamen ratione diſpoſiti ſunt ut accedente Fuſione metalla imperfecta, commiſceri ſolita, intime illis ſe adjungant, ſicuti in illorum conjunctione cum Plumbo in catillo obryſæ ad tempus id obſervare eſt, aut in artificiali concretione à monetariis artificibus, aut Aurificibus inſtituta cupri cum perfectis hiſce metallis : Concretio hæc, Aſicuti nonnulli exiſtimant, nequaquam ſuperficiaria eſt, alias Lixivia, ex ſalibus acribus & corrodendi facultate præditis parata, ſatis eſſent ad detrahenda metalla hæc imperfecta : Sin porro horum coitio ſuperficiaria eſſet, cum una fuſioni expoſita fuere, inutile eſſet Plumbi additamentum, ſicuti & Antimonij, necnon alia media uſitata ad expurgationem Auri & Argenti, & ſecretionem quorumvis metallorum imperfectorum ipſis commixtorum.

At vero Plumbum ad depurationem Argenti adhiberi ſolet, quia cum facile fuſioni obediat, cæteraque metalla ipſi conjuncta prompte ad colliquationem adducat, eodem tempore illorum poros ſubit : Cum porro ramoſis partibus conſtet, ſulphureis, ac cito in vaporem ſolubilibus,

facillime

facillime cæteris metallis intricatur, illorum particulis conſociabilibus ſe intime adjungit,illaſque ad exitum una moliendum ex poris Argenti impellens, prout ignis per Catillium expurgatorius illa conſtringit, ita eadem ſecum fumi ſpecie aut ſcoriarum excludit. Si enim naturalis pororum Auri conſtrictio, aut Argenti, prohiberet ingreſſum in poros metallorum imperfectorum, & cum illis conjunctionem, quandiu in fuſione verſantur: Vel ſi ſolius fuſionis beneficio metalla illa perfecta priſtinæ integritati poſſent reſtitui, ex illorum poris metalla imperfecta excludendo, quæ fuſionis tempore priora ſubiere, vel alia quapiam via, omni alio ſubſidio pronum eſſet carere; Sed cum mediis prædictis id conſequi non liceat, experimentis autem felicibus alia cum ſint confirmata, ideo Plumbum ad hujuſmodi repurgationem uſurpari ſolet, Eapropter etiam ſequentem methodum adducturus ſum.

Quibus non omnia requiſita ad depurationem Argenti à Plumbo ſuppetunt, iis ſatis eſt Crucibulum forte, ſuppoſito pedamento, in media fornace anemia collocaſſe, accenſo in toto ambitu igne carbonum luculento, id Crucibulo candenti immittunt, exempli gratia, Plumbi uncias quatuor; cui liquefacto infundunt Argenti unciam unam, quod Plumbo commiſtum facillime funditur, demum ignem lucu'entum circumcirca Crucibulum fovent, quouſque Plumbum, aliaque metalla imperfecta, ſi quæ Argento commixta ſint, in fumum diſcedant, aut in ſcorias convertantur, ſupra Argentum eminentes, quod purum ſuperſtes erit, ſolidum & candidiſſimum in fundo crucibuli: Ejuſmodi ſcoriis Lithargyri nomen impoſitum fuit, quia ab expurgatione Argenti reſidua lapidum fere ſoliditatem obtinent.

Ii vero quibus plurimum Argentum expurgandum eſt, ſuppetunt vero affatim Catilli expurgatorij, Fornaceſque idoneæ, faciliori & compendioſiori via ſcopum aſſequuturi ſunt; Impoſito enim Catillo lato & denſo, intra conceptaculum ferreum proportione reſpondens; hoc vero idoneæ Fornaci, poſtquam paulatim incanduerit Catillus intra Conceptaculum, ope Ignis circularis, Plumbum Catillo expurgatorio exceptum liquefieri curant, ac demum Argentum in Plumbo; demum luculentum carbonum ignem circumcirca conceptaculum foventes, tandem Argentum ſolum depuratum ſe exhibet, conſiſtentia alba & dura medio in Catillo expurgatorio, poſtquam Plumbum, aliaque metalla in auras abrepta ſunt, vel in ſcorias ſeceſſerunt.

At vero cum nunquam deſit occaſio Argentum, per catinum expurgatorium depuratum, ſibi comparandi, eapropter hæc illud expurgandi ratio per aquam raro in uſum adducitur: Adde quod internus Argenti uſus neque creber, neque magni momenti eſt, ut:

commodi quidpiam in Pharmocopœa redundet ex hujuſmodi ſuſcepto labore.

Miſſa facio Amalgamata, confici ſolita ex Argento Mercurio commiſto, ſicuti & Cementationes in Furno Reverberij inſtituendas, utpote vix utiles, nec neceſſarias.

CAPUT XLVI.

De Diſſolutione & Cryſtalliſatione Argenti.

Apud plurimos Authores ſanitum eſt irrito labore ex Argento, uti & ex Auro, requiri remedia interna ad curationem quorundam morborum, quandoquidem omnes Calcinationes, ac variæ Argenti vexationes, in illius præparatione, nequaquam prohibent quominus priſtinæ reſtituatur formæ, eaſdemque iterum induat qualitates quas ante partium diviſionem obtinuerat.

At cum à me ſuperius obſervatum fuerit Ventriculi calorem nativum idoneum eſſe perficiendis digeſtionibus, diſſolutionibus ac ſeparationibus Auri, nequaquam fictitiis, & utilioribus cunctis illis quas ab igne quovis artificiali ſperare eſt; hinc colligendum videtur, cum Argenti particulæ minus compactæ ſint quam Auri, ideo magis proclives eſſe penetrationi, diſſolutioni, & digeſtioni admittendæ, beneficio ejuſdem caloris ventriculi, coadjuvantibus illius innatis diſſolventibus, Neque contemnendas eſſe præparationes quas ſuſcipere aptum natum eſt.

Simpliciſſima Argenti præparatio, ejuſdem eſt Diſſolutio & Cryſtalliſatio, vel in Cryſtalla concretio, cujus perficiendæ gratia, Cucurbitæ vitreæ, Balneo arenæ commiſſæ, modice excalefacto, immittitur uncia una Argenti in Catino expurgati, & granulati, aut in lamellas vel bracteas deducti; affuſiſque poſtmodum ſpiritus Nitri optimi unciis tribus, à partibus ſubtilibus & penetrabilibus hujus ſpiritus, in tumultum ingentem excitatis, indeque ingenti incendio concepto, pervaſio fit & diſſolutio totius ſubſtantiæ Argenti: poſtmodum motu ſpiritus Nitri aliquantiſper ſedato, vaporibus rubicundis, qui ſupra diſſolutionem conſpicui fuerant, diſcuſſis, vaſiſque refrigeratis, decantandus liquor in aliam Cucurbitam; qua eidem Balneo iterum impoſita, & capitello proprio munita, illius commiſſuræ luto inveſtiendæ erunt, admotoque hujus roſtro exiguo Receptaculo loriceto, igne moderato extrahendæ circiter tres quadrantes ſpiritus Nitri, eum in finem

finem uſurpati; demum ſponte refrigeratis, decruſtatiſque vaſis, in fundo Cucurbitæ obvia erunt Argenti Cryſtalla, illis ſupernatante diſſolutionis portione quæ Cryſtalliſationem ſubterfugit, qua decantata in aliam exiguam Cucurbitam, licebit eodem Balneo iteratæ evaporationi ſubiicere ad pelliculam uſque, Cryſtalliſationem abſque igne perficiendo; vel ad omnimodam exſiccationem ope ejuſdem Balnei perduci poterit, Calcem iſtam Argenti poſtmodum adſervando in lagena vitrea denſa rite obturanda, prius repetitis lotionibus optime edulcorata, omninoque eo pacto ſpiritus Nitri particulis deliteſcentibus diſcuſſis.

Cryſtalla in Cucurbita reſidua quod attinet, poſt accuratam exſiccationem in lagena vitrea denſa ad uſus cuſtodienda erunt, Expurgandum videlicet Cerebrum ab humoribus ſupervacaneis, curandam Epilepſiam, Apoplexiam, Lethargum &c. exhibendo ex Vini unciis quatuor, luſculo, aliove liquore idoneo, pondere ſemigrani vel ad grana duo, non, ex quorundam mente, ad decem uſque vel duodecim, prohibente ſcilicet effectuum vehementia, vique cauſtica eximia, ſummam ejuſmodi doſim; Imo monendum omnino arbitror doſeos horum cryſtallorum deductionem ad grana quinque vel ſex, recens excogitatam, ſuperfluam etiamnum eſſe, ad ſummum una vice grana duo præſcribenda eſſe, niſi quis experimento pœnitendo diſcere velit ejuſmodi Cryſtalla, majori quantitate exhibita; tunicas ventriculi corrodere poſſe, ac non ſecus veneno inficere quam ſublimatum corroſivum.

Spiritus exinde elicitus uſui iterum eſſe poterit ad diſſolutionem Mercurij: Cryſtallis Argenti nomen Vitrioli Lunæ nonnulli indidere.

CAPUT XLVII.

De Tinctura Argenti.

MAtratio indatur Vncia una Argenti in Catino expurgati, granulati aut bracteati, Illi ſuperfundantur unciæ tres ſpiritus Nitri optimi: Exponatur Matratium Balneo Arenæ modice calenti, inibi detinendum quo uſque Argentum à ſpiritu Nitri omnino diſſolutum fuerit; Demum ab immiſſa Salis Marini ea quantitate quam abſorbere valuerit libra una Aquæ communis, filtratione præmiſſa, & infuſione in pelvim fictilem mundam, Argenti diſſolutio in hanc decantanda, in Matratij fundo relictis paucis fæcibus ſi quæ ſuperſtites fuerint: Eo pacto, à

combinatione partis Acidæ Salis Marini, Partis ſalinæ ſulphureæ volatilis ſpiritus Nitri, ac partis ſalinæ fixæ ejuſdem ſalis, intime ſe adjungentis Acido ejuſdem ſpiritus, hic proculdubio receſſurus eſt ab Argento à ſe diſſoluto, infra præcipitando, quod eo citius futurum eſt ſi non exigua copia aquæ fontanæ ſuperfuſa fuerit, aut fontanæ vel fluviatilis, ſed limpidæ per linteum tranſmiſſæ ſuper materias: Nitri enim ſpiritus vires cum undique infringantur, ideo præcipitatio fiet ad imum ſingularum Argenti partium, à dicto ſpiritu diſſolutarum.

Adeo ut nequaquam neceſſe ſit, ſicuti perperam quidam exiſtimant, quandam commotionem aut concuſſioné, inductam ab Aqua ſalita ſpiritui Nitri, aut Argento comminiſci, ad præcipitationem illius in fundum ſollicitandam, quandoquidem nulla commotio, aut validiſſima etiam concuſſio iſtius diſſolutionis, ſive brachiis facta, ſive aliis mediis, quantumvis & gravioribus & ſolidioribus ipſo ſale Marino, id unquam præſtituræ ſunt quod partes ſalis Marini, abſente quovis ſuccuſſu & jactatione, effecturæ ſunt, conjunctæ particulis Nitri ſpiritus, Argenti adimplendo poros, dum partes aculeatæ ſpiritus Nitri viciſſim ſubeunt exigua intervalla ab illis omiſſa.

Veriſſimum id eſſe deprehenſurus eſt quiſquis ad pelliculam uſque in vapores faceſſere permiſerit liquorem Argenti calci ſupernatantem, poſtquam hæc præcipitata fuit; In fundo enim vaſis conſpicuum futurum eſt Sal Cryſtallinum, conſtans ex Sale Marino & ſpiritu Nitri, quæ ſeſe combinavere quando Argenti præcipitatio contigit.

Peracta hujuſmodi Præcipitatione, ſinendum ut Calx Argenti ſubſideat, demum decantato liquore limpido qui ſupereminet, iterum atque iterum illa aqua pura affuſa eluenda erit, quouſque omnino dulcorata ſit, quæ poſtea exſiccata matratio indenda additaque ſemuncia ſalis volatilis Tartari, ac tantundem ſalis urinæ, ſuperaffuſis adhuc ſpiritus Vini rectificatiſſimi unciis duodecim, imponendum erit Matratio aliud minus, quod Alembici cœci vices teneat; accurateque commiſſuris, veſica madida admota, loricatis, Vas arenæ immittendum erit ſupra Piſtoris furnum, inibi detinendum ſpatio quindecim aut viginti dierum, per vices materias verſando, donec ſpiritus Vini fuerit adeptus colorem cœruleum elegantem: Tunc decruſtanda erunt vaſa, ac decantanda Tinctura in ampullam vitream denſam, quæ accuratiſſime occluſa talis adſervanda erit ad uſus; vel exigua Cucurbita vitrea, colli anguſtioris, excepta, Balneo Vaporis commiſſa, ſuperindito Capitello proprio optime luto inveſtito, eliciendi erunt circiter duo trientes ſpiritus Vini, derelicta in fundo Cucurbitæ Tinctura concentrata, ſicuti prior conſervanda.

Tinctura hæc nihil aliud eſt quam diſſolutio particularum quarundam Argenti,

Argenti, ope ſalium volatilium Tartari & Vrinæ divulſarum, demum beneficio ſpiritus vini exaltatarum.

Eximiæ hæc utilitatis eſſe cenſetur contra Apoplexiam, Epilepſiam, Vertiginem, Hemicraniam, alioſve cerebri affectus, exhibendo hanc Tincturam à quinque aut ſex ad duodecim & quindecim guttas.

Addi poſſunt Calci Argenti, in matratio relictæ, eadem cum illa quantitate, ſpiritus volatiles Tartari & Vrinæ, ac ſpiritus Vini rectificatiſſimus; Iterumque impoſito ſuper Matratium Alembico cœco idoneo, lutoque obductis juncturis, repetitiſque iiſdem commotionibus & digeſtionibus, recens extrahi Tinctura.

Sed & poſtmodum in uſum adduci poteſt Calx Argenti in matratio ſuperſtes, fuſione præmiſſa, & detonatione paulatina, in Crucibulo candente, unciæ unius Tartari, tantumdem ſilicum pulveratorum, Nitri puriſſimi unciarum quatuor, ac carbonum pulveratorum drachmarum duarum; liquefactas has materias in mortarium calens infundendo; quæ cum refrixerint, contritæ cum æquali pondere calcis vivæ crucibulo excipiantur, committanturque Igni fuſorio, tunc Calx iſta priſtinum Argenti corpus reſumptura eſt, utile poſtmodum ad quaſvis ſicuti prius præparationes.

Salia fixa Tartari & Nitri hic omnino requiruntur, ad coërcendam volatilitatem ſalium Vrinæ & Tartari, quibuſcum Calx Argenti digeſtionem ſubiit, ſicuti & ad fixationem partium iſtorum ſalium, quæ poros Calcis intime ſubiere, & abſque dictis ſalibus fixis, dum evaporatio fit, partem illorum ſecum abſtractura eſſent.

Pulvis Carbonum ſalibus & ſilicibus commixtus, detonationem Salium promovet, ſicuti & exhalationem ſpirituum volatilium Nitri, effectus ſalium fixorum impugnantium, quæ ſola hic requiruntur.

Nonnulli adpoſitiſſime Tincturam Calcis Argenti per Vitrioli ſpiritum, dulcificatum à ſpiritu vini rectificatiſſimo abſtrahunt, juxta methodum à me traditam capite illi proprio: Neque Tinctura iſtiuſmodi ulla ratione inferior eſt illis quas plurimi Authores exhibent, quarum deſcriptio Lectori tædium induceret.

Hæ Tincturæ Argenti nomen Lunæ Potabilis adſumpſerunt, ad ſimilitudinem Tincturarum & Auri Potabilis.

Plurimas Argenti præparationes hic prætermitto magis curioſas quam neceſſarias, ſatis fuerit huc adtuliſſe præparationem Lapidis Cauſtici, ratione ſequenti perficiendi.

CAPUT XLVIII.

De Luna Cauſtica, vel Lapide Infernali.

ARgenti per catinum expurgati, granulati, vel in lamellas deducti, unciæ quatuor excipiantur Cucurbita vitrea idonea; ſuperaffundantur Aquæ fortis optimæ unciæ duodecim; commiſſa Cucurbita Balneo Arenæ moderate calenti: ibi detineatur donec Argenti ab Aqua Forti diſſolutio abſoluta ſit, Imo, ſi lubet, ab indito Cucurbitæ Alembico idoneo, pauloque intenſiori reddito igne Balnei, poterit abſtrahi media circiter pars Aquæ Fortis, utilis futuræ cuipiam Mercurij diſſolutioni.

Alias illius evaporatione procurata ad medias,ejuſdem Balnei ope,ſponte refrigerata,& in cryſtalla deducta ſubſidentia, crucibulum Germanicum ſolidum,pedamento ſubdito,immittendum erit medio foco parvæ Fornacis,accenſoque in ambitu exiguo igne carbonum, crucibulo imponenda erit pars Cryſtallorum diſſolutionis Argenti, paulatim evaporatione facta maximæ partis ſpirituum Aquæ Fortis, addendo iteratis vicibus cætera omnia Cryſtalla, adhibito recto ignis regimine, ne ſi forte materia in fervorem raperetur, crucibuli oras excederet ac effunderetur; In eo tenore illum producendo donec Argentum propemodum in crucibulo exſiccatum adpareat, vapores autem rubri, ex Aqua Forti ante emiſſi, evaneſcere incipiant: Eo tempore Ignis aliquantiſper intendendus ad promovendam Argenti fuſionem, quod, præeuntibus levibus quibuſdam ebullitionibus Crucibuli fundum petiturum eſt: Cum vero animadverſa fuerit conſiſtentia Oleo craſſo ſimilis, volſellis validis arripiendum erit Crucibulum, leniterque Argentum liquefactum idoneis canalibus cylindracis infundendum erit, prius excalefactis & ſebo delibutis, hos invertendo & ſupra menſam concutiendo; fruſta poſtmodum pyxidibus excepta recondendo, vel vaſis aliis idoneis; adeo ut Aëris humiditas ſubire nequaquam poſſit, lapidem emollitura ac vim illius cauſticam infractura.

Lapis iſte citiſſime cauſticam vim imprimit partibus quibus admovetur, ſive fuerint carnes ſive oſſa, dummodo leviter madefacta fuerit extremitas lapidis, aut locus ipſemet cauterio inurendus, qui effectus adſcribendus videtur poſtremis ſpiritibus Aquæ fortis intra Argenti poros ſuperſtitibus, una cum ipſo lapideam formam adeptis, qui citius, tardius operationem exſerunt, majori aut minori vehe-

mentia.

mentia prout diſſoluti fuerint ab uberiori vel pauciori humiditatis copia.

Neque tamen exiſtimandum Argentum in Aqua Forti diſſolutum, vel ſpiritu Nitri, Cauſticam vim ſolummodo adeptum eſſe, quando una cum ultimis ſpiritibus lapideam nactus eſt naturam, Cryſtalla quippe Argenti, materiam lapidi præbentia, ipſo lapide magis ſunt cauſtica; Simplex Argenti diſſolutio, in Aqua forti facta, majori celeritate & vehementia adurit ipſis lapidibus & Cryſtallis, teſte experientia, nam ſi forte guttula in manum reſiliat, vel vultum Artificum aut aſſidentium in ipſa præparatione, illico vim aduſtoriam depromit, imo penitus ſe immergit, niſi protinus elotus fuerit locus illam excipiens, infringendorum gratia & delendorum ſpirituum cauſticorum Aquæ Fortis.

Neque id mirum, nam cum Aqua Fortis nullam fere particulam obtineat quæ cauſtica non ſit, Salia actioni demum prodendæ idonea redduntur quando fuere diſſoluta; Id quoque manifeſtum eſt Lapidem infernalem nequaquam uſtorium eſſe quamdiu aridus eſt, ſed humore indigere ut in effectum deducatur; Eadem etiam de cauſa diſſolutio Argenti in Aqua Forti multo celerius adurit ipſo lapide infernali, eo quod non ſolum liquida eſt, ſed etiam quia ejuſmodi naturam adepta eſt ab Aqua Forti, vel à Spiritu Nitri; quæ quamvis actu liquida ſint, facultate nihilominus cauſtica quoad ſingulas partes prædita ſunt, ſolaque agere valent & præſtare id quod omnino ſuperat qualitatem Aquæ communis, adhibendæ ad diſſolutionem, & promovendam actionem partium Salinarum in lapide infernali contentarum.

CAPUT XLIX.

De Præparationibus Ferri.

FErrum, Cuprum, Plumbum & Stannum, metalla imperfecta ideo vocatur, quod illis deſit Auri & Argenti puritas, partes minus compactas obtineant, ignique impetum non æque ſuſtineant: At vero etiamſi longe inferiora ſint Auro & Argento, illiſque imperfectiora, Ars tamen Chymica plurima & præſtantiſſima ex illorum ſinu depromit remedia, præſertim ex Ferro, quamvis conflatum ſit ex Terra, Sulphure & Sale impuris & imperfecte digeſtis, prave coalitis: Quo fit ut ſi diutius igni admotum fuerit, totum pene paulatim in ſcorias diſcedat, imo neque aëris injurias impune ferre poſſit, qui id pervadit ſucceſſuque temporis erodit.

Ferro Martis nomen inditum eſt, vel quia uſurpari ſolet ad armorum

fabricam, quorum Martem Ethnici Deum conſtituerunt; Vel ob influxus quos à Planeta cognomine id excipere creditum eſt.

Chalybis etiam nomen gerit Ferrum, quando illius ſubſtantia univerſa expurgata eſt,partes autem compactiores; Eam naturam adeptum cum per aliquot horarum ſpatium Ferreæ ſudes intenſo igni commiſſæ fuerint, additis cornubus bubulis aliorumve animalium, carbonibuſve ſalignis aut faginis, quorum ope abſumptis partibus maxime terreſtribus & impuris Ferri, expurgantur & adſtringuntur, compactioreſque fiunt partes præcipuæ: Vel etiam poſtmodum prædictas ſudes ad excandeſcentiam uſque excalefaciendo, ac demum per vices in aquis aut decoctis adſtrictoria vi præditis extinguendo,ad majorem ferri partium compagem obtinendam.

Impuritatum cauſa, quibus ſcatere ſolet Ferrum, ſolus Chalybs ad cunctas præparationes, quas id metallum ſubire debet, in uſum adduci ſolet, eligendo utplurimum illius limaturam, eam præſertim quæ ex acubus deteritur,utpote omnium puriſſimam,quam nullo negotio comparare licet:Attamen nonnunquam uſurpantur Maſſulæ, aut Laminæ Chalybeæ, adhibitis præparationibus neceſſariis.

Iampridem acri ſtudio diſquiſitum eſt, cur Chalybi adſignatæ fuerint duæ qualitates ſibi repugnantes, aut ſaltem quoad effectus admodum diſſimiles, Aperitiva videlicet & Adſtrictoria? Eo major vero occurrit difficultas quod nequaquam diverſæ hæ partes, Chalybem componentes, ab invicem diſtincte divelli queant, quæcumque demum cura adhibita fuerit: Fruſtra enim quis pollicitus fuerit vel Sal, vel Terram, aut Sulphur diſtincta, quandoquidem quaſcunque id ſubierit præparationes, quoad univerſam ſubſtantiam ſibi ſimile ſemper adparet; etiamſi veroſimile ſit ſal proprium, atque ſulphur interna, aliquam diſſipationem perpeſſa eſſe.

Quandoquidem vero ſecerni nequeunt diverſæ illius ſubſtantiæ, ſecus ac ſeparantur in Animalibus, aut Vegetabilibus, fruſtra quis adſignatum iverit vim Aperitivam illius ſali, Adſtrictoriam autem Terræ qua pollet: Cum enim nunquam à ſe mutuo divellantur, ac ſemper conſociabilia ſint, combinata tantum effectum editura ſunt, ac conjunctim excepturа ſunt probas aut improbas qualitates ipſis inducendas; Adeo ut admodum probabile ſit Martem effectus ſolum edere pro ratione Præparationum quas ſubiit, aut, ut ſatius dicam, pro varietate ſuccorum, acidorum aut ſalinorum, volatilium aut fixorum, ſimplicium vel compoſitorum, quos in ventriculo obvios habuerit.

Sæpe enim uſu compertum eſt, ſimplicem Chalybis limaturam, omnis præparationis expertem, ore aliquot diebus ex ordine mane adſumptam, imo teneriori conſtitutione præditis præſcriptam,

non

non modo in ventriculo fuiſſe diſſolutam, ſed & obſtructiones Iecoris, Lienis & Vteri reſeraſſe, id quod præſtare nequaquam potuerant plurima alia remedia ſumma cura præparata: At vero hic effectus immerito proprio Sali limaturæ Chalybis adſcribendus eſſet, quandoquidem cæteris illius partibus indivulſe cohæret, id quod ſoli temperationi ſuccorum Acidorum aut Salinorum in diſſolutione Martis ab ipſis facta adſcribendum videtur.

Si enim experientiam conſuluerimus, Chalybs non diffi.ilis eſt ſolutionis, quem non modo Tartarus, qui ſale fixo abundat, ſpiritusque acidus Sulphuris ſicuti & Vitrioli, Salis Marini & Nitri, pervadere ac fere æque d'ſſolvere; ſed ævinum, imo & aqua penetrare, ac partem illius limaturæ valent, ideoque admodum veriſimile eſt ſuccos, tum acidos tum ſalinos, aut, ſi vis naturæ mediæ, vel enixæ, ad occurſum chalybis in ventriculo, proculdubio illi ſe adfigere ac id diſſolvere; ad eiuſmodi autem diſſolutionem referendam libertatem reſtitutam partibus corporis in quas dicti ſucci actionem ſuam exſerebant, ac reſtitutionem in ſtatum priſtinum, functionumque priſtinarum liberum exercitium; quo fit vt ventriculus, inteſtina, aliæque partes, tunc nullo negotio à pravis humoribus illas ob ſidentibus ſe expediant, reſumptó que requ ſito robore, unaquæque illarum partium dilatet aut conſtringat, prout neceſſitas expoſcit, proprios meatus, etiamſi nullo forte jure huiuſmodi reſerationis effectus Sali Martis adſignentur, uti & adſtrictionis ſoli Terræ, quandoquidem hæc à toto inſeparabilia ſunt; ac revera id unum præſtant ut in ventriculo præſtolentur actionem & effectus ſuccorum Acidorum aut Salinorum, ſi qui ibi contineantur.

Neque etiam hoc vero ſimile duritiem & denſam compagem partium Chalybis, quam in Ferro eminentiores, cuius pori majores ſunt & patentiores, minus illum ad quaſvis præparationes aptum reddere, quandoquidem experientiam adſtipulantem habemus ſpiritum Vitrioli, & Tartarum crudum, æque diſſolvere limaturam Ferri & Acuum, ex puriſſimo chalybe ac maxime temperato confectarum, ac proinde adſtrictiori & compactiori; ab admoto autem magdeleoni ſulphuris Chalybis maſſulæ ex fornace, admodum candefactæ, recens eductæ, non ſecus hanc colliquefacere ac ſi butyrum eſſet: Adde quod illius durities id commodi præſtare poſſit, quod invadat & amplius coërceat partes ſuccorum diſſolvendi vi præditas, in ventriculo obvias; metallorum autem hæc eſt conditio ut pura impurioribus ſemper præſtent; quamobrem præſtantiſſimi quique Authores Chalybem Ferro ad quaſvis præparationes prætulerunt; Sin ſal in Marte ſingulare & diſtinctum diſ-

quirendum eſſet, id ille potius qui expurgationem admiſit deprompturus eſt quam ſcoriæ ab illo ſecretæ, tanquam ſordes habendæ, quibus liberatum eſt Ferrum in Chalybis præparatione.

Cum urgo unitas variarum Ferri partium adeo ſtricta ſit, ut nullo artificio hæ ab invicem ſejungi queant, atque cunctæ ſimul ſemper occurrant in unaquaque parte illius ſubſtantiæ; In omnibus porro Martis præparationibus admodum conſpicua ſtypticitas occurrat;ac prætcrea iſtius metalli actio adſcribenda ſit ſolû,tanquam cauſę,efficaciæ ſuccorum acidorum aut Salinorum illum in ventriculo diſſolventium, Immerito quiſpiam fingeret aliquo modo poſſe præparari Martem ut ex propria natura aperiendi vi revera polleat,aut etiam adſtrictoria.

At vero nihilominus traditurus ſum deſcriptiones ab aliis excogitatas, repudiata enim quavis ſingulari aperiendi aut conſtringendi vi, quæ illi adſignari ſolent, adeo ut una alteri emineat, id apud me ratum, quo magis variis adhibitis calcinationibus reſeratus fuerit Mars, eo aptiorem illum evaſiſſe ſuſcipiendæ diſſolutioni à ſuccis, in ventriculo obviis, admittendis demum eorundem ſuccorum effectibus, ideóque corroborandis (id quod præſtat) cunctis viſceribus.

Cum notitiam partium, ex quibus Mars conſtat, quidam non ſint aſſequuti, ideo obſtinate hoc Metallum tanquam Alkali venditant, in quo incogitanter Sal Acidum deliteſcere volunt: Sed donec illis innotuerit diſcrimen quod agentia à patientibus dirimit; ac noverint ſubſtantias quæ cum neque agere neque reagere poſſint, patiuntur tantum, ac in prædam cedunt corrodentibus à quibus, per Artificem præcipitandæ, illaſque à legitimis Salibus diſtinguere ſçiant, quovis tempore ad actionem & reactionem paratis ubi diſſoluta fuerint, obviaſque habuerint materias affines, nulli omnino præcipitationi ipſa obnoxia; Illi inquam, perpetuam rerum confuſionem in caute inducturi ſunt, minime percipientes quam abſurde ſtatuant Martem in ſe comprehendere Sal Acidum ſeparabile, dum interim ipſemet Alkali vicem obtinet erga cætera Acida.

Hi cum omnia ſuſque déque traducere in more habeant, perperam aut recte, ea quæ alij adhibito maturo judicio chartæ conſignarunt, ductum Doctorum probatiſſimorum ſequuti, improbant quod Mars non defęcatus Chalybi poſthabeatur, potiorem exiſtimantes amplitudinem pororum prioris, ſal in illo conſtituentes quod nulla arte ſecernere valent, uti neque Terram & Sulphur eiuſdem Martis: Minime animadvertentes ipſam Naturam indicare quam utilis ſit Martis expurgatio, quandoquidem plurimis in locis occurrit Chalybs nativus; Vngulæ & Cornua Animalium, quibuſcum ſtratificantur

tificantur ſudes ferreæ, depurationis harum gratia proculdubio ad illum ſcopum plurimum conferentia; maxima præterea conſtrictio partium Chalybis, nequaquam prohibens quominus Aqua ſimplex illas referret, & aliqualem præter diſſolutionem: Contactus etiam magdaleonis ſulphuris & Chalybis laminæ ad ſummum incandeſcentis, hanc æque cito referans ac liquefaciens ac ipſum Ferrum, ac tandem familiariſſimus uſus, iſque feliciſſimus, limaturæ Acuum proculdubio Ferri limaturæ præponendæ, cum eadem ad diſſolutionem proclivitas adſit, Proculdubio inquam hæc in hanc ſententiam deducent quoſcunque rectæ rationi litaturi ſunt.

Fruſtra iidem Sal Martis diſtinctum ſtatuere adnituntur, à probatiſſimis quibuſvis Authoribus denegatum, in confirmationem ſententiæ adferentes, ſi non exigua copia Ferri rubiginis in aquam immergatur, in eâque ferveat hanc Ferri ſaporem referre; Colo autem tranſmiſſa, evaporataque hac aqua, nonnihil ſalis in illa deprehendi; quandoquidem Aqua, cum ſit menſtruum idoneum utcunque diſſolvendæ iſti ferrugini, Acidum autem Aëris, quod ſe adjungit Acido, eidem Aquæ inexiſtenti, proculdubio diſſolvere valent ac ſecum concorporare plurimas particulas iſtius rubiginis, imo eandem ſecum traducere in aquam filtratione facta, ſicuti id ipſum videre eſt in diſſolutionibus & filtrationibus ſubſtantiarum naturæ conſimilis; adeo ut tantillum illud Sal, quod in exemplum adducunt, Illegitimum ſal cenſendum ſit, non ſecus ac fictitia ſalia Saturni & Corallorum.

At vero, quod iidem judicium laturi ſunt de Martis diſſolutione per ſpiritum Vitrioli? De filtratione & coagulatione in legitimum Vitriolum, ab ipſis inſtituta, quod tamen tantummodo conſtat ex totali Martis ſubſtantia una cum hoc Spiritu? Quid cenſebunt de plurimis aliis diſſolutionibus & concorporationibus metallorum cum illorum diſſolventibus.

Fruſtra quoque vim Diureticam huic Ferruginis decocto adſcripturi ſunt, quandoquidem nec illa deeſt ipſi aquæ fluviatili, ſi eadem copia adſumpta fuerit: Fruſtra etiamnum in dubium adducturi ſunt effectus ſuccorum naturalium Ventriculo inexiſtentium erga Chalybem, ac moram huius nimiam in illo damnare, quandoquidem ab aqua ſimplici poteſt diſſolvi; Nunquam non utiliter Chalybs ingeritur, diuturna experientia teſtimonium præbente citra ullam noxam in illo detineri, ſive ſimplex ſive præparatus adſumtus fuerit.

Fruſtra iidem impugnant idquod conditione adpoſita protuli, videlicet ſi Sal Martis diſtinctum nanciſci daretur, id potius in Chalybe quam in Ferro repertum iri: An forte illirentur à Salibus volatilibus Vngularum & Cornuum, perimi ficticium illud ſal Ferri acidum? Ab illis Ferri partes conſtringi, ac arceri rubiginem? Quandoquidem ſi Sal Ferri diſtinctum eſſet, idque Acidum, cohiberet Salia volatilia, illis concorporaretur, ac tandem ritu cæterorum Salium ſe proderet; Quin potius cuncta illa volatilia in auras abeunt, quod in ferro nullum Acidum obvium habeant, aliudve corpus quod coërcere illa valeat, aut cui ſocia ſe adjungant, id quod contingit ab Acidorum occurſu.

Argumenta illorum & concluſiones nimium erronea ſunt quam ut animum ſubeant illorum, quibus cum perſpecta ſint & Chalybs & Ferrum, verorum Alkalium & Acidorum natura non obſcura eſt; ac mutua illorum ad conjunctionem intima propenſio.

CAPVT L.

De Crocis Martis Adſtringentibus & Aperientibus.

OMnium ſimpliſſimus, maximeinnoxius & rubicundiſſimus Crocus Martis, ab Authoribus titulo Adſtrictorij inſignitus, is eſt qui colligitur & eraditur è ſudibus aut laminis ferreis, ignis violentiam diu expertis; imo non raro Sudium ſuperficiem occupat quibus Retortæ aliave vaſa diutius inſedere in Furnis Reverberij.

Comparare etiam illum licet, inſternendo limaturam Chalybis capſulæ fictili depreſſæ & latæ, quæ, loco idoneo impoſita, in Fornace Vitriaria, vel Figulina, aut alio quopiam Furno, Fornaceve Reverberij idoneo, ibi detinenda eſt donec admodum rubeſcat & ſubtilis fiat.

Poteſt etiam Limatura Chalybis commiſceri æquali ponderi Salis Marini decrepitati, ac in ſubtilem pulverem contriti; hęc junctim Igni Reverberij exponendo, donec univerſa Limatura in pulverem ſubtiliſſimum admodum rubrum abierit, cujus poſtmodum Sal, crebris adhibitis lotionibus, ſecemi poteſt: exſiccando demum & cuſtodiendo hunc Pulverem, exhibendum pondere ſemiſcrupuli, ad ſemidrachmam uſque, ex ovo, conſerva aliqua, aut liquore quopium idoneo.

Præparantur etiam Croci Martis, Adſtringentes dicti, imponendo quatuor uncias Limaturæ, aut Laminas chalybeas, grandi Cucurbitæ vitreæ,

vitreæ, ad medias uſque optimo luto circumlitæ, Balneo Maris com-miſſæ, moderate calido, ſuperaffuſo paulatim & repetitis viribus Spi-ritu Salis aut Sulphuris, aut Nitri, aut Vitrioli, vel Aceto, vel etiam ſi ita placet, Aqua Forti, ad uncias quatuor, omnia ſimul continendo quouſque Sal martis propemodum diſſolutum ſit: Deinceps educta dicta Aqua, aut Spiritu eum in finem adhibito, ac ter quaterve cohobatio-ne ſubſidentiæ facta; diſtillationeque eouſque producta donec illa omnino exſiccata fuerit, in fundo deprehendendus erit Chalybs colore ad rubro fuſcum tendente, qui poſtea igni Reverberij ad decem aut duo-decim dies expoſitus intenſum colorem rubrum adipiſcetur, demum optime elotus, & exſiccatus ad uſus ſervandus.

Adſtrictio Chalybi iunata, illi conjuncta quam diſſolventia impreſ-ſerunt, proculdubio qualitatem adſtrictoriam, inducere valent. imo felici ſucceſſu exhiberi poteſt, ſi modo in ventriculo obvii non ſint ſucci actionem illius inhibere apti nati.

At vero Chalybis effectus non perpetuo uniformes ſunt, ſi enim huic metallo forte occurrant ſucci in ventriculo, qui illud corrodere & diſſollvere idonei ſint, proculdubio ab opere retrahitur, quodam-medo obſequuturum qualitatibus eorundem Succorum; niſi contin-gat Succos Acidos, dum id corrodunt, ac aculeos proprios in eroſio-ne retundunt, à propria natura recedere & metalli indolem mutare, Id ni-hilominns vero ſimile eſt cum à diſſolventibus qualitatibus tantum alte-ratio inducatur, his non omnino deſtitui Chalybē; quatenus ſcilicet illa-rum beneficio Naturæ tempus conceditur ad vires readſumendas, adeo ut hac, propulſis humoribus impuris qui oneri erant, roborata, reſtitu-toque ſanguini circulari motu, ac ſpiritibus vitalibus & Animalibus, commeatu neceſſario gaudentibus, functiones quævis omnium partium in integrum reſtituantur, roburque ad conſervationem illarum neceſſa-rium concilietur.

Etiamſi Adſtrictoria vis manifeſte eluceſcat in Marte ac quibuſvis illius Præparationibus, ab Authoribus tamen prætermiſſa non eſt cura ut varia media diſquirerent præparandi cauſa Crocum Martis, quem vocant Aperitivum; Modo enim æquales partes Sulphuris, in pulve-rem contriti Limaturæ Chalybis commiſcuerunt; quibus Ollæ ficti-li, ignis vim ſuſtinere aptæ, inditis, Olla pedamento ſubdito, impoſita medio Fornacis foco, circumcirca Carbones accenſos impoſuerunt, luculentum ignem foventes, materias per intervalla longa ſpathula fer-rea commovendo, donec abſumpto Sulphure, Limatura chalybis admodum incanduerit, imo ſuper porphyrite terendo, ut tenuitatem majorem obtineat.

Modo iidem Chalybeas maſſulas in Fornace Fabrili ad candorem incenſas, ac ſcintillis plurimis micantes, admovent magnis Sulphuris magdaleonibus, fuſas & liquatas pelvi fictili ſubditæ aquæ repletæ excipiendo, demum optime ſecreto ſulphure, ac in pulverem ſubtilem granis chalybis contritis, Pulverem colore fuſcum adſervarunt, quem nonnulli nomine Chalybis Aperitivi nigri indigitant, & aliquando ipſi cum Sulphure reverberant, ad colorem rubrum illi conciliandum, utque tenuitatem adipiſcatur majorem.

Nonnunquam præmiſſa irroratione lamellarum Chalybis, affuſo Spiritu Vitrioli aut ſulphuris, aëri per quatriduum exponendo, ab iis detrahunt florem utcunque candicantem & ſubdulcem; demum in irroratione pergendo, ac florum deraſione, iiſdemque operationibus identidem repetitis, Chalybis poris magis ac magis reſeratis, florum non exigua copia ab illis collecta eſt, quibus nomen Croci Martis Albi indidere.

Alias iidem Soli, aut ſub divo, laminas Chalybeas poſuerunt, è quibus poſtmodum florem flavum detraxerunt: Vel eaſdem Laminas aqua communi irroravere, aut ipſam Chalybis limaturam, è qua poſtmodum ferruginem abſtulerunt, à lotione flaveſcentem, hanc poſtea exſiccant & adſervant; vel cum ſulphure pulveriſato reverberant, coloris rubri conciliandi gratia.

Cunctæ ejuſmodi præparationes æqualis fere ſunt præſtantiæ, nec raro optatum effectum edunt, Aperiendi ſcilicet, quando ſucci Acidi, aut Salini, vaſis contenti, ac præſertim ventriculo, derelictis materiis quas fixas reddiderunt, diſſolutionem Chalybis amplexuri, cum eadem diſſolutio iiſdem fixandis inutilis ſit, uſum præſtat reſerando meatus, commeatuique parando humoribus à Salibus, quorum ope fixata ſunt, ſeparatis.

Colorem rubrum, Chalybi in diverſis calcinationibus advenientem quod attinet, etiamſi Sulphuri ipſius proprio adſcribi poſſit, potiori jure imputandus Acidis externis Salis, Sulphuris aut Diſſolventium, imo nominatim Salibus ab igne emiſſis, quæ ejus poros ſubeuntia incrementum etiam ponderis faciunt: Id enim experientia compertum, Chalybis colorem rubrum intenſiorem fieri in igne, ſi irroratus is fuerit Spiritu ſulphuris, vel alio quopiam Acido: Sed & quoque nobis obvium elegantiſſimum quemvis colorem rubrum per ſola Acida intendi & exaltari, quæ momento etiam temporis colorem nigrum in rubrum elegantiſſimum commutare valent.

CAPVT

CAPVT LI.

De Sale Martis.

ETiamſi nemo gloriari poſſit, ſicut alibi a me pronuntiatum, ſe è Marte legitimum Sal comparare poſſe; quicquid vero ejuſmodi ſuperbit titulo, ſpecie tenus tale eſſe, officii tamen mei eſſe exiſtimo quædam de illo enuntiaſſe.

Præparari ſolet iſtud Sal impoſita certa quantitate Limaturæ Chalybis grandi Patinæ vitreæ, aut fictili, quæ aceto ſtillatitio probe irrorata, demum ad Solem exſiccata, aut ignem mitem, ac ſuper porphyrite lævigata, humeſcit iterum affuſo ſpiritu Aceti; poſtmodum exſiccatur & conteritur, quinimo plures ejuſmodi operationes repetuntur, quoad Chalybis limatura optime imprægnata deprehendatur ſapore dulco acido prædita: Qua poſtea rite contrita, ac grandi Cucurbitæ vitreæ immiſſa, in Balneo Arenæ illi ſuperaffunditur non exigua copia phlegmatis Aceti, in quo dicta limatura ſedulo commovetur, ad promovendam diſſolutionem illius partium, à Spiritu Aceti eroſarum, demum paulatim excalefacto Balneo, tandem materiæ ebullitioni traduntur ſpatio duarum aut trium horarum, recens phlegma aeti affundendo in vices illius quod per ebullitionem abſumitur: Dehinc ſponte frigefacto Balneo, colaturaque facta Liquoris, hujus evaporatio procuratur in Cucurbita vitrea, Balneo Arenæ, igne moderato ſubdito, ad pelliculam uſque: Illa cum refrixerit, decantato prius in aliud vas ſupernatante liquore, ſecernuntur exſiccanturque cryſtalla; iterum adhuc evaporationi ſubjicienda, cryſtalliſando hunc liquorem donec omnino in Sal abierit; quod Matratio excipiendum, ac ſuperaffuſo ſpiritu vini rectificatiſſimo, ut quatuor digitis ſuperemineat, Matratio imponitur Alembicum cœcum, cujus optime luto munitis commiſſuris, præmiſſa digeſtione per tres aut quatuor dies, igne leniſſimo ſpiritus diſtillatione elicitur, Sal ad uſus ſervando.

Sal iſtud tantummodo conſtat ex Spiritu Aceti ac particulis Chalybis ab eodem Spiritu diſſolutis, quas præcipitare licuerit affundendo diſſolutioni liquorem Tartari aut cujuſpiam Salis Fixi.

Illud tamen commendant Authores tanquam utile de obſtruendo Iecori, Lieni & Vtero, imo curando Hydropi, exhibitum à quinque aut ſex ad duodecim, quindecim aut viginti grana, ex liquoribus aperiendi vi præditis.

At vero auſteritas ab aceto diſtillato huic Sali impreſſa, incrementumque adſtrictionis exinde metuendum, præter rationes quaſdam alias à me adducendas, inducunt me ut credam Sal Martis, cuius præparationem hic infero, præſtantius longe præcedenti futurum.

In parato ſit Sartago ferrea, quæ in nullos vſus ante venerit, aliquantiſper cava, probe contuſa & interius lævigatiſſima; hac plano ſitu impoſita menſæ, aut armario, in loco idoneo collocata, accurate commiſceantur ſpiritus vini optimi unciæ octo, Spiritus Vitrioli rectificatiſſimi tandundem, lagena vitrea excipiantur, demum leniſſime in Sartaginem infundantur; hac patyro impoſita cooperta, dimittatur citra ullam commotionem totis duodecim aut quindecim diebus, vel donec animadverſum ſit à binis illis ſpiritibus conjunctis paulatim diſſolutas fuiſſe plurimas particulas propriæ Sartaginis ſubſtantiæ, ac una concorporatas eſſe in Sal album,ad cineritium colorem paulum declinans, quod exſiccatum fundo & lateribus Sartaginis adhæſerit, unde educendum: Hoc autem in Pulverem contritum, in mortario marmoreo, aut vitreo, recondendum in vaſe idoneo ad uſus, id præbendo à ſemi ſcrupulo ad ſemidrachmæ pondus, ex liquoribus adpropriatis, ut pote remediorum ex Marte eliciendorum præſtantiſſimum quod non immerito Animæ Iecoris titulo donatum fuit.

Corroſio & ſtypticitas manifeſtæ in ſpiritu vitrioli, eximiam temperationem adeptæ ſunt ab admixtione Spiritus Vini, utriuſque quippe particulæ, ex commutatione figuræ & ſitus, aliam partium cum poſitionem obtinent, imo mutuam quaſi confuſionem conſequutæ ſunt, Ambo porro hi ſpiritus commixti, ſufficientem cum poſſideant penetrabilitatem ad Martis intima ſubeunda, ejuſque particularum non exiguam copiam diſſoluendam, à quibus omnino retunduntur aculei, particularum Spirituum, quibus comites ſe adjungunt unicum corpus compoſituri, Illud ratum eſſe debet poſtremum hoc Sal multo aptius eſſe & convenientius diſpoſitioni ventriculi, ac varietati ſuccorum in eo contentorum, Sale Martis cum Aceti, Spiritu præparato, cum enim hic Spiritus Sali, non ſolum propriam formam indat, ſed materiæ, ex qua conſtat, maximam partem, ideo exiſtimandum ab hoc efficaciæ maximam partem deducendam; Propria vero corrodendi vis, acrimoniæ iuncta, cum ventriculo non infeſta eſſe nequeat, proculdubio Martis ſtypticitatem innatam exinde incrementum ſumpturam, nedum Aperiendi vi donatum iri, ſicuti ſupponunt.

CAPVT

CAPUT LII.

De Vitriolo Martis.

EX ſapore ſtyptico, nonnihil ſimili illi quo donatum eſt Vitriolum vulgare, in Limatura Chalybis obſervabili, cunctiſque ex illo præparatis, colore item, figura partium, aliiſque Vitrioli qualitatibus in Vitriolo Martis conſpicuis, ſufficienter eluceſcit artificialis hujus præparationis natura, cui Authores non immerito Vitrioli Martis nomen impoſuerunt, quandoquidem cum ſolummodo conſtet ex propria Martis ſubſtantia, ac ſpiritu ex Vitrioli vulgari exſtillato; in illo licet deprehendere ſingulas dotes & notas veri Vitrioli.

At cum ſpiritus Vitrioli, ad Martis diſſolutionem uſurpari ſolitus, corrodendi vi ſit præditus, una & adſtrictoria, poſterior autem qualitas procuIdubio incrementum illatura eſt illi quam Mars innatam habet, vix veroſimile eſt Vitriolum, ejus productum, propria indole vi aperiendi pollere; quin potius credendum, cum idoneum ſolummodo ſit intime ſuſcipiendis ſubſtantiis ſalinis, forte in ventriculi capacitate redundantibus, illarumque aculeis retundendis, reſeratione meatuum & expulſione cacochymiæ forte ſubſequuturæ, hæc tantummodo effectus eſſe Naturæ, quæ remotis obicibus, liberas functiones præpedientibus, illis expedita felicius munera obit.

Eſt & hoc probabile Vitriolum hoc aptius eſſe comprimendis & conſtringendis fibris Ventriculi & Inteſtinorum, orificia item & interiores vaſorum quæ permeat partes, quam iiſdem relaxandis vel expandendis; Etſi hoc adferri queat, compreſſis ex una parte vaſis, forte ex alia amplificari, eoque pacto humorum vitroſorum ibi contentorum excretionem promoveri.

Cunctæ vero hæ circumſtantiæ eo deducunt, ut Vitriolum Martis perpendendum veniat tanquam remedium adſtrictoria facultate præditum, potius quam reſerandi infarcta humoribus vaſa, ſi præſertim obſtructiones vetuſtæ ſint & pertinaces: quamobrem etiam Vitriolo huic anteferendum videtur poſtremum ſal Martis à me memoratum, vel aliæ quædam Martis præparationes minus ſtypticæ iſto Vitriolo.

Sed à more ſolito non receſſurus, ut idoneum fiat uſibus ipſi adſignatis, ſi neceſſitas incumbat corroborandi & conſtringendi, vel ſalium acrimoniam obtundendi, Præparationem illius huc illaturus ſum.

Limaturæ Acuum quantum volueris immitte Cucurbitæ vitreæ, irro-

retur & probe imbuatur hæc limatura optimo Vitrioli ſpiritu, Balneo Arenæ committatur Cucurbita, igne mitiſſimo adhibito; Ex intervallis hæc materia exigua ſpathula ferrea commoveatur: poſtquam aliquandiu hic ſpiritus cum limatura ſteterit, inque hanc actionem exſerere incepe-rit, ſuper affundatur aqua calens, quouſque ſupereminęat limaturæ quin-que aut ſex digitis; demum paulo auctiori reddito calore Balnei, in eo di-gerendæ erunt materiæ per vigintiquatuor horas, liquorem poſtea tranſ-mittendo per chartam emporeticam; quo in aliam vitream Cucurbitam transfuſo, eodem Balneo, ac in vapores diſcuſſo liquoris humido ſuper-fluo, ad pelliculam uſque, permittendum ut ſubſidentia refrigeſcat & cryſtalliſetur: Deinde decantato in aliud vas liquore Cryſtallis ſuper-natante, ſeparatis, exſiccatis, ac reconditis iiſdem Cryſtallis, iterum evaporatio ad pelliculam uſque procuranda erit liquoris, eliciendi gra-tia quicquid Vitrioli ſuperſtes eſſe poteſt.

Necnon licet ſubſidentiam Limaturæ irrorare rurſus ſpiritu Vitrioli, conceſſoque aliquo temporis ſpatio ſpiritui ut actionem in limaturam exerat, affuſaque eadem quæ prius aquæ quantitate, Digeſtionem aliaſ-que operationes repetere, ad obtinendam majore copiam Vitrioli Martis.

Nonnulli aquam commiſcent ſpiritui Vitrioli, ante affuſionem ſupra limaturam Chalybis; at cum illius diſſolutio exiguo temporis ſpatio per-fici nequeat quam beneficio ſpiritus Vitrioli, hic vero majori efficacia munere fungatur ſincerus quam aquæ additamento infractus, multo ſa-tius eſt ab illo Chalybis diſſolutionem inchoaſſe: Experientiam vero mul-tiplicem teſtem huc advoco, ſperatus quippe ſemper mihi adfuit ſuc-ceſſus, eo pacto perpetuo adſequuto & elegantiſſimum Vitriolum, & inſi-gnem huius copiam; Aquæ autem ſupplementum eo ſolum nomine pro-deſt, quod diluat & ſecernat Chalybis particulas à ſpiritu Vitrioli diſſo-lutas, ab illis qua diſſolutionem ſubterfugerunt.

Elegantiſſimum Martis Crocum adipiſci dabitur id Vitriolum, Cruci-bulo exceptum, calcinando igne patente, quouſque deductum fuerit in-tenuiſſimum pulverem ruboris intenſi; Hoc vero reapſe aliud nihil eſt quam pars Chalybis à ſpiritu Vitrioli diſſoluta.

Vitriolum Martis à granis tribus aut quatuor, ad duodecim aut quin-decim ad ſummum exhiberi ſolet, id ex liquoribus convenientibus di-luendo.

Poteſt & per Retortam diſtillari Vitriolum Martis, eadem proceſſus ratione qua ad Vitriolum vulgare; Spirituſque abſtrahi ad limaturæ Cha-lybis diſſolutionem adhibitus; ſuperſtite in fundo Cucurbitæ Chalybis ſubſtantia, pulveris rubri forma, pro legitimo Croco Martis habendi.

CAPUT LIII.

De Tincturis Martis.

COnſtrictio conciliata partibus Ferri cum in Chalybem id tranſmutandum eſt, nequaquam illi adimit diſpoſitionem per quam penetrari & diſſolvi poteſt,non modo per ſpiritus corrodendi vi inſignes,ac per Salia volatilia & fixa, ſed etiam per Rorem, Vinum, imo & Aquam communem, dummodo illo in minutiſſimam limaturam deducto liquoribus pervadendi legitimum conceſſum fuerit ſpatium temporis: Etiamſi enim neque Vino neque Aquæ conceſſa ſit facultas Chalybem penitus diſſolvendi, neque vi adeo inſigni polleant, uti neque eadem celeritate qua Spiritus & Salia corrodentia, valent tamen non exiguam illius partium copiam diſſolvere; cujus eventus certiſſima ſunt indicia Chalybis ſapor à vitriolico non alienus, & color fuſcus illis ſuccedentes.

Aqua, qua Chalybis limatura irroratur, ſuperficiem penetrat, illique Rubiginis formam inducit, quæ poſtmodum majori aquæ quantitate dilui poteſt, Tincturam flavam hinc adipiſcentis, ác commodiſſime in uſus adducendæ.

Sed ſi abſque igne per aliquot hebdomadarum decurſum Limatura Chalybis macerata fuerit in vino albo aliquantum auſtero, hæc commiſta excipiendo lagena denſa optime obturanda, Acidum, quo pollet vinum, ſali ſuo volatili conjunctum, partium limaturæ ampliorem diſſolutionem effecturum eſt, quapropter Vinum Tinctura admodum fuſca imbutum erit; commodiſſime exhibendum à ſemicochleari, ad integrum, imo duo, mane jejuno Ventriculo; Cujus uſus ad plures dies producendus erit; proficui referandis Iecoris infarctibus, Lienis & Vteri: Vel in ſyrupum, addito ſaccharo puriſſimo deduci poterit, cujus dozis ſemuncia, uncia una vel duæ in dozin unicam.

At cum diuturnitas juſto major ſit ad diſſolutionem integram Martis obtinendam, ejuſmodi menſtruorum beneficio, ad alia media confugiendum, Tinctura autem modo ſequenti commodiſſime perficitur.

Tartari electi libræ duæ in pulverem tenuiſſimum contunduntur,commiſcentur ſemilibræ limaturæ Acuum, ex Chalybe puriſſimo confectarum, excipiuntur hæc vaſta Olla ferrea, omnino fere aqua communi adimplenda; demum igne illi ſuppoſito fervor contentis conciliatur, per vices illa commovendo, præcipue verſus fundum promovendæ gratia Martis diſſolutionis; recenti aqua calenti ſuperaddita, ſupplementi

gratia illius quæ fervendo abſumitur: Hujuſmodi decoctio ad decem vel duodecim horas producenda eſt, vel donec omnimoda limaturæ Chalybis in liquore diſſolutio obſervata fuerit, qui colorem rubicundum fuſco proximum adepturus eſt, poſtquam colo tranſmiſſus fuerit ac à fæcibus ſecretus, etiamſi eædem colorem ex cinericio candicantem obtineant, in contentis materiis dum fervent obſervandum.

Poſtmodum remota ab igne Olla, & ad alterutrum latus inclinata, adeo ut liquor tranſcolari poſſit ſecundum longitudinem lingularum pannearum adpoſitarum, ſubſidere debent materiæ per viginti quatuor horas; poſtea humefactis, ac leviter expreſſis lingulis, dimidia uniuſcujuſque parte in liquorem immerſa, reliqua parte extante, adeo ut exſtillans liquor ſecundum longitudinem prædictarum lingularum excipi poſſit pelvi fictili ſuppoſitæ, concedendum erit tempus liquori ut ſponte diſtillet, per vices, ac magis & magis declivem Ollam collocando, ad promovendam filtrationem.

Ejuſmodi Operatio ad aliquod temporis ſpatium producitur, imo biduum vel triduum expoſcit; Sed ea ratione Tincturam Martis admodum limpidam obtinere licet, etiamſi color ex rubro ad fuſcedinem tendat, ſapor autem auſterius, Vitriolico admodum ſimilis.

Cum propemodum filtrata omnino fuerit hæc Tinctura, probe mundatæ Ollæ, illa reaffundenda erit, humidum ſuperfluum igne miti in vapores diſſolvendo, donec optime concentrata fuerit ac deducta in ſyrupi conſiſtentiam liquidiuſculam: quæ cum refrixerit, recondenda eſt in lagena vitrea denſiori rite occludenda, ad uſus; præſcribenda à drachma una ad duas, mane, jejuno ventriculo, danda ex liquoribus convenientibus, pergendo in uſu quamdiu neceſſitas poſtulaverit.

Si tædium non obrepſerit fervorem conciliandi huic Tincturæ, ac aquam calentem in Ollam infundendi prout prior abſumitur, omnimoda diſſolutio limaturæ Chalybis obſervabitur; Etiamſi nonnulli obiecerint conſtrictionem partium imminentem ab his operationibus, ac impoſſibilitatem penitus diſſolvendi Martem, quam Tartaro adſcriptam voluere.

Hi quod Tartari portionem, neceſſariam diſſolutioni Rubiginis, infelici ſucceſſu detraxerint, in ſententias erroneas abiere; tum quod falſo arbitrati ſint Tartarum Martem rarefacere non poſſe, nec illi commiſceri, huncque ab illo ſuſpenſum tenere; Tum quia intulerunt, ſi Mars penitus diſſolutus fuiſſet, nullam Tincturam manifeſtum fore, uti nec in diſſolutione à ſpiritu Vitrioli inducta.

Errant, inquam, minime perpendentes eum Tartari pars acida commixta ſit proprio Sali & Terræ, etſi ſufficiens ſit dividendæ limaturæ Chalybis in particulas inconſpicuas, non poſſe hunc colore ſuo exuere, neque inferre perſpicuitatem qua ipſe caret, neque una cum illo in Cryſtalla viridantia

ridantia commutari, ſicuti ſpiritus Vitrioli, qui cum potentiſſimum ſit Acidum, cujus ſingulæ partes omnino diſſimili virium robore cum polleant,efficaciores ſint,penetrabiliores & expurgatiores Tartari particulis, ſufficientes vires obtinet ad ſpoliandum, apparenter ſaltem, Martem colore proprio & forma, ſua illum induendo, ac præſertim pelluciditate & partium conſtrictione; etiamſi in Artificis poteſtate ſit utraſque ſejungere ope diſtillationis vel præcipitationis; ac Martem proprio corpori reſtituendo, conſpicuũ reddere coloré rubrum à ſpiritu Vitrioli illi impreſſum.

In præparatione iſtius Tincturæ hoc obſervandum venit, ſalia Acida,ac mere ſalina,æquali vi Chalybem diſſolvendi pollere: Id quoque veroſimile eſt Martem, eo modo diſſolutum, facilius deferri ad partes affectas, illo qui actionem edere non poteſt niſi à Ventriculo diſſolutus fuerit: Ipſum vero diſſolutum à Sale acido ſalino, ac proinde naturæ enixæ vel mediæ, majori efficacia poſſe ſuperare vitia à pravis humoribus inducta.

Hæc enim Tinctura tanto magis idonea eſt reſerandis vaſorum obſtructionibus, quanto majus illi auxilium præbet ſal acidum ſalinum Tartari à quo Mars fuit diſſolutus; quod citra detrimentum inſignium virium, quibus præditum eſt Ferrum, robur inferendi partibus quas permeat, id ut actioni ſuæ obſequatur impellit diluendo materias meatus obſtruentes, per vias ſolitas expellendo,ac Naturam roborando,cunctaſque illius actiones ac partibus,qua indigebant, valetudinem reſtituendo.

Affundi poteſt optimus ſpiritus Vini Croco ſuperſtiti à diſtillatione Vitrioli Martis, exindéque elici Tinctura per Balneum Arenæ moderate calidum,qua per chartam emporeticam tranſmiſſa,eductiſque Maris Balneo circiter tribus quadrantibus ſpiritus vini, adſervari Tinctura concentrata in fundo Cucurbitæ reſidua; præbenda à ſeptem vel octo, ad duodecim vel quindecim guttas ex liquore quopiam idoneo.

Tinctura hæc plurimum valere dicitur præſertim ad curationem Hydropis, inducti à relaxatione vaſorum Lymphaticorum, ſerum per univerſum corporis habitum effundi & expandi permittentium: Vi enim iſtius Tincturæ conſtrictis vaſorum oſculis robur adquirunt ad repulſionem humoris Lymphatici & regreſſum in vias ſolitas, adeo ut in cæteras partes non exundet.

Limatura Chalybis in generoſo Aceto diſſolvi poteſt,prægreſſaque evaporatione maximæ partis humiditatis iſtius diſſolutionis, extrahi Tinctura per optimum ſpiritum Vini, quæ demum filtrata & concentrata,adſervanda ad eoſdem uſus ſicuti præcedens: At vero obſervandum hanc majoris adſtrictionis participem eſſe, eo quod innata Chalybis adſtrictio augmentum non leve ſuſcipit ab Aceto illum diſſolvente.

Nonnulli impoſitam Chalybis limaturam Sartagini ferreæ, forti Aceto

irrorant, ad ignem exſiccant ſpathula ferrea verſando, has operatio-nes ſæpius reiterando, poſtea per aliquot dies in vino generoſo Hiſpanico hanc Limaturam macerant, per vices commovendo; filtrationeque præ-miſſa ad uſum ſervant.

Plurimas alias Tincturas omitto, quippe quarum deſcriptio non mihi admodum neceſſaria videtur.

CAPUT LIV.

De Extractionibus Martis, Illiuſque Sublimatione in Flores.

IN Extracta facili negotio deduci queunt ſingulæ Martis Tincturæ à me deſcriptæ, craſſitiem illis conciliando paulatina ad ignem lenem exſic-catione ad Extracti conſiſtentiam, Sed & alia Martis Extracta præparari poſſunt ſequenti modo.

Commiſceantur partes æquales Croci Martis cum ſulphure reverbe-rati, & Salis Ammoniaci pulveriſati, quibus Curcurbita Vitrea exceptis, Balneo Arenæ commiſſa, ſuperimpoſito Capitello diligenter luto obducto, facienda erit ſublimatio igne per gradus adhibito; quo pacto pars Croci Martis, commixta Sali Ammoniaco, ſurſum evehetur ſpecie Florum flavo-rum, qui terendi, & remiſcendi poſtea una cum ſubſidentia, eandem ſubli-mationem, & ſubſidentiæ commiſtionem quinquies aut ſexies repetendo, Aut toties quouſque Crocus Martis fere totus cum ſale Ammoniaco ſur-ſum elatus ſit.

Poſtmodum hi Flores Matratio immiſſi, ſuperaffuſoque vini ſpiritu re-ctificatiſſimo, donec quatuor digitis ſuperemineat, imponendum erit ma-tratio Alembicum cœcum, accurate luto obductum, quod demum Balneo Arenæ committendum erit ad ignem Digeſtionis, producendum per de-cem aut duodecim dies, materias per vices ſubagitando ad promovendam Extractionem: Poſtquam Tinctura egregie colorata fuerit, colo tranſmit-tenda erit, Extractaque, ſi lubet, mediis leniſſimis, maxima ſpiritus vini par-te, id quod ſuperfluum eſt evaporandum ad Extracti conſiſtentiam.

Id ſeorſum exhiberi poteſt à ſemiſcrupulo ad integrum, vel remiſceri Opiatis, aliiſve remediis aperiendi vi præditis, purgantibus aut diaphore-ticis, Ope enim ſalis Ammoniaci cum penitus diviſæ ſint, & ſubtiles reddi-tæ Martis particulæ, hæque illius volatilis nonnihil participes factæ, ſecum illas per ſublimationem evehendo, imo transfuſa propriæ ſubſtantiæ por-tione in id Extractum, cui cum confuſum eſt, Nulli dubium quin ſibi ad-ſciverit utiles quibus pollet qualitates, ac præſertim vim diaphoreticam, quæ proculdubio comitem ſe adjungit, atque obſequitur aliis effectibus ab hoc Extracto expectandis.

Martis

Martis Extractum ſimpliciſſimum concinnari poteſt imponendo Matratio Limaturæ Acuum libram unam, illi affundendo ſuccum racemorum recens expreſſorum,& fermentationis expertium,donec quinque aut ſex digitis illi ſuperemineat: Deinde Alembico cœco cooperto, ſedulo loricato,illoque Arenæ immiſſo, collocatoque ſupra Furnum Piſtoris, per vices materiæ commovendæ erunt, vas ibi detinendo totis quadraginta diebus,vel donec ſucus racemorum admodum obſcurum colorem contraxerit: Dehinc hac Tinctura per chartam emporeticam tranſmiſſa,exceptaque pelvi fictili rite intus vitreata,humiditas ſuperflua evaporanda erit, igne mitiſſimo, donec Tinctura Extracti conſiſtentiam adquiſierit, cujus uſus idem ſit qui prioris.

Cum porro Extracta, aliæque Chalybis præparationes comitem habeant indivulſam nativam hujus metalli ſtypticitatem, è re fuerit commiſcuiſſe,aut ſaltem præmiſiſſe, quædam Purgantia, quæ & ſubſequi eadem debent,quorum ſubſidio meatus facilius reſerentur, illo quippe deſtituta ſponte id nequeunt,adminiculoque forinſecus adveniente indigent.

Nullo negotio paratur Extractum Martis Adſtrictivum, maceratione prægreſſa per plures dies, deinde ebullitione facta Limaturæ Chalybis in Vino tortivo, vel ſucco Berberorum, aliove ſucco adſtringente, filtrando poſtmodum hunc liquorem, ac deducendo mediis ſolitis in Extracti conſiſtentiam, quod commode præbere licet à ſemi ſcrupulo ad ſemidrachmam,in quavis debilitate acretentrice infirma Ventriculi & Inteſtinorum.

CAPUT LV.

De Præparationibus Cupri.

CUprum accenſetur vilioribus Metallis, ſat ſolidum,ſed mollius & minus quam Ferrum mallei ictibus obſiſtit, hoc ductilius; Præſtantiſſimi quique Authores materiam illius compoſitionis unicam voluere, Sulphur improbe digeſtum, Sal rubrum & Mercurium flavum; id tanquam ratum conſtituentes, etſi difficile ſit legitimam inſtituere ſeparationem iſtius metalli imperfecti principiorum, quod præterea Cupri & Veneris quoque titulum adeptum eſt, tum ratione inſignis ſympathiæ quam illi intercedere cum cognomine Planeta exiſtimant; tum etiam ratione auxilij ſingularis quod impertitur in affectibus partium generationi deſtinatarum.

Sed etiamſi pauci in dubium revocare audent tria principia generalia, ſcilicet Sal, Sulphur & Mercurium, ex quibus Cuprum conſtare aſſerunt, non ſequitur tamen in illo Vitriolum copioſum adeſſe, ſicuti finxerunt

quidam à recta ratione & veritate devij : Ij proculdubio cum animadvertiſſent in variis Vitriolis contineri Cupri particulas, ab ipſis diſſolutas, vice verſa continens pro re contenta admiſere, quæ inde abſurda imminent minime præcaventes : Si enim plurimum extaret in Cupro Vitriolum, non cederet hoc in prædam, (ſicuti id contingit) vero Vitriolo, à quo corrodi ſolet : idipſum, inquam, eroderet ſubſtantias à Chalcantho erodi ſolitas; ſi vero adfinitate conjungeretur corroſivis, non ſecus ac illa corrodendi vim obtineret, cum potius à quacunque illorum ſpecie corrodi ſoleat.

Decepti illi fuere nomine Vitrioli Veneris, quod imponi ſolet hujus diſſolutioni in Cryſtalla deductæ, à ſpiritibus Vitriolicis inducta, At ab his minime animadverſum Cuprum devoratum & diſſolutum, diſſolventis vices non tenere, ac omnino neceſſe eſſe ut obſequatur corrodentium determinationi, à quibus in illum ſtatum deductum eſt; cum vero ſui juris non ſit, ad tempus aliquod quaſi incarceratum illis cohærere neceſſe habeat; ſed expediri & libertatem adipiſci poteſt, priſtinæ reſtitutum formæ, ſi modo Artifex media ſuppeditaverit, adeo ut ne minima illius ſubſtantiæ in diſſolvente particula diſtincta deprehendatur; Aliàs ſi particulæ Vitriolicæ revera adeſſent, intime illi ſe adjungerent.

Nominis celebritatem viri iidem venari debuerant, conſtituendo etiam Vitriolum partem alteram compoſitionis Argenti & Stanni, quandoquidem illorum diſſolutio in Cryſtalla deducta Vitrioli etiamnum nomine donata eſt; Spe forte freti fuere vel nobilitatem, aut adſtruentium inſignem numerum, ab ipſis aſſertionis poſitæ fundamentum futura; at vero tam pauci illorum placita amplectuntur, ut nũquam animũ eruditorũ ſubierint.

Limatura quandoque calcinatur, aut Laminæ Æris ſolæ, in Furno Reverberatorio: Nonnunquam poſteriores hæ cum ſale decrepitato pulveriſato ſtratificantur, in Crucibulo, vel quopiam vaſe fictili ad ignem non fragili; Demum extinctæ hæ laminæ in Aqua, probeque abſterſæ per ſcopas ferreas, exſiccantur, iterumque cum iiſdem materiis ſtratificantur, ad tres uſque vices operationes iſtas repetendo; qua ratione emergit Crocus Veneris rubicundiſſimus, quem ſatis eſt plurimis lotionibus expurgaſſe, ac forma Pulveris ſubtilis adſervaſſe, immiſcendi Emplaſtris aliiſve Remediis externis uſurpari ſolitis ad mundationem Vulnerum & Vlcerum.

Poteſt & alia ratione præparari Crocus Veneris, terna extinctione in urina facta laminarũ Æris in igne candefactarum, poſtea ſtratificatione in Crucibulo, duplo pondere ſulphuris pulveriſati addito, luculento igni id committendo ad conſumptionem uſque ſulphuris; eo enim pacto friabilitatem omnimodam obtinent.

Sin iiſdem pulveriſatis, ad libram unam adſumptis, remiſceatur

uncia una ſulphuris in pulverem contriti, omnia crucibulo, in igne luculento poſito, excipiantur, ſpathula ferrea indefinenter iſtum Pulverem commovendo, demum ter eædemmet additiones & conſumptionis ſulphuris; Pulveri additi, iterentur, adipiſci dabitur Crocum Veneris colore rubro inſignem, ad quoſvis uſus, in quos venire ſolent hi Croci, idoneum.

Celebratur etiam Cupri Calcinatio immerſiva, hujus diſſolutione in Aqua forti facta, vel Spiritu Nitri, aliove quopiam corrodendi vi prædito; demum abſtracta per diſtillationem Aqua forti, vel alio ſpiritu diſſolvente, in fundo vaſis deprehenditur Cuprum, Pulveris rubicundi forma, abluendi, exſiccandi, & ad uſus ſervandi.

Vel præcipitatur diſſolutio immiſſa lamina ferrea, ſuperaffuſa aqua calente, quamobrem diſſolvens à Cupro abſcedere cogitur per quod hoc diſſolutum fuerat, in vaſis fundum Pulveris rubri ſpecie præceps delatum, qui recondendus tanquam Verus Crocus, aut Præcipitatum Veneris.

In fruſta etiam diſſecantur Laminæ Æris, quibus in capaci Crucibulo ſtratificatis, additis partibus æqualibus Sulphuris pulveriſati, coopertoque crucibulo, foramine exiguo pertuſo illius operculo in medio, circumcirca luto obducuntur junćturæ, quo ſponte exſiccato, podio imponitur Crucibulum, ac circumcirca accenditur Ignis Rotæ, paululum remotus, quo ſolum colliqueſcat ſulphur, in illo ſtatu per horam unam fovendus, demum per gradus admovetur, donec ſulphur flammam concipiat, quę per foramen operculi erumpere conſpiciatur; Eo pacto conſumpto ſulphure, ac materiis frigefactis, in fundo crucibuli obviæ ſunt Laminæ Cupri quodammodo tumefactæ, coloris fuſci, admodum fragiles, ex quibus conſtituitur *Æs uſtum*, quod in pulverem conteri poteſt, pro Veneris Croco etiam habendum, cujus uſus externus tantum eſt.

Alia etiamnum Cupri calcinatio, multo minore vi peragenda, uſitata eſt, ac ſolum ſuperficiaria, madefaciendo ſcilicet laminas Cupri, affuſis ſpiritibus corrodendi vi præditis, vel ſalibus in aqua diſſolutis, qua ratione extrahitur Ærugo, vel Viride æris, laminis cupri inſidens.

Alia quoque ratione Ærugo, ſed multo mitiori, in regionibus calidioribus extrahitur, nominatim Monſpelii, Infuſo pauco vino in grandes Ollas fictiles, ima parte anguſtiores, imponendo ſupra vinum bacillos aut craticulas, quibus inſident lamellæ cupreæ, ſtratificatis poſtea racemorum ſcapis, vino ante humectatis, vaſi poſtea operculo adpoſito, in loco frigido collocando, ſpatio octo vel novem dierum, vel donec laminarum Cupri ſuperficiem ſufficienter obtegat Ærugo,

cultrorum ope poſtea eradenda; Iterata eadem ſtratificatione; ac iterum laminas has cupreas in vaſis per æquale temporis ſpatium detinendo, obtinendæ gratia Æruginis maioris copiæ.

Hanc nonnulli indigitant nomine Floris, alii Salis Vitriolici Cupri, etiamſi revera nihil aliud ſit quam ipſa Cupri ſubſtantia, à Spiritu volatili acido Salino vinaceorum diſſoluta, coadjuvante illo, qui vino ineſt, ac utriuſque arcanis fermentis.

CAPVT LVI.

De Tranſmutatione Cupri & Viridis Æris in Vitriolum.

MAgnum Crucibulum, ſuppoſito pedamento, imponatur medio foco Fornacis Anemiæ, Croci Veneris libra una ſuper porphyrite ſubtiliter conteratur, additaque ſuboctupla parte ponderis Sulphuris vivi, miſtura hæc crucibulo indatur, in cujus ambitu accendendus ignis Carbonum modicus, paulatim augendus, indefinenter Pulverem commovendo longa ſpathula ferrea, hunc ad infimam Crucibuli partem deturbando cum eius parietibus adhæſerit; ignem impellendo donec Sulphur omnino abſumatur; interim ſedulo iterum contundendo materias, ſi contingat per operationem ipſas in grumos converti: Poſtmodum materiis frigefactis, huic Croco tantum Sulphuris pulveriſati adjiciendum quantum prima vice; miſtura autem hac rurſus Crucibulo indita, accenſoque igne, pergendũ erit in injectione & conſumptione Sulphuris, commotione materierum aliiſque proceſſibus ſicuti antea; quinimo etiam decies vel duodecies, iterando miſturam recentis Sulphuris cum Croco Veneris, & eaſdem operationes, ad perfectam Cupri reſerationem & ut adprime diſſolutioni evadat idoneum.

Tandem Crocus refrigeratus, in porphyrite lævigatus, excipiendus erit pelvi argillacea, Balneo Arenæ mediocriter calenti commiſſa; hoc poſtea humectato, ac tandem omnino diſſoluto in quantitate non exigua aquæ pluviæ, aut flüviatilis fere ferventis, vehementer concutiendum erit vas, macerandæ erunt materiæ, per vices adhuc eas commovendo, donec Aqua colore ceruleo eleganti tincta fuerit: Demum filtrata hac Tinctura, ac immiſſa Cucurbitæ Vitreæ, eidem Balneo commiſſæ, evaporatoque humido ſuperfluo ad pelliculam uſque, ac materiis refrigeratis, conſpicui erunt in fundo Cucurbitæ Cryſtalli Veneris, decantato prius ac in aliam Cucurbitam infuſo ſupernatante liquore, qui poſtmodum in vapores abſumendus erit, ſicuti priori vice

cry-

cryſtalliſationem promovendo, donec penitus in Cryſtalla abierit.

Admirationi forte cuipiam fuerit quam facile Crocus Veneris in aqua, cui immittitur, diſſolvatur, quandoquidem propria Cupri ſubſtantiæ, in illius Croco contenta, utut accurata fuerit Calcinatio, aut Reverberatio, menſtruo tam debili, cujuſmodi eſt Aqua, nequaquam cedere debeat; At vero rei poſſibilitas manifeſta fiet, ubi animadverſum fuerit Acidum quod Sulphuri ineſt, poſtquam corroſit, ac in plures particulas Croci Veneris, per calcinationem, partem diſſolvit, ac quodammodo illi ſeſe concorporavit, Aquam fere ferventem id facillime diſſolvere, ac una cum eo partes ejuſdem Croci quas corroſerat & ex parte diſſolverat: Adeo ut Vitriolum, quod inde extrahitur, reapſe tantum conſtet ex partibus Acidis Sulphuris ac Croci Veneris, quas idem Acidum Sulphuris reſeraverat, & ad diſſolutionem aptas reddiderat in aquam una cum illo immiſſum.

Exhiberi ſolet id Vitriolum Veneris à duobus vel tribus ad duodecim & quindecim grana, ex liquoribus idoneis, in affectibus Cerebri, Ventriculi ac Partium generationi dicatarum; quarum poſteriorum gratia Injectionibus remiſceri ſolet, illius drachmam circiter ſemis in libra una Succorum, Decoctorum, vel Aquarum diſtillatarum idonearum affectui diluendo, Necnon maxime conducit enecandis Vermibus.

Cum porro Aqua fervens inſufficiens ſit penitus diſſolvendæ ſubſtantiæ Croci iſtius Veneris, ſubſidentia Cucurbita Vitrea excipienda erit, ſuperaffuſoque Aceto ſtillatio, donec quatuor ad minimum digitis ſupereminеat, maceratio Balneo Arenæ modice calido inſtituenda erit, donec Acetum diſtillatum colorem elegantem cæruleum adquiſierit; demum decantata, & ſervata hac Tinctura ſeorſim in vaſe, affuſoque recenti ſpiritu ſubſidentiæ, iteranda erit maceratio eodem Balneo, imo operationes iſtas repetendo donec ſpiritus nullo amplius colore imbuatur; Poſtea commiſtis cunctis his Tincturis, evaporatio procuranda erit, & cryſtalliſatio non ſecus ac præcedentis, exſiccando & ſervando Cryſtalla.

Æris viride cum multo magis reſeratum ſit, meliuſque digeſtum quam Crocus Veneris, ideo facilius diſſolvitur & celerius: Eapropter tres aut quatuor libræ æruginis pulveriſatę excipiantur vaſta Cucurbita vitrea, Balneo Arenæ commiſſa, ibique paulatim diluantur optimo Aceti Spiritu, commovendo ſpathula lignea, prædicto Spiritu adfuſo, donec ſupernatet Æruginі ad eminentiam quatuor aut quinque digitorum: demum accenſus ignis moderatus infra Balneum foveatur, in quo macerandæ materiæ, quouſque Acetum diſtillatum viridem colorem intenſiſſimum induat,

Poſtmodum per colum tranſmiſſa, & ſeorſum ſervata hac Tinctura, alióque ſpiritu Aceti ſubſidentiæ Aeruginis adfuſo, iteranda erit maceratio, quæ & iterum repeti poterit, ſicuti cæteri omnes operationes, donec tota pars purior Æruginis in Aceti ſpiritu diſſoluta ſit; Dehinc omnibus hiſce Tincturis in magnam Cucurbitam vitream, eidem Balneo impoſitam, infuſis, accenſóque ſubtus igne admodum moderato, humiditas ſuperflua paulatim erit evaporanda, quæ nihil aliud fere erit quam Aceti phlegma, eo quod pars hujus acida concorporatur ærugini, cujus etiam moli incrementum datura eſt, etiamſi fæces, in filtro reſtitantes, aut in fundo Cucurbitæ, Cryſtallorum copiæ imminutionem inducere debuiſſe videantur. Pergendum in humiditatis abſumptione leniſſimo calore adhibito, ad pelliculam uſque, poſte ſponte refrigeratis materiis, decantato in aliam cucurbitam liquore cryſtallis innatante, leniter exſiccatis, ac ſeorſum repoſitis iiſdem Cryſtallis, Cucurbita eidem Balneo rurſus impoſita, iteranda erit concorporatio & cryſtalliſatio quoties re foreviſum fuerit, ut nihil pereat cryſtallorum quæ Tincturæ ineſſe poſſunt, colorem cæruleum exhibiturorũ.

Qui horum Cryſtallorum, ex ærugine pavatorum aciditatem intenſiorẽ deſiderant, generoſum ſpiritum ex iis educendi gratia, idoneum diſſolvendis plurimis ſubſtantiis mineralibus, hæc Cryſtalla diſſolvunt in recenti ſpiritu Aceti, filtrando diſſolutionem cujus, evaporata ad cuticulam uſque humiditate, Cryſtalla ſegregant, imo repetita additione ſpiritus Aceti, cunctíſque aliis Operationibus, donec ab impoſito Cucurbitæ Alembico, dum in vapores abeunt diſſolutiones, ſpiritus Aceti æque generoſus exſtillet ac priuſquam diſſolutioni Cryſtallorum adhibitus fuerit; unde colligere liceat omnes poros materiæ penitus compleri à partibus acidis ſpiritus Aceti, nec majorem illorum copiam illam eſſe admiſſuram.

CAPUT LVII.

De Diſtillatione Cryſtallorum Veneris.

Antequam quis adgrediatur diſtillationem Cryſtallorum Croci Veneris, aut eorum qui ex Viridi Æris educti fuerint, illis prius Cucurbitæ Vitreæ immiſſis, affundendus ſpiritus vini rectificatiſſimus, donec quatuor digitis ſupereminеat; demum impoſita cucurbita Balneo Arenæ, ad ignem leniſſimum, admotóque Alembico acurate luto obducto, inſtructo Recipiente etiam loricato, abſtrahendus ſpiritus vini,

imo

imo iterum Cryſtallis adfundendus bis alius ſpiritus, itidem abſtrahendus obtundendæ aliquatenus illorum acrimoniæ, quæ demum exſiccata & contrita in magnam cucurbitã vitream cui lutũ circumductum,conjicienda, adeo ut duo circiter trientes illius adimpleantur, qua Furno Reverberatorio commiſſa, admotóque illius roſtro grandi Recipiente accuratiſſime lutato, Diſtillatione eliciendus ſpiritus immediato, initio, leniſſimo, demum paulatim ac per gradus adaucto, illum producendo donec nulli amplius conſpicui ſint vapores è Retorta prodeuntes: Poſtmodum ſponte frigefactis vaſis, ſubſidentia altera Retorta excepta, luto obducta, ſuperaffuſóque ſpiritu qui in Recipiens exſtillavit; Eadem ſicut priori vice Fornati Reverberatoriæ impoſita,adpoſito roſtro Recipiente probe luto munito, nova ſuſcipienda diſtillatio, qua peracta cohobandus iterum ſpiritus diſtillatus ſupra ſubſidentiam, terna vice diſtillationem repetendo.

Ea ratione adipiſci licet ſpiritum prægnantem partibus maxime eſſentialibus Cryſtallorum Croci Veneris, aut Æruginis, commendatiſſimum apud plurimos probatos Authores, vtpote Remedium ſpecificum adverſus Epilepſiam, Apoplexiam, Spaſmum, alioſque cerebri affectus, ſicuti & paſſiones Hyſtericas.

Eximium etiamnum eſſe aiunt in ventriculi debilitate, ad contereudos calculos in Renibus, Veſica: Valere necnon volunt in Ictero, omni Febrium ſpecie,imo ipſa Peſte, ac commode ſubſtituendum Aquę Prophylacticæ Silvij in cunctis affectibus ad quos hanc commendat: Quinimo Paracelſus ſpiritum hunc quartam partem Pharmaceuticæ officinæ conſtituere ait.

Doſis illius eſt à quinque ad ſex, ad decem uſque vel duodecim guttas ex liquoribus adcommodatis.

Valere etiam aiunt ad Capillos deciduos cohibendos,& ut novi renaſcantur, ad curationem Achorum, omneque Scabiei genus & Pruritum.

Sed præter cunctas illas vires, pro vero Alkaeſt habitus eſt ille ſpiritus,cujus ope valeant diſſolvi & Margaritæ, aut Coralium,& oculi Cancrorum ac quævis aliæ ſimiles ſubſtantiæ, citius & facilius quam à quovis alio diſſolvente eum in finem uſurpari ſolito, quod cum alterationem patiatur, ac quodammodo atteratur dum in materias illi ſubjectas agit, etiam acrimoniæ qua pollet non minimas impreſſiones inducit; At vice verſa, ex illorum mente, poſtquam hic ſpiritus officio functus eſt, diſſolvendo ejuſmodi ſubſtantias, ab iliis omnino divortium facit ſi per diſtillationem expellatur, iiſdem viribus præditum erumpens, quas ante diſſolutionem obtinuerat,adeo ut novis materiis occurrens eas diſſolvere fit idoneus, quoties & quando libuerit ad id officium illum adhibere.

At cum pars Salina dictarum ſubſtantiarum ſibi adſumere ſoleat illam Acidi portionem cui ſe adjungere intime potuit, ac præterea pars terreſtris nonnullas alias particulas ſibi adſciſcat illáſque amplectatur,nonniſi lotionum ope rite ſeparandas, vix veroſimile eſt dictum ſpiritum ſemper ſibi ſimilem permanere: Neque ex mea ſententia, illius uſus admodum neceſſarius eſt ad ejuſmodi diſſolutiones, quandoquidem, ob rationes alibi à me allegatas, Magiſteria Perlarum,Coraliorum, aliarumq; ſimilium ſubſtantiarum, multo inferiora ſunt ſubſtantiis in porphyrite ſubtiliter tritis, Sal autem, improprie dictum;exinde eliciendum,in concorporatione huius ſpiritus cum ſubſtantiis ab illo diſſolutis;etiam acrimonia majori polleret illo quod eliciendum foret ex iiſdem ſubſtantiis cum aceto diſtillato diſſolutis, foretque ſal acidum concorporatum cum ſubſtantia ab ipſo diſſoluta.

Fallacia etiam inſignis ſubeſſet,ſicuti alias à me demonſtratum, ſi quis Cuprum,Ferrum,Margaritas,Coralia,&c. pro veris Alkalibus venditare vellet, ea fretus ratione quod ſpiritus Acidi in illa agant; Etiamſi enim prædictæ ſubſtantię proprio Alkali non careant,non exinde tamen particula pro toto habenda eſt, neque exiſtimandum alias particulas poſſe illam in propriam ſubſtantiam commutare: quandoquidem cum ſpiritus Acidi ejuſmodi ſubſtantias diſſolvunt, idipſum non præſtant ſe illi intimè uniendo, ſicuti id præſtant conjuncta legitimis Alkalibus, at potius eadem deſtruendo, diviſione partium illorum inducta,imo ab ipſis ſecedendo,ac ut præcipitentur permittendo, ſi ſal quodpiá fixum aut volatile occurrat quocum coire poſſint; quandoquidem ſolę ſubſtantiæ Salinæ, in aqua diſſolubiles,quæ cum oleis copulari & concorporari aptę ſint,pro legitimis Alkalibus admittendæ ſunt: Etiamſi enim aqua fervens, ſicuti dixi,aliqualem Cupri in crocum deducti diſſolutionem inducat, quando Calcinationem cum ſulphure ſubiit,ſolam tamen parté Acidam ſulphure corroſam,& ex parte per calcinationem diviſam,diſſolvere valet.

Nonnulli ſperarunt eductoros ſe Sulphur Veneris,illius vitriolum cómiſcendo limaturæ chalybis,adſumpta illius ponderis parte dimidia,hæc iteratis vicibus aceto ſtillatitio irrorando, ac toties exſiccando, tandem in maſſam admodum rubram deducendo,igne gradatim adhibito,ſub ſinem adaucto; poſtmodum maſſam conterentes ac mediis ordinariis ex illa Tincturam per Acetum ſtillatitium extrahentes, ut poſtmodú hæc ad medius evaporet curantes, demum ſuperaffuſo liquore Tartari præcipitatione facta conſequuturi ſubſtantiam,cui nomen ſulphuris Veneris indiderunt, etſi revera nihil aliud ſit quam propria Cupri ſubſtantia in Vitriolo & portione limaturæ chalybis, ab aceto ſtillatitio diſſoluta deliteſcens, ad uſum deducto pro hac Tinctura elicienda.

At

Atcum in huiuſmodi præparatione plus oſtentationis quam utilitatis adſit,inutile judicavi diutius circa illam immorari; Neque etiamnũ multiplices huc inferrevolui præparationes quas ſubire poteſt Cuprum,ratus ſi quæ à me traditæ ſunt non ſufficiant ad explendas omnes indicationes, In proceſſibus tamen præcedentibus, vel in iis quas exhibent variæ præparationes Martis à me allatæ,curioſis obvia fore media & indicia neceſſaria,quorum ope aſſequi poterunt quaſcunque circa Cuprum adgredi voluerint.

CAPVT LVIII.

De Præparationibus Plumbi.

PLumbum non modo poſtremæ claſſi metallorum imperfectorum adſcriptum eſt, ſed & ab omni ævo omnium viliſſimum habitum eſt, maxime terreſtre,frigidum, molle ac liquabile præ cæteris: Conſtare dicitur ex Sale & Sulphure terreſtribus, impuris ac improbe digeſtis, & Mercurio imperfecto; ad naturam Antimonij quodammodo accedente.

Saturni denominatio illi impoſita eſt; à Planeta eiuſdem nominis, dominium in illud obtinente; juxta vulgatam ſententiam: Facultates præterea omnino ſingulares in affectibus Lienis illi adſignatæ ſunt, imo & Cerebri, quod fere illi commixtæ ſint in minera Argenti quædam particulæ.

Ob Sulphur & Salia terreſtria quibus ſcatet, quando liquefactum eſt intime pervadit & commiſcetur quibuſvis metallis; ſi vero una cum illis ignis impetum experiri cogatur, omnia imperfecta in ſcorias deducit: Ratione eiuſdem ſulphuris, quando in calcem deductum eſt & pulveriſatum, faciilime conjungitur cuilibet materiæ unctuoſæ, quamobrẽ non raro uſurpari ſolet in compoſitionibus Vnguentorum & Emplaſtrorum, quibuſcum facillime in unum corpus coit.

At quantumvis imperfecta ſit illius ſubſtantia,ad plurimas tamen præparationes in utraque Pharmacia admittitur, potiſſimum ad uſus externos; hac vero ratione crebrius uſurpari ſolet quam cætera metalla ſimul ſumpta.

Viliſſima & ſimpliciſſima omnium præparatio Plumbi eiuſdem eſt expurgatio, ad quam perficiendam, prius liquefit in exiguo vaſe fictili idoneo; vel cochleari ferreo capaci, ſuperiniectiſque fruſtulis aliquot ſebi aut ceræ; accenſis, & flamma deſinente, ſeparantur ſordes plumbo ſupernatantes inſtar ſpumæ: Imo diutius ad ignem detinere liceret, aliíſque ceræ & ſebi fruſtis injectis, à deflagratione ſpumam iterum eſſloreſcentem detrahere, at eo modo totum Plumbum & tandem in ejuſmodi ſcorias abiturum eſſet, ſi ma-

terierum ejuſmodi pinguium inlectio & aduſtio ſæpius repeteretur, & igni frequentius Plumbum exponeretur: quamobrem ſufficit una vice liquefaciendo plumbo hæc admiſcuiſſe, deſpumaſſe, ac poſtmodum in vas quodpiam aqua calente ad dimidias repletum effudiſſe, ſi plumbum ſufficienter depuratum deſideretur, perquam idoneum quibuſvis aliis præparationibus ſuſcipiendis.

Ea ratione expurgatum Plumbum, ſi calcinandam fuerit in Calcem cineream, exponi poterit igni moderato, eodem vaſe exceptum, continuo longa ſpathula ferrea id commovendo, ac per vices ſeparando Pulverem cinereum, ad flavum colorem vergentem, ibi colligendum; ad ignem tamdiu detinendo, itidem agitando, ac Pulverem ſeparando, donec totum Plumbum in prædictam Calcem abierit.

Calx iſta poſtmodum pelvi fictili non profundæ inſterni poteſt, qua impoſito Furno Reverberatorio idoneo, accendi & foveri ignis moderatus, adeo ut idoneus ſit Calcis fuſioni, conceſſa illi reverberatione ad aliquot horas, ac quouſque flavum adepta ſit colorem, à Pictoribus *Macicot* vocatum; vel donec tranſeat in colorem corticis mali Aurantij maturi, ad rubrum accedentem, Minium dictum.

Poteſt etiam Plumbum in laminas deduci, quæ ſuſpenſæ excipiant vaporem Aceti, inditi alicui vaſi, ſuppoſito igne moderato, ſeparando poſtmodum ſubſtantiam candicantem, ibi colligendam nomine Ceruſæ venientem.

Vel poteſt liquefieri Plumbum in Crucibulo, admixtaque dimidia parte ponderis Sulphuris pulveriſati, id ſupra ignem detinendo donec totum Sulphur abſumptum ſit, adeo ut in fundo obvium ſit Plumbum coloris obſcuri, nomine Plumbi uſti indigitatum.

Prætermitto Plumbi calcinationem in Lithargyrum, quæ contingit dum Metalla perfecta expurgantur; uti & calcinationes immerſivas cum Plumbo perficiendas per Spiritus corroſivos; quarum ea quæ ſit per ſpiritum Aceti, in præparatione Salis Saturni, exemplum ſufficiens exhibitura eſt.

Mentem vero meam explicaturus ſum circa ponderis incrementum in Calcibus Plumbi & aliorum Metallorum, vel ſubſtantiarum metallicarum, quibus undecima circiter pars accedit, ſi diutius ignis actionem experta fuerint: hæc vero ratio eſt, quod interim dum flamma illorum reſerat & diducit particulas, acidum & ſubſtantia fuliginoſa e lignis prorumpens, aliiſve materiis accenſis, poros Calcium illarum ſubeunt, inibique detinentur ab arcano Alkali illis obvio: Adeo ut quamdiu pori, quos ſubierunt, patentes adhuc ſunt, in illis deliteſcant, non ſecus ac Acidum & Sal alkali lignorum in fuligine caminorum, hinc quando-

quandoquidem unicum corpus cum prædictis Calcibus conſtituunt, manifeſte illarum pondus ad tempus adaugent: At vero ſi hæ Calces fuſioni expoſitæ fuerint, ac priſtinum corpus metallicum readſumpſerint, à conſtrictione pororum metalli expellitur Acidum extraneum, ac cunctæ ſubſtantiæ extraneæ, adeo ut cum ex propriis tantum ſubſtantiis conſtet, ſolum ſuperſit priſtinum pondus antequam in Calcem deductum fuiſſet.

Etiamſi vero Calx Plumbi hic aliquomodo Alkali munere fungatur, unitatis quandam ſpeciem cum Acidis iniens, neque etiam inficiari liceat quin Plumbum Alkali arcano præditum ſit, non ſecus ac cætera metalla ſubſtantiæque metallicæ, immerito tamen totum pro parte accipe-retur, ac univerſa Plumbi ſubſtantia pro legitimo, puro & ſimplici Alkali. Id enim ſi foret non modo multo majorem Acidi partem abſorberet, ſed aliquando abſorpum intime ſibi adjungeret, unde ex utroque unicum corpus conſtitueretur; neque, ſicuti fit, accedente fuſione ab illo ſecederet, quam non ſecus experiretur ac cætera Acida Alkalibus conjuncta, citra tamen ullam illorum ſubſtantiæ diviſionem.

CAPUT LIX.

De Sale & Magiſterio Saturni.

AD hujuſmodi præparationes ſine diſcrimine admitti poſſunt Lithargyrum, Minium, Caruſa, aliæque Plumbi Calces, ſatis quippe eſt habuiſſe Plumbum reſeratum, quod idoneum ſit ſuſcipiendæ facili diſſolutioni per Acetum ſtillatitium: At cum metallum iſtud, ad albedinem calcinatum, magis accedat ad colorem quo donandum eſt iſtud Sal, ſatius fuerit hoc uſurpaſſe, eamque in rem Ceruſam adſumpſiſſe, vel aliud quoddam Album Plumbi.

Eſt vero hic eligenda legitima Plumbi Ceruſa, cujuſmodi Veneti nobis ſuppeditant, nequaquam autem fictitia & adulterium paſſa, quæ quod cretam permixtam habeat, aut quampiam aliam materiam extraneam, caret friabilitate, pondere & candore, quibus pollet Ceruſa Veneta.

Cucurbita ergo vitrea, aut argillacea, eam Ceruſæ pulveriſatæ quam volueris quantitatem excipiat, Illa committatur Balneo Arenæ, ſuperfundaturque Acetum diſtillatum, adeo ut quinque aut ſex digitis ſupernatet: Supponatur ignis Balneo, ſæpius materias commovendo longa ſpatula lignea, tum ad prohibendum ne Ceruſa in vaſis

fundo conglobata ſubſiſtat, tum promoverendæ gratia illius diſſolutionis: Admodum moderatus ſit ignis quouſque ſpiritus aceti manifeſtam dulcedinem exhibeat, indicio certo ab ipſo Ceruſæ maximam partem eſſe diſſolutam; Tunc ſponte frigefacto Balneo, decantatus & frigefactus liquor ſeorſum recondendus in lagena vitrea denſa; Demum iterum repoſita in Balneo Cucurbita, recenti Aceto diſtillato ſubſidentiæ Ceruſæ adfuſo, ſubditóque rurſus Balneo igne, iteranda erit maceratio cæteræque operationes, uſque dum univerſa Ceruſæ ſubſtantia propemodum in Aceto ſtillatitio diſſoluta ſit; poſtea cunctis hiſce diſſolutionibus colo tranſmiſſis, Cucurbitæ vitreæ mundæ immiſſis, ac Cucurbita Balneo arenæ impoſita, igne modico adhibito, humiditas ſuperflua evaporanda erit, donec ſolum ſuperſtes ſit circiter Tincturæ quarta pars: Tunc calide filtratus hic liquor, reponendus erit in loco frigidiori per horas circiter urginti quatuor, ſuccedente poſt coagulatione maximæ illius partis in Cryſtalla alba, longa & pellucida, quibus eminebit pars liquoris qui Cryſtalliſari non potuit, ob humiditatem ſuperfluam: Ideoque iterum decantandus erit hic liquor in Cucurbitam, eodemque Balneo invapores ſoluta illius humiditate ad medias circiter, nova Cryſtalliſatio procuranda erit, idem poſtmodum obſervando erga liquorem Cryſtallis ſupernatantem, donec quicquid adfuerit ſalis Aceti, cum Plumbi ſubſtantia concorporati, cryſtalliſatum fuerit: Cryſtalla autem exſiccata, ad uſus recondenda.

Eximia dulcedo qua præditum eſt Sal Saturni, in cauſa eſt ut perperam pro mero Sale plumbi habitum fuerit, etiamſi reapſe nihil aliud ſit quam verum Sal Aceti, concorporatum propriæ plumbi ſubſtantiæ, à ſpiritu aceti diſſolutæ: Dubium vero nullum ſuberit, poſtquam diſſolutum fuerit iſtud Saturni ſal per Retortam, nam foras prodeunte parte aceti ſalina, in ſpiritum abeunte, in Retorta occurret propria Plumbi ſubſtantia in hoc ſale prius deliteſcens, ſuo corpori reddita, veri plumbi naturam revera iterum readſumens: Fidem vero ampliorem id faciet, ſi Saturni hoc Sal, una cum Sale Tartari Crucibulo immiſſum fuerit, adhibito igne Fuſorio, Nam ob Acidum ſpiritus Aceti, quod à Plumbo divortium facit, Sal Tartari amplexurum, idem Plumbum in eandem redit naturam quam obtinuerat priuſquam à ſpiritu Aceti diſſolutum eſſet, ac in ceruſam aut calcem deductum.

Saporem iſtius Salis dulcem quod attinet, neque is ullo jure Saturni Sali interno adſcribi poteſt, nam præterquam quod ſecerni nequit à cæteris Plumbi partibus, Metallum autem hoc nulla omnino dulcedine præditum eſt, neque ſapore quopiam manifeſto, idem etiamnum inferendum foret de Salibus Margaritarum, Coralorum &c. quandoquidem poſtquam diſſoluta fuere in Aceto ſtillatitio, illorumque diſſolutio in ſal

converſa

converſa eſt, ſal iſtud, quod ſal etiamnum eſt ſpiritus Aceti, concorporatum ſubſtantiæ Margaritarum, Coraliorum &c. ab eodem ſpiritu Aceti diſſolutorum, ſapore præditum eſt admodum ſimili illi quo donatum eſt Sal Saturni; etſi demonſtrari poſſit ſaporem iſtum dulcem nequaquam eſſe deducendum à quopiam Sale ſeparabili, illis ſubſtantiis inexiſtente; quandoquidem licet præcipitatione facta harum ſubſtantiarum diſſolutarum, vel diſtillando hæc Salia, idem fere pondus deprehendere ſit quo pollebant antequam à ſpiritu Aceti diſſolutæ fuiſſent, cum porro elotæ fuere ac expurgatæ ab omni commiſtione ſpiritus Aceti, æque inſipidæ ac ante obſervantur, nedum in illis quampiam dulcedinem deprehendere licet, uti neque in Plumbo: Adeo ut immerito adſignetur ſapor hic dulcis, manifeſtus in ſale Saturni, alteri cauſæ quam actioni ſpiritus Aceti in Plumbum; Neque etiamnum ſapor dulcis ſalis Margaritarum, aut Coraliorum, aliter perpendendus quam ut affectus actionis Aceti in has ſubſtantias, atque combinationis utrorumque; cujus actionis efficacia, aculei ſpiritus Aceti cum obtundantur, hinc ſequitur mollior illorum in lingua impreſſio quam ante.

Cum Plumbum eodem modo agere nequeat quo ſalia in ſpiritum Aceti, poſterior porro hic cum ſolum agens in diſſolutione Calcis Plumbi cenſendum ſit, Eapropter multo levior ebullitio obſervatur, minuſque etiam intenſus calor quam in conjunctione Acidorum cum veris Alkalibus, in quibus præceps & celer contingit utrinque actio, ut inde emergat unitas ipſis admodum familiaris, fervor enim & calor concitati, effectus ſunt inſignis & reciproci illorum motus: Idemque obſervare eſt fervorem & calorem omnino deſinere ſtatim ac ad unitatem properant, deſinente illorum actione & motu: At vero hic nulla expectandus eſt alius fervor, neque alius calor, quam quos ſolus ſpiritus Aceti excitare poteſt quando agit in calcem Plumbi, in quam etiam ſpiritus Aceti molliſſime tantum agit, ea ſcilicet de cauſa quod cum multo ſemper ſcateat phlegmate, aculei illius obtuſiores ſunt, ideoque minus ad actionem & motum idonei, quo fit ut non exiguum tempus requiſitum ſit quo hic ſpiritus iſtam diſſolutionem peragat.

Quibus frigiditas Plumbi ſuſpecta eſt, ſicuti & acrimonia ſpiritus Aceti, ij Sali Saturni adfundere poſſunt ſpiritum Vini rectificatiſſimum ad quatuor digitorum eminentiam, præmiſſáque triduana aut quatriduana digeſtione, hunc abſtrahere, demum ſal exſiccare & recondere.

Eximium habetur Sal Saturni ad extinguendas inflammationes internas ardoremque febrium, imo & ad libidinem frænandam, ex liquoribus idoneis id exhibendo à tribus aut quatuor ad quinque aut ſex grana: Plurimum etiam commendatur ad reſolvendos Tumo-

res duros & ſcirrhoſos, ac diſſipanda enchymomata.

In Collyriis utiliſſime adhibetur, tam cohibendarum fluxionum in oculos cauſa, quam ſedandæ inflammationis, ac delendarum albuginum incipientium; id diluendo à ſcrupulo uno ad duos in aquæ Chelidonij, aut Euphroſiæ unciis quinque vel ſex, quarum augeri poteſt quantitas ſi Collyrium temperatius requiratur.

Injectionibus etiam commiſcetur in Gonorrhoea, Inflammationibus & Vlceribus Veſicæ & Vteri ac illorum meatum: Gargariſmis etiam commodiſſime additur, in plerifque affectibus Ori moleſtis, quos utplurimum pariunt Alkalia volatilia aut fixa, Acidum quippe ſpiritus Aceti, cooperante Plumbi qualitate frigida, actionem horum ſalium evidentiſſime retundit, inflammationemque ab illis inductam extinguit: Id vero rationi eo magis conſcataneum videtur quod, experientia teſte, Sal prunellæ, ſpiritus ſalis, ſulphuris & Vitrioli, & quodvis Acidorum genus, imo & vulgare Acetum, optime in ejuſmodi affectibus admittuntur, qui in deterius laberentur uſurpatis cæteris ſalibus, tum fixis tum volatilibus.

Præparari ſolet linimentum à Saturno denominatum, commiſcendo ſimul partes æquales diſſolutionis ſalis Plumbi & Olei Roſati, hæc deducendo in quandam Vnguenti Nutriti ſpeciem, admodum idonei ad curationem Vlcerum malignorum, inductorum ab humore acri & ſalſo, uti & Herpetis, Scabiei, Impetiginis, imo & Ambuſtionis.

Abſtinere licet à ſingulari diſſolutione Calcis Plumbi, obtinendi gratia magiſterium Saturni, quandoquidem ſatis eſt immiſiſſe Cucurbitæ, aut capaci diſco vitreo, quantum volueris liquoris filtrati Saturni, ad ſalis extractionem præparati, illi leniter adfundendo liquorem Tartari quouſque nulla amplius ebullitio manifeſta ſit: Liquor enim Tartari, poſtquam conjunctus eſt ſpiritui Aceti, à quo diſſoluta fuit Calx Plumbi, efficiet ut iſtam Calcem deſerat, quæ in fundum præceps itura eſt: Poſtmodum ſubſidentia facta materiæ præcipitatæ, decantatoque liqnore ſupernataute, materia hæc iteratis vicibus aqua puriſſima eluenda erit, donec perfectiſſime edulcorata ſit: Exſiccandum poſtea hoc Magiſterium, ad uſus ſervandum.

Magiſterium hoc reapſe nihil aliud eſt quam Calx Plumbi, depurata & ſubtilis reddita, quæ admitti poteſt ad uſus externos, ſi refrigerandi & exſiccandi neceſſitas inciderit: Nonnulli unguentis Pomaceis id remiſcent ad vultus decorationem: At candor adparens, quem unguenta ejuſmodi vultui conciliare videntur, comitem ſæpe habet colorem ad plumbeum vergentem, relicto priori materiæ, è

qua

qua magiſterium eductum eſt, in facie veſtigio, in quam abire aptum ntum eſt non ſecus ac Sal Saturni.

Poſſet & concinnari magiſterium Saturni, infracto ſpiritu Aceti, Calce Plumbi prægnante, illi ſuperaffuſſa non exigua Aquæ copia, cujus cauſa in vaſis fundum dimiſſurum eſt Calcem Plumbi à ſe diſſolutam.

Nonnulli diſſolutione facta Laminarum Plumbi in Aqua Forti, comparata ex Nitro & Alumine, diſſolutioni illi affundunt Aquam Salſam filtratam, unde præcipitatio ſequitur Magiſterij admodum candidi: quod rite per plurimas ablutiones dulcoratum, ac in umbra ſiccatum, intra duas chartas concluſum, in uſum venit ad vultus decorationem.

CAPUT LX.

De Diſtillatione Plumbi.

PLumbum quanquam molle,non ideo tamen aptius cæteris metallis ut ſolitariū exhibere poſſit per diſtillationem diſcrepantes ſubſtantias liquidas, id quod præſtant plurima Salia ac partes Vegetabilium & Animalium; Nam etiamſi Plumbum diutius ad ignem luculentum detineatur, ac tandem ad eam conditionem deduci queat quam nonnulli Au-Authores vocant *Gas*, nihilominus tamen neque per diſtillationem, neque aliter ullum ſal ex illo elicere licet, neque ſpiritum, neque oleum quæ pro legitimis haberi poſſint, etiam ſancte talia quidam polliceantur.

Quandoquidem id hactenus omnino non licuit, ideo neceſſario artis peritis confugiendum fuit ad ſpiritus corrodendi vi præditos, quorum ope Plumbum in calcem deducatur,quo ex conjunctis Calce & ſpiritibus elicere queant compoſitum, ſalis multam ſimilitudinem præbens, poſtmodum ex iſto ſale per diſtillationem extrahere phlegma, ſpiritum, & oleum, ſpecietenus tale, cujus Præparationem hic exhibeo.

Vt felicius ſuccedat Diſtillatio Salis Saturni, è re eſt prius idipſum iterato diſſolvere in Aceto diſtillato; unaquaque vice Balneo Mariæ partem aquei humoris à prædicto ſpiritu abſtraxiſſe, haſque operationes repetiiſſe donec ſpiritus aceti diſtillatione prodeat non minori acore prædi-tus quam cum immiſſus fuit: unde colligere dabitur poros Plumbi ſubſtantiæ Acidum omnino intra ſe admiſiſſe.

Tum libræ duæ vel tres Salis iſtius Saturni, optime exſiccati, ingenti Retorta vitrea excipienda ſunt, qua impoſita, (congeſta toto in am-

bitu arena) capſulæ fictili idoneæ, admoto Excipulo illius roſtro, accuraréque luto obductis cunctis commiſſuris, ſuſcipienda Diſtillatio igne gradatim adhibito, leni quidem initio, ſed ſub finem admodum adaucto, ac donec nulli amplius ex Retorta vapores prodeant.

Diſtillatione peracta, vaſiſque frigefactis & decruſtatis, occurrent Phlegma & ſpiritus Salis Saturni in Recipiente commixta; quæ ſimul Cucurbitæ vitreæ committenda; hacque Balneo Arenæ impoſita, Alembico proprio probe loricato cooperta, admoto etiam exiguo Excipulo ſimiliter lutato, perficienda erit Rectificatio igne leniſſimo, Eóque pacto, poſtquam præterit ſpiritus inflammabilis (cui nonnulli nomen ſpiritus ardentis Saturni indidere, etiamſi reapſe nihil aliud ſit quam pars volatilis ſulphurea Aceti) poſtmodum ſubſequente Phlegmate; In fundo Cucurbitæ obvius futurus eſt liquor purpureus, cui admodum improprie conceſſum nomen Olei Saturni, quandoquidem nihil aliud eſt quam ſpiritus Aceti concentratus, pauciſſimis Plumbi particulis donatus; id quod demonſtratu facile eſt fuſioni imponendo maſſam reliquam Retortæ, proculdubio enim abitura eſt in Plumbum omnino illi ſimile quod in Calcem deductum fuerat, præparandi gratia Salis Saturni.

Alibi dixi quando Vinum in acetum tranſit, partem acidam, tunc dominium obtinentem, partem Vini ſulphuream volatilem nequaquam deſtruere, hanc vero in altera deliteſcere, etiamſi plurimi contrariam amplectantur ſententiam: Eædem rationes, vim nactæ ab eo quod hic contingit, demonſtrant ſpiritum inflammabilem ex hac diſtillatione prodeuntem, aliud nihil eſſe quam ſpiritum vini abſtruſum & quaſi involutum in Acido Aceti, tunc ſe exhibentem quando igne urgente maxima pars ſpiritus Aceti, à quo fuerat fixatus, cohibetur intra poros Plumbi Calcis quam diſſolverat: Contingit etiam à ſeparatione ſpiritus iſtius ſulphurei, id quod in fundo Cucurbitæ reſiduum eſt, Olei Saturni nomine ſignatum, non eadem aciditate pollere quam obtinere poteſt ſpiritus purus Aceti concentrati.

Vtcumque tamen difficile eſt Luteriæ in diſtillationes Salis Saturni verum ſpiritum inflammabilem conſequi, eo quod Aceta idonea ſpiritui ſuppeditando utplurimum adulterina ſunt, Aquam pro baſi obtinentia: Quendam tamen ſpiritum habere licet ſi adhibitum fuerit Acetum purum, quod tale evaſit ab acore Vino accidere ſolito: Hinc Sal Saturni, paratum ex legitimo Vini aceto, fere ſemper flammam aliquam in ignem projectum emittere ſolet.

Authores

Authores ſpiritui inflammabili ex hoc Sale educto, adſcribunt eximiam vim diaphoreticam, qui utiliſſime in uſum adducatur adverſus Febres malignas, affectus luis Venereæ comites, & qui cerebrum obſident, exhibendo remixtum liquoribus idoneis à quinque aut ſex ad quindecim aut viginti guttas.

Liquorem in Cucurbita reſtibilem commendant ad curanda & cicatrice obducenda vulnera & ulcera, leviſſima horum inunctione : Nonnulli etiam plurimi faciunt ad morbos qui in Equorum oculis accidunt.

CAPUT LXI.

De Balſamis Saturni.

INſignis facilitas obſervata in diſſolutione & concorporatione ad ignem Calcium Plumbi pulveriſatarum, cum oleis ac quavis materia pingui, occaſionem præbuit judicandi à diſſolutione harum Calcium per ſpiritibus corroſivos, iiſdem poſtmodum in ſal deductis, minus difficilem fore illorum diſſolutionem in quovis liquore, ac in uſum adducere ad compoſitionem quorumvis remediorum tum internorum tum externorum.

Balſami Saturni non minoris momenti remedia præbent, ex illo parabilia ; quorum cauſa nonnulli præcipiunt immitti Retortæ vitreæ Salis Saturni octo uncias ; illis ſuperaffundi duplex pondus Spiritus ætherei Terebinthinæ ; hæc accurate commixta diſtillari Arenæ Balneo, igne per gradus adhibito : Inde primo extrahi aiunt ſpiritum limpidum, admodum convenientem curationi Gonorrhoææ virulentæ, ſi præſertim tantillum Camphoræ admixtum fuerit, Demum educi Oleum, nomine Balſami Saturni venientem, idoneum mortificandis ac ſanandis ulceribus cancroſis & malignis.

Alij jubent quatuor uncias Salis Saturni pulveriſati immitti Matratio, cum altero tanto ſpiritus ætherei Terebinthinæ ; impoſito autem Matratio exiguo Alembico cœco, accuratiſſime lutato ; hæc digeri Balneo Arenæ, admoto minimo igne, per vices commovendo ; digeſtionem autem eo uſque progredi donec Sal Saturni propemodum ſit diſſolutum, ſpiritus autem intenſi ſit coloris : Demum vaſis decruſtatis, addendo huic Tincturæ unciam unam Caphuræ pulveriſatæ ; vaſis iterum luto obductis, pergendo in digeſtione donec Caphura diſſoluta fuerit, filtrari hunc Balſamum tranſmittendum per pauxillum goſſipium, fundo infundibuli

immiſſum; Recondendum poſtmodum in lagena vitrea denſa accurate obturanda.

Remedium eſſe aſſerunt cui nullum comparandum ſit ad curationem quorumvis Vlcerum, Fiſtularum, Vulnerum, cujuſcumque fuerint generis, calide partibus affectis admovendo.

Alij adhibent ſecundum aut tertium Oleum à Terebinthina elicitum, dimiſſo illius ſpiritu æthereo, eum in finem ut Balſamus, ſolidiorem conſiſtentiam nactus, diutius partibus adhærere queat.

Nonnulli in uſum adducunt Oleum diſtillatum baccarum Iuniperi, rati præter facultatem diureticam, qua pollet, hoc loco forte inutilem, aliaſque inſignes dotes illi communes cum Oleis Terebinthinæ, hoc Balſamica vi inſignius eſſe, magis idoneum ad reſiſtendum malignitati vulnerum & ulcerum.

Omitto Tincturas & Extracta quæ ſuppeditare valet Sal Saturni, per ſpiritum vini parata, vel alia menſtrua; quorum ope, præmiſſis diuturnis & repetitis circulationibus & abſtractionibus, conſequi tandem licet Oleum odoratiſſimum.

Prætermitto præterea modos Mercurium ex Plumbo extrahendi, ſatius enim duco aliis magis utilibus immorari.

CAPVT LXII.

De Stanni Præparationibus.

Etiamſi Stannum accenſeatur tertiæ claſſi Metallorum imperfectorum, non ſecus ac Plumbum, poſtremo tamen hoc id purius eſt, pondere quippe id ſuperat, quapropter etiam Plumbi albi nomine donatum eſt: Sed præterea durius eſt, & frequentius ad confectionem vaſorum in uſum ducitur, utpote magis idoneum: Id etiam ſingulare obtinet, quod Aquæ, aliive liquores qui illi committuntur, nihil vitij contrahunt, dummodo corrodendi vis abfuerit.

Stannum perhibent compoſitum ex Terra & Sulphure impuris, tantillo Sale metallico, ac Mercurio paulo puriori, magiſque digeſto quam qui Plumbo ineſt, at multo inferiori eo quo donata ſunt Aurum & Argentum.

Iovis nomine donatum fuit ab iis qui crediderunt Planetam cognominem influxus ſuos in id metallum diffundere: Sancitum & facultates illius Iecur & Vterum præſertim ſpectare.

Cum

Cùm faciliima ſit Stanni ab igne fuſio, ac citiſſime cæteris metallis conjungatur, eapropter ſi aliquando una cum illis colliquefactum fuerit, ac præſertim imperfectioribus, admodum ardui eſt negotij id penitus ab illis divellere: Ea de cauſa optimus procedendi modus, ut conſequi purum liceat, is fuerit ut primo ex ſincera minera eruatur; demum liqueſcat in capaci cochleari ferreo, additis fruſtis aliquot ſebi aut ceræ, ad deflagrationem, ſicuti in Plumbo fieri ſolet: Poſtmodum ſcoriæ detrahantur, ſpumæ ſpecie ſupernatantes.

Inſignis hæc nihilominus ad fuſionem propenſio non prohibet quin ob ſoliditatem, & implicationem ramoſarum partium illius ſubſtantiæ, difficilioris multo quam Plumbum ſit in Calcem perfectam commutationis, Eapropter ſatis eſſe non debet id fuſioni tradere, ac igni expoſitum prælonga virga ferrea commovere, quouſque Calcis formam adeptum ſit, ſed præterea Calx iſta per plurimos dies, Furno idoneo impoſita, reverberanda eſt, quinetiam per vices Aceto ſtillatitio hæc irroranda, ſi modo ad eum ſtatum deducenda ſit quo facile pervadi queat & diſſolvi ab eodem ſpiritu, præparandi poſtmodum gratia Sal Saturni, poſtquam Calcis formam adeptum eſt.

At cum Sal eo modo præparatum ſolummodo conſtet ex Sale ab Aceto ſtillatitio ſuppeditato,ac propria ſtanni ſubſtantia diſſoluta,in illo Sale deliteſcente, è re eſt id immittere Cucurbitæ, & ſpiritum vini rectificatiſſimum affundere: demum commiſſa Cucurbita Balneo areuæ, igne leniſſimo ſubdito, ſuperimpoſitóque Alembico, admovendum exiguum Excipulum, cuius accurate luto obductis commiſſuris, abſtrahendus erit hic ſpiritus, imo recens ſpiritus Sali affundendus; ter eaſdem ſpiritus Vini affuſiones & abſtractiones repetendo, ut Sal hoc idoneum magis ac magis reddatur quod interius adſumi queat.

Exhibetur à duobus vel tribus ad quinque aut ſex grana, conſervæ alicui remixtum in affectibus hyſtericis, ac præcipue ſuffocationibus ab Vtero, quarum cauſa umbilico etiamnum adhiberi poteſt, oleo Rutaceo id exipiendo.

Valet & ad curationem Fiſtularum ac chronicorum Vlcerum malignorum corrodentium, admovendo id remixtum Linimentis idoneis.

Licet etiam diſſolutione facta Calcis Stanni in Aceti ſpiritu, præcipitare diſſolutionem cum ſale urinæ aqua diluto, probéque elutum Magiſterium hoc ad eoſdem uſus ac Sal uſurpare; imo id Vnguentis Pomaceis commiſcere ad decorandum vultum comparatis.

CAPUT LXIII.

De Floribus Stanni.

REquiſitum temporis ſpatium, & tædium calcinationis Stanni, per media à me jam allata, omnium ſimpliſſima & uſitatiſſima, Artis peritos impulere ad indagandam methodum & faciliorem & compendioſiorem; Ei rei plurimi operam navarunt, nec fruſtraneo plane ſucceſſu; Inter cæteras præparationes à quibuſdam excogitatas, Sublimatio Stanni in Flores omnium optima eſt, ſi bene ſentio; Etiamſi enim nemini in mentem venerit Stannum in Flores ſublimare velle citra aliquod additamentum; ac præterea Salium commixtio, eapropter in uſum venientium, improbanda videatur, ob imminentem corroſionis ab his metum; Cum porro omnino fieri non poſſit ut Stannum Florum ſpeciem adſumat ejuſmodi auxilio deſtitutum, arduum vero non ſit Salia iſta à Stanno ſecernere beneficio ablutionum repetitarum, hac de cauſa uſus illorum admittendus eſt, dummodo ratione habita gravitatis Plumbi, ac innatæ inhabilitatis ad ſublimationem in Flores, in augmento proportio habeatur copiæ Salium eum in finem adhibitorum.

Quamobrem, cum vulgo præſcribi ſoleat à nonnullis æquale pondus Stanni & Salis Ammoniaci pulveriſati, accipi velim uncias octo prioris aut poſterioris Calcis Stanni, & quater tantum Salis Ammoniaci; quibus in ſubtilem pulverem contritis, ac rite commixtis, ſolido Aludel impoſitis, in Fornace idonea, id cooperiendum ſuperinditis tribus aut quatuor ollis illi adcommodatis, probeque luto obductis juncturis, admotoque capitello exiguo ſupremæ Ollæ, accendendus erit exiguus carbonum ignis infra Aludel, qui paulatim intendendus donec Aludel probe incanduerit quoad totam partem inferiorem: Eo tempore per foramen inſculptum injicienda ſemuncia circiter Pulveris, foramine eodem momento occluſo; quo pacto Stannum & Ammoniacū una in vapores aſſurgent, qui intra Ollas Florum formam condenſati adſumpturi ſunt: Poſtmodum in Aludel tantumdem Pulveris immittendum, foramen occludendo, donec evehantur & in Flores vapores concorporentur; Cunctas has Operationes repetendo donec Pulvis univerſus abſumptus ſit, luculentum infra Aludel perpetuo ignem fovendo, ad faciliorem Stanni ſublimationem, quod eo pacto fere totum in ſublime efferendum erit.

Aliam

Aliam ſi inieris viam, videlicet tantum partes æquales Stanni & Salis Ammoniaci adſuma, futurum ut Stannum fere totum in fundo Aludel ſubſideat; Neque id mirum eſſe debet, impoſſibile quippe eſt metalla in Flores evehere niſi in ſubſidium venerint triplum aut quadruplum pondus Salium volatilium admiſcendorum, aut ſaltem plurimæ cohobationes invicem ſeſe conſequantur.

Peracta omnino ſublimatione, vaſiſque ſponte refrigeratis, ac decruſtatis, colligendi Flores ollis adhærentes, quibus immiſſis capaci pelvi fictili, aqua pura repletæ, omnia reponantur & finantur per vigintiquatuor horas; quibus exactis, aqua decantata, in fundo vaſis occurret Calx ſtanni, forma magiſterij, quod probe dulcoratum ope plurimarum lotionum, & in umbra exſiccatum adſervandum erit, eo modo exhibendum, ſeorſum aut aliis remediis remixtum.

Neque tamen quicquam prohibet quin, ſi lubet, in Sal deducatur, id in Aceto ſtillatitio diſſolvendo, eademque ratione procedendo ac ad præparationem Salis Saturni.

Licet etiam, dimiſſo Sale Ammoniaco, commiſcere Calci Stanni triplum pondus Salis Nitri pulveriſati, ſimul facta detonatione ac ſublimatione in Aludello, ollis ſuperimpoſitis cooperto, addito exiguo Capitello, projectione facta Pulveris in Aludellum candens; eadem quoque ratione procedendo ac ad confectionem Florum præcedentium; Collectos demum Flores, ac diſſolutos in grandi Pelvi fictili, aqua repleta, poſtmodum rite dulcoratos, exſiccando & recondendo: Aut, quod ſatius, affundendus Spiritus Vini rectificatiſſimus ad altitudinem duorum tranſverſorum digitorum, ibi accendendus, ter vel quater eadem operatione repetita antequam Flores in uſum adducantur.

Poteſt & fieri Amalgama Stanni, quatuor illius uncias in Crucibulo fundendo, in altero excalefaciendo Mercurij vivi uncias duas, procul ab igne Mercurium calentem Stanno affundendo, illi concorporando; Amalgamata demum conjuncta in aquam frigidam projiciendo, poſtea Amalgamati, linteo excepto & expreſſo, commiſcendo ſextuplum pondus pulveris Salis Ammoniaci, & quartum tantum Sulphuris pulveriſati, omnia ſimul matratio impoſita ſublimando, igne Arenæ gradatim adhibito, more ſolito; Ea ratione Sal Ammoniacum & Sulphur Mercurium amplectentia, ac cohærentia, illum abſtrahunt, ſimul indentes formam, conſiſtentiam & colorem Cinnobaris, cuius elegantia Purpurei nomen illi conciliavit, Stanno interim in fundo ſuperſtite forma

Pulveris ſubtiliſſimi, coloris aurei, nomine *Machicotij aurei* donatum, quod Pictoribus frequenti eſt in uſu, non ſecus ac Purpureum.

At ſi iſti colores curæ non fuerint, uti neque Mercurij conſervatio, poteſt igne lento evaporari Mercurius Amalgamatus, Calce ſtanni alba & ſubtili in vaſis fundo relicta, quæ ulteriorem albedinem conſequi poterit, ac in Alkool deduci commiſcendo alterum tantum Nitri, par que pondus Salis Ammoniaci, projectione facta & ſublimatione in Aludello, juxta artis regulas, Eluendo illam & exſiccando eo modo quo Flores quorum modo tradidi deſcriptionem.

CAPVT LXIV.

De Diſtillatione, pluribuſque aliis Plumbi præparationibus.

QVandoquidem omnino impoſſibile eſt ullum liquorem è Stanno ſurſum evehere, vel diſtillatione educere, uti neque è cæteris metallis ſi ſolitaria fuerint; Nullus præterea non deſiderio teneatur illius corpus accurate referandi, illudque idoneum reddendi quod probe proprias vires explicet, ideo Artis periti ſollicite diſquiſiere materias, quæ remixtæ id intime penetrare valeant, diſſolvere, idemque liquoris ſpecie diſtillationis ope impellere.

Quamobrem, commixta Calx, aut Stanni limatura, duplo pondere Mercurij ſublimati corroſivi, committitur exiguæ Retortæ vitreæ, luto munitæ; qua impoſita exiguæ Fornaci Reverberatoriæ clauſæ, leviterque admoto ejus Roſtro Recipiente, inſtituenda diſtillatio, adhibito igne immediato leniſſimo, eo uſque producenda donec liquor butyroſus expectatus ſtillare deſinat: Mutato tunc Recipiente paulatim augendus ignis, tandem urgendus donec quicquid in ſublimato Mercurij latebat, reviviſcat & currat in Recipiens: Poſtea affuſa aqua pura liquori albo & craſſo, relicto in priori Receptaculo, eóque pacto præcipitatione facta ſubſtantiæ Stanni, a ſalibus ſublimati corroſivis eroſæ & diſſolutæ, ſinitur refrigerari materia præcipitata; decantatoque in aliud vas liquore innatante, iterum atque iterum aqua limpida affuſa eluitur id præcipitatum, donec perfecte edulcoratum fuerit, demum in umbra exſiccatum ad uſus ſervatur, exhibendo à duobus vel tribus ad quinque aut ſex grana, iiſdem in affectibus ad quos vſurpari ſolent aliæ Stanni præparationes à me traditæ.

Immerito quis crederet Præcipitatum iſtud Mercurio originem ſuam debere, ſublimati corroſivi materiæ præcipuæ; quandoquidem, expe-

experientia teſte, quicquid Mercurij continere poterat ſublimatum, id in Receptaculum exſtillat peracta Butyri diſtillatione, ſi urgeatur ignis; Poſtmodum licet, ſi lubeat, præcipitatum hoc rurſus deducere in merum Stannum, eiuſdem omnino naturæ ac antequam à Salibus ſublimati corroſivis diſſolutum fuiſſet.

Licet filtrare, ac partem in vapores abſumere loturæ prioris hujus præcipitati, conſequendi gratia ſpiritus Acidi, illi propemodum ſimilis qui elici ſolet è prima lotione Butyri Antimonij, cuius ſuo loco meminero; Spiritus Vitrioli philoſophici nomine gaudentis: Aut Cryſtalliſare in Sal hanc Loturam, pergendo in evaporatione ad cuticulam uſque, ſponte ut refrigeſcat ſinendo, ſeparatione poſtmodum facta Cryſtallorum exſiccatorum.

Præparatur præterea Butyrum, aut Oleum glaciale Stanni, cuius poſtmodum ſuſcipitur præparatio, quam vocant *Bezoarticam Ioviale*, hac ratione procedendo.

Liquefiant in Crucibulo unciæ tres Reguli Antimonij, additis unciis duabus Stanni puriſſimi, demum infuſa hæc miſtura in Cucullum ferreum, pingui interius aliquo delibutum, & calentem, ac ſponte frigefacta, ſubtilem in pulverem conteritur: poſtea remixtus hic Pulvis duplo ponderi ſublimati corroſivi, itidem pulveriſati, cunctíſque exigua Retorta vitrea, luto obducta exceptis, hæc committitur exiguæ Fornaci Reverberatoriæ clauſæ, ſuſcipitúrque diſtillatio tam Butyri quam Mercurij currentis, eadem via procedendo qua ad præcedentem diſtillationem: Præcipitatur quoque eadem ratione Butyrum inde exſtillatum, materiam præcipitatam etiam abluendo.

Adſervatur poſtmodum, ſi lubet, nonnulla portio Pulveris, cui vis ineſt leniter expurgandi per ſuperiora æque ac inferiora in affectibus Hyſtericis, dando à duobus ad quatuor aut quinque grana, ex quapiam conſerva, aut condito.

Bezoarticum vero Ioviale adipiſci dabitur hoc pacto, Pulveris deſignata quantitas immittatur exiguæ cucurbitæ vitreæ; affundatur ter tantum optimi ſpiritus Nitri, committatur Balneo arenæ, ſuppoſito igne moderato, ut ſpiritus Nitri leniter evaporet curando, donec maſſa omnino exſiccata fuerit: Demum in pulverem comminuta hæc maſſa, ritéque plurimis adhibitis lotionibus dulcorata & exſiccata cuſtodienda, excepta lagena vitrea denſa accurate occludenda.

Vtiliter in uſum adduci poſſet Bezoarticum iſtud Ioviale ad Tabidorum curationem, & Febre Hectica laborantium, quam Angli vocant Conſumptionem, illud ſubſtituendo Antihectico à Petro Poterio tantopere decantato, ab ipſo obſcure tantum deſcripto tertia Centuria Cura-

tionum & obſervationum Medicinalium, imo exiſtimo hanc præparationem nulli inferiorem eſſe ex iis quæ legitimæ habentur, quam huc inſertam volui.

Liquefiant in Crucibulo Reguli Antimonij unciæ quatuor, & Stanni puri unciæ tres, ambo liquefacta infundantur Cucullo ferreo, interius pingui aliquo delibuto, inde exſurget *Regulus*, *Iovis* nomine deſignandus: Conterendus poſthac iſte Regulus, rite commiſcendus duplo ponderi Nitri puriſſimi pulveriſati; Paulatim fiat projectio, ac detonatio in Crucibulo candente, pedamentum habente ſubpoſitum, ad luculentum carbonum ignem: Omnium proiectione facta, & detonatione, ponderandum id quod in crucibulo repertum fuerit, conterendum ac denuo commiſcendum duplo ponderi Nitri puriſſimi; Proiectione & detinatione huius miſturæ ſicuti prius repetita; Demum coopertum crucibulum, ignîque luculento per horam commiſſum, ſponte ut refrigeſcat ſinendum; Exempta materia optime conterenda, ac plurima tepidæ adfuſione eluenda, eiuſmodi lotiones repetendo quoad perfecte dulcorata fit.

Præparatio hæc accedit ad Antimonium diaphoreticum: neque dubium quin Nitrum, dum detrahit huic Regulo facultates purgativam & emeticam, maxime intimas conſervet.

Bezoarticum iſtud Ioviale optima eſt præparationum quas ſuppeditare poteſt Stannum; nam præterquam quod remedium eſt ſpecificum, in cunctis affectibus Vterinis, Hidroticum præterea eſt, admodum febribus malignis conveniens, nec non Venereis affectibus ſi malignitas per ſudores expellenda ſit.

Datur Boli forma procul a paſtubus, ex aliqua conſerva aut condito, à quinque aut ſex, ad duodecim, quindecim aut viginti grana.

Mitto quaſdam alias Stanni præparationes, quarum apud Authores deſcriptiones proſtant, ſatis enim multas me adtuliſſe credo, eas præſertim quæ quicquid utile ad uſus medicos ab hoc metallo expectandos continent.

CAPVT LV.

De Præparationibus Mercurij.

IN metallorum cenıum non venit Argentum vivum, ſed ſemi metalli nomine donatum fuit, etſi enim ſolidum non ſit, neque malleabile, ſicuti vera metalla, omnibus tamen facillime ſe adjungit, ac præ-

ſertim Auro, cui etiamnum ſæpe medium interjacet ſi cæteris metallis hoc conjungendum ſit.

A colore argenteo, ac innata, eaque inſigni, mobilitate, Argenti vivi nomen adeptum eſt, Græci itidem coloris reſpectu habito, & fluiditatis Argenti liquidi nomen indidere, Latini Hydrargyrum, hoc eſt Argentum Aqueum dicunt, vel Aquam Argenteam, non vero *Hydrargyros*; Mercurij nomen gerit ob analogiam cum Planeta eiuſdem nominis: Fortaſſe & eo nomine donatum fuit ob convenientiam in crebra figuræ immutatione, quam Ethnici Mercurio, Deo illorum fictitio adſignarunt: Eadem quoque de cauſa, & colorum varietate, quorum capax eſt, Protheus quoque dictus eſt: Sicuti fluiditatis gratia, & volatilitatis, ſervi fugitivi apud quoſdam nomen adeptus eſt.

Hydrargyrum ergo, Liquor eſt mineralis, aut metallicus, naturæ volatilis, in mineris terræ obvius, conſtans, ſicuti opinio quorundam eſt, ex terra ſulphurea alba, ac mercurio proprio albo interno, quem Philoſophi pro altero Principiorum habent, occulto, non minus ac illius eſt ſal & ſulphur.

Argentum vivum occurrit in Mineris Germaniæ, Hiſpaniæ & Indiæ, ubi nonnunquam reperitur fluidum & ſincerum in propria minera, vel quorundam metallorum; at ſæpius terris quibuſdam remixtum, aut lapidibus ſulphureis, ac concorporarum in Cinnabarim nativam, à qua ignis beneficio eruitur.

Gravitate Hydrargyrum cum Auro fere contendit; at ſubſtantia adeo volatili gaudet, tamque facile pervia, imo in minimas particulas diviſibili, ut neutiquam mirum eſſe debeat quod tanta facilitate materias excipiat obvias, potiſſimum autem ſalia, ſulphura, & ſpiritus, imo plerunque obſequatur illorum actioni, ſed nunquam non Ignis efficaciæ.

Etiamſi vero nemo inficiari auſit Argento vivo ſuum ineſſe & proprium Alkali, non abnegatis aliis principiis, cum id Alkali partem tantum ilius compoſitionis conſtituat, imo vero inſeparabiliter cohæreat cæteris partibus, immerito iſtud ſemimetallum pro genuino Alkali haberetur, quandoquidem idipſum actioni Alkalium obnoxium eſt, imo non minus quam Acidorum & Sulphurum; Acida vero, etiam generoſiſſima, in id quam leniſſime agant, imo citra ſubſequentem aliquam effervesſcentiam, ſicuti id obſervare eſt in illius diſſolutione per ſpiritum Vitrioli; Facilitas autem obſervata in diſſolutione per Aquam fortem & ſpiritũ Nitri, ex eo tantum deducenda eſt quod hæc ex duplici ſpiritu conſtent, uno quidem volatili, ſalino & ſulphureo;

altero Acido, quorum prior cenſendus præcipuum illius diſſolvens.

Non, inquam, Mercurius purum Alkali habendus, quandoquidem eadam donatus non eſt ſubſtantia, neque ſapore, neque aliis qualitatibus, Alkalinis, quo fit ut cum illius pori alia figura præditi ſint quam Alkalium, careat diſpoſitione illis innata ut cum Acidis conjungantur, ſicuti & facultate agendi & reagendi cum illis reciproca, cujuſmodi in Alkalibus obſervantur; quorum ſubſtantia in aqua diſſolubilis æqualiter obtinere poteſt, & poros figuræ partium Acidorum adcommodatos, & partium aptitudinem per quam conjungi queat partibus Acidorum.

Dico porro, ſi Argentum vivum merum eſſet Alkali, futurum ut id actioni ignis obſiſteret, ſicuti id obſervare eſt in Alkalibus fixis redditis, aut ſaltem non deſtructum iri Acidis conjunctum & ab his fixatum; non ſecus al Sal volatile viperinum, vel aliud quodvis Sal volatile, quando ſpiritui Salis intime conjunctum fuit, vel alteri cuipiam ſpiritui ſumme Acido; Cum viceverſa cuncta experimenta, jampridem circa hoc tentata, contrarium evincant, videlicet hactenus non innotuiſſe quo medio fixari queat & coërceri Mercurius ab igne, neque ſolitarius neque Acidis commixtus, neque cuipiam alteri rei.

Id potius ſtatuendum Mercurium mixtum eſſe idoneum excipiendæ actioni Salium, non minus eorum quæ donata ſunt partibus ſulphureis Saliuis, aut Salinis fixis, quam eorum quorum partes mere ſunt acidæ; Eadem porro Salia cum apta nata ſint illum diſſolvere, aut particulas dividere, ab iſta actione privari illa figura & propriarum partium diſpoſitione, non ea ſolum ratione quod illorum aculei obtundantur in Mercurij diſſolutione, ſed quia poſterioris huius partes diſſolutæ priorum interſtitia adimplent, eorumque actionem immutant, uſque adeo ut omnem penetrandi vim illis adimant quando poros penitus repleverunt; Id quod obſervare licet in ſublimato dulci, qui proculdubio egregie dulceſcit, ſi Mercurius fluidus poros ſublimati corroſivi adimpleverit.

Sed & tunc conſpicuum eſſe poteſt diſcrimen naturæ Salium à Mercurij indole; Si enim ſublimatus dulcis in aqua dilutus fuerit, à diſſolutione Salium, illi inuritur horum innata acrimonia, in Mercurio deliteſcens, ac porro manifeſtum fit eadem ſalia priori naturæ & qualitatibus reſtitui poſſe ſi Aqua in vapores diſſoluta fuerit, Mercurium autem priſtinum iterum induere corpus, omniſque corrodendi vi expertem fieri, ſi media ei rei convenientia uſurpata fuerint.

Suppoſititium autem Alkali nomen, quod Mercurij naturam nequaquam diverſam faciat, variæ autem præparationes, quibus patet, cum

omnino

omnino aliquam mixti, quod elaborandum ſuſcipitur, notitiam ſuppo- nant; Objecti præſertim quod curioſorum animo ſæpe fatigavit, mei officii eſſe exiſtimo mentem meam pro viribus explicare, videlicet

Cum Argentum vivum actu frigidum ſe exhibeat, imo eo in gradu ut diutius illi immiſſam manum detinere non liceat, imo nequidem digitum, quin metus protinus immineat paralytici affectus, aut cujuſpiam alterius verendi, quin ab omni ævo nervis inimicitiam indixiſſe, ac calori nativo, cum manifeſtum fuerit, uſum illius quodammodo ſuſpectum eſſe debere, aut ſaltem illum præparandum non eſſe, vel in uſum adducendum, non præmiſſis cautionibus neceſſariis.

Quamvis enim jampridem Mercurius ad curationem Luis Venereæ adhiberi ſoleat, aſſeclarumque accidentium, malignitatis tamen expertem eſſe, quæ illi innata, non pronuntiandum: Cujus rei infauſti plurimi eventus teſtimonium perhibent, tum in iis quos penitus opprimit uſus Argenti vivi, intempeſtive exhibiti vel adhibiti, aut majori quam decet quantitate, tum pravæ impreſſiones ut plurimum ſuperſtites in iis qui ſpecie tenus valetudinem recuperant, quando præſertim affectu inveterato occupati ſunt, aut qui conſtitutione corporis ſicca & ſqualli donati fuerunt.

Etiamſi enim Argentum vivum, id præſertim quod ore adſumitur, Alkali functionem exhibere videatur, eo quod Succi acidi, vel Salini, in ventruculo obvii, illi cohærere poſſunt ac diſſolvere, non inde tamen colligendum Alkalinæ illud eſſe naturæ; ſi enim revera ejuſmodi eſſet, venenum autem Venereum Acidum, ſicuti nonnulli exiſtimant, ab eodem Acido fixari deberet, cum ex oppoſito diſſolutiones à ſuccis factæ aliud nihil præſtent quam ut incrementum præbeant ac manifeſtiorem faciant illius volatilitatem, vimque corrodendi inducant, tantum abeſt ut prædicti ſucci ab eo aperte dulceſcant.

Volatilitatis autem cauſa cum ad cerebrum deferatur, ac partes circumpoſitas, etiamſi illius efficacia liqueſcat pituita, proprietate innata omnino ſingulari, eidemque pituitæ anſam præbeat per os exitum moliendi, dicti tamen effectus alteri cauſæ adſcribendi non ſunt quam eroſioni vaſorum Salivalium, ac partium adjacentium; Vnde non raro conſequitur eroſio & conſumptio propriæ ſubſtantiæ partium quibus ejuſmodi ulcera moleſta ſunt, ſuperſintque in illis veſtigia nequaquam delenda.

Optandum tamen vt virus Venereum merum eſſet Acidum, id enim ſi foret illius curatio ſtatuenda eſſet in uſu Salium Alkalium, fixorum aut volatilium, uti oculorum Cancrorum, Margaritarum, Coraliorum, plurimarumque aliarum ejuſmodi ſubſtantiarum, Acida obtundere &

temperare aptarum natarum, imo maxime efficacia & manifeſta,nulla partibus inuſta prava impreſſione; ac proinde carere liceret Mercurio, cujus omnino verendi pravi effectus: At cum per prædicta remedia non ſemper datum ſit ſuperare venenum Venereum, ſi præſertim inveteratem abierit, nemo, opinor, exiſtimaverit id merum Acidum eſſe, uti neque ſimpliciter mere Salini, fixi aut volatilis titulo donandum, quin potius venenorum claſſi accenſendum, cujus cauſa vix alia ratione innoteſcere poteſt quam ex pernitioſis quos inducit effectibus, curatis ſe commiſcendo humoribus ac per univerſum corporis ambitum deffundenda.

Quinimo cenſeo ob inſignes & varios progreſſus, funeſtoſque eventus ab hoc veneno excitatos, imo illos qui nonnunquam Mercurij uſum ſubſequuntur, Medicorū officium eſſe ad illos ſedulo animum advertere; cum enim obſervare ſit effectus iſtius veneni omnino alios eſſe in bilioſis, alios in pituitoſis, alios in melancholicis, ſicuti & in diverſis conſtitutionibus aut corporis temperamentis, electionem adhibendam eſſe,& temporis,& modi Mercurium in uſum adducendi ſi quando requiſitus fuerit; vt vel abſtineant, vel ad alia remedia confugiant ſi noxius futurus videatur illius uſus.

At eoſdem, qui diſcrimen non conſtituunt inter vera Alkalia & falſa, & mira ſe pronuntiaſſe credant Virus venereum acidi titulo donantes,Rogo explicant mihi, Num venenum illud ſubſtantia ſit oculis obvia; palpabilis, aut inviſibilis? Si ſit inviſibilis, id quod concedant neceſſe eſt, quomodo ex ſapore dignoſcere licuerit; ac in illo Acorem deprehendere? Quæro inquam, num Acida, Saliaque naturalia, ad illius conſpectum diffugiant, locumque cedant? Num potius conſentaneum ſit idem Acidum, eademque Salia, cum ab hujus veneni præſentia pravas impreſſiones admiſerint, atque quoad vires & actionem exaltata fuerint, edere non valere id quod in veneni inviſibilis poteſtate non eſt? Vt porro Mercurio occurrentia, illum complectantur, corrodant, ac diſſolvant? Diſſolutum autem ſub jugum mittant, carcere fugitivum hunc ſervum concludant, acilli conjuncta maſſam ſanguineam invadant, alioſque humores, & ut una illius circulatione ferantur, horumque perpetuum motum ſequantur, impellant, ex ſimul rapido motu non ad cerebrum modo, ſed ad cunctas corporis partes deferatur? Num poſtulet inquam, ratio, ut poſtquam ab illis eroſus & diſſolutus fuerit Mercurius,eundem etiam in corpore una ſecum ſublīment, majori multo celeritate quam ſublimari poſſit Mercurius ac diſſolvi à partibus acidis & ſalinis Vitrioli & Salis marini; quandoquidem hujuſmodi ſublimatio plurium horarum ſpatium requirit, cum altera momento fere temporis perficiatur.

Quæro iterum, num innata Mercurij volatilitas idoneum ipſum præſtet tam repentinæ ſublimationi quando ſolitarius eſt ? Numquid neceſſe ſit aliquo tempore ad ignem illum detinere, antequam evehi incipiat & aſcendere? Num Acidis ſubſtantiis commixtus, aut Salinis, ſui iuris ſit, vel num potius illorum determinationi obſequi teneatur? Num cum Acidis agere & reagere queat, ſicuti id præſtant vera Alkalia? Num, quod his conceſſum, adverſus præcipitationem imminentem tueri ſe poſſit? quandoquidem, illis confitentibus, *Mercurio nonnunquam obviæ ſunt materiæ Alkalinæ, quæ vt Acida hæc deſerat impellunt, quo tempore præcipitetur*; Num nova hæc Alkalia, Mercurio in corpore obvia, ſalſa ſint necne? Quamobrem, rurſus, ſi Alkalinæ fuerit naturæ, ſubjaceat dominio aliorum Alkalium? Quomodo id fieri contingat? Annon conjunctione vel unitate, & actione ac reactione Acidorum cum legitimis Alkalibus.

Quæro iterum, quamobrem Spiritus Sulphuris & Vitrioli, qui Acida ſunt generoſiſſima, cum impetu omnia vera Alkalia pervadentia, Mercurio adfuſa, nullum fervorem inducant, illumque pervadant ac diſſolvant tam lento pede, ac demum ab aliquot dierum decurſu? Num Mercurius crudus corrodendi vim poſſideat, ſicuti legitima omnia Alkalia & Acida? Num ſpiritibus corrodentibus remixtus, illorum actioni non obſequatur, intendatve illorum corrodendi vim? Num divelli queat à corrodentibus quorum ope diſſolutus fuit, priſtinæ formæ reſtitui, ac priores facultates induere, & præcipuam illorum corroſionem in aquam, à qua diſſoluta fuere, transferre?

Rogo iterum, reddant mihi rationem cur commode in uſum veniant Mercurius præcipitatus ruber, Vnguentum Ægyptiacum, imo & Sublimatum corroſivum, ad Curationem Cancrorum & Vlcerum Venereorum? Quandoquidem prior opus tantum ſuum edit beneficio Spirituum corrodentium maxime acidorum Aquæ fortis, cum Mercurio concentratorum: Poſterius ob corrodendi vim Aceto inſitam & Æruginí, Tertium autem ope Spirituum Acidorum & Salinorum Vitrioli & Salis una cum Mercurio Sublimatorum?

Vlterius quam decet proveherer, ſi porro quærerem, cur ad internum uſum cum ſucceſſu uſurpantur Mercurius & Decocta Guaiaci & Saſſafras, quæ plurimis partibus Acidis conſtant: Cur exterius adhibentur ſpiritus albi & rubri, e Sublimato rubro educti, Oleum glaciale Antimonij, & ſpiritus Sulphuris in Vlceribus Venereis & in Carie oſſium? Cur item iidem non metuunt exaltationem, hac ratione imminentem, Acidi Venerei, tantopere decantati?

Sat multa adduxiſſe credo fallaciam excuſſurus Acidi, adeo perperam effićti, inepte veneno Venereo impacti, ex productionibus ſolum in notitiam venientis, quod non magis oculis obvium eſt quam peſtiferum: Neque, ut exiſtimo non mihi aſſenſuros habiturus ſum qui una mecum ſentiant, cum iſtud venenum propria indole propenſionem inſignem habeat ad incrementum, propagationem & ſui communicationem, eum qui hoc occupatus fuerit, ſi ad amplexus Venereos venerit, metuere ſibi debere ne hoc, concurrente nativo concumbentium calore, facile ſe inſinuet tam per meatus naturales, quam per poros tunc temporis admodum patentes & diductos in corpus illius qui prius proba fruebatur valetudine; Sin ambo fuerint infecti, Venenum per coitum augmentum capiat.

Id quoque cenſeo nonneminem aſſenſum mihi præbiturum, Venenum iſtud corpus ſubiens, hoſtili vi & deſtructiva præditum, illico ſanguinem invadere, alioſque humores fluidos & motus ſuſceptivos, illos corrumpere ac depravare; ac prout rite aut prave conſtituti fuerint, pro copia aut inopia Acidi, aut Salis, aut Bilis, aut Pituitæ, magis aut minus, vel celerius aut tardius tyrannidem exercere; Incrementum autem capiendo, deterioribuſve redditis qualitatibus Acidi & Salis, humoribus commiſtorum, idoneos illos reddere exerendæ & producendæ ſuæ virulentiæ in propriam corporis ſubſtantiam, gignendiſve variis affectibus, qui comites eſſe ſolent, vel præcurſores Luis Venereæ; Proclive inquam fuerit imaginari exaltata acrimonia Salis & Acidi naturalium, ab humoribus autem dilutorum, hæc Mercurio cohærere poſſe, à quibus erodatur, diſſolvatur, ac tandem illi ſe concorporando eundem ipſum impellere ad obſequendum una cum illis ſanguinis motui, omniumque humorum, partes univerſi corporis quaſcunque peragrandas, ac conjunctim perficiendum quicquid ex illorum unitate expectandum eſt.

Conjicio deinceps futurum ut ex his elucefcat illorum temeritas, qui venenum Venereum, alias inviſibile, inducere voluerunt Acidum & Salia fictitia, ac idoneum ſtatuunt iis perficiendis quæ ſola legitima Salia & Acida naturalia præſtare valent, id quod ne ipſi in dubium revocare auderent.

Necnon ſpero, poſtquam ad examen deducta fuerunt mea argumenta, eos qui Mercurium in uſum adducturi ſunt, ab abuſu abituros eſſe, ac perſpectis pravis effectibus ab ipſo metuendis, quando intime ſalibus & acidis ſe adjunxerit, illíſque concorporatum fuerit; nonniſi tempeſtive illum uſurpaturos, ejuſmodíque auxilij genere tantum uſuros cum æger non ineptum corporis ſtatum ad illum excipiendum

ex-

exhibuerit, ac emolumentum non leve ſperandum eſt ; paucis, cum maius beneficium quam maleficium exſpectandum.

Etiamſi vero uſus Mercurij non ſemper quibuſvis conducat, cum tamen in nonnullorum inſigne commodum venire queat, non ſolum ad Luis Venereæ curationem, ſed plurimorum etiam aliorum affectuum, officij mei eſſe credo præcipuas præparationes à Chimico artificio exſpectandas huc adferre, ab illius expurgatione ducto initio.

CAPVT. LXVI.

De Expurgatione Argenti vivi,
Et Illius in Cinnabaritu tranſmutatione.

VSitatum eſt Argentum vivum eluere Aceto in quo diſſolutum eſt Sal commune, vel generoſo quopiam lixivio, ex calce viva comparato, ac aliquo ſale lixiviali, immittendo Hydrargyrum lagenæ vitreæ denſæ, ac agitando cum alterutro dictorum Liquorum, abſorbendæ gratia, aut ſeparandæ partis ſordium; demum decantatis his liquoribus, probe exſiccatum Hydrargyrum ope lintei detriti mundi, tranſmittitur per alutam caprinam; cui craſſiſſimæ Mercurij ſordes adhærent.

Etiamſi vero commodiſſime media iſta in uſum adducantur, poteſt & idem Retorta excipi, qua impoſita Balneo Arenæ, eliciendus Mercurius purus, illum igne per gradus adhibito urgendo, ſuperſtitibus in Retorta partibus impuris.

Meliorem res ſortietur eventum Mercurium Sali Tartari commiſcendo, ac calci vivæ pulveriſatæ, itidem ex Retorta diſtillando; Argenti enim vivi ſordes calci & ſali Tartari adhæſuræ ſunt.

Quibus occaſio oblata fuerit Amalgama quodpiam Auri parandi, aut Argenti, ii poterunt immittendo Amalgama Retortæ Balneo Arenæ, idque igne gradatim adhibito urgendo, inde educere Mercurium, ab omnibus ſordibus expurgatum, alias in Retorta reſtitantibus.

Argentum autem vivum ex Cinabrio reſuſcitatum, cum omnium exquiſitiſſimum ſit, etiamſi ubique obvium Cinabrium vulgare, præparationem tamen illius ſilentio involvere nolo, uti neque illius in Mercurium fluidum excitationem.

Excipiatur ergo Sulphuris pulveriſati ſemilibra pelvi fictili, latiuſcula, intus vitreata, quæ igni obſiſtere poſſit; hac impoſita aliquot

carbonibus accenſis, incluſa autem aluta caprina Mercurii vivi ſeſqui-libra, arcte ſtricto nodulo concluſa, cum ſulphur rite liquefactum fuerit, compreſſione noduli manibus facta ſtillatim exiliat in ſulphur Mercurius, adeo ut alutæ poros tranſmeet, materias interim ſpathula lignea commovendo, pergendo in expreſſione, ac commotione, donec Mercurius totus alutam tranſgreſſus ſit, ac adeo intime ſulphuri conjunctus ſit, ut illo nequaquam conſpicuo ambo ſimul in maſſam nigricantem abeant, qua ſponte refrigerata, optime contrita, ac immiſſa Ollæ fictili ſublimationibus dicatæ, committendum erit orificio hujus vaſis alterius orificium æqualis magnitudinis & inverſi, quod in medio fundo exiguo foramine pertuſum ſit; commiſſuriſque accurate luto munitis, obiterque obturato foramine immiſſa charta, ſuſcipienda erit ſublimatio igne gradatim accenſo, initio quidem mitiori, ſed tandem adaucto, ac per aliquot horarum ſpatum producto, omnimode tunc obturando foramen: Quo pacto cum Mercurius conrporatus ſit portioni ſulphuris, ad id requiſitæ, ſublime efferetur ad ſummam Ollæ ſuperioris partem, relictis quibuſdam in fundo alterius fæcibus.

Poſtmodum frigefactis vaſis, obvius erit Mercurius in Cinnabarin ſublimatus, coloris rubri intenſiſſimi, interſectam longioribus venis fucis & pellucidis, ad figuram Antimonialium accedentibus, at vero color iſte multo rubicandior adparebit, ac magis pellucidus ubi contritus fuerit; Eapropter etiam pictoribus ad opera ſua familiariſſimo in uſu eſt.

Cinnabaris uſus internus inſuetus eſt, at ad ſuffumigia quandoque adhibetur, provocandi gratia Ptyaliſmi lue Veneris inquinatis, ſed robuſtiori corporis conſtitutione præditis: Remiſcetur etiam nonnunquam Vnguentis ad Scabiei curationem, aliorumq; affectuum cutaneorum.

Cinabrium hoc artificialis nomine gaudet, diſtinctionis gratia à nativo, quod diverſis in Germaniæ locis reperitur, imo & Galliæ, Naturæ beneficio in terræ viſceribus ſublimato, vi ignis ſubterranei; qui Mercurij particulas, ſulphuris particulis, iiſdem in locis obviis conjungens, formam Cinnabaris illis inducit, quæ nihilominus ſordibus ſcatere ſolet, terreis præcipue, commixtis aliquot lapillis, compoſito huic naturaliter inſertis.

Diſſoluetur unitas, quam ſulphur cum Mercurio iniit, atque hęc corpori priſtino, ſolitæque fluiditati reſtituetur, hac ratione procedendo.

Subtiliſſime conteratur Cinnabaris in mortario marmoreo, addatur alterum tantum pondus limaturæ ferri, excipiatur Miſtura hæc exigua Retorta vitrea, cui lutum inductum fuerit; huic pedamentum, altitudinis circiter duorum tranſverſorum digitorum ſupponatur, collo-

cetur

cetur media in Fornace proportionata, ex lateribus citra cementum conſtructa, qui concinnare poſſint circulum Retorta aliquantum elatiorem: Exigui carbones non accenſi toto in pedamenti ambitu adponantur, ac ſuper hos, tribus aut quatuor in locis, aliquot carbones accenſi, aquibus cæteri incandeſcere poſſint; demum tota Fornacis capacitate carbonibus ordinariis impleta, imo iis omnino cooperta Retorta, admotóque eius roſtro exiguo Receptaculo, aquam ad medias continente, permittendum erit ut carbones ſponte accendantur, ignísque ſui ſit juris.

Eo pacto Acidum ſulphuris, Marti adhærens, cuius poris & figuræ illius partium melius convenit quam Mercurij poris, poſteriorem autem hunc deferens, ignis ad exitum è Retorta illum impellit, & ut priſtinum corpus readſumat, in aquam decidens: Quo fit ut partes quæcunque extraneæ, quas Cinabrium continebat, in Retorta cum limatura Ferri ſubſiſtente, ac decantatione facta aquæ in Excipulo contentæ, in fundo obvium ſit Hydrargyrum puriſſimum, ad quoſvis uſus & præparationes convenientiſſimum.

CAPVT LXVII.

De Præcipitatis Rubris Mercurij.

INepte Præcipitati nomen impoſitum fuit quibuſdam Mercurij calcibus, quæ plurimo ſunt in uſu; Præcipitati enim vox proprie tantum competit ſubſtantiis in liquore quopiam corroſivo diſſolutis, diſſolvens dimittere coactis, demum in fundum vaſis præcipitandis; At cum mos ſupra rationem invaluerit, eapropter duces illos ſequar neceſſe eſt qui mihi præiere, ideóque ſuccincte optimas Mercurij præparationes traditurus ſum.

Schroderus, nonnullíque Authores illum ſequuti, exhibent præparationem cujuſdam Præcipitati rubri, ex ſolo Mercurio facti, qui cum præſtantior ſit, ſi ore adſumendus ſit, iis qui vulgo concinnantur, Mercurium in ſpiritibus corrodendi vi præditis diſſolvendo, ideoque qui primus in medium exeat dignus eſt.

Accipiatur vas vitreum denſum, oblongo collo præditum, infundibuli propemodum forma, cuius acuminata pars introitum habeat anguſtiſſimum, quæ vaſis corpus altiſſime ſubeat, Illius fundum latiſſimum eſſe debet & admodum planæ ſuperficiei Huic vaſi (*Galli vocant Petit Enfer*) immittantur unciæ quatuor Mercurij ex Cinnabrio reſuſcitati; committatur Fornaci Lampadis, Balneo Arenæ, obſervato æquilibrio, adeo ut Mercurius æqualiter fundum va ſis cooperiat: Dein

Lampade Oleo impleta, impoſitiſque tribus ellyctiniis goſſipiniis accenſis, mediocris craſſitiei, ſubditaque Balneo lampade, procurandum erit ut prædicta ellychnia indeſinenter flammam depromant, ac ne Oleum deficiat in lampade per quindecim dies, quibus exactis craſſiori reddito ellychnio tertia parte, pergendum erit in flammæ productione, ad reliquum uſque menſem: Demum iterum media parte auctiori reddito unoquoque ellychnio, curandum erit ut toto menſis alterius ſpatio flamma perennis ſit, vel donec univerſum Argentum vivum converſum fuerit in Pulverem album & nitentem.

Satis eſt toto illo temporis ſpatio ſummam vaſis partem cooperuiſſe obturamento chartaceo; ac curam adhibuiſſe ne Oleum in lucerna deficiat, cunctaque ut ellychnia æqualem flammam & citra intermiſſionem edant; flamma autem ad æqualé diſtantiá mediú infernæ vaſis pertingat: nam ea ratione partes Argenti vivi, poſt diuturnam agitationem, & mutuam partium implicationem, à continua ignis actione nativa tandem fluiditate deſtituuntur, adeoque invicem intricantur ut in Pulverem rubicundum & nitentem abeant.

Ad iſtiuſmodi Operationem cura & patientia opus eſt, tædium tamen nullum exhibet, ſi modo vas & Fornax idonea ſuppetant; idemque vas, quo exceptum Hydrargyrum iuſtum æquilibrium obtineat.

Elui poteſt iſte Pulvis Aquis cordialibus, aut illi affundi Spiritus vini, facta ſimul illorum digeſtione per aliquod tempus, & abſtractione præmiſſa ad uſus Pulvis ſervandus.

Pulvis iſte Diaphoretica vi præditus eſt, ſudores ubertim promovens, at non raro vomitus aliquos ejet: Vix præſtantior Mercurii præparatio ad cunctos affectus Luis Venereæ ſoboles extirpandos, uti & Febres quaſvis Intermittentes: Specifica quoque vi adverſatur Lumbricis.

Præbendus eſt à duobus aut tribus ad ſeptem aut octo grana, ex conſerva quapiam aut condito.

Antequam manus iſti Præparato admoveatur, poteſt addi Mercurio ſuboctupla pars ponderis Auri per Antimonium expurgati, factoque ex his Amalgamate, hocque vaſi impoſito, quoad cætera eadem plane incedere via quam indicavi ad Mercurii ſolius præparationem; quod additamentum proculdubio Medicamentum præſtantius effecturum eſt.

Mercurio necnon poſſet addi ſubquadrupla pars ponderis Argenti in catino expurgatorio depurati, atque ex his Amalgama facere; Vel ſimul Amalgamare Auri uncias duas, Argenti unciam & Mercurij uncias quatuor, hæcque ſimul fixa reddere juxta methodum à me modo traditam.

Præparatur Præcipitatum Mercurij, quod vocant Corallinum, aut Arcanum Corallinum, eo quod Coralli colorem æmuletur, hac proceſſus via.

Immittantur Matratio Mercurij ex Cinabrio reſuſcitati unciæ quatuor, ſuperfundatur alterum tantum pondus ſpiritus Nitri optimi, committatur Matratium Balneo Arenæ moderate calido: Cum Mercurius probe fuerit diſſolutus, leniter inclinato matritij collo; augendus erit ignis infra Balneum, ad evaporationem ſpiritus Nitri & ſiccitatem materiæ: Poſtmodum adfuſa æquali quantitate ſpiritus Nitri, materia probe diſſoluta, declive erit collocandum collum Matratij, humiditatis evaporationem ſicuti primavice procurando; bis iterum eaſdem additiones & ſpiritus Nitri evaporationem repetendo,urgendo ignem poſt poſtremam evaporationem, donec Præcipitatum perfectum ruborem adeptum ſit: Deinum effracto Matratio, in pulverem deductum Præcipitatum in mortario marmoreo humefaciendum optimo vini ſpiritu, donec tantiſper materiæ emineat, flammam illi conciliando; repetendo etiam ſexies eandem ſpiritus vini ſupra præcipitatum additionem & conſumptionem, quæ materia iterum contrita ad uſus ſervanda.

Eximium habetur iſtud Arcanum Corallinum ad curationem cunctorum affectuum Venereorum, Hydropis, Rheumatiſmi, ac Febrium Intermittentium; Quamvis cacochymiam exturbat, ac præſertim pituitoſam, quam colliquat, ac per vias maximè commodas excludit.

Exhiberi ſolet ex aliqua conſerva aut condito, à tribus aut quatuor, ad octo aut decem grana.

Exterius etiam in uſum venit ad curationem antiquorum Vlcerum ac potiſſimum Venereorum, ſicuti & ad delendam quamvis Scabiem, Pomatis id remiſcendo.

Præcipitatum Rubrum vulgare quod attinet, ex voto præparatum erit, ſi hac via proceſſeris.

Cucurbitæ Vitreæ immittatur q. v. Mercurij Currentis, ſuper affuſaque ea quantitate Aquæ Fortis, aut ſpiritus Nitri, quæ ſufficiat ad illius diſſolutionem, exponenda erit Retorta Balneo Arenæ moderate calido; diſſolutione peracta, demerſa & inclinata Retorta in Arenam, admovendum erit Excipulum illius roſtro, augendus paulatim ignis, qui continendus donec propemodum univerſa Aqua Fortis educta ſit: Demum ſponte refrigerato Balneo, cohobanda erit Aqua fortis ſuper Mercurium in Retorta ſuperſtitem, abſtractioque ſicuti prima vice facienda, eadem cohobatione & abſtractione Aquæ Fortis ad tres uſque vices repetita, Tandem ignem plus ſolito urgendo, ut hinc intenſior evadat color præcipitati, quod rubrum elegantiorem nanciſcetur, eo quod plurimi ſub

finem in crucibulo calcinant: In quo etiam nunquam reperire datum eſt pondus Mercurij adſumpti; adde quod vix cavere ſibi licet à vaporibus noxiis quos emittit Aqua fortis, interim dum commovetur Præcipitatum, Eo etiam pacto jactura non accidit Aquæ Fortis, quæ iterum in uſum admitti poteſt ad novas Mercurij diſſolutiones.

Operatione abſoluta, arena autem refrigerata, obvium erit in fundo Retortæ Præcipitatum, in maſſam rubram & pellucidam adductum; in pulverem ſi vis conterendum, eoque in ſtatu recondendum in lagena vitrea denſa; Vel affuſum bis aut ter optimum vini ſpiritum accendere licet, ſi præſertim uſibus internis dicatum velis, etſi porrigere nefas ſit aliis quam robuſtis, præſcripta ad ſummum dozi ſeptem aut octo granorum: Præcipuus enim illius & frequentiſſimus uſus externus eſſe debet, tum remiſcendo unguentis Pomaceis & aliis remediis vitiorum cutaneorum curationi dicatis; tum unguentis carnes fungoſas abſumere idoneis, aliaſque Vlcerum malignorum excreſcentias, præſertim Venereorum: Eapropter Chirurgis uſitatiſſimum eſt remedium, quod admovent Cancris & Verrucis genitalia invadentibus.

Si ore adſumendum fuerit iſtud Præcipitatum, admitti non debet Aqua Fortis ad præcipitationem Mercurij, eo quod ſpiritus Nitri & Vitrioli una conjuncti in diſtillatione, malignam induunt qualitatem, ſed debuit uſurpari ſpiritus Nitri, aut ſaltem Aqua Fortis ex Nitro tantum & Alumine paranda fuit.

Caput LXVIII.

De Præcipitatis Mercurialibus, Flavis, Et Roſei Coloris.

Immittantur exiguæ Retortæ vitreæ tres quatuorve unciæ, vel quantum libuerit, Mercurij rite expurgati, affundatur quadruplum pondus ſpiritus Vitrioli, aut Sulphuris rectificatiſſimi, imponatur Retorta Balneo arenæ, collo illius ſurſum vergente, igne modico accenſo, inibi detinenda donec à ſpiritu penitus diſſolutus fuerit Mercurius; demum inclinato collo Retortę ad latus, Arena undique immergēdæ, & admoto ejus roſtro Excipulo, abſtrahatur humiditas igne gradatim adhibito, ſub finem auctiori, producto quouſque Mercurius maſſæ candicantis ſpeciē ad fundū ſecedat.

Illud obſervandum erit, priorem Aquam diſtillatione eductam, ſaporis fere expertem fore, ſpiritus autem acidos ſub finem demum prodituros, Mercurio quippe magnam partem ſpirituum, à quibus fuit diſſolutus, penes ſe retinente.

Vaſis

Vaſis frigefactis,contritaque maſſa in mortario marmoreo, affundenda erit non exigua aquæ calentis copia, donec fere adimpleatur mortarium, eodemque momento conſpicua erit mutatio coloris albi in flavum, ſubſidentia demum facta Pulveris, decantata aqua ſupernatante, ſubſtituenda erit æqualis quantitas aquæ tepentis, pergendo in pulveris lotione, affuſis plurimis ſimilibus aquis, donec omnino acorem diſſolventis exuerit, ac perfectum dulcorem adeptus ſit; qui exſiccatus ad uſum ſervandus.

Huic Pulveri Præcipitati flavi nomen impoſitum ob colorem, Vocant etiam *Turbith Minerale*, quia à minerali ducit originem, & conturbatione univerſali corporis, violenter pravos humores ſuſque deque vacuando: Eapropter perquam raro in uſum ducitur, præſertim in Gallia; id exhibendo ſolum robuſtiſſimis ad curationem affectuum Venereorum, à tribus aut quatuor, ad quinque aut ſex ad ſummum grana, ex quapiam conſerta aut materia idonea: Impetus tamen & vehementia retundi poteſt affundendo illi quinquies aut ſexies ſpiritum Vini rectificatiſſimum, ad deſuper accendendo.

Præparare licet Præcipitatum Mercuriale coloris Roſei, hanc methodum ineundo.

Excipiantur Mercurij purificatiſſimi unciæ quatuor, Cucurbita vitrea non mediocri, hac commiſſa Balneo Arenæ moderate calido, ſuperfundendum duplum pondus ſpiritus Nitri; Cum Mercurius diſſolutus fuerit, remota à Balneo curcurbita, affundenda erit urina calens hominis probe valentis diſſolutioni, donec nulla amplius adpareat efferveſcentia: qua de cauſa Mercurius diſſolutus fundum petiturus eſt coloris Roſei, ab intima conjunctione ſpiritus Nitri cum ſale urinæ, ac impreſſione Mercurio ab his inducta: Poſtea ſubſidentia facta Præcipitati, decantatoque liquore fluitante, id pluries lavandum erit affuſa aqua limpida, donec cunctam diſſolventis ac præcipitantis acrimoniam abſtulerit, Præcipitatum autem penitus dulcoratum ſit.

Conjunctio urinæ & ſpiritus Nitri Præcipitati, iſtius effectus multo mitiores efficit quam Turbith mineralis, cujus efficacia potiſſimum deducenda à poſtremis ſpiritibus Vitrioli, diſſolutionem præſtantibus, unaque cum eo concentratis: Eapropter etiam Præcipitatus hic Mercurius Roſeus per inferiora tantum expurgat, ac præſcribi poteſt à quinque aut ſex ad novem uſque aut decem grana.

Quoad Coloris diverſitatem, in Præcipitatis adparentis, eam tantummodo adſcriptam velim diverſitati actionis ſalium acidorum, aut ſalinorum variæ illorum confuſioni,aut cum Mercurio commiſtioni; imo, ſi lubet variæ ignis actioni, aut liquorum: Experientia quippe teſte, plurimi obſervantur effectus quorum cauſæ legitimæ vix ac ne vix in cognitionem veniunt.

Prætermitto deſcriptionem Mercurium Præcipitatum Coloris Fuſci, perficiendum Argentum vivum Aqua forti diſſolvendo, aut ſpiritu Nitri, præcipitatione facta affuſo liquore Tartari.

Silentio etiam involoo præcipitata Viridia, paranda admiſtione Cupri Mercurio, in hujus diſſolutione; Plurimaque alia Præcipitata apud plurimos authores obvia, duo ſolum Præcipitata Alba exhibiturus, quorum ecce deſcriptionem.

CAPUT LXIX.

De Præcipitatis Mercurij Albis.

IMmittantur Cucurbitæ Vitreæ mediocris magnitudinis Mercurij ex Cinnabari reſurgentis unciæ octo; affundantur illi Aquæ Fortis ex Nitro & Alumine abſque Vitriolo compoſitæ unciæ duodecim: Concedatur huic Aquæ tempus diſſolvendi Mercurium procul ab igne; ſeorſim diſſolvendo Salis Marini uncias octo, in quadruplo pondere Aquæ fluviatilis, diſſolutione per chartam emporeticam tranſmiſſa, paratam etiam habendo non exiguam quantitatem Aquæ fluviatilis per linteum tenue tranſcolatæ: Demum aqua ſalſa in capacem pelvim fictilem infuſa; & duabus circiter libris aquæ fluviatilis in Mercurij diſſolutionem, (in qua maxima Mercurij pars in ſubſtantiam condidiſſimam coagulanda erit, quæ ad fundum ſecedere incipiet) Tunc, ſi libuerit, permitti poterit per aliquod tempus ſubſidentia hujus præcipitati, decantando liquorem ſupernatantem in aliam pelvim fictilem, in ea adſervandum, ſi præſertim curæ ſit Mercurij conſervatio, inſenſibiliter diviſi, hoc liquore comprehenſi: Sin hunc neglexeris, ſatiorem ducens Præcipitati candorem, copiæ ejus extrahendæ, affuſa Mercurij diſſolutione aquæ ſalſæ, complenda omnino erit eodem tempore pelvis, affuſa aqua fluviatili per linteum traducta: Demum ſubſidente Præcipitato, decantatoque liquore fluitante, adimplenda erit præcipitatum continens pelvis aqua filtrata, quod iteratis vicibus eluendum, affuſa aqua filtrata, donec omnino edulcoratum ſit: Poſtea Præcipitatum exſiccandum & ad uſus ſervandum.

Non abs re dixi in pelvi fictili conſervandum priorem liquorem Præcipitato ſupernatantem, eo quod liceat, illi affuſo liquore Tartari, ſegregare partem Mercurij quam Sal Marinum præcipitare non valuit: Neque enim ſicuti nonnulli fingunt, partium inſignis magnitudo, neque figura cubica Salis Marini, neque cadentis pondus in diſſolutionem à

Nitro

Nitro factam, concutere valent, commovere, aut aculeos ſpiritus Nitri obtundere, poſtquam ab ipſo diſſolutus fuit Mercurius; Neque eadem ut dimittat Mercurium diſſolutum hunc impellunt: Cauſa potius adſcribenda eſt intimæ conjunctioni, tunc contingenti, partis acidæ ſpiritus Nitri cum ſalina fixa parte Salis Marini; ac præterea parti acidæ poſtremi iſtius, cum parte ſalina & volatili, & inflammabili ſpiritus Nitri; Imo etiam adſignari poteſt figuræ & diſpoſitioni particularum ſalium, in aqua diſſolutorum, ad mutuam & reciprocam conjunctionem, & hinc ad ſubſequentem ſubſtantiarum extranearum expuſionem, quæ ſimul intricatæ & confuſæ, unitatem quodammodo diſſolvere valent; hinc cum figurarum diverſitatem obtineant, adeo mutuo implicantur & intricantur, ut inde exſurgat compoſitum, cujus partes omnino aliter figuratæ exiſtunt; ſicuti idipſum obſervare eſt in Aqua Regia, à commiſtione Salium Ammoniaci, Marini aut Gemmei cum ſpiritu Nitri: Demum, ſi major magitudo aculeorum Salis Marini, illorum concurſus, aut concuſſio præcipitationis ſubſtantiarum, à Nitri ſpiritu diſſolutarum cauſæ forent, ſicuti ſupponunt, poſtmodum prius, aculeis ſuis majoribus præditum occurrere deberet, ſeorſum ab aculeis ſpiritus Nitri, cum vice verſa, evaporatione facta & cryſtallifatione liquoris, illorum aculei mutuo implicati & confuſi reperiantur, novum corpus ſimul conſtituendo.

Etiamſi enim particulæ omnium Salium exſiccatorum diverſimode figuratæ adpareant, eædem nihilominus in aqua ſi diſſolutæ fuerint, minores aut majores adparent pro majori aut minori liquoris copia, manifeſtum enim facit experientia Nitrum Cryſtalliſatum, majori aquæ quantitati immiſſum, Cryſtalla multo tenuiora editurum eo quod in majori aquæ copia fuerit dilutum.

Porro Aqua, in qua ſalia diſſolvi ſolent, cum maximam illorum partium diviſionem inducat, ac aculeorum magnitudinem & craſſitiem imminuat, eoſdem aptiores reddit quo facilius mutuo ſe ſubire valeant, id quod nequaquam præſtare valuiſſent quamdiu ſalia ſicca erant, ac in magna Cryſtalla deducta.

Id quoque notum Aquam præſertim impertire ſalibus libertatem motus & actionis; ideoque cum idonea illa reddat penetrationi plurimorum aliorum corporum, eo majorem ipſis aptitudinem conciliare valere ad mutuam penetrationem, ac reciprocam intimamque conjunctionem.

Etiamſi vero conjunctio partium Salis Marini cum partibus ſpiritus Nitri, ex poſtremi iſtius poris maximam partem Mercurij diſſoluti educere & extorquere potuerit, cum nihilominus Sal Marinum in ſufficienti copia non ſit, neque ſal fixum ſufficienti quantitate obtineat ad adim-

plendos cunctos poros partis Acidæ ſpiritus Nitri, ideo fit, ſi affuſus fuerit liquor Tartari liquori adſervato, & ob Sal Tartari, quod occupaverat poros Acidi, ut Mercurius adhuc deliteſcens, loco cedere cogantur, ac ad fundum præcipitari: Id quod nequaquam fieri poſſet ſi magnitudo & craſſities aculeorum Salis Marini, gravitas, aut illorum concurſus cum aculeis ſpiritus Nitri, genuina eſſent cauſa præcipitationis Mercurij: Cum præterea contingat, eo quod Sal Tartari occurrere non potuit quibuſdam particulis acidis, à quibus reliquiæ nonnullæ Mercurij diſſoluti cohibebantur, ſuperaffuſo ſale urinæ diſſoluto, has poſtremas particulas acidas, illis conjungi, ac reliquas Mercurij dimittere, unde nova præcipitatio expectanda, etſi prioribus longe minor, ratione tantilli Mercurij ſuperſtitis.

Licet Mercurium Præcipitatum album exſiccatum Matratio immittendo, Balneo Arenæ, ſublimare igne gradatim adhibito, eodem modo procedendo ac pro præparatione Sublimatorum uſitatorum; ex eoque comparare Sublimatum admodum dulce, felici ſucceſſu exhibendum ad curam affectuum Venereorum, in Bolo, à decem aut duodecim, ad viginti aut triginta uſque grana, remixtum alicui conſervæ, aut medicamento cuipiam purganti.

Adſumere necnon licet ore Præcipitatum album, nequaquam ſublimatum, at vero robuſtiſſimis ſolum convenit, ac tantum trium aut quatuor, vel ſeptem octove granorum pondere; quia quantumvis lotiones adhibeantur, nonnullæ ſalis particulæ intra illius poros adhuc deliteſcunt, à quibus ſuſque deque purgans efficitur.

At vero Præcipitatum ejuſcemodi ad uſus externos frequentius uſurpatur, præſertim ad ſcabiei, herpetis, aliorumve vitiorum cutem inficientium curationem, id commiſcendo idoneis Linimentis, ac partibus affectis admovendo.

Remiſcetur etiam unguentis Pomaceis pro vultu; etiamſi vero candorem illi revera conciliet, cum Mercurius nervis infenſus ſit, atque calido nativo, frequens illius uſus tandem noxius fieri poteſt.

Porro, cum Aqua Fortis vitioſas imprimat qualitates Mercurio, diſſolutione hujus facta, ac coloris mutatio inde immineat; id quod etiam fit conſpicuum ab affuſione liquoris Tartari; Præcipitatum album fieri poteſt nulla adhibita Aqua Forti, juxta methodum à Schrodero traditam inter plurima alia Præcipitata Mercurialia.

Subtiliter conterantur ſalis Ammoniaci unciæ octo, excipiatur Cucurbita vitrea, expoſita Balneo Arenæ moderate calido, ſuperaffundatur tertium aut quartum tantum pondus Aquæ fluviatilis; ſale ſoluto filtranda diſſolutio per chartam emporeticam, qua iterum immiſſa Cucurbitæ rite mundatæ

mundatæ, diſſolvantur ſine igne in liquore filtrato ſublimati corroſivi unciæ octo: Poſtea diſſolutioni guttatim inſtillentur liquoris Tartari unciæ quatuor, qui ſe adjungens parti ſalium acidę, cum aſſervato in ſublimatione ſurſum evecto, in diſſolutione illum adhuc detinens, ut apprehenſum dimittat efficit, paulatim ſpecie ſubſtantiæ candidæ ad fundum præcipitandum: Eodem tamen tempore Præcipitationi affundenda non exigua quantitas aquæ limpidæ, per linteum tranſcolatæ, tum ad infractionem diſſolventium, tum ad ſalium dilutionem: Poſtmodum Præcipitati facta ſubſidentia, infuſoque in alterum vas liquore ſupernatante, id plurima aqua limpida lavandum ſæpius, donec perfecte dulcoratum fuerit: demum in umbra exſiccatum intra binas chartas concluſum, ad uſus ſervandum.

Præcipitatum hoc per ſuperiora æque ac inferiora purgat non ſecus ac præcedens: At cum prioris dozis ſit pondus tantum ſeptem aut octo granorum, hoc ad duodecim uſque exhibere licet, cum enim ſalium acidorum ſublimati impreſſio infracta fuerit ab actione Salium Ammoniaci & Tartari, tam alte non pervadit quam Aqua Fortis in præcedenti, in quo Aqua hæc à ſolo Sale Marino temperationem accipit.

Eapropter obſervandum affuſionem liquoris Tartari in Mercurium ſublimatum diſſolutum in liquore Salis Ammoniaci, non parem edere effectum ac in diſſolutione Mercurij facta per Aquam Fortem; quandoquidem cum Præcipitatum Sublimati eximium candorem obtineat, Præcipitatum Mercuriale, per Aquam fortem diſſolutum, rubrum fere colorem adquirit, ob commixtionem Liquoris Tartari: Id quod meo iudicio adſcribendum parti ſulphureę ſpiritus Nitri, cujus color ruber, ante occultus, manifeſtus fit in diſtillatione Aquæ Fortis, Illiuſque intimæ conjunctioni cum Arcano fermento ſalis Tartari: quandoquidem color iſte ruber non accidit Præcipitato ab Aqua Forti diſſoluto, quando tantummodo liquor Salis Marini admiſcetur: Vti neque diſſolutioni ſublimati corroſivi à liquore ſalis Ammoniaci factæ, quando remiſcetur liquor Tartari, eo quod nulla adſit utrobique ſubſtantia Nitroſulphurea, è qua iſte color emergere queat, in reciproca cum Sale Tartari actione.

Commode exhibetur Præcipitatum iſtud Purgantibus remixtum, præſertim Confectioni Hamech, tum in curatione affectuum Venereorum, tum Scrophularum, Tineæ, Lepræ, cunctarumque infectionum cutanearum; quarum gratia utiliſſime in uſum adducitur Præcipitatum hoc, commiſcendo Linimentis Pomatis, exterius admovendis, ſicuti & Lotionibus: Ad prædictos uſus aptiſſime ſervando, titulo Aquæ Polonicæ; illi à me adſignato.

CAPUT LXX.

De Sublimato Corroſivo.

PArum firma compages, ac mobilitas partium Mercurij, cum occaſionem præbeant inſigni ſubſtantiæ illius diviſibilitati, quo fit ut pervia ſit actioni ſalium corrodentium, pars maxime acida & ſubtiliſſima earundem Salium ſubiens illius poros, ac quandam unitatis ſpeciem injens, ipſum nequaquam deſerit niſi quæpiam alia ſubſtantia commixta fuerit, cui cum major inſit diſpoſitio ad conjunctionem cum iiſdem Acidis, poris autem prædita ſit magis conformibus illorum aculeis, magis idonea ſit illis cohibendis quam Mercurius: Quo fit ut poſtmodum Mercurium, propria indole volatilem, igni exponendo, in auras protinus is diſcedat una cum eodem Acido, niſi aliquo vaſe idoneo exceptus fuerit quod ipſum coërcere valeat: Immiſſus autem Matratio, urgente igne gradatim adaucto, ejuſdem ignis impulſui cedat, paulatim in ſummam vaſis partem evectus, ſecum autem abſtrahens partem acidam ſalium, quibus cum remixtus erat, una cum illis corpus conſtituit album, veniſque lucidis & cryſtallinis refertum, quod ſeorſum ſe exhibet, in ſummo partium craſſiorum ſalium innatans, peracta operatione, omnibuſque frigefactis.

Nonnulli præcipiunt immitti libram unam Mercurij puriſſimi Retortæ, affundi æquale pondus Aquæ fortis, aut ſpiritus Nitri, Retortam Balneo Arenæ moderate calido committi, Mercurio autem diſſoluto, & intenſiori reddito igne Balneo ſubdito, juxta leges artis fieri diſſolventis abſtractionem, quouſque Mercurius in vaſis fundo cum partibus maxime fixis horum liquorum ſubſideat; Demum ſubtiliſſime comminuta libra una Vitrioli ad albedinem calcinati, ac tantundem Salis decrepitati, hæc ſimul commiſceri Mercurij maſſæ itidem contritæ, omnibus autem Matratio exceptis ſublimationem inſtitui, dicentes tandem ſupra partes ſalium maxime craſſas occurrere Mercurium, conjunctum parti illorum acidæ, ſolida forma, alba & Cryſtallina, ſummæ vaſis parti adhærentem.

At etiamſi hujuſmodi præparatio Artis peritis commoda eſſe queat, qui noxam imminentem à pulvere è ſalibus educta metuunt, quando ſolummodo commiſcentur Mercurio crudo; Eademque admitti queat ſi ſublimitatum ad uſus ſolummodo externos uſurpandum, nihilominus partes acres, ac ſpeciatim ſalinæ ſulphureæ Nitri, quæ non minus inſunt ejus

ejus Spiritus quam Aquæ Forti, cum formidabiles ſint in præparatione iſtius Mercurij, multo ſatius fuerit illos Spiritûs dimiſiſſe.

Etiamſi enim, ſicuti Experientia oſtendit, in abſtractione diſſolventium, una cum phlegmate ſpiritus corroſivi copia non exigua educatur, quæ iterum idonea fit diſſolvendæ eidem Mercurij quantitati, propemodum priori æquali, etiamſi pars plurima aquea ſimul occurrat, maſſa nihilominus liberata nondum eſt partibus maxime corrodentibus Spirituum à quibus diſſolutus fuerat Mercurius, iiſdem particulis poſtmodum in ſublimatione comites illi ſe adjungentibus: Si vero Sublimatum corroſivum, omnis corroſivæ vis expers, preparando Sublimato dulci, quod tutiſſime intus adſumi queat, idoneum deſideraveris, hac via procedendum erit.

Calcinetur ad albedinem Vitriolum Germanicum, decrepitetur Sal marinum, quantum uſus poſtulaverit, horum ſeorſum in ſubtilem pulverem contritorum uniuſcujuſque libræ unius pondus accipiendum, & quantitas æqualis Mercurij ex Cinnabari reviviſcentis, Simul iſta conterantur in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, per vices leniter irrorando tantillo Spiritus Aceti, eum ſolum in finem ut prohibeatur pulveris aſcenſus, noxam inducturi illi qui piſtillo utitur; pergendo in trituratione donec Mercurius adeo accurate Pulveribus commixtus ſit, ut nequaquam conſpicuus ſit, adeoque unicum cum illis corpus conſtituere videatur; Miſtura poſtmodum iſta Matratio excepta, cujus duo circiter trientes vacent, hoc committendum erit Balneo arenæ intra capſulam proportione reſpondentem, idoneæ Fornaci impoſitam; hinc igne initio mitiſſimo, poſtmodum per gradus adaucto, circa finem intenſo, Mercurius impellendus erit, parti acidæ ſalium conjunctus, in ſummum Matratinm, ſubſtantiam albam & cryſtallinam adeptus, unde eximendus erit effracto Matratio, perfecta ſublimatione, & vaſis refrigeratis, relicta in fundo Matratij Salium parte craſſiori, aſcenſui inepta.

Poſtmodum conterendum erit in mortario Marmoreo iſtud ſublimatum, addita æquali ut ſupra quantitate Vitrioli ad albedinem calcinati, ac Salis decrepitati pulveriſati; Cuncta alteri matratio indantur, æqualis cum priori magnitudinis, hinc ſuſcipiatur ſublimatio; in cæteris eadem omnino ac prius ratione procedendo: Imo tertia vice repetantur ſalium additamentum, uti & cæteræ operationes, ſic exſurget Sublimatum eximia corrodendi vi præditum, cujus eum corroſio ortum ſolummodo debeat parti acidæ Vitrioli & Salis Marini, hanc ſuperare arduum non fuerit, ſi media dulcorationi neceſſaria omiſſa non fuerint.

Particulæ acidæ Salium, complicatæ particulis Mercurij, adeo inſignem corrodendi vim huic Sublimato impertiuntur, ut non modo erodere valeant partes internas & externas animalium,ac fere quaſvis ſubſtantias, ſed etiam omnia metalla; Id vero huic Sublimato, & cæteris omnibus Salibus commune eſt, ut ſiccum nullam fere actionem exſerere poſſit, illiuſque efficacia intenſior aut remiſſior ſit pro majori aut minori humoris quantitate, ejus actioni conſona.

Eapropter etiam admotum carnibus fungoſis Vulnerum, aut Vlcerum, illas nullo negotio abſumit, humiditas quippe vulnerum aut Vlcerum ejuſmodi ſemper comes, illud diſſolvit; Quapropter in ventriculo, aliiſque partibus inſignem ſtragem edere aptum natum eſt ore ſi adſumptum fuerit, eo quod obviam habeat ad diſſolutionem requiſitam humiditatem, ac inurere cauſtica vi carnis illam particulam, aut cutis, cui admotum fuerit, dummodo idem locus leviter humectatus fuerit, aut ſaltem madore perfuſum, idoneumque diſſolutioni factum fuerit ſublimatum.

Oſtenſus ſuperius fuit uſus iſtius ſublimati ad compoſitionem Aquæ Phagedenicę; uti & ejus facultas in extrahenda ſubſtantia butyroſa è Stanno; Sed præterea demonſtrabitur quomodo admittatur ad præparationis Antimonij: At vero uſitatiſſima omnium & commodiſſima ea eſt quæ Mercurium Sublimatum dulcem ſpectat.

Sed etiamſi corroſio Sublimati ſolummodo conſpicua fiat quando in aqua diſſolvitur, inſignis porro ſit illa corroſio ſi pauciſſimo dilutum fuerit humore, idoneumque tunc evadat ſumma celeritate & vehementia erodendis illis partibus corporis quas attigerit, id tamen compertum eſſe debet ſi non exigua aquæ copia illius diſſolutioni immiſſa fuerit, hanc infractum iri, ſtragemque imminentem præcaveri, adeo ut larga aquæ copia, effatim hauſta & illico, omnium optimum & tutiſſimum ſit præſidium ſi forte quis incaute, aut alio modo Sublimatum corroſivum ingeſſerit: Aqua quippe, cum facillime diluat partes acidas, corroſionis authores in Sublimato, hæ in adeo minutas diſcedunt particulas, & adeo diffunduntur ac explicantur, ut aptitudinem ad corroſionem & pernitiem exuant, quibus Mercurius liberatus tanquam innoxius habendus, particulis interim huiuſmodi acidis cum ſero per urinas, per alvum aut vomitum exitum habentibus.

CAPVT

CAPUT LXXI.

De Sublimato Dulci.

Conteratur in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, Sublimati corroſivi, ſuperiori ratione præparati, libra una, additoque ſubtriplo pondere Mercurij ex cinnabari reſuſcitati, iterum ſimul terantur, quouſque Mercurius cum Sublimato optime coierit, adeo ut prioris nulla adpareant veſtigia, ac ſimul abeant in Pulverem cineritii coloris plane uniformem. Committatur poſtea hic Pulvis Matratio; in lagena vitrea rotunda ſattenui, cujus duo circiter trientes vacui ſuperſint; demum exponatur hoc Vas Balneo arenę, fiatque Sublimatio adhibito igne gradatim; in cæteris eadem omnino ratione procedendo qua ad præcedentis præparationem: Demum cunctis frigefactis, vaſe effracto in ſui medio, ſecreto & abjecto pulvere rubicundo in fundo ſuperſtite, ſeorſumque repoſito Pulvere candicante, collo vaſis adhærente, accipiendum erit Sublimatum album & cryſtallinum, parti corporis ejuſdem vaſis ſupremi affixum.

Eo linguæ admoto, ſi quapiam adhuc obſervata fuerit acrimonia, eidem mortario id committendo, iterumque conterendo, addenda erit, una quoque pulveranda, uncia una Mercurii fluidi, vel quantum Sublimatum abſorbere poterit: Poſtea hoc eodem Pulvere altero Matratio excepto, perficienda erit Sublimatio, ac ſeparatio Pulverum ſummam & imam vaſis partem occupantium ſicuti priori vice. Deinceps rurſus contrito Sublimato in ſimili Mortario, injectoque Pulvere in aliud Matratium, alia ſuſcipienda erit Sublimatio; tunc autem Sublimatum elegantiſſimum eſſe poterit, ac ſufficienter dulcoratum.

Sin elegantiæ quid præterea adjiciendum fuerit, idque multo dulcius reddendum, licet præmiſſa pulveriſatione, alteri Matratio, eodem Balneo indere, ac ſublimationem renovare, ſecretione poſthac facta Pulveris, ſummo vel imo Matratio adhęſuri, Sublimatum ad uſus ſervando.

Repetitæ in hac præparatione Sublimationes, valent quidem particulas quaſdam Acidorum, in Sublimato Corroſivo contentorum diſſipare, at partes ſuperſtites cum nimia copia abundent, & nimiopere ſint intricatæ in Sublimato corroſivo, ut ſpes ſit illas, ope iſtiuſmodi Sublimationum penitus ſeparatum iri, cuipiam forte admirationis cauſa ſuberit quod à Mercurio fluido, Sublimato Corroſivo addito, mortificari

queant hæc acida, ac detracta vi corroſiva, dulcem poſtmodum induceere.

Definet vero admirandi occaſio ſi penſitatum fuerit, cum prius univerſa Mercurij ſubſtantia Acidis impraegnata fuiſſet, ad conſtitutionem ſublimati corroſivi, hic contra cunctos poros Acidorum Mercurio addito infarciri, adeo ut cum illorum aculei omnino ab hoc obruantur & involvantur, poſtmodum omnino actioni & penetrationi inepti evadant.

Oſtendit enim experientia dulcificationem ſublimati corroſivi nunquam perfectam contingere ſi Mercurij vivi requiſita copia addita non fuerit, eáque quantitate qua penitus adimpleantur pori, ac deliteſcant aculei Acidorum, à quibus corrodendi vim id nactum erat; Et Mercurium ſolam & unicam eſſe materiam per quam dulceſcere queat, una cum ipſo ſublimatam.

Neque moror contrariam illorum ſententiam, qui ſublimati dulcificationem adſcriptam volunt extenſioni factæ à Mercurio, illic intromiſſo; Perpendenda enim illis fuiſſet exigua expanſio à Mercurio ipſi conceſſa, quæ ſi eſſet admittenda, commiſceri poſſent aliæ materiæ, magis idoneæ amplificationi ulteriori, & ſimul ſublimationi aptæ: At cum nihil occurrat quod poſſit, priſtinam formam ipſi reſtituendo, unaque cum illo ſublimatum, id dulcificare, ſicuti id præſtat Mercurius, proculdubio veritati is reluctaturus eſt cui hæ rationes non arriſerint.

Neque tamen exiſtimandum hæc Acida, in Mercurio deliteſcentia, hac ratione deſtrui, quandoquidem nullo non tempore conceſſum eſt hæc ſecernere, revivificatione facta Mercurij utriuſque ſublimati, beneficio Salis Tartari, Calcis vivæ, alteriuſve cuiuſdam ſubſtantiæ naturæ non abſimilis; quæ poros Acidorum adimplens, his viciſſim impraegnata, illíſque intime ſe adjungens, Mercurium priſtinæ libertati reſtituere valeat, ac priori formæ.

Sublimatum dulce frequentiſſime in uſum acceiſitur ad curationem affectuum Venereorum, ſed & non minus commode uſurpatur in Hydrope ac obſtructionibus pertinacibus Iecoris & Lienis, imo & Vteri, ſed præſertim ad interficiendos Lumbricos, exhibendo id forma Boli, commixtum catharticis, ut illorum actioni obſequatur, ſi præſertim à ptyaliſmi conſequutione metus ſit.

Doſis eſt à ſemi ſcrupulo ad ſemidrachmam, imo & ad binos ſcrupulos, at in robuſtiſſimis tantum, & cum ciriores certioréſque expectantur effectus.

Alio loco memini præparationis Sublimati dulcis ex Præcipitato albo

bo, Sublimatione citra ullum additamentum facta; Poteſt & idem expectari ex Mercurio Præcipitato flavo, id ſeorſum, præmiſſa lotione, ſublimando, eóque pacto adipiſci datur ſublimatum dulce per inferiora ſolummodo purgans, quod præberi poterit à tribus vel quatuor ad ſeptem vel octo grana.

Sed res proſperum magis ſucceſſum habitura eſt, ſi trituratione prævia in mortario marmoreo, aut vitreo, quatuor unciarum Præcipitati Flavi, probe eluti & exſiccati, illi concorporando eam Mercurij currentis quantitatem quam omnino abſorbere voluerit, mediis ordinariis inſtituta fuerit ſublimatio, ſi demum contritum hoc ſublimatum, iteratæ bis terve ſublimationi ſubjectum fuerit nullius rei facta adjectione: Ea enim ratione exſurget Sublimatum admodum dulce, deorſum tantum vacuando vergens, concedendum ad decem uſque vel duodecim grana in quibuſvis affectibus ſublimatum dulce uſitatum congruere poteſt.

CAPVT LXXII.

De Liquoribus Mercurialibus.

PUrimi Olei nomen impoſuere quibuſdam Liquoribus ex Mercurio eliciendis, aut Liquoribus nonnullis illi remixtis, etſi liquores prædicti flammam non concipiunt, ſed mere ſint aquei: At vero cum nomina rerum qualitates nequaquam immutent, quæſtionis illius ventilatione prætermiſſa, ſatis mihi fuerit nonnullas attuliſſe præparationes, meo indico non indigne huc inferendas.

Aqua Polonica, quæ nihil aliud eſt quam lotio Præcipitatorum Mercurij, & Aqua Phagedenica, ex calce viva & ſublimato corroſivo conſtans, quarum alias præparationem tradidi, in cenſum liquorum Mercurialium venire poſſunt, non ſecus ac illa quæ præparari poteſt ſubſtituendo Mercurium dulcem Corroſivo, etiamſi ſublimata eiuſmodi exigua admodum admittantur copia: Sed præparari poſſunt Liquores mercuriales magis concentrati, ac variis modis generoſiores, ſicuti in ſerie id manifeſtum futurum eſt.

Subtiliter una terantur in Porphyrite partes æquales Sublimati dulcis & Salis Ammoniaci, inſpergatur Pulvis aſſarię Cucumę mundiſſimę; reponatur hoc vas aliquantum declive in cella vinaria, vel loco quopiam humidiore; roſtro illius admoveatur Receptaculum exiguum, ibi loci detinendum donec cuncta Salia diſſoluta ſint & abierint in liquorem rubicundum, in Receptaculo obvium, commixtum Mercurio reſuſcitato illuc confluente, ac ſeparando ut in eoſdem quos antea uſus veniat.

Externe hic liquor accerſitur ad conſumptionem carnium fungoſarum, ac excreſcentiarum in vulneribus & ulceribus oborientium, ſpeciatim Venereæ luis ſobolis.

Etiamſi vero ſubſtantia Mercurij fere tota reviviſcens videatur, Liquor prædictus nihilominus ſat multas ſibi illius adſumpſit particulas ut Mercurialis nomine dignandus ſit.

Agricola, Hartmannus, ac nonnulli Authores horum ſequaces, deſcripſerunt Mercurialem Liquorem Iovialem, quem huc inferendum exiſtimo.

Liqueſcat in Crucibulo Stanni Anglici libra una, affundatur illi libra una Mercurij ex cinnabari reviviſcentis, excalefacti, fiatque ex his Amalgama, eluendum aqua Salſa calente, donec omnino nigredo receſſerit, ac Amalgama nivis inſtar candidum adpareat: Hoc poſtmodum rite exſiccato, & pulveriſato, ac in mattario marmoreo aut vitreo optime contrito, additis ſublimati corroſivi libris duabus, expandenda erit hæc Miſtura in Cucuma aſſaria, eodem ſitu collocanda, eodemque in loco reponenda ſicuti Liquor à me ſupra memoratus; poſtmodum ſuppoſito illi Recipiente idoneo, occurrent tandem Salia diſſoluta, in Liquorem deducta, cui remixtus etiam erit Mercurius, iterum reſurrecturus, à receſſu Salium, in loco humido diſſolutorum: Demum ſeorſum repoſito hoc Mercurio ad uſus proprios, immiſſoque Liquore Cucurbitæ vitreæ in Diplomate, evaporatio lenis humiditatis ſuperfluæ procuranda erit; ac præmiſſa maceratione per quindecim dies in eodem Balneo, igne moderato, infuſione facta hujus Liquoris in exiguam Retortam, arena obrutam, intra capſulam fictilem, idoneæ Fornaci commiſſam, ſuſcipienda diſtillatio igne gradatim adhibito, ſed ſub finem intenſo admodum reddito, eo pacto ſuccedet Liquor, olei ſimilitudinem quandam referens, quem eximium cenſent exterius admotum ad curationem Cancri, Nattarum Fiſtularum & quorumvis Vlcerum malignorum & corroſivorum.

Idem Agricola alium deſcribit liquorem Mercurialem, ad cujus præparationem præcipit conteri partes æquales Sublimati dulcis & Salis Saturni; hæc commixta immitti Retortæ vitreæ, qua in Balneo arenæ repoſita, admoto grandi Receptaculo, probe loricato, ejus roſtro; Igne gradatim adhibito, educi liquorem album, dulcem, omniſque acrimoniæ expertem: Demum ſponte frigefactis vaſis, ſubſidentia contrita, ac alteri Retortæ vitreæ commiſſa, ſuperaffundi Liquorem diſtillatum: prægreſſaque levi digeſtione per ſeptem aut octo dies, eandem diſtillationem eodem Balneo iterari, atque inde educi Oleum flavum,

quod

quod etiam ad uſus internos admitti poſſit, ut & ad externos, ad curationem quorumvis Vlcerum, etiam Venereorum.

Præterea idem Author, commiſtione facta partium æqualium Sublimati dulcis, & Sacchari candidi, pulveriſati, hæc Cucurbita vitrea excipi, ac Balneo Arenę, debito accedente ignis regimine præcipit, Liquorem prodire præſtantiſſimum ad ſanationem omnium Vlcerum internorum externorum aſſerens.

Superaddere hic poſſem plurimas deſcriptiones Oleorum aut Liquorum, Extractorum, Sulphurum, Salium & aliarum Mercurij præparationum, quibus Libri turgent, in quibus plus oſtentationis quam utilitatis; Sed hæc ſilentio involvere malo quam Lectori tædium parere.

CAPVT LXXIII.

De Antimonio in genere.

ANtimonium corpus eſt minerale, ad naturam metallicam plurimum accedens, quod ut plurimum obvium eſt in mineris, huic vel illi metallo proximum; Pro Marcaſitæ ſpecie habetur, imo à nonnullis Marcaſita Plumbi nuncupatum fuit. Conſtare cenſent ex duplici Sulphure minerali, uno quidem metallico, & accedente ad puritatem, ac nonnihil ad colorem Sulphuris Auri; Altero terreſtri, combuſtibili, ac fere ſimili Sulphuri communi: Ex Sulphure metallico fuligi-noſo, male digeſto, ſed magis concocto Mercurio vulgari, plumbi naturæ particips; Ac ſubſtantia terreſtri & Salina, ſed exigua admodum copia.

Exiſtimaverunt nonnulli Antimonium in ſe comprehendere principia omnium metallorum, quia ſine diſcrimine occurrit circa ſingulas illorum mineras: Cognomentum obtinuit Lupi, aut Saturni Philoſophorum, expoſitum enim una cum metallis igni, hæc vorat aut abſumit, Auro excepto: Prothei quoque nomen inditum, ob coloris diverſitatem quam Artifices illi conciliare valent, igni id exponendo.

Cenſent quidam, ſicuti Antimonium Aurum omnibus impuritatibus liberat, ac quibuſvis ſubſtantiis extraneis, id ipſum in homine præſtare poſſe, accedentibus variis præparationibus quas ars Chimica uſurpare poteſt; Imo id valere pro re nata extra corpus propellere & eliminare pravos quoſvis humores per quæcunque emiſſaria à Natura conſtituta; Imo medicinam univerſalem in illo quæſierunt, cui tot Medici & Philoſophi hactenus inhiarunt.

At etiamſi nemo gloriari queat ſe in unico remedio reperturum, ex Antimonio deprompto, curationem quorumvis morborum; id tamen adſerere licet, quoad varias præparationes cui hoc Minerale obnoxium eſſe poteſt, poſſe ſaltem expleri maxima ex parte indicationes hauriendas, ac ſatisfieri ſcopis morborum curationem ſpectantibus; adſtruendo ab omni ævo ex unica hac ſubſtantia educta fuiſſe, ac præterea plura remedia educi poſſe quam ex quovis alio metallo.

In uſum venit Antimonium crudum pulveriſatum, nodulo id involvendo, ad Decoctiones pro morbis Venereis præparandas: Adhibetur etiam in collyriis ad oculorum affectus, ac remediis externis, mundificationem, exſiccationem ac cicatricis inductionem, Vulnerum & Vlcerum ſpectantibus.

CAPVT LXXIV.

De Vitro Antimonij.

Ad parandum Vitrum Antimonij Hyacinthini coloris, eligendum Antimonium puriſſimum, cujus acus, vel lineæ, productæ ſint & pellucidæ: hoc ſubtiliſſime contrito, pulvere capſulæ fictili indito, aut pelvi fictili non vitreatæ, ſed latæ, depreſſæ, ignis vehementiam tolerare idoneæ, imponendum erit vas Fornaci idoneæ, accenſo in hujus foco igne moderato, ea ratione regendo ut paulatim excalefiat capſula, hic poſtea ſatis validus ſit ad Antimonium in fumum diſſolvendum, initio hinc hujus calcinationis ducto: Statim ac Pulvis fumum emittere incipit, leniter ſpathula cuprea commovendus, ſed citra intermiſſionem, infra capſulam ignem æqualem fovendo, modice intenſum, ſibi cavendo, & arcendo fumos oriundos ex Sulphure Antimonij, quod paulatim in auras abiturum eſt; pergendo in calcinatione non modo donec nullus ex Pulvere prodeat fumus, ac colorem cineritium is adeptus ſit, ſed excitata fuſione, in exiguo crucibulo, tantillæ portionis Pulveris, hic abeat in Vitrum admodum pellucidum: ſin forte contingat ut in calcinatione Pulvis in grumos coeat, à Calcinatione deſiſtendum eſt, conterendo hos grumos illam rurſum repetendo, ſed citra defatigationem, etiamſi opus hoc ad plurimos protrahi ſoleat dies: Neque enim Antimonij Vitrificatio ex voto ſuccedet niſi Pulvis rite calcinatus fuerit, vel minima ſulphuris illius particula ſuperſtes ſit.

Pulvis Antimonii abſolutam Calcinationem adeptus facili negotio in vitrum abiturus eſt, ſi modo ſuppetat optimus Furnus anemius, in

cuius foco, poſito prius Crucibulo Germanico, pedementum ſubditum habeat, In huius ambitu accendendus ignis carbonum, proportione reſpondens Foci capacitati, follis afflatu excitandus; Crucibulo duas aut tres vncias tantum pulveris ſingula quaque vice immittendo, facillime in illo colliqueſcet; hic ubi omnino fuſus fuerit, materia calens in ſartaginem cupream mundiſſimam infundenda erit, quæ in Vitrum admodum pellucidum, Hyacinthini coloris converſa deprehendetur.

Si maior Vitri quantitas expetatur, crucibulum illico pedamento rurſum imponendum erit, ac ab iniecta æquali Pulveris recentis quantitate, ignem fovendo & æqualiter intendendo, eadem ratione ac priori vice procedendo, in Vitrum converſio fiet; Quicquid vero ſuperſtes erit Pulveris, eaſdem operationes reiterando, in Vitrum abiturum eſt.

Dum Fuſio peragitur, crucibulum exiguo operculo cooperiendum eſt ad faciliorem pulveris Vitrificationem, imo ipſi Fornaci ſuum Tegmen ſuperponendum eſt, ad meliorem concluſionem, & caloris ſupra materiam reverberationem, eoque modo Fuſionem promovendam; quam melior ſucceſſus ſequuturus eſt, breviori tempore, minori carbonem diſpendio, in Fornace Anemia, cuius figuram & deſcriptionem tradidi, quam ſi quater tantum carbonum alteri Fornaci inditum fuiſſet, dummodo proba pulveris calcinatio præceſſerit: Neque tunc neceſſe eſt per horam integram Fuſioni Pulverem expoſuiſſe, neque Antimonium crudum pulveriſatum addidiſſe, neque ſulphur,neque Nitrum,neque Boracem,neque ullam materiam extraneam, facilioris reddendæ vitrificationis pulveris gratia, quandoquidem in Fornace vitrificationem obtinere licet, ſeorſum & abſque ullius additamenti beneficio, ad ſummam intra horæ octavam partem; Eaque ratione Zuvelferi deſiderio ſatisfacere licet, cum hoc ſitrum ad confectionem Syrupi Emetici adhibet.

Abſtinendum etiam ab immiſſione virgulæ ferreæ in materiam liquefactam, ſi cognoſcendum num Vitrum diaphaneitatem obtinuerit; Antimonium quippe extremá virgam ferream eroſurum eſt, etiamſi breviſſima ſit mora, ideoque Vitrũ fuſcum colorem induere poteſt; ac præterea ſi Pulvis ritam fuſioné conſequutus fuerit, procul dubio Vitrũ elegans proditurũ ſit.

Præcipiunt Authores eligendam temporis ſerenitatem ad hanc præparationem, ſed nullo non tempore rite eadem perfici poteſt, dummodo proceſſus ex arte fuerit.

Vitrum Antimonij per ſuperna & inferna quoſcunque humores obvios vehementer educit; ſi in pulverem ſubtilem contritum duorum, trium aut quatuor granorum pondere exhibitum fuerit, ex quapiam conſerva aut Condito: vel Infuſum in vino albo, a tribus, quatuor, ad quinque aut ſex grana; aut in liquore aliquo cardiacam vim nacto: At ſolum præbendum

Bbb

iis qui robuſtam conſtitutionem nacti ſunt, & qui lato pectore donati in Vomitum proclives ſunt; nimia enim illius vehementia debiliorem ſortem nactis noxia futura eſſet.

Neque interim mirum eſſe debet à conſumpto ſulphure combuſtibili Antimonij, dum calcinatur ad præparationem Vitri, hoc idem Vitrum emetica & cathartica facultate adhuc eſſe præditum, quandoquidem præcipuæ illius dotes à ſulphure illius interno originem ducunt, quod vix ac ne vix ab illo recedit, ſicuti idipſum in Regulis manifeſtum eſt, in Crocis, aliiſque Stibij præparationibus, quæ, etiamſi Nitrum commiſtum fuerit, Tartarum aut Sublimatum &c. nihilominus ſurſque deque corpus expurgant; Cum qualitatibus illis, vomitiva & purgatrice, ſpoliari alia ratione nequeat quam beneficio calcinationis, ac longa in igne mora, addito triplo tanto Nitri pondere; ac Acida ſimplicia inſufficientia ſint domandis facultatibus Vomitoriæ & purgatoriæ, imo nec ipſum Nitrum, ejuſve ſpiritus ſulphureus, diaphoreticam excutere non valeat, tum demum ſe prodentem cum cæteræ abolitæ videntur.

Tradita vero deſcriptione Vitri Antimonij, citra additamentum facti, omnino huc inferenda correctio quam ante pollicitus ſum ad confectionem Syrupi Emetici, à me deſcripti parte ſecunda huius operis, Eapropter

Super porphyrite ſubtiliſſime conterantur, & in Alkool deducantur, Vitri Antimonij, ratione à me propoſita præparati, unciæ duodecim; remiſceantur Nitri pulveriſati unciæ tres & ſemis; incandeſcat Crucibulum cum ſuo operculo, pedamento impoſitum, media in fornace collocatum; demum per vices, & cochleatim, ſed minutim, immittatur pulvis cruci-bulo, poſt cooperiendo; cum vero Pulvis rubicundus factus fuerit, remoto ab igne & ſponte refrigerato Crucibulo, in illo occurret maſſa coloris inter flavum & album medij, quæ iterum ſubtiliter ſuper porphyrite pulveriſata, illico abluenda erit, immerſa aquæ ſolummodo tepidæ, citra moram decantandæ, Pulverem exſiccando ſtatim ac dulcoratus fuerit.

Eo pacto adipiſci datur Vitrum Antimonij correctum, cujus effectus multo quam ante leniores futuri ſunt; illiuſque uſus tutus, tum ad præparationem ſyrupi emetici, tum ad alios exhibendi modos: Infuſionem illius exhibendo ex Vino à granis quatuor aut quinque, ad quindecim aut viginti, reſpectu habito ætatis & vitium.

Conflari poſſunt Vitra Antimoni j alba, flave, rubra, nigra &c. Vario modo calcinando Antimonium, addito Borace, Sulphure, aliiſve materiis: At cum color non inducat immutationem qualitatibus emeticæ & purgatrici, præcipitatio autem à me tradita norma eſſe queat cæterarum,

ſuperfluum

ſuperfluum eſſe duxi ſi caput hoc amplius excreſceret, additis plurimis aliis, Curioſos ad Schroderum remittens, alioſve Authores, qui plurimas exhibent præparationes.

CAPVT LXXV.

De Crocis Antimonij.

PRæparatio hæc Croci nomine inſignita eſt, ratione Coloris flavi in maſſa, quando contrita eſt, exſurgentis: Crocus autem metallorum vocatur, quia occurrit Antimonium juxta mineras aliorum metallorum; Vel ob ſympathiam inter hoc & metalla; Hepatis quoque vox impoſita, ob Hepatis colorem in maſſa adparentem antequam triturationi ſubjecta fuerit.

Præparatio hæc vulgaris eſt, ſed alia atque alia ratione inſtituitur: Nonnulli enim contritis & commiſtis partibus æqualibus Antimonij & Nitri, miſtura autem hac indita grandi mortario ferreo aut cupreo, obiter cooperto, huic impoſita tegula lata, aut latere, prius excalefactis pulverem accendunt, ſuperiniecta exigua pruna candente, unde conſequitur detonatio ac materierum fuſio, puriſſimis interim Antimonij partibus in fundum mortarij ſecedentibus, quæ figuram Hepatis adquirunt; Scoriis autem cum parte Nitri ſalino fixa ſurſum delatis, poſtmodum ſi lubet ab invicem ſeparandis.

Alij Nitri dimidiam tantum partem adſumunt, quoad cætera eodem proceſſus genere utentes, relicto in fundo Mortarij Croco, à priori non multum diſſimili, ſed cui vis emetica inſignior eſt, & majori copia; Cum enim Nitrum minori copia admiſſum ſit, particulæ Antimonij non adeo exagitatæ fuere, neque tanta illarum facta eſt diſſipatio.

Nonnulli miſtura facta æqualis quantitatis Antimonij & Nitri, Olla autem Figulina, ignis vehementiæ quæ obſiſtere valeat, ſubdito pedamento, repoſita in medio foco Fornacis idoneæ, circumcirca ignem Carbonum accendunt, impoſitoque Ollæ operculo, hanc ad candorem accendunt; demum Pulverem in portiones diſtinctas chartis incluſas, diſcooperta Olla paulatim per partes proiiciunt, eoque pacto partitis vicibus fit detonatio, quouſque totus Pulvis ſit abſumptus: Demum caute Olla igni ſubſtracta, ſponte refrigerari finitur, ſecretumque à ſcoriis Crocum ad uſus ſervant.

Quidam etiam Scorias nequaquam ſeparatas, una cum Hepate Antimonij conterunt, demum omnibus ad aliquot tempus in ſufficienti aquæ

quantitate fervere permiſſis, ac calente filtrato decocto, huic acetum ſtillatitium affundunt, unde ſequitur præcipitatio Croci ſubtiliſſimi quem probe abluunt, demum exſiccant & ſervant.

Alij pulveriſant & commiſcent partes æquales Antimonij, Nitri & Salis Marini decrepitati; qua miſtura crucibulo indita, cujus media circiter pars vacet, id altero ejuſdem magnitudinis ſuperimpoſito coope-riunt, exiguo in fundo foramine pertuſo; accurate utriuſque commiſſuris luto conjunctis, exſiccatoque luto, pedamento imponunt, medio in Fornacis idoneæ foco; poſtea accenſo in ambitu igne carbonum, facta detonatione, & perfecta materium fuſione, celeri manu Crucibulum ab igne removent, quod cum probe refrixerit, disjunctis Crucibulis, eoque cui commiſſæ materiæ effracto, in fundo ſe offert Hepar Antimonij, cujus color, etiam pulveriſati, intenſioris eſt ruboris quam prius, ſalibus quoque coopertus, quorum poſtea facienda ſeparatio.

Ob Marcaſitæ ſimilitudinem, & colorem quodammodo ad Opalinum accedentem, nonnulli huic Antimonij Hepati *Magneſcæ Opalivæ* nomen indiderunt, quam verum eſſe Rulandi Crocum Metallorum crediderunt: Revera elegantior & præſtantior Crorus Antimonij præparari non poteſt, tum ad confectionem Vini Emetici, tum Pulveris, exhibendi gratia, ab octo aut decem, ad viginti uſque, triginta & quadraginta grana, ex quapiam Conſerva Ovo, pome cocto.

Commodiſſime etiam ad Collyria admittitur, in pulverem ſubtiliſſimum id deducendo, Infuſionibus admiſcendo aut in Aquis Ophthalmicis diluendo.

Tilingius in ſuo Prodromo Practicæ Chymicæ, exhibet præparationem Croci Metallorum, cui cognomen indidit Abſinthiaci, ratione ſequenti.

Vna conterantur partes æquales Antimonij probe pellucidi, & Salis Abſinthij, commiſceantur & Crucibulo indantur, ad ignem luculentum calcinentur, per vices commovendo ſpathula cuprea, donec ſulphure Arſenicali Antimonij probe exaltato, obvia ſit in Crucibulo materia ſubrubra, quæ ſubtilem in pulverem conterenda eſt & abluenda, donec omnino dulcorata ſit, demum exſiccanda & ad uſus ſervanda.

Eximium ait eſſe hunc Crocum ad curationem quorumvis affectuum Cerebri, Ventriculi, Iecoris, & Lienis, Necnon Febrium, Melancholiæ, Hypochondriacæ, Arthritidis, Aſthmatis, Pleuritidis, Hydropis, Icteri, & Scorbuti.

Doſis illius eſt trium, imo & ſex granorum pondus, Pulveris forma ex panca conſerva, aut Infuſi, octo aut decem granorum ejuſdem Croci, facti in unciis duabus Vini albi, & duabus drachmis Aquæ cinnamomi;

momi; aſſeritque hoc remedium tum ſuperne tum inferne leniſſime expurgare.

Hepar Antimonij ſurſum & deorſum quoſvis humores obvios educit: Hepar hoc cum plurimis adhuc partibus Antimonij craſſioribus conſtet, vitri revera quandam ſpeciem habet, ſed pelluciditate caret, neque eadem duritie donatum eſt. Quod porro in hac maſſa partium craſſiorum ſupereſt, fræni vicem obtinet erga puriſſimas, quarum actio ab iis retunditur, adeo ut illius pulvis exhiberi poſſit multo maiori dozi quam Vitrum: Huc iterum illaturus ſum quod alibi de illius uſu ad præparationem vini Emetici indicavi.

CAPUT LXXVI.

De Regulo Antimonij.

NOmen Reguli, aut parvi Regis, improprie videretur adſignatum Antimonio dictam præparationem experto, quandoquidem qui deberet cæteris partibus, more Regum eminere, in parte infima & fundo Crucibuli deprehenditur, vel aliorum vaſorum in quæ Antimonium infuſum, poſtquam liquefactum fuit, una cum materiis partes puras ab impuris ſeparare idoneis: At vero ratione ponderis & conſtrictionis partium purarum, ob quæ fundum petit, ac concentrationis & arctioris compagis, præ qua minorem molem quam ſcoriæ obtinent, ſuperiora petentes ſalibus commiſtæ; Perfectionis præterea earundem partium, hoc Reguli nomen conſequutæ ſunt, conceſſum etiam nonnullis aliis metallis expurgatis & liquefactis.

Nitrum & Tartarum materiæ vſitatiſſimæ ſunt Antimonio commiſceri ſolitæ ſi Reguli ſeparatio molienda ſit; at vero ex cuiuſque arbitrio doſeos ratio pendet; nonnulli enim partes æquales Nitri & Tartari uſurpant: alii ad partem unam Nitri, & aliam Tartari, duas Antimonij admittunt; Alij plus Nitri quam Tartari, alij plus huius quam prioris; imo nonnulli pulverem carbonum admiſcent: Sunt & præterea qui præmiſſa contritione & detonatione partium æqualium Nitri & Tartari commiſturum, contritaque iterum maſſa ex his conflata, modo plus huius, modo minus Antimonio pulveriſato remiſceni; fuſioneque huius miſturæ in crucibulo facta, Regulum eliciunt; Sed etiamſi Regulum omnibus his mediis comparare liceat, nihilominus hoc loco traditurus ſum & doſes, & methodum mihi uſitatam ad hanc præparationem, feliciſſimoque ſucceſſu comprobatam.

Imponatur capax & probum Crucibulum, ſuppoſitum habens pedamentum, medio foco Fornacis anemiæ, illo cooperto, ſuccenſoque luculento carbonum igne in ambitu, paratas habere oportet Antimonij pulveriſati libras duas, Tartari Monſpelienſis ſeſquilibram; & Nitri itidem pulveriſati tres libræ quadrantes; hæc probe commixta recondantur cucullis chartaceis exiguis, quorum ſinguli contineant unciam unam vel alteram materiæ: Poſtea in Crucibulum optime candefactum, ac diſcoopertum, immittatur unus ex cucullis, illico id cooperiendo, detonationem pulveris permittendo; qua perfecta, alter cucullus pulvere repletus in Crucibulum proiiciendus erit, ac detonandus, pergendo in projectione & Pulveris detonatione, (Crucibulo tegmen ſemper imponendo) donec nihil proiiciendum ſuperſit: Poſtmodum ab immiſſa circiter uncia una Nitri pulverati ſupra materias, alte prælonga virga ferrea demergendas, Crucibulum rurſum tegmine adpoſito occludendum, ignem propius admovendo: materiæ cum omnino fuſæ fuerint, Crucibulum tenaculis robuſtis apprehenſum ab igne removendum erit, eoque ſponte refrigerato Regulus in fundo ſe exhibiturus eſt; Vel Crucibulo ab igne exempto, materiæ infundendæ erunt in conum fuſorium idoneum, prius excalefactum & pingui aliquo intus delibutum, concutiendo identidem conum, ad promovendum Reguli in fundum deſcenſum: Demum cunctis ſemirefrigeratis, conum invertendo, Regulus in fundo conſpicuus erit, infra ſcorias contentus, quibus excuſſis, iiſque ab invicem ſecretis uno vel altero mallei ictu, rite ablutus, albus adparebit, pellucidus, imo ſtellatus, ſi omnibus rite peractis, ſub finem accurata materiarum fuſio præfuerit.

Fuſioni deinceps iſte Regulus iterum exponi poteſt, minori Crucibulo inditus, nonnihil optimi Nitri pulverati immittendo ulterioris gratia expurgationis; quo demum in proplaſmata infuſo, poſſunt concinnari pateræ aut ſcyphi, cognomento Chimici; Vel, ſi libet, Pilulæ, Perpetuæ dictæ, quarum unica robuſtis admodum deglutienda porrigitur, expurgandi cauſa, pro humorum inclinatione, Vomitum aliquando moventis; ſed ſemper per inferiora exitum molientis; Pilula demum inter excreta reperta abluenda & ad alios uſus aſſervanda; toties in eoſdem uſus ingerenda quoties occurrent quibus faſtidium non inductura eſt: Pateras quod attinet, una vino Hiſpanico, alióve liquore complenda, diſcooperienda, ac à veſpertinis hores ad matutinas infuſione facta, liquor propinandus robuſta corporis conſtitutione præditis, qui purgatione ſuſque déque inſtituenda opus habent; *Hæ* Pateræ, aut Scyphi, vim emeticam & catharticam in novos liquores transfundere poſſunt, quo-

ties.

ties libuerit, ne minimo ponderis obſervato decremento, neque in ſubſtantia ulla manifeſta immutatione.

Vſitatum non eſt Regulum Antimonij ſeorſum Pulveris forma exhibere, cum ſatis ſit ex illo Calices aut Pilulas conflaſſe, ſed metallis ſæpe numero remiſcetur, aliiſve ſubſtantiis mineralibus, ad plurimas præparationes Chimicas, quarum plurimas tradidi, nonnulla præterea exempla adducturus, dimiſſa conſideratione uſuum ad Metallica vaſa, aliave inſtrumenta, diverſimode in vita civili utilia conficienda.

In pulverem comminui poſſunt Scoriæ Reguli, quibus, præmiſſa elixatione in non mediocri aquæ copia, ac filtratione decocti, affundendum Acetum diſtillatum, unde ſequitur præcipitatio ſubſtantiæ flavæ, cui nomen inditum *Sulphuris aurati Antimonij*, cui nonnulli vim ſolum diaphoreticum adſignant, etiamſi præſertim per vomitum & dejectiones opus edat.

Præcipitatum hoc poſtmodum dulcorandum eſt beneficio iteratarum ablutionum, exſiccandum, exhibendum à tribus aut quatuor ad quinque aut ſex grana, cuipiam alteri rei commixtum actioni illius conſentaneæ: At vero minus creber eſt illius uſus; flavæ autem maculæ diu in manibus illorum qui id paravere ſuperſtites labori illi ſuperſedendum ſuadent.

CAPUT LXXVII.

De Regula Martiali.

Miſtura ſubſtantiæ puræ Martis cum Regulo Antimonij, huic Regulo Martialis cognomen indidit, cujus hæc eſſe debet præparatio.

Incandeſcat ad ignem Carbonum luculentum capax Crucibulum, probatum, operculo inſtructum, pedamento ſuppoſito, medio in foco Fornacis Anemiæ, In id proiiciatur ſemilibra extremitatum clavorum ſolearum equinarum, repoſito operculo crucibuli, aucto & producto igne, donec extremitates acuminatæ clavorum ad albedinem incanduerint; ſuperiniiciatur his libra una pulveris Antimonij, quod cito liqueſcens metallum id etiam ad fuſionem deducet, ſi Crucibulum diſcoopertum, ignem ſi intenderis; Cum materiæ penitus fuſæ fuerint, repetitis vicibus illi ſuperiniiciantur tres quatuorve unciæ Nitri pulveriſati, tum ad ſegregationem ſcoriarum ferri, & Antimonij tum vt fuſæ materiæ pellucidiores fiant: Poſtea materiæ fuſæ in connm ferreum idoneum, excalefactum, intus pingui aliquo nunctum infundendæ, conum illico

concutiendo ad promovendum Reguli in imum deſcenſum; Cunctis vero probe refrigeratis, inverſo Cono fuſorio, reperietur Regulus ſcoriis involutus, a quibus liberandus malles aliquot ictibus conum feriendo; Regulo poſtmodum rite abluto, ac iterum fuſioni in crucibulo expoſito, ſuperinjiciendæ vnciæ tres Antimonij pulveriſati, ignem impellendo quouſque omnia probe colliqueſcant; demum additis paulatim & per vices duabus aut tribus vnciis Nitri pulveriſati, ſeparandarum iterum cauſa quarundam ſcoriarum, ac accelerandæ, pellucidiorique reddendæ fuſioni materiæ, infundenda erit in conum ferreum calefactum & pingui aliquo illitum; eodem proceſſu quo ante obſervato, Eoque pacto comparare ſibi licebit Regulum Martialem, elegantem & ſtellatum, dummodo accurata fuerit Operatio, materiæ autem penitus fuſæ, cum in Conum infuſæ ſunt, alias ſi fuſio imperfecta, huic iterum tradendus eſſet Regulus, rurſuſque addendæ Nitri vnciæ duæ vel tres ad alteriorem expurgationem.

Antimonium ad hanc præparationem vſurpatum, quantitatis reſpectu, multo plus exhibet Reguli quam in priore; Nec enim ſolum Mars prohibet diſſolutionem, alias futuram, plurimarum particularum Antimonij, ſed etiam illius auget copiam, puriſſimas ſui partes infuſione illi adjungendo: Præterea Nitrum tam inſignem diſſipationem inducere nequit ac in præcedenti Regulo, quia ſerius ad huius præparationem adhiberi ſolet, ac paulatim tantum admiſcetur, minorique quantitate, etiamſi profuſior eſſet additio, Martem tandem omnino conſumpturum eſſet, imo Antimonio alienas qualitates inducturum, diaphoreticam vim ideo adepturum.

Conciunare licet calices & globulos ex hoc Regulo, uti & ex præcedaneo; nec diſſimiles vniuſque ſunt effectus, ſed minoris vehementiæ, ratione coniunctionis Martis cum Regulo Antimonij quod tandem omnino Martem in ſcorias faceſſere juberet, ſi diutius in igne vna continerentur. Nonnulli Regulum citra Salium additamentum conficiunt, modo qui ſequitur.

Craſſius contundunt Antimonium, hoc Crucibulo inditum, ac pulveriſatis carbonibus coopertum, ad altitudinem quatuor aut quinque digitorum, igni fuſionis exponunt per ſemihoram; demum materiis refrigeratis, obvium habent Regulum in fundo à ſcoriis ſeparatum; quas poſtmodum altero crucibulo excipiunt; ex iis pulvere carbonum coopertis, igni fuſionis per horæ quadrantem traditis, rurſus Regulum eliciunt: Imo tertia vice ſcorias alteri crucibulo immittunt, impoſito alio carbonum pulvere, ad tertij Reguli ſeparationem, Eoque pacto ex libra vna Antimonij Reguli tres circiter quadrantes obtinent.

Etiamſi prædicta ratione perfici queat illa Operatio, Regulus tamen ſic præparatus admodum adhuc impurus perſtat, ſuperſtites adhuc obtinens plurimas, Antimonij craſſiores partes: Neque enim candore, elegantia, aut nitore Reguli rite præparati donatus eſt, ideoque pro Antimonio uſitato paulo puriori habendus.

CAPUT LXXVIII.

De Floribus Antimonij.

PLurima adhiberi ſolent inſtrumenta, ac non una ratio ad Præparationem Florum Antimonii obſervari ſolet; Eapropter enim Aludella ordinaria in uſum advocari poſſunt, ſuperimpoſitis ollis ſumma & ima parte perforatis, ſuperiori earum parte ſumma foramine admodum exiguo donato; collocatóque Aludello ſupra Fornacem idoneam, cujus fundum ab igne propemedum incandeſcat, paulatim in Aludelli capacitatem, per foramen Antimonium pulveriſatum projiciendum eſt, donec flores ſufficienti copia exurgant.

Licet necnon, juxta Zvelferi mentem, uſurpare Aludel fere globiforme, duobus tubis donatum, ex uno quoque latere ad ſui medium; parte inferiori quam ſupera paulo magis declivi: Injecto autem in id pauco Antimonio pulveriſato, impoſito Aludel Fornaci idoneæ, ſubditóque Aludel igne ſat valido ad fuſionem Antimonij, obiter adaptandum erit alteri tuborum Aludel Recipiens, foramine parvo in parte ſui poſtica pertuſum: Cum porro vapores intra Receptaculum conſpicui fuerint, leniter ope exiguorum follium inſufflandum erit in tubum, illi oppoſitum cui admotum Receptaculum, quo vapores in Receptaculum impulſi in Flores condenſari poſſint.

Porro cum Antimonium citra aliquod additamentum Flores ægrè emittat, niſi accuratiſſimum acceſſerit ignis regimen, & Pulvis legitime projectus fuerit, multo felicior eſt ſucceſſus ſi Antimonio materiæ extraneæ remiſtæ fuerint, tum ad diviſionem illius particularum, ac prohibendam in Aludel fuſionem; tum ad ſuſcitandas ac pellendas in Flores particulas ad hos diſpoſitas, quamobrem prius Aludel poſteriori multo commodius eſt.

Commiſcere licet Antimonium duplicat arenæ aut vitri pulveriſati ponderi, poſtquam vero impoſitum fuerit Aludel Fornaci idoneæ, coopertum vero Ollis, illi officio deſtinatis, luto obductis, ſibi invicem

commiſſis & ſuperimpoſitis, infima pars Aludel ad incandeſcentiam excalefacienda, ſemiunciam circiter Pulveris per foramen illius projiciendo, ſingula quaque vice, eodem momento id obturando, luculentum ſemper ignem, Aludel ſubditum fovendo, pergendo in Pulveris projectione donec omnino abſumptus fuerit.

Commode & commiſcetur. Antimonio pulveriſato, dimiſſâ arena aut vitri pulvere, triplum Nitri itidem pulveriſati pondus, protectione facta pulveris in portiones diviſi exiguas, in Aludel, & detonatione, ſuperimpoſitis illi duabus aut tribus Ollis, ſumma autem cooperta Alembico vitreo, minime loricato, Recipiente inſtructo; quo pacto pars Antimonii maxime volatilis ſurſum evehitur in Flores, obvios poſtmodum intra ollarum aut Alembici capacitatem, cum vaſa refrixerunt & decruſtata fuerunt.

Eodem quoque tempore in Recipiente occurrit Nitri ſpiritus admodum acidus, in fundo autem Aludel Antimonii pars maxime fixa, commixta parti Salinæ fixi Nitri.

Flores crebris ablutionibus dulcorandi erunt, demum exſiccandi & ſervandi; exhibendi à tribus aut quatuor ad quinque aut ſex grana, ex conſerva aliqua aut condito, ſi generoſa purgatio per ſuperiora ſimul inſtituenda fuerit vitioſorum humorum febres Intermittentes patientium, in affectibus hypochondriacis aliiſve ejuſmodi pertinacibus.

Spiritus in Receptaculo contentus commodiſſime in uſum venit adverſus Colicos dolores ac urinæ difficultates, præbendus à quinque aut ſex, ad duodecim aut quindecim guttas, vel ad gratum in luſculo acorem, aliiſve liquoribus convenientibus illum excipientibus.

Partem Antimonij in fundo Aludel reſiduam quod attinet, cum merum ſit Antimonium Diaphoreticum, id extricandum erit à parte Nitri Salina, in uſum accerſendo eadem ratione qna Antimonium diaphoreticum vulgare, de quo capite ſequenti verba facturus ſum.

Commodiſſime remiſceri poteſt ſemi libra Antimonij pulveriſati libræ uni Salis Ammoniaci, illa ſimul projiciendo in Cucurbitam fictilem quæ ignis vim ferre valeat, demum impoſita Cucurbita Fornaci idoneæ, eâque Alembico vitreo cooperta, ſublimatio Florum igne gradatim adhibito perficienda erit: Vaſis autem refrigeratis, colligendi Flores rubri in Alembicum evecti, crebro iteratis ablutionibus dulcorandi, exſiccandi, & ad eoſdem uſus qui præcedentes ſervandi.

Antimonij Vitra, Croci, & Reguli uſurpari poſſunt ad Florum præparationem, eadem proceſſus ratione qua Antimonium crudum.

Coloris autem diverſitas ſæpenumero Floribus Antimonij adveniens

niens,in diverſis vel una eadémque ſublimatione,cum nullam facultati emeticæ & dejectoriæ immutationem inferat, ſine diſcrimine uſurpari poſſunt Flores rubri ac flavi, non ſecus ac albi, dummodo ſæpenumero eloti fuerint ex dulcificati.

Nonnunquam unum vel alterum horum Florum granum aliis purgantibus remiſcetur, vel Mercurio dulci, quibuſdam in caſibus; tunc enim cum aculei vice fungantur erga remediæ quibus cum remiſcentur, illorum actioni obſequuntur per inferiora ſolum purgando.

Mercurius dulcis præſtantiſſimum etiamnum eſt Florum Antimonium correctivum.

Prætermitto horum Florum correctionem beneficio Salis Tartari, optime imprægnati Acido ſpiritus Aceti, ac affuſionis ſpiritus Vini aromatum vi imbuti, aut ſpiritus Vini melliti, vel per alios procedendi modos apud authores proſtantes; neque enim huc inferendi ulla inſtat neceſſitas, quandoquidem extemporanea correctione actionis horum Florum id perfici poteſt aliis remediis illos commiſcendo.

CAPUT LXXIX.

De Antimonio Diaphoretico.

Conſenſus eſt Authorum plurimorum ad hanc præparationem perficiendam tres Nitri partes ad unam Antimonij requiri: Porro nonnulli Nitram ſimul ac ſemel injiciendum cum Antimonio præcipiunt; alij duas ſolummodo partes admiſcent, quidam unica ſunt contenti; ſucceſſive reliquas partes maſſæ adjiciendo; imo nonnulli portionem aliquam Tartari admiſcent.

At vero etiamſi quarumvis harum præparationum ſucceſſus diſſimilis non ſit, dummodo tripla proportio Nitri ad Antimonium adfuerit, quoad cætera rectus fuerit proceſſus,perinde futurum videatur, ſatius tamen duco ſi ab initio tertia tantum Nitri pars cum toto Antimonio commixta fuerit: Si enim totum Nitrum una vice conjectum fuerit, cum detonatio nimia violentia peragatur, multo amplior partium Antimonij diſſipatio contingit, quinimo & partium Nitri volatilium, quibus conceſſum non fuit tempus ad ſufficienter communicandam vim fixatoriam parti Antimonij in Crucibulo ſupeiſtiti: At vero ſi æquale tantum pondus Nitri & Antimonij injectum fuerit, cum detonatio ſat vehemens ſit ad ſulphur Antimonij craſſius abſtrahendum, nihilominus tamen nulla imminet partium minus volatilium diſſipatio: Sed

porro prædictis Antimonii partibus adjiciendo Nitri partem reſiduam; nulla vero ſubſequente detonatione, quandoquidem ſulphur Antimonii impurum abſumptum eſt, partibus ſpirituoſis & fixis Nitri ſufficiens conceditur tempus efficaciæ ſuæ in Nitrum exſerendæ, ac permutandis illius qualitatibus vomitoriæ & purgatrici in diaphoreticam, quæ facultas huic minerali quaſi indivulſa cohæret.

Electi ergo Antimonii libra una conterenda in pulverem, atque commiſcenda libri uni Nitri rite depurati; Pulvis concludatur chartaceis cucullis, quorum vnuſquiſque unciæ unius circiter ſit capax; Demum probato & capaci Crucibulo, operculo ſuo inſtructo, ſubdito pedamento, medio in foco Fornacis Anemiæ collocato; accenſo in ambitu luculento carbonum igne, ſumméque candefacto crucibulo, in hoc projiciatur unus cucullorum, crucibulo illico injecto operculo; pulveris detonationem expectando: Poſtmodum pergendum in ſucceſſiva cucullorum projectione, detonatione etiam conceſſa, donec projectio omnium abſoluta ſit, luculentum ſemper fovendo ignem ad continuam materierum fuſionem. Demum addendum erit paulatim, repetitiſque vicibus, reliquum Nitrum, maſſæ commiſcendum & concorporandum, illam prælonga ſpathula ferrea commovendo, eundem ignis tenorem præterea fovendo ſpatio duarum aut trium horarum, vel donec Antimonium & Nitrum fluiditate ſua omnino orbata ſint, ac in crucibulo in maſſa mcandidam & ſolidam abierint.

Poſtmodum ſponte frigefractis materiis, remotiſque quibuſvis ſordibus, crucibulum intus vel extra inquinantibus, eo ictu mallei in tria quatuorve fruſta effracto, hiſque in capacem pelvim ſtanneam projectis affundenda erit aqua fervens, quouſque penitus ab hac cooperiantur, maceratione in illa conceſſa donec maſſa à crucibulo abſceſſerit at ex parte diluta fuerit, ſeparationem coadjuvando admoto cultro, vel quopiam alio inſtrumento idoneo; Demum accurate ſecretis, & abjectis Crucibuli fragmentis, materiis probe ſubſidentibus, decantandus erit, & ſeorſum aſſervandus liquor ſupernatans; Deinceps Calcem Antimonij capaci mortario marmoreo excipiendo, illicque piſtillo ligneo conterendo: Demum ſuperaffuſis aliquot libris aquæ limpidæ, cunctis rite commotis, citiſſime decantandus erit in pelvim fictilem mundam Liquor turbidus, pergendo in trituratione, ac poſtea diſſolutione calcis Antimonij in aqua recenti, ac adfuſione Liquoris turbidi in pelvim, donec calx iſta omnino in liquore diſſoluta ſit, in fundo autem mortarii nihil præter partes terreſtres deprehendantur.

Calx iſta poſtmodum pluries adfuſa aqua abluenda erit, donec perfectiſſime

fectiſſime dulcificata fit: hæc autem probe exſiccata poterit iterum crucibulo immitti, ac ſpatio unius vel alterius horæ in igne detineri; demum accenſo optimo vini ſpiritu, illi ſuper affuſo, in olla adſervari, aut lagena vitrea denſa accurate obſerata, ad uſus.

Prior Liquor ſeorſum reconditus inutilis futurus non eſt, quippe qui non exiguam Nitri portionem obtinet, ac plurimas particulas calcis Antimonii ab eodem Nitro diſſolutas: Evaporatio enim illius excitari poteſt ad pelliculam uſque, ac exinde elicere licet Cryſtalla Nitri, particulis Antimonii imprægnata, vel affuſo Aceti ſpiritu huic Liquori, præcipitatio fieri magiſterii candidiſſimi ac ſubtiliſſimi; quod cum ex una eademque maſſa prodierit, iiſdem quoque viribus præditum eſt, eadem ratione in uſum id accerſendo ad Calcem Antimonii, præmiſſa ablutione & exſiccatione.

Candor Calcis Antimonii anſam dedit illi Ceruſæ nomen imponendi, ſed vulgatius eſt & acceptius vocabulum Antimonii Diaphoretici, aut Diaphoretici mineralis: Eapropter videlicet quod corroborata Natura, hanc impellit ad expulſionem pravorum humorum per quaſcunque vias, ac potiſſimum per ſudores vel inſenſibilem tranſpirationem.

Nec parum convenit obtundendis aculeis, aut mortificandis Salibus corrodendi vi præditis, ac præſertim Acidis, prohibendæque humorum fermentationi, quorum præterea arcet putredinem: Maſſam etiam ſanguineam expurgat; in affectibus autem ſcorbuticis præſentiſſimum auxilium præbet ſi productior fuerit illius uſus.

Etiamſi vero adſtrictoria vi præditum videatur, tam ratione ipſius ſubſtantiæ, terreſtreitatem præ ſe ferentis, quam quod deſtitutum ſit facultate per ſuperiora vacuante, commodiſſime tamen commiſcetur remediis catharticis & aperitiva vi donatis, obſequendo quippe illorum actioni, prohibet alienas & pravas qualitates partibus ab illis imminentes: quo fit, ut non raro in uſum accerſatur, commiſcendum remediis reſerandis viſcerum & uteri obſtructionibus deſtinatis.

Eximium quoque perhibetur adverſus Febrium malignitatem, ſpeciatim ad Variolas & Morbillos, aut Rubiolas quaſcunque, imo & ad curationem affectuum Venereorum, id remiſcendo quibuſcunque remediis illis adpropriatis, tum purgantibus tum diaphoreticis.

Convenit necnon cuicunque ætati & ſexui, à quinque aut ſex, ad viginti & triginta grana, ſicuti & magiſterium à me memoratum, ſolitaria aut aliis remediis commiſta.

Cryſtalla ex prima lotione Antimonii Diaphoretici deducta, poſſunt diſſolvi in liquoribus idoneis: ac præſcribi à quinque aut ſex ad quindecim uſque & viginti grana, ad eoſdem affectus in quibus commendatur Antimonium Diaphoreticum.

Ad iſtiuſmodi præparationem admitti poſſunt Vitra, Croci, Reguli & Flores, prætermiſſo Antimonio vulgari; quæ diaphoretica vi donari poſſunt figendo illorum qualitates vomitoriam & dejectoriam, addendo tertium tantum pondus Nitri puriſſimi: in cæteris eadem methodo progrediendo ac ad Antimonium Diaphoreticum.

CAPVT LXXX.

De Liquore Glaciali Antimonij.

PRæparationis iſtius gratia vulgo uſurpantur partes æquales Antimonij electi & Sublimati Corroſivi, quæ contrita, & ſimul Retorta vitrea, luto probe obducta, excepta, collo latiuſculo donata, hæc Furno Reverberatorio clauſo, ejus magnitudini proportione reſpondente imponitur; demum accenſo exiguo carbonum igne in foco fornacis, ac obiter admoto Excipulo roſtro Retortæ, Diſtillatio ſuſcipitur igne leniſſimo, ac paulo poſt in Receptaculum ſtillare conſpicitur guttatim Liquor candidiſſimus & limpidus, etſi admodum gravis, qui inibi illico concreſcit glaciei ſpeciem exhibens.

Ignis intendendus non eſt, niſi poſtquam univerſus hic liquor glacialis exſtillarit; ſin forte contingeret ut Liquoris quædam portio intra Retortæ collum concreſceret, fundenda illa eſſet, ac illius diſtillatio in Receptaculum promovenda, leniter admoto carbone accenſo loco in quo concretio contigit.

Cum vero nigricans quid in collo Retortæ adparuerit, vel Receptaculi, obiter adaptandum erit aliud Receptaculum roſtro Retortæ, dehinc ignem adaugendo, qui paulatim intendendus erit, ac per gradus, donec producatur per aliquod tempus ad ſummam vehementiam, ſeparandarum gratia materierum in Retorta reſiduarum Mercurij in Sublimato deliteſcenſis, huncque ſurſum evehendi una cum proprio Sulphure Antimonij, ac omnia fere in collo Retortæ Cinnabaris forma cohibendi, tantillum autem diſtillatione eliciendi in Receptaculum Mercurij currentis ſpecie, commixti particulis quibuſdam fuliginoſis Antimonij.

Vaſis frigefactis in fundo Retortæ occurret Maſſa dura, lucida, ad

Antimo-

Antimonij formam, pro iſta operatione uſurpati, accedens; eodémque tempore in ſumma parte & intra Collum Retortæ, Mercurius occultus, Sublimatio conjunctus Sulphuri terreſtri Antimonij, ac una cum illo in Cinnabarin concorporatus.

Obvium necnon erit in poſtremo Receptaculo tantillum Mercurij reſurgentis, commixti cuidam Antimonij fuligini, In primo autem Liquor glacialis, qui Rectificatione opus non habebit ſi debitum ignis regimen adfuerit, ac novum Recipiens mature ſubſtitutum.

Sin dictus Liquor obſcurum quid admixtum præ ſe ferret, is liquefaciendus eſſet, Receptaculum paulatim calefaciendiendo, illumque exigua Retorta exceptum, Balneo Arenæ igne mitiſſimo rectificando, adeo ut vice illius quod Retorta continebat obſcuri coloris, conſequi liceat Liquorem candidiſſimum & puriſſimum, quem vocant Liquorem Gummeum, Butyrum aut Oleum glaciale Antimonij.

Hujus præparationis ergo uſurpare licet Regulum uſitatum Antimonij, aut Regulum Martialem, ac illi adjungere duplum pondus Sublimati Corroſivi, in cæteris eodem modo procedendo ac pro diſtillatione præcedenti, eáque ratione conſequi datum eſt Liquorem propemodum ſimilem, imo, nonnullorum judicio, præſtantiorum, ob Reguli puritatem è quo eductus fuerat.

At diſcrimen non admodum inſigne eſt, quandoquidem Salia acida, Mercurio corroſivo inexiſtentia, præcipuè tantum efficaciam ſuam exſerunt in partem Regulinam Antimonij, ac proinde Liquor inde exſtillans ab hoc non multum diſſimilis eſſe debet: Adeo ut non immerito prior præparatio amplectenda videatur, adde quod Regulus multo majoris ſit pretij quam Antimonium vulgare; Duplicatum adeſſe debet pondus ſublimati corroſivi, ac tandem poſtmodum nulla expectanda Cinnabaris, quam elicere licet Antimonium crudum admittendo.

De Antimonio aſſerere licet, ex cenſu mineralium id eſſe, quod plurimas præparationes Chymiæ exhibet, ſed & id quoque aſſerere licet diſtillationem Butyri Antimonij, cum originem præbeat ingenti præparationem numero, ſingulari omnino animadverſione dignum eſſe, ideóque diſquirendas eſſe rationes immutationum omnium quibus obnoxia eſt ſubſtantia Antimonij.

Ac primo quidem hoc compertum ſit; partes acidas Vitrioli & Salis Marini, partem compoſitionis Sublimati corroſivi conſtituentes, pro diſſolventibus & fundentibus partem Regulinam Antimonij habendas eſſe, ac illi in diſtillatione conjunctas reperiri; Illud quoque latere non debet Mercurium ab hujuſmodi diſſolutione in partes nequaquam

venire, quandoquidem obtinere licet Liquorem Glacialem Antimonij, commiſcendo ac diſtillando hoc minerale ex Retorta cum æquali pondere Vitrioli ad albedinem calcinati, ac tantundem Salis decrepitati in pulverem contritorum: ſimilem præterea omnino liquorem conſequi datum eſt, extrahendo ſpiritum ex partibus æqualibus Salis decrepitati & Vitrioli ad albedinem calcinati, ac commiſcendo iſtius ſpiritus libras duas ſeſquilibræ Antimonij pulveriſati, & Balneo Arenæ ex Retorta diſtillando: Imo præterea idem fieri poſſe conſtat conjungendo partes æquales Aquæ Fortis vulgaris uni parti Antimonii pulveriſati eadem ratione in diſtillatione procedendo, nulla acceſſione facta ſublimati Corroſivi, uti neque ullius Mercurii ad has diſtillationes.

Secundo id ratum eſſe debet, etiamſi Mercurii Vitæ nomen impoſitum fuerit Pulveri ex Liquore iſto Glaciali educto, præcipitatione illius præmiſſa, ablutione & exſiccatione, non tamen Mercurium, qui maximam partem Sublimati Corroſivi conſtituit, æquis portionibus Antimonio commixtum, diſtillandi iſtius Liquoris gratia, baſin conſtituendum eſſe, uti neque tanquam partem habendum eſſe, ſi modo debitum adfuerit ignis regimen diſtillationis tempore, ac nimiopere ignem urgendo procuratus non fuerit Mercurii, illum reſuſcitando, deſcenſus in Receptaculum: At vero ſi accuratus fuerit proceſſus, procul omni dubio Liquor nullam aliam agnoſcit materiam quam partes Acidas Vitrioli & Salis Marini cum Regulina Antimonij, à partibus acidis iſtorum Salium diſſoluta; Id quod non una ratione confirmari poteſt, ſive ſubſtantiam Antimonialem in Liquore deliteſcentem in verum Regulum deducendo, ſive ex maſſa in Retorta ſuperſtite extrahendo univerſum Mercurium ex Sublimato Corroſivo, in Cinnabrium converſum, aut reſuſcitatum; ſive in aqua diſſolutione facta partis acidæ Vitrioli & Salis marini, in hoc liquore contentæ, ac ſeparatione ſubſtantiæ Antimonialis.

Tertio perpendendum eſt ignis calorem, ad hanc diſtillationem edhibiri, cum in ſublimato quandam fuſionis ſpeciem excitet, ideóque Mercurio occaſionem præbeat ut priſtinam formam readſumat, ac levi negotio in liquorem deducat Salium partem acidam, confuſe Mercurij particulis remixtam, quarum diviſionem Sublimationis tempore induxerat, Eundem Liquorem, cum ſubſtantiam Regulinam Antimonij accommodatiorem nanciſcatur admittendæ aculeorum ſuorum penetrationi, illi cohærere, illius partes diducere, quæ Calcinatio Immerſivæ nomine donari poteſt; demum impellente ulterius igne, liquoris forma ex Retorta per roſtrum prodire, una cum ſubſtantia ab ipſa diſſoluta & calcinata, guttatim ſimul in Receptaculum exſtillando, reſtibili in Retorta Mercurio una cum Antimonij parte craſſiore.

Cum

Cum porro Sulphur naturale, terreſtre & inflammabile Antimonij tunc in Reto rta vna cum cæteris partibus craſſioribus occurrat, eandem vero proclivitatẽ obtineat ad conjunctionem cum Mercurio (obſervanda in Sulphure communi ſi quando præparanda ſit Cinnabaris vulgaris) eodem tempore cito illius poros ſubit; atque id amplectitur, adeo vt vna ab igne valido impulſa, dum abſcedunt a cæteris partibus craſſioribus Antimonij, vna ſublimentur, ac demum perfecta diſtillatione in Cinnabarin concorporata occurrant, Neque tamen id prohibet quin Mercurij fluidi tantillum in Recipiente occurrat, quandoquidem ſufficiens non adfuit quantitas Sulphuris Antimonij ad ipſum cohibendum.

Eapropter etiam Cinnabarin obtinere nemo ſperaverit ſiadhibitus fuerit Regulus, aut Vitrum Antimonij ad extractionem Liquoris Glacialis, eo enim tempore cum omnino ſpoliata ſint ſulphure ſuo terreſtri, Mercurius autem nullam obviam habeat ſubſtantiam idoneam quam amplectatur, impellente igne ex Retorta exitum moliri cogitur, eadem forma quam ante ſublimationem obtinuerat.

Cinnabaris Antimonij color maioris eſt fuſcedinis quam Cinnabaris vulgaris, ratione quarundam particularum fuliginoſarum Antimonij, quæ ſublimantur, ac cum Sulphure ejus terreſtri ac Mercurio coeunt & concorporantur, vnaque collo Retortæ adhæreſcunt.

Sin elegãtiorẽ quis deſideraverit, ad votũ res ſuccedet id conterendo ac cõmiſcẽdo ſuboctuplæ parti põderis ſulphuris pulveriſati, ac vna ſublimãdo Matratio indita, Balneo arenæ, igne gradatim adhibito, Eo enim pacto particulæ fuliginoſæ Antimonij, fuſcedinem Cinnabari inducentes, in fundo cum ſubſideant, ſublimatum exſurget intenſioris rubedinis & magis nitentis quam quæ Cinnabari inerat ante hanc rectificationem.

Cinnabaris Antimonij non modo admodum efficax eſt ad curationem affectuum Venereorum, ſed etiam a præſtantiſſimis ſcriptoribus perhibetur remedium ſingulare adverſus Epilepſiam, id exhibendo a decem aut duodecim ad quindecim aut viginti vſque grana; Boli forma, aliis remediis Cephalicis commixtum.

Liquorem Glacialem quod attinet, cum vis cauſtica admodum inſignis illi inſit, eo in ſtatu ad vſus tãtummodo externos accerſitur, tam inurendarum gratia corporis partium quæ cauſtico opus habent, ac abſumendæ emendandæ oſſium Cariei, quam ſiſtendi Gangrænæ progreſſus,

At cum vehementia illius effectuum ſumma cautione indigeat, ex mãdato Domini D'Acquin, primarii Regiæ Majeſtatis Medici publici iuris facio modum quo Dom. Pelegrinus, Medius Romanenſis in Delphinatu, feliciſſimo ſucceſſu Liquorem hunc variis in caſibus adhibet, plurimis experimentis confirmatum quorum, nec non oculatus ſum teſtis.

CAPUT LXXXI.

Quibus modis Dom. Pelegrinus Medicus, in vſum adhibet liquorem Glacialem. Antimonij, Et qui effectus ex hoc expectandi.

COmmiſceantur Liquoris Glacialis Antimonij vncia vna, vnciis duabus Olei Sulphuris per çampanam diſtillati, & ſeorſim recondantur in lagena.

Necnon miſcendæ in patina fictili intus vitreata uncia una Liquoris Glacialis Antimonij, & unciæ duæ Sublimati corroſivi pulveriſati, illa ſpathula lignea commovendo; hæc cum per decem aut duodecim horas ſic perſtiterint, humiditas ſuperflua calore mitiſſimo erit evaporanda ad ſiccitatem uſque Pulveris, in lagena vitrea denſa rite obturata adſervanda.

Gangrænæ Curatio.

Ad coercendum Gangrænæ progreſſum in ſui initio, primo ſcarificanda eſt pars Gangræna obſeſſa ad vivum uſque, demum admovendus eſt liquor, aut pulvis inter carnem vivam & mortuam, plus aut minus adplicando, pro conditione affectus maioris aut minoris: illic detinendo ſpatio decem aut duodecim horarum: Sin dolorum vehementia nimiopere urgeret, antequam id ſpatium temporis elapſum eſſet, adhibere conducit unguentum ſuppuratorium & anodynum, inferius deſcribendum, pergendo in uſu bis indie, tam ad ſeparationem eſchare a carne viva, quam ad carnis & cicatricis generationem in vulnere ſuperſtitu, quamobrem tandem admovendi erunt pulvilli ex linteo diſcerpto parati, ſuperimpoſito cerato ex Emplaſtro Palmeo, Ceruſæ & Minij, diſſoluti in Oleo roſaceo.

Præparandi cauſa Vnguenti Suppurativi & Anodyni.

℞. *Oleorum Roſacei,*
Liliorum &
Florum Sambuci a. vnc. ij.
Sevi vervecini,
Vitulini a. lib. ſem.
Myrrhæ
Olibani pulverat. a. vnc. j. ſem.
Picis nigræ lib. j.
Terebinth. Limpidæ lib. ſem.
Cera flavæ vnc. vj.
Olei ſtillat. Roſmarini
Lavendulæ aa. vnc. ij.

Miſce fiat Vnguentum. ſ. a.

Vlcera

Vlcera cum Oſsis carie.

Ad Curationem Vlcerum Cariem offibus inducentium, illorum labia illinantur Liquore ſupra deſcripto, imo guttæ aliquot inſtillentur in os carie infectum in fundum vlceris, magis aut minus infundendo pro magnitudine aut parvitate cariei; poſtmodum cooperiendum erit vlcus plumaceolis admotis ac linteo albo & ſicco, ſic dimittendo per decem aut duodecim horas. Poſtmodum remotis his plumaceolis, alij imponendi erunt unguento ſuppuratorio & anodyno delibuti, offibus vero admoveantur ſolum plumaceoli ſicci: Quando eſchara a carne viva abſceſſerit, deraſo oſſe inſtrumento idoneo, ac rite ſeparatis cunctis ſquamis, vniverſum vlcus implendum erit plumaceolis ſiccis & calefactis, bis in die innovando, ſuperimponendo Emplaſtrum Divinum oleo Terebinthinæ emollitum, pergendo ad abſolutam vſque curationem.

Fiſtularum Curatio.

Ad Fiſtularum extirpationem, Inſerenda eſt in canalem Fiſtulæ turunda prædicto Liquore imbuta; Si turundæ denegatus fuerit introitus, Guttula una dicti liquoris per extremum ſtylum exploratorium infundenda, poſtea partem ſplenio appoſito cooperiendo, tota die ſic dimittatur; Deinceps retrahenda turunda, Fiſtulæ bis in die vnguentum anodynum admovendo, donec carne veſtita perfecte fuerit, ſub finem admovendo Ceratum deficcativum.

Cancri incipientis Curatio.

Ad curationem Cancri inchoantis, decuſſatim fiat ſectio ad fundum vſque duritiei, eodem tempore inſtillando quatuor aut quinque guttas dicti Liquoris, dənnm cooperiendus Cancer plumaceolis & ſpleniis ſiccis; Ægrum in lecto per horas viginti quatuor detinendo, nil præter iuſcula pro alimento illi exhibendo: Poſtmodum removendi priores plumaceoli, aliique Vnguento anodyno illiti ſubſtituendi, bis in die vulneri manum admovendo, idemque vnguentum adhibendo; pergendo donec eſchara decidua vulnus carne repletum occurrat, exſiccandum Emplaſtri Deſiccativi beneficio.

Cancri Vlcerati Curatio.

Si Cancer vlceratus fuerit, ſola labia livida & dura ſcarificanda ſunt, parti ſcarificationem paſſæ guttas aliqua Liquoris infundendo, extirpandæ gratia duritiei; Liquor hic iterum inſtillandus ſi prima vice ſatis eius immiſſum non fuerit.

Lupiarum Curatio.

Ad Curationem Lupiarum eodem modo erit procedendum.

Verrucæ, Criſtæ, Fungi, Excreſcentiæ carneæ.

Ad extirpationem Verrucarum, Criſtarum, Fungorũ, aliarumque Excreſcentiarum præter naturalium, funiculus ſericeus Liquori immergendus, ac ſtringenda Excreſcentia, ſi licet; ſic dimittendo per horas duodecim, vel donec excreſcentia ſponte excidat, Demum admovendum Ceratum exſiccativum; Si ſtringi nequeant Excreſcentiæ, contingendæ ſunt extremo ſtilo exploratorio, liquori immerſo, ſuperaſpergendo tantillum Pulveris, ſplenijs ſiccis partem cooperiendo, bis in die renovandis donec Excreſcentia excidat, ſuperimpoſito Cerato deſiccativo: Si tamen dolor intolerabilis evaderet, medendũ eſſet admotione Vnguenti Anodyni, qui vbi deſierint, ſoli vnguento Deſiccativo locus erit.

Vlcera Venerea Cancroſa.

Ad citam curationem Vlcerum Venereorum Cancroſorum, ſaliva madefacienda eſt extremitas ſtyli exploratorii, impoſitoque tantillo Pulvere, contingenda ſunt Vlcera Cancroſa, aut Carcinomata: etiamſi comitem haberent cariem oſſium, Demum vitium plumaceolis ſiccis cooperiendum, per diem integrum ſinendis.

Sin doloris æger foret impatiens, removendi eſſent plumaceoli ſicci aliique ſubſtituendi Vnguento Anodyno delibuti: Poſtmodum æger bis in die tractandus, pergendo in vſu ejuſdem Vnguenti quouſque eſchara excidat, poſtea ſolis plumaceolis ſiccis locus erit, pulvillis ſuperimpoſitis.

Si phlegmone partem invaderet, admovendum eſſet Ceratum Galeni, Nec tamen iſtius remedii vſus prohibet, ſi illorum neceſſitas inciderit, vniverſalia, mali cauſam abſcindere idonea.

CAPUT LXXXII.

De Pulvere Emetico, De ſpiritu Vitrioli Philoſophico, Et Bezoartico minerali.

Ex diſceſſu ſpiritus Nitri poſtquam ab ipſo diſſolutum fuit Argentum; Ex illius diſpoſitione ad tunc diſſolvendum Cuprum; Ex nova iterum diſpoſitione ad deſerendum Cuprum a ſe diſſolutum pro Ferri diſſolutione, Illa iterum quæ ſuperſtes eſt ad Ferrum dimittendum, pro diſſolvendo lapide calaminari, ſeu cadmia; Ex præcipitatione ſubſequente cunctarum harum ſubſtantiarum diſſolutionem, ſuperaffuſo liquore Tartari, aut cujuſdam alterius legitimi Salis fixi vel volatilis, Ex impotentia diſſolvendi hæc metalla his ſpiritibus imbuta, quando aculeos

aculeos ſuos commiſcuerunt aculeis Salium ad Præcipitationem vſurpatorum, Ex omnibus, inquam, his effectibus erroris iſ arguendi ſunt qui cenſent Præcipitatorum vi obtundi Acidorum aculeos, atque a ſola aculeorum infractione deducendam eſſe ineptitudinem conſervandi metalla diſſoluta ab illis ſoluta, & agendi potentiam ac diſſolvendi quam ante obtinuerant.

At vero examen eorum quæ contingunt in præparatione Olei Glacialis Antimonij aliorumque inde pendentium, pertinaciam illorum ſuperare debet; Quandoquidem enim Mercurius ope ſpirituũ acidorum ſalis & vitrioli, vna cum ipſo ſublimatorum, corroſus & diſſolutus, obſitus eſt aculeis multo acutioribus & penetrantioribus quam qui inſunt dictis ſpiritibus antequam Mercurio conjungerentur; Iidem porro ſpiritus Mercurium deſerunt, corroſuri & diſſoluturi partem Antimonij Regulinam, veriſimiliter Mercurio multo duriorem & magis obnitentem; Denique, cum iidem ſpiritus, quorum retuſi deberent eſſe aculei in Mercurij diſſolutione ac partis Regulinæ Antimonij, huic poſtremæ adjuncti, terebrant & comburunt partes quas attingerint, majori vehementia & celeritate quam ſublimatum corroſivum, imo ipſum Aurum diſſolvere valent; porro cum hujuſmodi diſpoſitionibus tantummodo priventur quando cuipiam ſali complicati fuerint, in quo aculeos ſuos abſcondere queant, vel quando infracti fuere dilutione facta in aquæ copia inſigni, non video quomodo in poſterum propoſiti tenaces eſſe velint, aut veritati amplius obluctari.

Interim cum diutius immorari animus non ſit circa res adeo manifeſtas, tranſitum faciens ad præparationes quarum tractatum adgredior, hoc aſſero, cum qualitas cauſtica Liquoris Glacialis Antimonij adſcribenda ſolum ſit parti Acidæ Vitrioli & Salis marini, in Sublimato corroſivo deliteſcenti, ad præparationem iſtius Liquoris vſurpati, hæc autem pars in aqua diſſolubilis ſit, arduum non eſſe illam ſecernere, neque requiri Præcipitantium opem, ad promovendum in fundũ ſubſtantiæ Regulinæ Antimonij deſcenſum, quæ cum potiſſimam iſtius liquoris partem conſtituat, in aqua ſicuti Salia diſſolvi non poteſt, quandoquidem Acida in non mediocri aquæ copia diluendo, adeo infringuntur ut deſerere cogantur partem Antimonialem ab ipſis diſſolutam ac in liquorem deductam. Cum porro potiori jure in commodum cedere debeant facultates, emetica & purgatrix, vti & diaphoretica partis Antimonialis liquoris, quam corroſiva ſalium acidorum, Antimonij diſſolutionem foventium, ideo neceſſe eſt tenere modum ſeparationem perficiendi.

In Diplomate tepido liqueſcat Glacialis Liquor a me memoratus in

Receptaculo occurrens; imponatur pelvi fictili mundæ, intus probe vitreatæ; affundatur duodecies tantum pondus Aquæ limpidæ tepidæ & filtratæ, ex qua miſtura exſurget Lac albiſſimum; demum optime dilutis & commotis materiis ſpathula lignea, permittenda erit ſubſidentia per duas aut tres horas; hinc decantandus erit, & recondendus in lagena, liquor limpidus ſupereminens ſubſtantiæ Antimoniali; poſtmodum crebris affuſionibus factis aquæ limpidæ abluendæ, donec ad ſummum dulcorata ſit: Denique in umbra exſiccata, ac in mortario marmoreo aut Vitreo pulveriſata, recondenda erit in lagena vitrea denſa rite obturanda.

Iſte Pulvis cognomine Algaroth donatus fuit, ab Authore, alias Emeticus dicitur, ratione effectus; Inepte Mercurius vitæ, ob rationes ſuperius adductas.

Præcipuæ illius facultates ſunt expurgatio, per ſuperiora æque ac inferiora, cunctorum vitioſorum humorum, exhibendo Boli forma, a duobus aut tribus ad quinque aut ſex grana, ex quapiam Conſerva, vel alia quapiam re convenienti, aliis purgantibus commiſcendo, juſta obſervata proportione.

Commodiſſime etiam exhibetur in Hydrope, Febribus Intermittentibus, cunctiſque Cerebri, Ventriculi ac Vteri affectibus, a redundantia humorum oriundis.

Prior Liquor adſervatus, in ſe continens partem acidam Olei Glacialis, ſaporem quoque acidiſſimum obtinet; Aciditas vero iſta multo maior futura eſt, ſi Balneo arenæ concentratus fuerit dictus Liquor, evaporatione facta maximæ partis humiditatis. Quo pacto obtinere dabitur liquorem quem Authores Spiritum Vitrioli Philoſophicum vocant, tum ratione partis acidæ Vitrioli, materiam illi præcipuam ſubminiſtrantis, tum quia ſapore & facultatibus ad illum fere accedit; quo fit ut ore adſumendus præſcribatur ad eoſdem ſcopos ac ſpiritus vitrioli vulgaris, Spiritus enim iſte Naturæ familiaris eſt, cum ex oppoſito Acida, ex quibus conſtat, deſtructoribus potius accenſenda eſſent, quamdiu cum parte Regulina Antimonij concentrara erant.

Pulveris Emetici efficacia retundi poterit, quinimo id obtinere licuerit ut per inferiora tantum corpus expurget, ſi illum immittendo exiguæ Cucurbitæ vitreæ, Balneo arenæ, igni moderato impoſito, inibi detineatur donec fulvum colorem induere incipiat, poſtmodum bis vel ter ſuperaffuſus fuerit vini ſpiritus rectificatiſſimus, toties illum abſtrahendo, demum hunc Pulverem eodem modo eademque doſi ac Pulverem Emeticum vulgarem exhibendo, nomine Pulveris Emetici correcti inſigniendum.

At

At vero Pulvis Emeticus facultate emetica & cathartica omnino exui poterit, ac diaphoreticam induere hac ratione procedendo.

Huius Pulveris quantum volueris immitte exiguæ Cucurbitæ Vitreæ, Balneo arenæ impoſitæ, ſuperaffunde triplum pondus Spiritus Nitri, ſpathula lignea commovendo, ac probe hunc Pulverem in Spiritu diluendo, evaperatio fiat totius humiditatis, ignis mitiſſimi ope, donec ſolum ſuperſtes ſit maſſa candida & ſicca in fundo Cucurbitæ: Hæc probe abluta, & perfecte dulcificata, ac pulveriſata, cuſtodienda eſt in lagena vitrea accuratiſſime obturanda.

Pulvis hic Bezoartici mineralis titulo donatus fuit, tum ob facultates Bezoarticas, quibus pollet, tum ob ſubſtantiam illius, quæ tota quanta eſt mineralis.

Commodiſſime præſcribi poteſt iſtud Bezoar ad cunctos affectus in quibus Lapis Bezoar ex animali eductus, exhiberi ſolet: mirum robur addit omnibus partibus principibus, ac a venereorum inſultibus præſervat; maſſam ſanguineā expurgat, atque ab ea ſecernit, vti & toto corporis ambitu, ſerū acrecui cōmodus exitus alia via quam per poros cutaneos non patet.

Eapropter inſignis cenſetur efficaciæ in morbis a corruptione aut depravatione maſſæ ſanguineæ oriundis, præſertim in ſcorbuticis affectibus, ideoque felici ſucceſſu dari ſolet adverſus Peſtem, Variolas, Morbillos ac quoſvis affectus epidemicos.

Cum gravitatis ratione ad imum liquorem deferatur, fere tantum Boli forma præſcribitur, ab octo aut decem ad viginti aut triginta grana, remiſcendo conſervæ, aut materiæ cuipiam idoneæ; Commodiſſime etiam addi poteſt remediis purgantibus & aperientibus, ad roborandas partes principes dum illa opus perficiunt.

CAPVT LXXXIII.

De Sulphure Antimonij.

SVlphur hic loci a me adductum non audio tanquam Antimonij principiorum unum, quod intime vnitum partibus illius puriſſimis, ab his fere inſeparabile eſt, at ſatis mihi eſt hic tradidiſſe modum extrahendi & ſeparandi ſulphur terreſtre & flammabile Antimonij, flammæ cæruleæ ſpecie ſæpenumero ſe prodens, eo præſertim tempore cum Pulvis Antimonij calcinationi ſubjicitur, Vitri præparandi gratia; Vel concorporatum ſubſtantiis extraneis, ſicuti id adparet cum peracta diſtillatione Olei glacialis Antimonij, Mercuriis in Cinabrium ſublimatur, ac Sulphur inflammabile Antimonij illi ſe adiunxit.

Porro cum impoſſibile ſit fugam ſulphuris in flammam abientis ſiſtere, per calcinationem pulveris Antimonij, quando Vitrum conflandum eſt, id omnino dimittendum eſt, Sulphur autem in Cinnabari Antimonij contentum quod attinet, id conſervandi gratia, rationes traditurus ſum ne diſpereat, etiamſi aliis mediis liceat ſecernere Sulphur purum ex Antimonio crudo, quale præſertim intra mineram occurrit.

Paretur Lixivium fortiſſimum ex cineribus ligni ſolidi & carie non exeſi, Calce viva & cineribus clavellatis; quo rite filtrato, ac excepto fictili vaſe optime vitreato, Cinnabaris pulveriſatæ libræ vna, vas lixivio omnino fere adimplendum erit, ebullitioni omnia committendo per tres aut quatuor horas, per vices recens lixivium vaſi infundendo in vicem ejus quod abſumitur, Demum calente filtrato liquore e vaſe educto, ſecretoque ac recōdito Mercurio reſuſcitato in fundo reperio; licebit, ſi ita viſum fuerit, acetum ſtillatrium liquori ſuperfundere, ſulphuri, præcipitationis vrgendæ gratia, vel ſponte refrigerato liquore filtrato, expectare donec Sulphur Cinabrij, quod Antimonij eſt, ſponte in vaſis fundum præcipitatum fuerit: Id poſtmodum plurimis aquis ablutum, quoad abſolute edulcatum ſit, exſiccandum & ſervādum, ad vſus reconditum in lagena vitrea denſa, probe occludenda.

Sulphur iſtud a duobus ad tria aut quatuor grana ſuſque deque quoſvis vitioſos humores cum impetu expurgat, non ſecus ac Sulphur Auratum quod elici ſolet e fæcibus Croci Metallorum, Eapropter etiam ſeorſum perquam raro exhibendum, ac nonnulli ſatius ducunt ex eo Paracæam concinnare, id commiſcendo vnciæ vni Reguli Antimonij ſubtiliter triti, ac tribus unciis Olei ſulphuris, aut ſpiritus Vitrioli optime rectificatorum ſimul per triduum digeſtioni committendo, diſtillando ac ter cohobando ex Retorta, igne Arenæ; tandem ignem per duodecim horas impellendo ad meliorem materiæ fixationem, aqua Roſacea poſtmodum abluendam quoad probe edulcata ſit, deinde exſiccando, quam præbent a decem aut duodecim granis ad decem aut viginti, ad depurandam maſſam ſanguineam, per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem.

Nonnulli tamen hæ procedendi viæ non arrident, effracta enim Retorta materiā reverbe rationi ſubijciunt per quinque aut ſex horas, quam ablutam ac ſiccatam, & in pulverem contritam commiſcent duplicato ponderi magiſterij Perlarum aut Coraliorum antequam exhibeant.

CAPUT

CAPUT LXXIV.

De Singularibus quibuſdam Antimonij Præparationibus.

Libra una Antimonij pulveriſati cucurbita vitrea, ſub camino repoſita, excipiatur, ſuperaffundatur illi æquale pondus aquæ Regiæ, permittatur Antimonium aquæ actioni donec illud penitus diſſolutum fuerit: demum impoſita Cucurbita Balneo arenæ, ſuóque capitello inſtructa, abſtrahenda erit Aqua Regia igne leniſſimo ad ſiccitatem uſque materiæ: Dehinc ſubtilem in pulverem deducta maſſa igne mitiſſimo, eáque remiſta libræ uni Salis Ammoniaci pulveriſati, miſtura hæc excipienda erit Cucurbita vitrea Alembico ſuo munienda, exiguum Receptaculum eius roſtro adaptando, accurate commiſſurus luto inveſtiendo; impoſita autem Cucurbita Balneo arenæ, in capſula idonea, accenſoque igne admodum moderato infra Balneum, maxima Antimonij pars in Flores ſublimis efferetur, partim Capitello adhæſuros, partim ſupremæ Cucurbitæ parti, una cum parte volatili Salis Ammoniaci.

Abſoluti Sublimatione, vaſis autem refrigeratis, ac decruſtatis, Flores obvii erunt variegati coloris, quibus collectis, contritis, ac confuſis parti in Cucurbita ſuperſtiti, iterata ſuſcipienda erit Sublimatio, in omnibus eandem ineundo methodum ac ante, quinimo has eaſdemmet operationes repetitis vicibus perficiendo: Demum in unum congerendo id quod ſublimationem paſſum eſt, pars Salina omnino per plures ablutiones ſecernenda erit; donec Pulvis Antimonij penitus dulcificatus ſit, qui exſiccatus ad uſus ſervandus.

Pulvis hic per inferiora tantummodo vacuat: omnes vitioſos humores leniter expurgat, eum exhibendo à duobus aut tribus ad quatuor aut quinque grana, commixtum pulpæ pomi cocti, aut conſervæ alicui, condito &c.

Poteſt etiam ſuper porphyrite lævigari certa quantitas Vitri Antimonij, præparati ſicuti dixi citra additamentum; Pulvere autem optime madefacto ſpiritu Aceti, magma Soli expoſitum exſiccari, quod iterum contritum, humectandum etiam ſpiritu Aceti, rurſum ad Solem exſiccandum; pergendo in tritura, humectatione, & ad Solem exſiccatione, donec Pulvis eximium adipiſcatur colorem: Demum immiſſo Pulvere Cucurbitæ Vitreæ, affuſo huic ſpiritu Vini rectificatiſſimo, donec Pulverem ſuperet tribus aut quatuor digitis, Cucurbita

Balneo arenæ imponenda erit, impoſito Alembico cui adhæreat exiguum Receptaculum, juncturíſque rite lutatis, abſtrahendus erit ſpiritus vini igne mitiſſimo ad ſiccitatem uſque Pulveris ad uſus ſervandi.

Pulvis hic nequaquam vomitum ciet, ſed ſemper alvum infernam movet, aliquando etiam ſudores, juxta ſcilicet humorum inclinationem.

Eadem illius quantitas quæ ſuperioris: Commodiſſime etiam in uſum venire poteſt ad curationem Febrium Intermittentium.

Ex Vitro Antimonij ſubtiliſſime contrito, ac Matratio immiſſo, elici poteſt Tinctura, illi affundendo decuplum pondus olei ſuccini rectificatiſſimi, vel Olei Terebinthinæ, aut baccarum Iuriperinarum. Impoſito demum Matratio Alembico cœco, accuratéque luto incruſtatis juncturis, illud Balneo Arenæ immittendum erit, digeſtionem materierum promovendo, ſubdito igne intenſo, adeo ut liquor in ebullitionem paratus videatur, producendo donec coloris intenſi fuerit.

Tinctura hæc per ſedes tantum aut ſudores vacuat, Doſis eſt a duabus aut tribus guttis ad quatuor aut quinque, ex liquore aliquo convenient. i.

Sapam, aut Rob Antimoniale Purgans, nequaquam vomitorium, hac ratione præparare licet.

Capaci Matratio immitatur Antimonij pulveriſati ſemilibra, illi ſuperfundantur ſucci Cydoniorum rite depurati libræ ſex; Matratij orificium ſubere obſtruatur; Maceratio fiat per tres hebdomadas, impoſito vaſe Furno Piſtoris, per vices materias commovendo: Demum Matratio Balneo Arenæ commiſſo, paulo calentiori quam ad ordinarias infuſiones, ibi repoſito ad vigintiquatuor horarum ſpatium, filtrandus erit hic liquor, cuius humiditas ſuperflua evaporanda erit ad conſiſtentiam Roob, quod exhibere licet à drachmis duabus ad unciam integram.

Liquor Antimonialis, dulcedine cum melle certans, hac methodo perficiatur.

Antimonij crudi, addito Oxymelite ſimplici, ſemilibra ſuper Porphyrite lævigatur, donec Antimonium ſummam tenuitatem adeptum ſit: Miſtura hæc Cucurbita vitrea excipiatur, affundatur illi Acetum ſtillatitium ad eminentium duorum aut trium tranſverſorum digitorum; Admoveatur Cucurbitæ vas cœcum; Luto junctura muniantur; Reponatur ſupra Furnum Piſtoris ad menſem integrum, ut concedatur Aceti ſpiritui ſufficiens temporis ſpatium ad omnimodam

pene-

penetrationem ſubſtantiæ Antimonij: Cucurbita Balneo arenæ committatur, nonnihil calidiori quam decet ad digeſtiones perficiendas; Poſt moram viginti quatuor horarum, & ſponte frigefactis materiis, decantatur in alteram Cucurbitam Liquor ſupra Antimonium fluitans, imponitur hæc Balneo Arenæ, cooperienda impoſito Alembico, cui adjunctum ſit Excipulum; Probe commiſſuris luto obductis, ope ignis per gradus admoti primo educitur phlegma, ac demum Liquor rubens mel dulcore ſuperans, leniſſime purgans, exhibendus ex liquore idoneo, à ſcrupulo vno ad drachmam.

Præparatur necnon alius Liquor Antimonialis, Melliti cognomine, hac proceſſus ratione.

Per quindecim dies maceretur ſupra Piſtoris furnum Antimonij pulveriſati libra vna, additis mellis puriſſimi libris quatuor, per vices commovendo, demum exiguo igni expoſita coquuntur, continuo ſpathula verſando, donec cuncta picis inſtar ſpiſſeſcant ac friabilitatem digitis contrectata exhibeant; Poſtea Retorta argillacea excepta, luto incruſtata, Furno Reverberatorio impoſita, admotoque roſtro grandi globoſo Receptaculo, ignis vi, per horas viginti quatuor producti, obſervatis rite gradibus, elicitur Liquor plurimis Antimonii particulis imprægnatus, ac una nonnulli Flores quos ſecernere licet, emetica & dejectoria facultate præditi, non ſecus ac cæteri Antimonii Flores.

Liquor hic inſigni penetrabilitate gaudet, imo & corroſiva; admodum idoneus non ſolum expurgandis ulceribus, ſed & abſumendis ſuperfluitatibus & excreſcentis: Eximius quoque eſt in Gangræna: Seorſum admovetur, aut Melli roſaceo commixtus, Decoctionibus, Tincturis, Linimentis aliiſve remediis.

Nonnulli etiam conterunt partes æquales Antimonij: Sacchari Cantij, & Aluminis vſti; quibus rite commiſtis, & ſimul commiſſis Retortæ argillaceæ, luto obductæ, adjunctum roſtro habenti Receptaculum capax, ſeduloque lutatis commiſſuris, igne gradatim adhibito, ſed recto regimine, educunt Liquorem rubeum, ſingularis efficaciæ ad curationem quorumvis vlcerum.

Tædium proculdubio Lectori parerem ſi maiori præparationum Antimonii numero caput hoc adaugerem: At vero cum maxime neceſſarias huc intulerim, & quæ crebriori verſantur in uſu, ſpero curioſos Lectores boni conſulturos ſi hos ad Baſilium Valentinum, Schroderum aliofve Authores relegarim, qui fuſius materiam hanc pertractarunt quam mei fuerit inſtituti.

CAPUT LXXXV.

De Biſmuthi Præparationibus.

BIſmuthum Corpus eſt minerale, ſemimetallicum ex prima materia conſtans, ſed adhuc rudi & imperfecta Stanni, conjuncta Sulphuri & Mercurio terreſtribus, improbe digeſtis, plurimo Sali Arſenicali impuro commiſta, in mineris prædicti metalli, generationis illius tempore productum.

Biſmuthi iſtius ſubſtantia admodum dura eſt; fragilis, granuloſa, granis grandioribus, lævibus, albis & pellucidis donata: Vulgari nomine vocant Stannum Glaciei, quod Stanni plurimam partem obtineat; poſtquam vero effractum fuit non paucas exiguas ſuperficies, glaciei inſtar læves exhibent; Sed præterea Authores Marcaſitæ nomen per excellentiam indiderunt, eo quod cæteras Marcaſitarum ſpecies candore & elegantia ſuperet.

Sal Arſenicale naturale, quod partem compoſitionis Biſmuthi conſtituit, in cauſa eſt cur præparationem nullam ſubeat ad uſus internos, ſed ſolum modo ad exteriores; ad quos uſurpatur præſertim illius Magiſterium, cuius hæc ſit præparatio.

Diſtillanda iuxta regulas Aqua Fortis, ex partibus æquis Nitri & Salis Marini, vel pari quantitate Nitri & Aluminis; conteratur & abluatur Biſmuthum, donec aqua pellucida prodeat; huius unciæ quinque Matratio Vitreo capaci immittantur; ſuperaffundantur unciæ quindecim alterutrius dictarum Aquarum Fortium; abſoluta vero omnino diſſolutione, præcipitanda hæc erit affuſo ſpiritu Vini rectificato Sali Tartari; Demum ſuperinjecta plurima aqua limpida, ſubſidentia Præcipitati facta, decantato, & ſeorſum repoſito Liquore eminente, plurima aquæ affuſione, per linteum tenue tranſcolatę, abluendum erit, donec omnimode dulcificatum ſit: in umbra autem exſiccatum, inter binas chartas repoſitum, exhibiturum eſt Magiſterium candidiſſimum, uſurpandum in cunctis Cutis infectionibus, ac præſertim ad cultum & nitorem vultus Matronarum, aquis idoneis id remiſcendo, aut Vnguentis Pomaceis, quamobrem à nonnullis dictum fuit *Album Perlatum*.

Aqua prioris ablutionis, quam ſeorſum adſervandam præcepi, admodum convenit curandæ cuivis Scabiei & Herpeis ſpeciei.

Præcipitatio Biſmuthi fieri poterit, infringendo vim ipſius diſſolventis,

ventis, injecta non mediocri quantitate aquæ puræ, dimiſſo vini ſpiritu: Sed cum Biſmuthi portio in aqua adhuc diſſoluta permaneat, eaproter minorem magiſterii quantitatem conſequi licet.

Ex Biſmuthi Floribus licet etiam elicere Liquorem, ac Sal Cryſtallinum, hoc proceſſu obſervato.

Subtiliſſime ſuper Porphyrite teruntur Biſmuthi libræ decem vel duodecim; hæ excipiantur grandi Cucurbita vitrea, illis affundatur æquale pondus vini albi auſteriuſculi: Cucurbitæ ſuperimponatur Alembicum cœcum, quæ collocata in Balneo Arenæ moderate calido, detinenda erit per tres aut quatuor dies, materias per vices commovendo: Deinceps, effuſo & ſeorſum repoſito prædicto Vino, recentique æquali quantitate Biſmutho affuſo, novæ digeſtioni incumbendum erit, imo recentis vini affuſionem reiterando, cunctaſque cæteras operationes quinquies vel ſexies: Poſtmodum reaffundendo ſuper Biſmuthum partem vini antea eliciti, imponendo Cucurbitę proprium Alembicum, Receptaculo inſtructum; riteque luto obductis commiſſuris, vinum in Balneo arenæ, igne moderato deſtillandum, ſeorſum ſi lubet reponendo ſpiritum primo prodeuntem: Demum ſponte refrigeratis, & decruſtatis vaſis, Biſmutho infundendum erit tantundem ejuſdem Vini quantum prima vice; pergendo in affuſione & abſtractione vini donec nihil amplius illius ſuperſtes ſit, Biſmuthum autem in Retorta ſiccum remaneat. Tunc obſtructo Alembici roſtro, urgendus ignis evehendorum ergo ſurſum Florum Biſmuthi, qui albi & nitentes in Alembico conſpicui erunt; Tales adſervandi in lagena vitrea denſa, probe obturanda, vel in liquorem deducendi, repoſiti in cella Vinaria, Univerſus liquor diſtillatione eductus igne miti evaporandus, qui ad exiguam copiam deductus, cellæ vinariæ commitendus erit ad cryſtalliſationem, ſtramina aliquot interſerendo ut Cryſtalla illis adhæreant, Poſtea decantato liquore illis ſupereminente ad uſum recondi debent.

Flores & liquor exinde educti admodum conveniunt emaculandæ Faciei, ac emendandis cutis infectionibus: Eximii quoque indicantur, ſicuti & Cryſtalla, ad curationem Fiſtularum & Ulcerum malignorum Cancroſorumque.

Prætermitto Aquas, Extracta, Vitra, aliáque Præparata ex Biſmutho expetanda, quippe quæ in Pharmacia uſum non obtinent.

Præter Biſmuthum naturale, à me ſupra deſcriptum, nonnulli Artis Chymicæ periti, ex obſervatione Principiorum, ipſius compoſitionem conſtituentium, rationem artificiale conficiendi excogitarunt,

adeo elegans, ad nativum tam prope accedens, ut ab eo hoc ficti- tium diſtinguere admodum arduum ſit; Ecce illius compoſitionem, mi- hi communicatam, ſicuti & Zincki artificialis, à viro quodam rerum novarum curioſiſſimo.

Stanni puriſſimi libra una in laminas deducatur, in exigua fruſta di- vidantur, poſtmodum conficiatur cementum ex Arſenici ſeſquilibra, Tartari albi libræ quadrante, & Nitri ſemiquadrante, Conterantur omnia & ſimul commiſceantur; poſtea alternatim cementum & Stan- num, ſtratificatione facta, optimo crucibulo immittantur, idoneæ For- naci imponendo, ad ignem patentem, lenem initio, & per horæ ſpa- tium, ſucceſſive adauctum ad fuſionis uſque gradum per horas quatuor, Poſtea materia in Conum fuſorium infundenda erit, calefactum & ſebo illitum, ad efingendum cylindrum, adauctiorem factum acceſſione trientis ad libram unam Stanni.

Zinckum ex iiſdem conficitur materiis, eadem dozi, eadémque ratione qua Biſmuthum, at vice Stanni uſurpatur Plumbum, pauca ad- dita Cadmia.

Nota, quo ſæpius fuſio utriuſque facta fuerit, addito pauco Arſeni- co, eo elegantiora & nitidiora illa evadere.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM
TOMI PRIMI,
IN QVO PHARMACIA GALENICA.

A.

Abſinthium, 152
Acacia vera, 263
Aceta, 11
Roſaceum, 115
Scylliticum, 116
Theriacale, 118
Febrifugum Sylvij, 122
Acidum, 29
Acorus verus, 263
Aër Furnorum, 66
Agaricus, 258
Alce quadrupes, 5
Alkali. 29
Alkohol quid, 21
Aloës lotio, 19
Amalgamatio, 43
Amygdalata, 102
Amygdala viridia condita, 129
Ammi, 251
Angelica, 119
Amomum, 250
Antidotus Orvietana, 274
Apophlegmatiſmi, 106
Apozemata, 191
Aquæ cordiales, 90
Ariſtolochia quæ vera tenuis, 243
Clematitis improbatur, 244
Aromatizatio, 38
Arum, 263
Aſclepias, 119
Aſpalathum, 321
Aſſatio, 40
Athanor, 72
Aviculæ Cypriæ, 390
Aurum foliatum in confectione Alkermes, 266

B

Balneum Aëris, 61
Balneum limaturæ ferri, 62
Balneum Mariæ aut Maris, ibidem
Balneum Cinerum, ibidem
Balnea & Semi-Balnea, 385
Balnea ad rugas ventris & mammarum in puerperis. 383
Balnea ex Aquis naturalibus, 384
Caloris illorum cauſa, ibidem
Balnea Vaporoſa, 61. 385
Balnea ſicca, 386
Ben, 361
Balſami planta, 259
Balſami, 389
Naturales, 249
Apoplecticus, 390
alius, 391
Hypnoticus, 392
Judaicus & Peruvianus, 241
Stomachicus, 393
Uterinus, ibidem
Ad dentitionem infantium, 394
Ad manus dealbandas, ibidem
Sulphuris Communis, 395
Aniſatus. 396
Arcæi, 397
Hiſpanorum, ibidem
Viridis Metenſium, 398
Samaritanus, 399
Balſamines, ibidem
Anodynus, 400

§

Balſamatio cadaverum, 301
Bdellium, 263
Benedicta Laxativa, 289
Biſtorta, 120
Boli, 104. & ſeq.

C.

Calamus aromaticus, 322
Calanticæ, 388
Calefactio, 27
Calcinatio, 43
Calor Solis & Fimi, 28
Cappares conditi, 132
Capillares quinque, 89
Cardamomum minus, 120.251
Carlina. 120
Carpobalſamum, 262
Caſſia lignea, 261
Caſtoreum, 254
Caſtor, 253
Cataplaſmata, 379
Tumores diſcutiens, ibidem
Emolliens & maturans, 380
Digerens, reſolvens, ibidem
Cementum, 79
Cementatio, 43
Cerata, 306
Refrigerans, 335
Santalinum, ibidem
Stomachicum, 336
Sulphureum, ibidem
Cepa alba & ſcylla alba rubris præſtant, 324
Chymica Pharmacia, 1.2
Cicer rubrum, 155
Cineratio, 41
Cinnamomum, aut Canella, 143.249
Circulatio, 33
Citria, Cucumeres, Cucurbitæ, Cinaræ Condita, 130
Clarificatio, 37
Clematitis ad Theriacam non admittenda, 244
Clyſteres, 109
Coagulatio, 53
Coctio, 25
Cotonea condita, 129
Cohobatio, 34
Colatura, 36
Coloratio, 38.39
Collyria, 396
Ophthalmicum, 397
Aliud, ibidem
Siccum, ibidem
Lanfranci, 398
Compoſitio medicamentorum, 59
Condita, 128
Confectio Alkermes Regia, 264
Hyacinthina, 267
Confectiones, 234
Confectio Hamech reformata, 291
Congelatio, 54
Conſervæ, 135
Radicum Helenij, 136
Roſarum liquida, ibibem
Solida, 138
Violarum liquida, 139
Contrayerva, 242
Coralia, 144. & ſeq.
Coriandrum, 287
Correctio per acetum, ibidem
Cornu Unicornu, 217
Rhinocerotis, ibidem
Cervini preparat. ad calcinationem Philoſophicam, 270
Raſura in Conf. Hyacinth. ibid.
Corporificatio, 56
Coſtus, 248
Cribratio medicamentorum, 23
Crocus Batinenſis, 255
Cryſtallifatio, 54
Crucibula, 82
Cubebæ, 121.262
Cucumeres conditi, 132

D.

Dactyli, correctione non egent, 287
Daucus Creticus, 261
Decantatio, 19

Decoctiones, 96
Cephalica, 100
Cordialis, 98
Hepatica aperitiva, 99
Pectoralis, ibidem
Defrutum, 125
Denominationes in Medicina uſitatæ, 89
Deſpumatio, 36
Detonatio, 45
Diamoron, 127
Diaſcordium, 270
Dictamnus Creticus, 121.250
Albus ad Trochiſcos de Scylla uſurpatus, 383
Digeſtio & maceratio, 32
Diſpoſitio partis ſecundæ Pharmacopœæ, 2
Diſſolutio & Solutio Chymica, 26
Diſtillatio, 50
Doronicum, 218
Drachma, 88

E.

Ebullitio, 36
Eclegma, 196
Elaterium, 297
Electio medicamentorum, 13.15
Electuaria, 234
Solida, 199
Satyrij, 275
Scordij emendatum, 271
Baccarum Lauri, 278
Micleta, 279
Aperiens & Purgans D.D. d'*Aquin*, 286
Univerſale purgans, 282
Diaphœnicum, 287
Caryocoſtinum, 290
Pſyllij correctum, 295
Lenitivum, 284
Ad Enemata, 285
Prunorum ſimplex & Compoſitum, 286
Ad Hydropem D. d'*Aquin*, 297
De Carthamo, 298
E ſucco Roſarum, 304
Violarum, ibidem
Catholicum duplicato Rheo, 281
Bened. laxat. 289
Confect. Hamech. 291
Hiera picra, 293
De Citro Sol. 303
Elixatio, 35
Embrocatio, 396
Emplaſtra, 339
Album aut Ceruſæ, 340
Palmeum, 342
Diachylum ſimplex, 344
Cōpoſitum cum Gummis, 345
Mucilaginum, 348
Polychreſtum, 349
Nigrum, ibidem
Cephalicum, 350
Stomachicum, 351.365
Nicotianæ, 352
Cicutæ, 353
Diaphoreticum, 354
De Galbano, ibidem
Meliloti, 355
Betonicæ, 356
Manus Dei, 357
Andreæ à Cruce, 359
Pro Matrice, 365
Magneticum Salæ, 359
Divinum, 361
Paracelſi, 362
Concerptorũ linteaminum, vel de Linamento, 363
Ad Iſchiadem, 364
Matricale, 365
Oxycroceum, 366
Ad Hernias, 367
Aliud, 368
Ad Fracturas & Diſlocationes, 369
Ranarum cum Mercurio, 370
Stypticum, 372
Veſicatorium, 373
Ceræ cum Cumino, 374
De Alabaſtro, 375
Spermatis Ceti, ibidem
Ad Fonticulos, 376

§ 2

Ad Lupias & Ganglia, 377.378
Ad equini pedis punctionem, 373
Emulſiones, 102
Variæ, 103
Epithemata, 386
Liquidum Cordiale, 387
Hepaticum, ibidem
Solidum pro corde, 388
Errhina Liquida & Solida, 106
Eryngij radix condita, 129
Evaporatio, 52
Euphorbium, 339.354
Exhalatio, 52
Explicatio quarundam denominatio-num Medicis uſitatarum, 89
Expreſſio, 37
Extinctio, 41
Extractio, 52

F.

Facultas medicamentorum, 10
Electio, 11
Fermentatio, 29
Panis & Vini, 30.31
Filtratio, 36
Fimi calor, 28
Finis utriuſque Pharmaciæ, 2
Fixatio, 54
Alkalinorum Volatilium ab A-cidis, 55
Flos trinitatis, 282
Cordiales, 89
Carminativi, 90
Folium Indum, 250.261
Fotus, 381
Ad Pleuritidem, ibidem
Nephritidem, 382
Stomachicus, ibidem
Fornaces, vide *Furni.*
Furni, 64
Portatiles, 65
Aperti, ibidem
Clauſi, ibidem
Figura interna quæ optima, 66
Ad uſum quotidianum, ibidem
Anemius, 68.70
Athanor, 72
Alius, 73
Alij, 75
Ad diſtillationem per deſcen-ſum. 76
Reverberatorius ad diſtillatio-nem ſpirituum, 77
Fragmenta lapidum pretioſ. 90
Frixio, 40
Frontalia, 391
Hypnoticum, 392
Aliud, ibidem
Fumigatio, 43
Fulminatio, 45
Fuſio, ibidem

G.

Galbanum, 260
Gargariſmus, 106
Gelatinæ, 133
Cydoniorum, ibidem
Pomorum, ibibem
Cornu Cervi, 134
Viperarum, 135
Gentiana, 119
Gingiber, 258
Granum, 80
Granulatio, 45
Gummata plantarum non ſunt excre-menta, 92

H.

Hamech confectio, 291
Herbæ emollientes, 89
Hermodactyli, 149
Hiera Picra Galeni, 293
Colocynthidis, 294
Humectatio, 25
Hydromel vinoſum, 195
Pectorale, 196
Hyoſciamus, 338
Hypociſtis, 260

I.

Jalap, 149
Jarum, 263
Ignis, illiuſque gradus, 60

Solis, 61
Fimi, ibidem
Aëris excalefacti, ibidem
Lampadis, ibidem
Vaporis aquæ calentis, ibidem
Balnei Mariæ, 62
Cinerum, ibidem
Arenæ, ibidem
Limaturæ ferri, ibidem
Rotæ, 63
Suppreſſionis, ibidem
Reverberij clauſi, ibidem
Flammæ aut Fuſionis, ibidem
Vitrariarum officinarum, majorum, ibidem
Patens aut immediatus, 62
Aëre indiget, 64
Immerſio, 25
Imperatoria, 119
Incineratio, 41
Infuſio medicamentorum, 24.96
Injectio, 106
Inſolatio, 28
Inſtrumenta & vaſa utrique Pharmaciæ communia, 83
Iris tuberoſa, 147
Julapia 101
Antiquorum Syruporum nomen adſumpſerunt, ibidem
Juncus odoratus, 259

L.

Lapidificatio, 46
Lactucæ caules conditi, 130
Lepra Viperarum eſu curata, 266
Libra Medica, 80
Linimentum in genere, 506
Liquefactio, 53
Lithargyrum, 340
Looch, 196
Sanum emendatum, ibidem
Pectorale, 198
Lotio, 18.391
Nonnullis corporis partibus deſtinata, 395
Somnifera, ibidem
Ad Achores, ibidem
Ad defricandum caput & capillos abluens, ibidem
Contra Pediculos, ibidem
Contra ſcabiem & affectus cutaneos, ibidem
Cerebrum roborans, 396
Ad Rheumatiſmum, ibidem
Ad Ambuſta, ibidem
Ad Vulnera & Ulcera, ibidem
Lutorum varietas, 79.81

M.

Maceratio, 25.32
Magnes Arſenicalis, 359
Magneſia Saturnina Meteoriſata, 350
Manus Sacchari perlata, aut Saccharum perlatum, 203
Magma amygd. amar. gallinis venenum, 359
Mannæ hiſtoria, 299
Magnitudinis conſideratio in medicam. electione, 160
Malabathrum, 250
Marum, 321
Maſticatoria, 106
Maturatio, 29
Mechoacanna, 149
Medicamentum quid, 10
Medicamenta ex Vegetalibus, Animalibus & Mineralibus deſumuntur, 11
Enumeratio ad quid utilis, 12
Facultates, ibidem
Melones conditi, ibidem
Meum, 119
Menſuræ, 87
Mella, 189
Roſatum, 190
Anthoſatum, aut Roriſmarini, 191
Mercuriale, ibidem
Violatum, 192
Vulvariæ, aut Barbæ Hircinæ, ibidem
Nymphææ, 193
Minium,

Miſturæ,
Morſus canis rubidi,
Mortificatio, 56
Mithridatium Democratis, 257
Mixtio, 57 Myrrha, 252
Mixturæ, 104.105 Mumia, 401

N.

NNarvval, piſcis ex cetaceorum genere, 217 Nogat, 131
Nuces albæ & virides conditæ, ibidem
Nux Moſchata, oleū ex ea expreſsū, 364
Numeri conſideratio in Electione medicamentorum, 161
Nutritio, 26

O.

Objectum utriuſque Pharmaciæ, 1
Olibanum, 258
Olea per expreſſionem, 356
Conſideratio Oleorum, ibidem
Olivarum, 357
Amygdalarum dulcium, 358
Amararum, 359
Nucum juglandium, 360
Avellanarum, ibidem
Perſicorum. 361
Malorum Armeniacorum, ibid.
Ben, ibidem
Seminis Aniſi expreſſum, 362
Nucis moſchatæ, 363.249
Ovorum, 365
Laurinum, 366
Olea per infuſionem aut decoctionem, 367
Abſinthij, ibidem
Roſarum ſimplex, 369
Completum, ibidem
Jaſmineum, 370
Cydoniorum, 372
Capparum, 373
Maſtichinum, 374
Nardinum, 375
Hyperici, 376
Irinum, 378
Lumbricorum, 379
Caſtorei, ibidem
Scorpionum ſimplex, 380
Compoſitum, 381
Vulpinum, 385
Viperinum, 387
Lacertinum, 388
Myrrhæ per deliquium, ibidem
Olivæ 130
Conditæ, 132
Opiata, 234
Salomonis, 272
Opium, ejus preparatio ad Theriaces cōpoſitionem, 237 De eo experimēta, 238
Opobalſamum, 257 258 & ſeq.
Opopanax, 253
Orobi inepte ingrediuntur Trochiſcos Scylliticos, 323
Orvietanum, 274 *Oxymel* ſimplex, 193
Os cruris bovis, 234 Scylliticū, 194
Cordis cervi, 270 Oxytriphyllū. 142

P.

Paſta variorum fructuum, 131
Pellicula in ſalibus diſſolutis, 55
Peſſaria, 106
Petroſelinum Macedonicum, 251
Petaſites,
Pharmaciæ definitio &c. 1
Philonium Magnum, 276
Phlegma, principium paſſivum, 5
Pilei Medicati, 388
Pilulæ, 331
Hieræ ſimplicis, 332
Compoſitæ cum Agarico, 334
Agarici, ibidem
Aggregativæ, vel Polychreſtæ, 335
Ammoniaci *Quercetani*, 336
Cochiæ, 337
Cynogloſſi, 338
Fœtidæ, 339
Rufi, 340
Aureæ, 341
Sine quibus, ibidem
Rhabarbari, 342
Stomachicæ, 343
Hyſtericæ, 344
Meſentericæ D. *d'Aquin*, 345
Mercuriales, 346
ad Gonorrhoeam, ibidem
Ad virulentam, 348
Terebinthinæ coctæ, 349
Anti-Colicæ, D. *d'Aquin*, ibidem

Ca-

Catholicæ *Poterij*, 350
Bontii ad Hydropem, 351
Tartareæ *Bontii*, 352
Tartareæ *Schroderi*, 352
De Sagapeno Camilli, 353
Pinta, Menſura, 89
Piſtolochia Clematiti præfertur, 244
Phu maius, 119
Pix nigra & alba, 356
Piper longum, nigrum, album, 260.261
Polium montanum, 262
Pomata Unguenta, 422
Rubrum, ibidem
E Vitellis Ovorum, 423
Pondera & Menſuræ, 87
Potiones, 104
Principia Pharm. Chimicæ, 3
Præcipitatio, 47
Præparatio medicamentorum, 17
Projectio, 45
Pugillus, 89
Pulveres, 208
Viperinus, 209
Comitiſſæ Canth. 211
Roſarum aromaticus, 213
Emendatus, 214
Margaritarum frigidus, 215
Lætitiæ, 216
Triaſantali, 217
Pannonicus, ibidem
Ant'Epilepticus D. d'*Aquin*, 220
Ad Rabiem, 221
Dentiſpicius, 222
Alius ſimplicior, 223
Cephalicus odoratus, ibidem
Adverſus Vermes, 224
Digeſtivus, 225
Contra Abortum, 225
Ad Partum difficilem, 226
Hyſtericus, 227
Jovialis Hyſtericus, ibidem
Sperniolæ Crollij, ibidem
Ad Dyſenteriam, 229
Ad Hæmorrhagiam, ibidem
Diatragacanthi frigidus correctus, 230
Sternutatorius, 231
Cornachini, 232
Ad Nephritidem, 233
Ophthalmicus, 398
Ad cōditurā cadaverū, 234.303.304
Purgatio medicamentorum, 19

Q.

Quartarium, 88 Quid pro quo, 91

R.

Radicum conditura, 129
Eryngij, 129
Quinque aperientes, 89
Raſura Cornu cervini in confectione Hyacinthina, 270
Rectificatio, 51
Reductio, 56
Regimen aëris ad ignem, 65
Regiſtra, 66
Reſinæ, Non ſunt plātarū excrementa, 92
Reverberatio, 46
Rhabarbarum, 149
Roob, 124
Cydoniorum, 126
Mororum, 127
Baccarum Sambuci, ibidem
Simplex, 124

S.

Sacculi odoriferi, 388
Saccharum Roſaceum, 200
Perlatum, 203
Sagapenum, 253
Sal, principium activum, 8
Sanguis Draconis, 347
Sapa ſimplex, 124
Scrupulus, 88
Schoënanthos, 259. & ſeq.
Scincus marinus, 263
Scylla, 117
Scordium, 262
Scuta & calanticæ, 388
Sigillum hermeticum, 81
Semina calida maj. & min. 90
Frigida maj. & min. ibidem
Senna, 148
Seſeli maſſilienſe, 252
Sericum crudum, 265

Solutio Chymica, 26
Spica Nardi, 248
Celtica, 225
Spiritualiſatio, 56
Spiritus, Principium activum, 6
Spodium, vel Ebur uſtum, 280
Spiritus vini, 8
Storax, 252
Succedanea medicamenta, 92
Stratificatio, 43
Subjectum utriuſqe Pharmaciæ, 2
Sublimatio, 49
Sulphur principium Chymicum, 7
Succi, eorum diverſitas, extrahendi ratio, 92
Liquiritiæ Albus, 202
Niger, ibidem
Abſinthij, Eupatorij, non debent exſiccari in compoſitione Pil. Aggregat. 335
Succi, Gummata, Reſinæ, plantarum non ſunt excrementa, 92
Suffitus, 389
Gratus, 390
Facilior, ibidem
Trochiſci ad ſuffitus, ibidem
Ex cinnabari, 391
Suppoſitoria, 109
Syrupi, 139
Syrupus conditurae corticum Citri, ibid.
E ſucco citrij norma eſt cætero-rum è ſuccis, 140
E ſucco Acetoſellæ, 142
Cinnamomi Regius, ibidem
Coraliorum, 144
Cydoniorum, 146
Anti Epilepticus, D. *d'Aquin*, ib.
Hydragogus *Ejuſdem*, 147
Ad Colicam Nephriticam *Ejuſdem*, 150
Abſinthij, 151
Altheæ, 154
Aperitivus Cachecticus D. *d'Aquin*, 156
Artemiſiæ, 158
Cichorij cōpoſitus cũ Rheo, 160
Corroborans, 162
Myrtinus, vel Myrtillorum, 163
Tuſſilaginis ſimplex, 165
Compoſitus, 166
Ant'Aſthmaticus D. *d'Aquin*, 167
Reſtaurans è Teſtudinibus, 168
Nenupharinus, 169
Papaveris albi, 170
Rubri, 171
Roſarum ſiccarum, ibidem
Vetonicæ altilis, 172
Meliſſæ compoſitus, 173
Stoechadis emendatus, 174
Ad Lienteriam D. *d'Aquin*, 175
Jujubinus, 164
E chalybe D. *d'Aquin*, 176
Anti-Scorbuticus Ejuſdem, 178
Violatus Violaceus, 179
Pomorum ſimplex, 181
Compoſitus, 182
Florum Perſicorum, 184
Roſarum Purgans, ibidem
Compoſitus cum Senna & Agarico, 186
Emeticus, 187
Rhamnus Catharticus, 188
Caryophyllorum hortenſium admiſſus ad confectionem Hyacinthinam, 269
Sylvius Medicus Batavus, 123

T,

Tabellæ, aut Electuaria ſolida. 199
Altheæ ſimplices & cōpoſitæ, 201
Cachecticæ D. *d'Aquin*, 203
Cordiales, 204
Stomachicæ, 205
Croci Martis ſimplices, 206
Compoſitæ, 207
Magnanimitatis, ibidem
Contra Vermes, 206
Thus maſculum, 258
Theriaca Andromachi, 236
Tinctura, 33
Temporis conſideratio in medicamentorum electione, 161
Terebinthina, 260
Terra principium Chymicum, 9

Theriaca Andromachi ſenioris, 236
Emendata D. d'*Aquin*, 242
Diateſſaron, 254
Tela cerata aromatica, 305
Thus maſculum, 258
Tormentilla, 120
Torrefactio, 40
Trituratio, 20
Trochiſci, 305
Trochiſci Viperini antiquorum repudiantur, 335
Trochiſci Agarici, 306
Alhandal, 308
Bechici albi, 309
Nigri, 310
Albi *Rhaſis*, 311
Aliptæ Moſchatæ, 312
Gallæ Moſchatæ, 313
De Carabe, 314
Gordonij, 315
De Rhabarbaro, 317
Capparum, 318
Myrrhæ, ibidem
Roſarum, 319
Camphoræ, 320
Hedichroi, ibidem
Cypheos, 322
Scyllitici, 323
Viperini, 325
Turbith, 149

V.

Vaſa utrique Pharmaciæ convenientia, 83
Scindendi ratio, 86
Fractorum reparatio, 82
Valeriana major, 119
Vina, 110
Medicata, ibidem
Abſinthites, 111
Emeticum, 112
Inutile ad deſpumationem mellis in Theriacæ compoſitione, 238
Uncia, 83
Viciniæ conſideratio in electione medicamentorum, 161
Vincet oxicum, 119
Viola tricolor, 282
Vitrificatio, 46
Unguenta, 306
Roſaceum, 307
Album aut Ceruſæ, 309
Populneum, 312
Pompholigis, 314
Ophthalmicum, 315
Nutritum, 317
Deſiccativum rubrum, 319
Stypticum, 320
Pomatum Officinarum, 422
Martiatum, 424
De Althæa, 425
Regium aut Baſilicum, 427
Ægyptiacum, 428
Apoſtolorum, 429
Aureum, 430
Mundificativum de Apio, 431
Agrippæ, 433
Neapolitanum, 334
Ceratum Refrigerans, 335
Santalinum, 336
Stomachicum, 337
E Sulphure, 338
Unguentum mundificat. de Reſina, 432
Unicornu, 217
Uſtio, 48
Lignorum, ibidem
Uva, 110

X.

Xylobalſamum,

Z.

Zedoaria, 120
Zinziber, 258

Finis Indicis Pharmacopoeæ Galenicæ.

INDEX RERUM TOMI SECVNDI,

IN PHARMACOPOEA CHYMICA CONTENTARVM.

A.

Abſinthium, ejus diſtillatio, 14
Acidum ſulphuris, 268
Aës Uſtum, 327
Tranſmutatio in Vitriolum, 327
Viride æris, Ærugo, 327.329
Album margaritarum, vide *Biſmuthum*.
Alkali, diſtinctio veri à falſo, 225.226.332
Aloës, ejus Extractum, 119
Alkaeſt, 331
Alumen, ejus præparationes & rectificatio illius ſpiritus, 239
Rupeum, 239 Romanum, 239
Amalgama, Auri cum Mercurio, 29
Amalgamata, Cæmentationes, & calcinationes Argenti, vilia, 302
Diſſolutio & diſſolutio Argenti in Cryſtalla, 302
Cautiones circa Cryſtallorum illius uſum, 304
Tinctura Lunæ, 304
Calcinat. immerſivaArgenti. 304
Præcipitatio Argenti, 304
Quomodo fiat, 304
Methodus perficiendæ Tincturæ Argenti, 305
Reductio Calcis Argenti in metallum, 305
Tinctura calcis Argenti, 305
Luna Potabilis, 305
Luna cauſtica, 308
AmalgamaMerc.cū Auro&Argent. 291
Mercurij cum ſtanno, 377
Ambragriſea, ejus præparationes, 276
Quid ſit, ibidem
Igni non exponenda, 277
Tinctura, ibid. Eſſentificata, 278
Animalia, præparat. illorū Chymicæ, 159
Multum obtinent phlegma, paucum Sal volatile, plus Olei minus acidi minus terræ, pauciſſimumSal fixum, 160
Aniſum, ejus diſtillatio, 37
Anodynum minerale, 227
Antihecticum Poterij, 347.348
Antimonium, vires & uſus, 373
Vſus ad depurationem Auri, ibid.
Vitrum, 374
Ejus calcinatio, fuſio, &c. ibid.
Suſque deque cur purgat, 375
Ejus correctio, 376
Varietas colorum vires ejus non alterat, 376
Croci, Hepatis præparatio, 377
Magneſia Opalina, 378
Crocus metallorum abſinthiacus *Tilingij*, 378
Regulus Antimonij, 379
Tartari, Nitri & Antimonij variæ præparationes pro conficiendo Regulo ibidem.
Reguli ſtellati conficiendi ratio Authoris, 380
Reguli depuratio, ibid.
Pilulæ, Pateræ ex Regulo Antimonij, 380.381
Crocus Auratus Antimonij, ibid.
Regulus martialis, 381.382
Cur majori copia proveniat quam vulgaris, ibid.
Regulus citra Salium additamentum, 382.
Flores Antimonij, 383
Antimonium diaphoreticum in præparatione florum, 385
Ejus præparatio, 386
Flores ex Vitro, Croco & Regulis elici poſſunt, 383.384

Flores

Flores rubri à flavis & albis viribus non differunt, 384
Florum correctio, 383
Cryſtalla Nitri, aut Magiſteriū educta è prima lotione, ibidem
Calx & Ceruſa Antimonij idem quod Antim. Diaphor. ibidem
Vitra, Croci, Flores, Reguli in Antim. Diaph. abire poſſunt, 384
Liquor glacialis Antimonij, 388
Cinnabaris Antimonij, 391
Ex ſolo Antim. crudo elicitur, 391
Partis Regulinæ Antimonij diſſolventia quæ, 399
Liquor. Antimon. educēdi ratio, ibid
Liquor glacialis Antimonij in regulum vel vitrum deduci poteſt, unde conſtat Mercurij nihil continere, ac proinde Pulverem Emeticum ex eo paratum male dici Mercurium vitæ, 400
Diaphoreticum, 385
Mercurius deliteſcens in ſublimato corroſivo totus in cinnabarin abit, aut reſurgit, 391
Cinnabaris Antimonii ex quibus conſtet, ibidem
Ejus rectificatio ibidem
Liquor glacialis Antimonii D. *Pelegrini.* 392
Pulvis Emeticus vel Algariht. 395
Liquoris glacialis præcipitatio per aquam limpidam, 396
Sulphur Antimonij, 397
Panacea, Sulphuris Antim. 398
Antimonii ſingulares præparationes, 399
Antimonii Flores correcti, 401
Vitrum correctum, 401
Vitri Antimonii Tinctura ſolum dejectoria aut hidrotica, 400
Rob Antimoniale tantum catharticum, ibidem
Liquor Antimonialis dulcedine mellis, ibidem
Liquor Antimon. melleus, ibid.
Liquor Antim. ad Ulcera, ibid.
Apum præparatio, 185
Ex retorta diſtillatio, ibidem
Apologia Authoris adverſus D. Deniſium, 171
Aquarum præparatio 199
Differentiæ naturalium, ibidem
Pluvia, ibid. Marina, ibid.
Aquæ Vegetabilium, illarū diſtillatio, 3
Aquæ eductæ è Radicibus, 5
Ex herbis ſucculentis frigidæ cenſentur, 8
Oxalidum, 11
Herbarum calidarum, amararū & inodoratarum, 12
Odoratiſſimæ ex Floribus Vegetabilium eductæ, 13
Naturales, illarum diſtillatio, 199
Pluviæ & Nivis diſtillatæ, 200
Fortes & Regales, 235
Ore non ſumendæ, 236
Fortis variæ præparationes, & Regaliſatio, 237
Aqua Abſinthij, 14
Cochleariæ, 16
Naſturtij, & aliarum plantarum anti-Scorbuticarum, 16
Meliſſæ, 19
Folior. Myrti, 20
Aquæ Florum in genere, 22.33
Roſarum, 23.35
Florum Lavendulæ, 29
Florum Roriſmarini, 30
Reginæ Hungariæ, 31
Odorata ligni Roſarum, 52
Cucurbit. Cucumer. & melonū, 58
Citri, 60
Rubi Idæi & Fragorum, 71
Nucum viridiū, 72 Vitæ, 75
Cinnamomi, 91 Caryophyllor. 93
Typhorum Cervinorum, 176
Ranarum, 180
Spermatis Ranarum, 181
Cancrorum fluviatilium, 182
Ciconiarū, 184 Odorat. Mellis, 186
Spirituoſa Formicarum, 152
Marina 200 Calcis, 203
Phagedenica, 204

Calcis opthamica, 203
Talci cum limacibus, 217
Duorum pugilum, 258
Vitrioli, 253 Polonica, 371
Primæ lotionis Biſmuthi, 403
Sriptica D. Matte, 252
Apoplectica, 406 Serpilli, ibid.
Bezoartica, ibidem
Quercetani contra Calculum. 407
Coſmetica Columbina, ibidem
Coſmetica alia, ibidem
Mellis, 185
Fontana,fluviat.199 Nivis, 200
Marina, 199 Fortis,Regia,235
Arcanum Margaritarum, 214
Argentum, ejus præparationes, 300
Purificatio ſuperficiaria, 301
Calcinatio immerſiva, 302
Fuſio, ibidem
Purificatio per plumbum, 302.303
Principia conſtitutiva, 301
Diſſolutio, Cryſtalliſatio, 304
Tincturæ, 305 Vires, 307
Argentum vivum, vide *Mercurius*.
Argilla, ejus præparatio, 195
Sali cõmiſta in hujus diſtillat. 221
Arſenicum, ejus præparationes, 272
Rubinus Arſenici, 274
Pernitioſum intus ſumptum, 275
Regulus Arſenici, ibidem
Liquor butyroſus, ibidem
Fixum, vel Liquor fixus Arſenici, ibidem
Aſelli, diſtillatio,Sal, Ol.volatile, 188
Uſtio inutilis, ibidem
Fixatio Salis volatilis, 189
Pulvis, ibidem
Aſtoccorum diſtillatio, 183
Aquæ ſtillatitiæ, vide *Diſtillatio*.
Trium Nucum, 72
Polonica, 377
Primæ lotionis Magiſterij Biſmuthi, 403
Aurantia mala, diſtillatio, 59
Aurum metallorum rex, 284
Præparationes, 285
Lotio ſuperficiaria, 286
Calcinatio immerſiva, 288
Fulminans diaphoreticum, ibid.
Cauſæ fulminationis 288. & ſeq.
In ventriculo non fit, 287
Impediendæ ratio, 288
Diſſolutio per Aquam Regiam, ibidem & ſeq.
Calcinatio per} inquartium, 289
Depuratio per cementationem & Antimonium, 293. & ſeq.
Cementi ad id neceſſarii præparatio, 294
Cementationis perficiendæ ratio, ibidem
Depuratio per Antimonium,
Per Plumbum, 302
Per Mercurium, 295
Amalgamatio cum Mercurio, hujus ab Auro ſeparatio;hujus in calcem puriſſimam deductio, ibidem
Sublimatum in Flores 296
Calcinatum cum C. C. ibidem
Tincturæ aut Extractiones, ſeq.
Tinctura Auri potabilis nomine donanda, ibidem
Cum Spiritu Aceti, 299
Rubinus *Grulingii*, ibidem
Tinctura hujus Rubini, ibidem
Potabile Dni. Langelotii. ibid.
Aquam fortem propriam requirit, 292

B

Balenæ, diſtillatio illarum partium,179
Balſamus Saturni diſtillatus, 341
Saturni per digeſtionem, 342
Bezoarticus, 417
Hyſtericus, ibidem
Vulnerarius, ibidem
Baccæ, diſtillatio, 37
Benzoinum, diſtillatio, 99
Bezoar minerale, 395
Joviale, 347.& ſeq.
Biſmuthum, ejus præparationes, 402
Valet ſolum uſu externo, 402
Magiſterium, 403
Aqua primæ lotionis, ibidem

Flores,liq.Sal Cryſtallinus,ibid.
Boli, præparatio, 195
Uſus ad diſtillationem Salis, 221
Bufones, præparatio, 180
Exſiccatio, 180
Diſtillatio, ibidem
Proprietates, 181
Amuletum, ibidem
Bufonites lapis, ibidem
Butyrum Nitri P. J. Fabri, 238

C.

Cancri flluviatiles, 182
Diſtillatio, 183
Calcinatio, ibidem
Vis eorum diuretica, ibid.
Oculi illorum quid ibid.
Calices ex regulo Antimonii 382
Calcinatio Philoſophica C. C. 177
Auri, 288
Cancrorum Fluviatilium, 183
Silicum, 200
Talci, 216
Salis Ammoniaci, 242
Immerſiva Auri per Aquam Regiam, 288
Auri per inquartium, ibidem
Auri cum C. C. 296
Argenti immerſiva, 302
Per Spi. Nitri, ibidem
Æris, 327
Plumbi, 333
Stanni, 343
Mercurii immerſiva, 357
Antimonii lenta, 373 34
Calx, Præparationes, 201 204
Cauſtica vis unde, 201
Sal, 203
Spiritus, 204
Argenti, 302
Calx Sali Armoniaco miſta, 244
Antimonii, 384
Plumbi an alkali, 335
Auri, 296
Camphora, diſtillatio, 95
Cantharides, diſtillatio, 190
Corrodendi vis illarum, ibidem
præparatio, ibidem
Sal volat. 191
Carduus bened. Sal, 133
Caryophylli Aromatici, 92
Caſtor, præparatio, 193
Præbet Sal & Oleũ volatile, ibid.
Tinctura Caſtorei, 194
Caſtorei ſpiritus, Extractum, 195
Facultates ibidem
Cauſticum Lunæ, 308
Cauſtica, ex calce, 202 203
Cementatio Auri depurativa, 293
Argenti prętermiſſa, ibidem
Cera diſtillatio, 186
Sal volatile, 187
Butyrum, Oleum 188
Ceruſa Antimonii, 387
Ceruſa Plumbi, 335
Veneta, 335
Cervus ſerpentum avidus, 175
Chalybs quid, 310
Diverſæ in eo qualitates, ibid.
Citra præparationem utilis, ib.
Ex Ferro fit, ibidem
Facile diſſolvitur, & ſeq.
Effectus edit non uniformes, 315
Uſui ſuccedant purgantia, 325
Ciconia, diſtillatio, Sal, Oleum volatile, 184
Proprietates partium illius,ibid.
Sal volatile, 184
Oleum diſtill. ibidem
Pinguedo, ibidem
Fimus exſiccatus, ibidem
Cinerum uſus, & ſeq.
Cinnabaris vulgaris, 355
Reſurrectio in Merc.vivum,ibid.
Antimonii, 391
Compoſitio naturalis, ibid.
Rectificatio&coloris intenſio,ib.
Citria mala, diſtillatio, 61
Cochlearia, diſtillatio, 18
Colocynthis, Extractum, 122
Coralium, Præparationes, 211
Simpliciſſimæ omnium optimæ, ibidem
Calcinatio, extinctio, diſſolutio

ſpiritus acidos, rejiciuntur. 212.
Tincturæ fallaces, 213
Tinctura Dom. *Langelotij*, 214
Cornu Cervinum, Calcinatum. 177
Vſus, 77
Præparationes Chimicæ, 275
Tenellorum diſtillatio, 176
Uſtio improbatur, ibidem
Sal volatile 177
Scob ſola utilis, 178
Magiſteria, ibidem
Cranium humanum,
Præparationes, 161
Diſtillatio, ibidem
Oleum, 162
Extractum, 163
Facultates, ibidem
Cremor aut Cryſtallus Tartari,
Cremor diſſolubilis, 419
Emeticus diſſolubilis, 420
Crocus Martis adſtrict. & aperit, 314
Adſtrictivus paratu facilis, 314
Color ruber unde, 315.316
Vitrioli Martis, 320
Veneris, ibidem
Crocus metallorum, variæ præparationes, 399
Abſynthiacus, 400
Martis aperitivus, 315.316
Veneris, 326.329
Cryſtallum Tartari Chalybeatum, 137
Emeticum, 13
Chriſtallum, præparationes, 209
Sal, magiſterium &c. 210
Color, Tinctura unde, 210
Cryſtallum minerale, 227
Præparatio Nitri ſingularis, 228
Cryſtalla, Argenti, 304
Nitri, 227.228
Veneris, 330.331
An pro Alkaeſt habenda, 331
Ex æruginе, 320
Cubebæ, diſtillatio 92
Cuprum, præparationes, 325
An vitriolo abundet, 325
Principia quæ, 325
Limaturæ calcinatio, 326
Crocus Veneris, 326
Calcinatio immerſiva, 327
Tranſmutatio in vitriolum, 328
Diaphoreticum minerale, 387
Diſpoſitio tertiæ partis Pharmacopœæ, 1
Diſſolutio Lapidum & Gemmarum, 200
Argenti in Cryſtalla, 304
Laminarum Plumbi, 339
Mercurij, 366
Diſtillatio per deſcenſum, 6
Diſtillatio Vegetabilium in genere, 5
Radicum, 5
Herbarum ſucculentarum frigidarum, 8
Oxalidum, 11
Herbarum calidarum, amararum & inodoratarum, 12
Abſynthij, 14
Cochleariæ, Naſturtij, 16
Meliſſæ, 19
Foliorum myrti, 20
Florum in genere, 22
Roſarum, 23
Lavendulæ: 29
Roriſmarini, 30
Aquarum odoratiſſimarum ex floribus vegetabilium, 33
Spirituum Ardentium ex floribus & herbis odoratos, 34
Seminum & Baccarum, 37
Aniſi, 37
Cochleariæ, Sinapi Naſturtij, 39
Baccarum Sambuci, 42
Juniperi, 43
Tritici, Secalis,
Hordei, 46
Leguminum, 48
Fabarum, 49
Lignorum, 51
Roſarum, 52
Guajaci, 54
Fuliginis, 56
Fructuum, & primo Cucurbitæ, Cucumeris, Melonum, 58
Citriorum, 59

Rubi

Rubi Idæi, 71
Fragorum, ibidem
Nucum, 72
Vini, 73
Aquæ vitæ in ſpiritum vini, 78
Spiritus vini Tartariſati, 79
Tartari, 82
Aceti, 85
Sacchari, 87
Mannæ, 89
Macis, Nuc. moſchatæ, 94
Cinnamomi, 90
Aniſi, 37
Caryophyllorum, 92
Camphoræ, 95
Terebinthinæ, 96
Maſtiches, 98
Benzoini, 99
Myrrhæ, 101
Gummi Ammoniaci, 102
Cranij Humani, 162
Sanguinis Humani, 164
Cervi, 179
Urinæ, 166
Viperæ, 168
Typhorum Cervinorum, 176
Cornu Cervini, 175
Eboris, Oſſium, aliarumque partium animalium, 175. & ſeq.
Bufonum, 180
Ranarum, 181
Spermatis Ranarum, 182
Cancrorum fluviatilium, 183
Lapidum Cancrorum, ibidem
Ciconiarum, 184
Mellis, 186
Ceræ, ibidem
Aſellorum, 189
Lumbricorum, 188
Cantharidum, 190
Formicarum, 191
Pavonis, ejuſque ſtercoris, 192
Caſtoris, 194
Terrarum argilloſarum, 197
Salis Terræ, 197. & ſeq.
Olei Philoſophorum, 198
Aquæ Pluviæ, Nivis, 200
Roris, ibidem
Calcis vivæ, 203. & ſeq.
Lapidis Hæmatitis, 208
Salis Marini, 220. & ſeq.
Spiritus Salis dulcis, 223
Nitri, 232
Aquarum fortiũ & Regiarũ, 235
Duorum pugilum, 237. & ſeq.
Aluminis, 239
Salis Ammoniaci, 242
Spiritus acidi Salis Ammoniaci, 242. 246.
Salis Ammoniaci cum Lapide Hæmatite, 247
Reſidentiæ lap. Hæmatitis cum terra figulina, ibidem
Salis Ammoniaci cum limatura Chalybis, 248
Vitrioli, 255
Spiritus Vitrioli dulcis, 259
Urinoſus Salis Ammoniaci, 243
Capitis mortui Vitrioli, 262
Vitrioli variæ diſtillationes, 255 & ſeq.
Sulphuris, 266
Succini, 280
Cryſtallorum Veneris, 320
Salis Saturni, 339
Liquoris glacialis, aut butyroſi ſtanni, 346
Liquoris glacialis Antimonij, 390
Oleti Humani, 167
Plumbi, 339. 346
Stanni, 345

E.

Eboris diſtillatio, 179
A diſtillatione ſuperſtes Pictoribus utile, ibidem
Calcinatum fit ſpodium, ibid.
Edulcatio Spiritus Salis, 223
Media & ſpiritus ad eam utiles, facultates & uſus, ibidem
Edulcatio ſpiritus Nitri, 235
Edulcatio ſpiritus Vitrioli, 259
Spiritus Vini ad id quovis alio aptior, 260

Electuarium Chalagogum *Fr.Sylvij*, 420
Hydragogum ejuſdem, 420
Elemi Gummi, diſtillatio, 98
Elixiria, 105
Camphoratum, 106
Citri, ibidem
Proprietatis, 107
Cryſtalli, 210
Cephalicum, 421
Hyſtericum, ibidem
Proprietatis Scorbuticum, ibid.
Stomachale, 422
Abbatis Gratiæ, ibidem
Eſſentiæ & *Spiritus* Margaritarum improbantur, 216
Extracta Vegetabilium, 109
Opij, 111
Aloës, 119
Rhabarbari, 121
Colocynthidis, 122
Eſulæ, 124
Radicum Iridis, Sambuci, Mezerei, Laureolæ &c. 125
Scammonij. ibidem
Jalapæ, 127
Panchymagogum, 128
Cranij humani, 163
Florum ſublimatorum,
Auri, 297
Limaturæ Chalybis cum aceto, 324. & ſeq.
Martis Adſtringens, 325
Simpliciſſimum, ibidem
Sennæ, 121

F.

Fabæ, diſtillatio, 49
Feculæ, præparationes, 130
Ferrum, metallum ignobile, 309
Præparationes, 309. & ſeq.
Chalybi poſtponendum, ibidem
Agit juxta varias præpar. 310.312
Chalybis limaturæ vis, 310
Diſſolvitur ab aqua ſimplici, 311
Ferrum pro alkali non habendum, 312
Mars cur dictum, 309
Cur Chalybs, 310
Sal Martis quid, 313
Diſſolutio per ſpiritũ Vitrioli, ibidem
Croci varij, 314
Sal, 317
Vires, 318
Vitriolum Martis, 319
Præparationes variæ, 319 & ſeq.
Vires & dozis, 320
Tinctura Martis, 321
Extracta, 324. & ſeq.
Sublimatio in flores, 324
Fixatio Salis volatilis Viperini, 170
Salis volatilis Aſellorum & Lumbricorum terræ, 189
Nitri cum pulv. Carbonum, 229
Arſenici, 275
Flores, diſtillatio in genere, 22
Lavendulæ, 29
Vegetabilium, 3
Benzoini, 99
Salis Ammoniaci, 242
Coloris crocei, 243
Eorum Tincturæ & Extractum, ibidem
Sulphuris, 264
Compoſiti, ibidem
Albi A. *Sale*, ibidem
Succini, 277
Auri, 297
Martis, 324
Stanni, 344
Antimonij, 382
Correctio, 383
Colores varii non variant vires, 385
Biſmuthi, 405
Roriſmarini, 30
Formicæ, diſtillatio, 191
Sal volatile in aqua, ibidem
Liquor, Oleum per infuſionem: Suppeditant Sal volatile, 192
Vires, ibidem
Fraga, diſtillatio, 71
Fructus, diſtillatio, 58 Fuſio Salis, 220

G.

Gajacum, diſtillatio, 54

Gemmæ, 200
Calcinatio, ibidem
Potentialis, ibidem
Gummi Elemi, 98
Ammoniaci, diſtillatio, 98
H.
Hæmatites lapis, 208
Hepar Antimonij, 374
Adverſus *Fr. Hofmannum* Apologia, 61
Hordei diſtillatio, 48
Ex Homine remedia, 159
Hidrargyrum, 349
Quid, ibid.
Vide *Mercurius*, &
Vbi reperitur, ibidem
Grave eſt admodum, ibidem
Ialap.Reſina, Uires, 196.197
Inquartium, 288
Iuniperus, diſtillatio, 43
Iupiter, Stannum, 342
Lac, Sulphuris, 265
Virginale,
Lapidum & Gemmarum præparatio, 200
Calcinatio ad calcis productionem, ibid.
Gemmarum, ibidem
Gemmæ igne candefactæ & in aqua extinctæ, ibidem
Diſſolutæ in liquoribus corroſivis, ibidem
Magiſterium improbatur, ibid.
Lapides calcarij inutiles niſi calcinentur &in aqua extinguantur, 202
Bufonites, 181
Cancrorum fluviat. 183
Iudaici & Lyncis præpar. 206
Mixtio cum ſulphure & projectio, 206
Tinctura, diſſolutio & coagulatio in Sal, 20
Hoc ſal quale, 207
Hæmatites, 208
Diſtillatio, ibidem
Alia diſtillatio, ibid.
Spiritus ejus martialis, 209
Tinctura Florum, eorumque extractum, ibid.
Infernalis vel Cauſticus, 308
Ejus effectus unde, 308
Contrayerva,
Medicinalis,
Admirabilis,
Philoſophorum,
Cauſtici, 206
Infernalis, 308
Lateres, Oleum ex iis, 199
Lavendula, diſtillatio, 29
Laudanum, 116
Legumina, diſtillatio, 48
Ligna, diſtillatio, 32
Roſarum, diſtillatio, 53
Guajaci, diſtillatio, 55
Liquor, Tartari, 140
Formicarum, 191
Cryſtalli, improbatur, 210
Margaritarum. 215
Talci, 216.217
Salis Antimoniaci, 242
Florum Salis Ammoniaci, 243
Fixus Arſenici, 275
Saturni, 340
Glacialis Stanni, 347
Mercurialis, 371
Ex ſublimato dulci, miſto Sali Antimon. 371
Mercurialis, Jovialis, 372
Mercurialis Agricolæ, ibid.
Mercurialis diſtillatus, 373
Glacialis Antimonij, 388
Antim. melleæ dulcedinis, 400
Melleus, ibid. Ad ulcera, 401
Liquor Hyacinthinus Antimon, 400
Hyſtericus, 401
Nitri fixus, 230
Lumbrici terræ, præparat. 288
Luna cauſtica, 308
Luna, vide *Argentum*, 301
Vnde albedo, ibidem
Ignis non adeo patiens ac Aurum, ibid.
Purificatio. 301.303

M.

Mel quid ; 185
Oleum, 186
Machicot,
Macis, diſtillatio, expreſſio, 93
Magiſterium Scammonij, 126
Jalapæ, 227
Saturni, 338
Cranij humani, 161
Cryſtalli, 210
Jovis, ibidem
Coralli, 212
Biſmuthi, 403
Margaritarum ; 215
Sulphuris, 265
Succini, 279
Antimonij Diaphor. 385
Manna, Diſtillatio, 89
Margaritæ, præparatio, 214
Pulveriſatio omnium optima Præparatio, ibidem
Diſſolutio in ſucco limonum, 215
Sal Magiſterium, Oleum, &c. ib.
Per deliquium extracta improbantur, 216
Non ſunt Alkali ; ibidem
Mars, vide *Ferrum*,
Maſtiche, diſtillatio, 98
Meliſſa, diſtillatio, 19
Melonum, diſtillatio, ibidem
Mel, ejus diſtillatio, 185
Rectificatio ſpiritus ; 186
Acetum ex Melle, ibidem
Metalla in genere, 282
Generatio, 283
Mercurius vivificatus ex ſublimato corroſiuo,
Præparationes, 348
Non eſt Alkali, 349
Nervis inimicus, 351
Caute uſurpandus, ibidem
Purificatio, & in Cinnabarin converſio, 355
Lotio, exſiccatio, trajectio per corium, 356
Purificationes variæ, ibidem
Ruber, improprie Præcipitatus dicitur, 357
Ruber citra additionem præparatus, 359
Iſtius præparatio, ibidem
Præcipitatus ruber, aliàs Arcanum Corallinum, ibidem
Ruber vulgaris, 360
Flavus & Roſei coloris, ibidem
Flavus, alias Turbith minerale, 361
Coloris Roſei, ibidem
Fuſci, 362
Viridis cum cupro, ibidem
Præcipitati albi, ibidem
Albus cum aqua forti, 363
Præcipitationis veræ rationes, ibidem
Sublimatus dulcis ex Præcipitato albo, 369
Præcipitatus albus ex ſublimato, corroſivo, Sale Armoniaco, & Sale Tartari, 364. 370
Sublimatus corroſivus, 366
Mercurij diſſolutioni in aqua forti quando locus, 366
Sublimati corroſivi legitima præparatio, ibidem
Agendi ratio diverſa.
Aqua ſimplex hauſta illius alexiterium, 368
Sublimatus dulcis, 374
Ex præcipitato flavo, ibidem
Mercurius in ſublimato corroſivo latens, in cinabrium aſcendit, aut revivifcit, 390
Mercurius vitæ, Antimon. eſt, ibidem
Metalla in genere, 282
Generatio, perfectio, 283
Numerus, ibidem
Nobilia, ignobilia, 284
Mineralia, præparat. Chymicæ ; 195
Minium, 334
Mumia, inferior viribus cranio & ſanguine humano, 164
Muſtela bufonis os invita ſubit. 180

Myr-

Myrrha, diſtillatio, 101
Myrtus, diſtillatio foliorum, 20

N.

Naſturtium, diſtillatio, 30
Nix, quid, 200
Præparationes, ibidem
Nitrum, præparationes, 226
Triplici Sale conſtat, ibidem
Depuratio, 227
Depurati nomina, ibidem
Præparatio Cryſtallo minerali potior, 228
Fixatio, ibidem
Cum pulvere carbonum, 229
Fixum qua arte redeat in priſtinam naturam, ibidem
Liquor ex fixo an pro menſtruo univerſali habendus, ibidem
Foliatum, 230
Nitri ſpiritus, 232
Solus exſurgit vaporum rubrorum forma, 232
Dulcificatio, 235
In ſpiritus totum non reſolvitur, 233
Butyrum & Nitrum Vitriolatum P. J. *Fabri*, 288
Ex Nitro pulvis fulminans, 286
Uſus ad ſublimationem florum ſtanni, 345
Uſus ad varias Antimonij præparationes, 377. & ſeq.
Nuces virides, diſtillatio, 72
Moſchata, diſtillatio, 94

O.

Olea ſtillatitiæ, 6
Abſinthij, 15
Meliſſæ, 19
Foliorum Myrti, 20
Roſarum, 23
Florum Lavendulæ, 29
Aniſi, 38
Seminum Cochleariæ, Sinapi, Naſturtij, 39
Baccarum Sambuci, 42
Juniperi, 43
Tritici, Secalis, Hordei, 46
Leguminum, 48
Fabarum, 49
Lignorum, 51
Roſarum, 52
Guajaci, 54
Fuliginis, 56
Citriorum & Aurantiorum, 59
Tartari, 83
Mannæ, 89
Cinnamomi, 90
Caryophyllorum, 92
Macis, 94
Nucis Moſchatæ, ibidem
Cubebarum, ibidem
Cardamomi, ibidem
Piperis, ibidem
Camphoræ, 95
Terebinthinæ, 96
Maſtichis, 98
Reſinarum, Picis, Thuris, Gummatum, 99
Benzoini, ibidem
Myrrhæ, 101
Gummi Ammoniaci, 102
Galbani, ibidem
Opopanacis, ibidem
Sagapeni, ibidem
Cranij humani, 163
Oſſium human. 164
Sanguinis humani, ibidem
Secundinæ muliebris, 165
Stercoris humani, 167
Viperarum, 168
Typhorum Cervinorum, 176
Eboris, ibidem
Cornuum, ibidem
Ungularum, ibidem
Pinnarum Cetaceorum piſcium, ibidem
Bufonum, 180
Ranarum, 181
Oculorum Cancr. 183
Ciconiarum, 184

Mellis, 186
Ceræ, 188
Aſellorum, 189
Lumbricorum terræ, 188
Cantharidum, 190
Formicarum, 191
Pavonis, ejuſque ſtercoris, 192
Caſtorei, 193
Oleum Philoſophorum, 198
Talci, difficile, 216
Per deliquium, 217
Crollianum, 218
Oleum diſtill. Salis Saturni, 335
Oleum, aut liquor glacialis Stanni, 343
Ex Regulo Jovis, 344
Antimonii, 399
Uſus externus, ibidem
Opium, ejus Extractum, 115
Torrefactio, ibidem
Acidorum uſus improbatur in præparatione, 116
Experimenta, 113 & ſeq.
Oſſium humanorum diſtillatio, 161
Cæterorum animalium diſtillatio, ibidem
Oxalidum, diſtillatio, 11

P.

Panacea Sulphuris Antimonij. 398
Pavo, præparationes, 192
Avis Medica dicitur, ibidem
Juſculum, Aqua diſtillata, Sal, Oleum volatile &c. ibidem
Partium illius variæ præpar. ib.
Pharmacopœæ Chymicæ objectum, 1
Galenicæ & Chymicæ ſocietas, ib.
Chymicæ diſtributio, 2
Phlegma Aluminis, 239
Vitrioli, 255
Succini, 280
Saturni, 339
Pix alba, *nigra*, diſtillatio, 98
Plantæ, earum partes, Præparationes Chymicæ, 3
Plumbum, Præparationes, 333.346
Fuſio, 334
Cur Saturnus dicitur, 333
Purificatio ſuperficiaria, ibidem
vide *Saturnus*.
Præcipitatum liquoris glacialis Antimonij, 394
Vitrioli, 255
Mercurij, vide *Mercurius*,
Liquoris glacialis Stanni, 345
Spirit. acidus ex hoc præcipit. ib.
Corallinum, 359
Pulvis Aſellorum, 109
Fulminans, 291
Purificatio & decrepitatio *Salis marini*, 218. & ſeq.
Crepitationis cauſa, 219
Vitrioli, varia, purif. 251
Auri, 286
Argenti, 301
Plumbis, 333
Variæ productiones ex calce illius, 334
Pulvis à diſtillatione CC. reſiduus, 177
Emeticus Jovialis, 394

Q.

Quartatio quid, 288

R.

Radices, diſtillatio, 5
Ranæ, præparationes, 181
Diſtillatio, Sal volatile, oleum, ibidem.
Uſtæ Hæmorrhagiam & Gonorrhoeam ſiſtunt, 182
Aqua ſine igne deſtillata, ibidem
Combuſtio, 181
Vires, 182
Rectificatio Spiritus Salis, 222
Spiritus Aluminis, 239
Spiritus Vitrioli, ibidem
Salis volatilis & olei ſuccini, 281
Salis Jovis, 345
Reductio calcis Argenti in metallum, 307
Calcis plumbi in priſtinum corpus, 338
Æris à corroſivis diſſoluti, 327
Florum Stanni in calcem, 343
Refutatio *Frid. Hofmanni*, 60.61

D. De_

Refutatio D. *Deniſij*, 170
Regaliſatio, Aquæ Fortis & Regiæ, 238
Regulus Arſenici, 275
Antimonij, 375
Martialis, 381
Antimonij ſine ſalibus, 379
Uſus ad præparationem Olei glacialis, 380
Cinnabarin non dat, 389
Reſina, diſtillatio, 98
Scammonij, 125
Jalapæ, 127
Rhabarbari Extractum, 121
Rob Antimoniale purgans, non Emeticum, 399
Ros, diſtillatio, 200
Ros Vitrioli, 255
Roſæ, diſtillatio, 23
Roſmarinus, diſtillatio florum, 30
Rubinus Arſenici, 274
Auri Grulingij, ejuſque Tinctura, 299
Rubus Idæus, 71
Rubigo vim diureticam non habet, 313.

S.

Salia vegetabilium, 131
Cardui benedicti, 133
Eſſentiale, Cremor aut Cryſtallus Tartari, 134
Eſſentiale Tartari Chalybeatum, 137
Emeticum, 138
Fixum Tartari, & reſolutio in liquorem, 140
Ex Tartaro crudo elici poteſt,
Tartari Nitratum, 142
Vitriolatum, ibidem
Foliatum, 145
Sal volatile Oleoſum, 156
Tilingij, ibidem
Cranij humani, 162
Sal & oleum volatile Sanguinis humani, 165
Secundinæ, ibidem
Volatile Urinæ, 167
Sal & Oleum volatile Viperarum, 168
Rectificatio & Fixatio, ibidem
Sal fixum paucum in Animalibus, 169
Volatilis Viperini excellentia,
Volatile Typhorum Cervi, 176
Sal & Oleum volatile C. C. 178
Eboris, Oſſium, Cornuum, Ungularum &c. 179
Sal & Oleum volatile & fixum Bufonum, 180
Sal & Oleum volatile Ranarum, 181
Sal Cancrorum, 183
Sal & Oleum volatile lapidum Cancrorum, ibidem
Ciconiarum, 184
Sal volatile Ceræ, 187
Sal & Oleum volatile Aſellorum, 188
Lumbricorum terreſtr. ibidem
Sal volatile ex his animalibus diureticum, 189
Sal & Ol. volatile Cantharidum, 191
Sal volatile & Aq. ſpirit. Formicarũ, ib.
Sal & Oleum volatile Pavonis ejuſque ſtercoris, 192
Sal Terræ, 198
Sal Aq. pluviæ, 199 Nivis, ibid.
Sal Calcis, etſi revera inſit, ſecerni nequit, 203
Salia corroſiva Calci commiſta ad Cauſtica paranda, ibidem
Sal Lapidis Judaici & Lyncis, 207
Cujus naturæ, ibidem
Sal Cryſtalli, laborioſ. & parũ utile, 210
Sal & Magiſterium Cryſtalli improbantur, ibidem
Sal &c. Margaritarum improbatur, 215
Sal commune, præparationes, 218
Marinum, præcipitatum verum cunctorum Salium, 219
Sal gemmeum, ibidem
Salis Marini diſtillatio, 220
Cum Alumine uſto, 222
Cum Nitro, ibidem
Salis cum corallis improbatur, ib.
Sal Polychreſtum, 231

cum additione Spiritus volatilis Salis Armoniaci, 231
Sal fixum Aluminis, 239
Sal Ammoniacum; Præparationes, 241
Calcinatio & fuſio cum calce viva, &c. 242
Sublimatio, ibidem
Diſtillatio, ibidem
Salis Tartari addito quid præſtat, ibidem
Salia terreſtre quid ſemper retinent, etſi calcinentur, diſſolvantur, &c. 251
Sal & Terra Vitrioli, 262
Quid proprie Sal, ibidem
Ex vitriolo albo parandum, ibid.
Sal ſulphuris 268 & ſeq.
Nullum rerum datur, ibidem
Præparationes variæ 270
Sal & Oleum volatile, C. C. 177
Martis an detur, 318 & ſeq.
Nullum legitimum datur, ibid.
Cum aceto ſtillatitio paratum, cum Spiritu Vitrioli & Spiritu Vini, ibidem
Sal & magiſterium Saturni, 335
Stanni cum aceto diſtillato, ib.
Sal Martis quid, 313 & ſeq.
Præparatio, 317
Salis Saturni dulcedo, 336
Vires ſeq.
Sal prunellæ, 227
Sanguis humanus, præparationes, 164
Cervinus, 162
Diſtillatio, 179
Saturni purificatio, calcinatio, 333
Pulvis varius ex calcinatione, 334
Ponderis augmentum in calce unde, 335
Sal & magiſterium, ibidem
Ex quavis ejus calce poteſt educi, 336
Salis præparatio, ibidem
An verum Sal, ibidem
Linimentum Saturni, 338
Diſſolutio laminarum, per aquam fortem; 339
Diſtillatio, ibidem
In Gas ad ignem abit, ibidem
Salis diſtillatio, ibidem
Spiritus ardens, unde 340
Balſamus, 341
Uſus ad Ulcera Cancroſa,
Scammonij, Reſina, 125
Secalis, diſtillatio, 46
Secundinæ muliebris, 164
Seminum diſtillatio, 37
Aniſi, ibidem
Sinapi, diſtillatio, ibidem
Spiritus ardentes odoratiſſimi ex Floribus & Herbis odoratis, 34
Ex Seminibus Cochleariæ, Sinapi Naſturtij &c. 37
Ex baccis Sambuci, 39.42
Juniperi, 39.45
Tritici, Secalis, Hordei &c. 46
Leguminibus, 48
Fabis, 49
Lignis, 51
Guajaco, 54
Ligno roſarum, 52.56
Vini, 78
Vini Tartariſatus, 79
Aceti, 86
Sacchari, 88
Mannæ, 89
Terebinthinæ, 87
Acidus Benzoini, 100
Gummi Ammoniaci, 102
Vitæ aureus Rulandi, 123
Cranij humani, 161
Volatilis Sanguinis humani, 164
Urinæ, 166
Viperarum, 168
Cornu Cervi, 175
Bufonum, 180
Lapidum Cancrorum, 183.

Viperæ, 186
Volatilis Aſellorum & Lumbricorum, 189
Cantharidum, 190
Pavonis ejuſque ſtercoris, 152
Caſtoris, 194
Terrarum argilloſarum, 197
Roris, 200
Calcis vivæ Schroderj, 203
Alia præparatio, 204
Acidus Martialis lapidis Hæmatitis, 208
Vrinoſus & Acidus ejuſdem lapidis, 209
Salis, 220
Imprægnatus acido Aëris, Corallatus, 221
Cum Alumine uſto, 222
Cum Nitro, ibidem
Cum Corallis improbatur,
Dulcis, 223
Affuſus rebus diſſolutis ab Aqua forti quomodo illas præcipant, 224
Spiritus *Nitri*, Nitro fixo additus hoc priſtinæ formæ reddit, 232
Diſtillatio, 233
Uſus, 234
Solus vaporis rubri forma aſſurgit, 232
Dulcis, 235
Spiritus *Aluminis*, 240
Rectificatio & dulcoratio, ibid.
Magiſtralis, 241
Spiritus urinoſus *Salis Ammoniaci*, 243
Uires, 248.249
Citiſſime evehitur affuſa aqua ſuper Sal Tartari & Sal Ammoniacum miſta, 244
Præparatio, 245
Acidus, 246
Flavus cum lapide hæmatite, 247
Urinoſus cum limatura chalybis, 248
Ambo hi ſpiritus in unum corpus coire poſſunt, 249
Spiritus *Vitrioli* dulcis, 259
Dulcoratio cum aceto improbatur, 259
Cum ſpiritu vini optima, 262
Regeneratus, 260
Compoſitus, ibidem
Emendatus Paracelſi, 261
Antepilepticus Hartimanni, ibi.
Aromaticus Sylvij, 157
Spiritus *Sulphuris*, 267
Vini optime rectificatus Salia non diſſolvit, 76
Succini, 280
Vitrioli ex Vitriolo Martis, 260
Veneris, 330.331
Acidus ex Sale Saturni & ſpiritu ardente, 340
Ardens *Saturni*, unde, 520
Limpidus ex præparatione quadam Balſami Saturni, 122
Perlarum improbatur, 216
Spodium, 179
Stanni præparationes, 342
Principia conſtituentia, ibidem
Jovis nomine donatur, ibidem
Fuſio, 343
Salis vires, ibidem
Flores, 344
Stannum, uti alia metalla, citra additionem diſtillari nequit, 345
Amalgama ſtanni, ibid.
Stercoris humani diſtillatio, 167
Ciconiarum, 184
Pavonis, 192
Sublimatio Auri in flores, 296
Stanni in flores, 344
Sublimatum dulce ex Mercurio Præcipitatio alba, 362
Corroſivum, 364
Dulce ex præcipitato flavo, 365
Succini hiſtoria, 278
Præparationes, 278
De origine variæ ſententiæ, ibi.
Præparatio in porphyrite, 279
Magiſterium, 280

Tinctura, 289
Diſtillatio, Spiritus, Sal volatile
Oleum, 280
Vires, 282
Norma eſt diſtillandi reliquas
Bituminum ſpecies, ib.
Sulphur Pulveratum uſtum Salibus additum quid præſtat, 141
Vitrioli variæ præparationes, 253
Ejus tantum terreſtris eſt portio
Sulphuris præparationes, 263
Sublimatum in Flores, 264
Flores compoſiti, ibidem
Albi A. Sale, ibidem
Magiſterium aut Lac, & ſeq.
Flores præſtant, ibidem
Sulphuris Diſtillatio, 266
Spiritus efficacia in voce deperdita, 268
Sulphur Veneris quid, 334
Auratum Antimonii, 381
Tacamahaca, 98
Talcum, Præparationes, 216
Oleum difficillimæ præparationis, ibidem
Calcinatio igne patente non ſufficit, 217
In Pulverem contritio, ib.
Limacibus immixtus dat Aquam coſmeticam, ibid.
Oleum per deliquium ex eo paratum quid, ib.
Oleum Talci Crollii, 218
Tartarus Vini, 76
Tartarus, Diſtillatio, 82
Sal eſſentiale, 135
Abundat Sale volatili&Acido, 134
Calcinatum cum Nitro 135
Vitriolatum,
Variæ de hoc obſervationes. 136
Terebinthina, diſtillatio, 96
Terræ & Boli præparationes, 195
Præparandæ non lavandæ, 197
Sal & Spiritum ſuppeditant, ib.
Argilloſarum diſtillatio, ibid.
Vitrioli, 253
Pro Sulphure imponit, ibid.
Aſtringens, 254
Lemnia, 190
Tinctura Benzoini, 99
Chymicæ vegetabilium, 104
Salis Tartari, 154
Mumiæ inferior viribus tinctura cranii humor, 164
Lapidum Cancrorum 183
Caſtorei, 194
Lapidum Judaici & Lyncis, 207
Cryſtalli, color unde accedat, 210
Coralli, dubiæ ib. & fallaces, 211
Dom. *Langelotii.* 212
Margaritarum improbatur,
Martis, variæ præparationes, 321
Cum Tartaro, ibidem
Croci Martis, 323
Vires, ibidem
Limatur. Chalybis cum aceto, ib.
Triticum, diſtillatio, 46
Turbith minerale, 361
Typhorum Cervinorum diſtillatio, 175

V

Venus, vide *Cuprum*, 325
Virus Venereum an ſit Acidum, 353
Viridis æris mutatio in Vitriol. 328
Vinum, diſtillatio, 75
Spiritus, 78
Tranſitus in acetum, 340
Vipera, diſtillatio, 168
Sal & Ol. volatile, Rectificatio, 169
Vires, ibidem
Fixatio Salis volatilis per ſpiritum Salis, 170
Diſceptatio de Viperis cum Dom. *Demiſio*, 171
Venenum ejus in efferatis ſpiritibus conſiſtit, 172
Succus flavus innoxius, 173
Vitriolum, præparationes, 250

Par-

Partibus terreſtribus aut metallicis abundat, 250
Purificatio, 251
Præcipitata, Terræ aut Sulphura Vitriolo, 253
Diſtillatio, 255
Ros, phlegma, Spiritus ſulphureus, Spiritus Acidus, 319. 320
Maris, 254
Spiritus acidiſſimus pro Oleo Vitrioli venditatus, 259
Horum Spirituum coagulatio in gelatinam, 257
A pauca aqua roſacea his affuſa cur diſſiliat vas, 257
Partes igneæ abſunt, 258
Spiritus ignei abſunt, ibidem
Spiritus dulcis, & alij, 259
Spiritus vini additus optime dulcorat, 260
Spiritus Vitrioli regeneratus, 260
Compoſitus. ibid.
Correctus Paracelſi, 261
Antepilepticus Hartmanni, 262
Sal & Terra, ibid.
Sal improprie dicitur, ibidem
Separandi ratio, ibidem
Vitriolum, aut cryſtalli Lunæ, 304
Martis, 319
Veneris, 326
Vires, 329
Vrina, diſtillatio, 166
Salis volatilis variæ præparationes, 167
Vires, ibidem
Vva, variæ ſubſtantiæ, 73

Finis Indicis Pharmacopoeæ Chymicæ.

§§§§

EXPLICATIO FIGVRARVM AERI INCISARVM, uſui Chymico conducentium.

Explicatio I. Figuræ.

A Furnus ad diſtillationem ſpiritus vini.
B Veſica Cuprea, interiori parte ſtanno obducta, ſpiritum vini excipiens.
C Serpentinum vas cupreum fulcrum habens ſuppoſitum.
D Serpentini Capitellum.
E Vas Refrigeratorium.
F Alius Furnus eidem uſui dicatus.
G Veſica cuprea intus ſtannata, Vini ſpiritum continens.
H Vas Serpentinum ex ſtanno conflatum.
I Capitellum Vitreum.
K Recipiens.
L Alembicus cœcus.
M Infundibulum.
N O Duo Alembici vitrei, quorum unus alteri incumbit, inferior autem parte ſuperna apertus eſt.
P P Vas Cœcum.
Q Q Matratium Cœcum.
R Ferrum dicatum diſcindendis collis Recipientium.
S Obturamentum oſtij Fornacis.
T Diſcus Vitreus.
V Siphon.
X Pedamentum Recipiens ſpiritus Vini ſuſtinens.

Explicatio ſecundæ Figuræ.

A Turris Athanoris.
B C Furni duo ab igne turri contento excalefacti.
D D Canales duo carbonem continentes.
F F Oſtia utriuſque Furni.
G Furnus Anemius.
H Oſtium Furni.
I Extremitas tubuli ventum in furnum deferentis.
I I Tubulus venti delator.
L Folles.
M M Ligna motum Follium juvantia.
O O Caminus.
P Ferri lamina in quadratam figuram exſtructa, Craticulæ vices in furno gerens.
Q Ferrum tabulatum quadratum, priori ſuperimponendum.
R R Obturamenta Canalium Turris.
S T Duo Crucibula.
V Tenaculæ ferreæ.
X Volſellæ ferreæ.

Explicatio tertiæ Figuræ.

A Furnus pro Aludello.
B Aludellum.
CCCCC Aludelli Ollæ.
D Capitellum Aludelli.
E Amplæ ollæ fictiles ad diſtillationem ſpiritus Sulphuris.
F F Campanæ vitreæ.
G G Crucibula Sulphur excipientia.
HHH Tres pateræ ingentes vitreæ.
III Tria Crucibula Sulphur continentia.
KKK Tres Campanæ vitreæ.
LLL Tria Capitella.
M Vas vitreum circulationi deſtinatum.
N Alembicus vitreus unius texturæ.
O Pelicanus.

Explicatio quarta Figuræ.

A Furnus.
B Veſica cuprea intus ſtanno veſtita.
C Mauri Caput.
D Dolium aquam continens refrigerandi gratia liquoris per diſtillationem prodeuntis, Cum Tubulo liquorem in Recipiens deferente.
E Recipiens.
F Cuculli ferrei ad Regulorum confectionem.
G Mola Chalybea.
H Furnus quatuor ſimul Retortis pro totidem diſtillationibus, inſtructus.
I I Quatuor grandia Recipientia.
K Vaſa dicata ſecretioni aquarum ab oleis per ellychnium.
L Canalis cylindraceus fuſa metalla excipiens.

Explicatio quintæ Figuræ.

A Furnus Reverberatorius.
B Faſtigium cameratum.
C Furnus pro diſtillatione herbarum igne arenæ.
D Vas Cupreum intus ſtanno obductum, herbas recipiens.
E Capitellum Cupreum, intus ſtannatum.
F Vas Cupreum Balneo Mariæ dicatum.
G Lagena vitrea, infundibulo inſtructa, ad filtrationes.
H Recipiens.
I Infernus Vitreus.
K K Gemelli.
L Capſula terrea.
M Obturamentum marginis abruptæ capſulæ.
N Matratium prolixo collo donatum.
O Matratij Capitellum.
P Recipiens.
Q Ovum Philoſophicum.
R Vas vitreum ad oleorum ſecretionem.
S Aliud vas vitreum eidem uſui dicatum.

Figura ſexta explicatione non indiget.

FINIS.



Fig. 1.
E
D
C
Q
Q
B
A
V
P
P
T
I
H
G
F
O
N
M
K
L
X
R
R
S

Fig. 2





Fig. 3






Fig. 4
L
K
H
I
I
I
I
C
B
A
D
G
E
F

Fig. 5



Explicatio maximè vulgarium Caracterum Chymicorum

Acetum	♱ X
Acetum Distillatum	X ‡
Aer	🜁
Aës, Vid. Cuprum	♀
Aës uſtum	♀ ☌ ♁ ♀ 3
Alembicus	XX
Alumen	○ ⌂
Almagama	āāā ♯♯ 🜁
Antimonium	◇ ♁
Aqua	🜄 ≈
Aqua fortis	🜄F
Aqua Regia	🜄R
Aquarius	♒
Arena	[dotted triangle]
Argentum, Luna	☽
Argentum vivum, mercurius	☿
Aries	♈
Aqua Vitæ	∞
Arſenicum	○–○ ♀
Auripigmentum	○–○ □
Aurum	☉ ☼
Balneum	B
Balneum Mariæ	MB
Balneum Vaporis	VB
Borax	🜄 []
Calcinare	C
Calx	C C
Calx viva	♆
Cancer	♋
Caput Mortuum	[skull]
Capricornus, Signum Cœleste	♑
Cerusa	‡
Cineres	Ǝ
Cineres clavellati	[symbol]
Cementare	Z
Cera	⊕
Cinnabaris	♁ 33
Coagulare	H Ē
Cornu Cervi	CC
Crocus martis	♁ 🜄 C ♂
Crocus veneris	♀♀ ○C ⊃
Crucibulum	† 🜄 ♡
Cuprum, Aës, Venus	♀
Cristallus	ç
Dies	♂ ♂
Digerere	♁
Diſtillare	♀
Farina laterum	▭
Filtrare	33
Fixare	♆
Flores Antimonii	♁
Gemini	♊
Gummi	♁♁
Hora	8 8
Ignis	🜂
Ignis Rotæ	⊛
Jupiter, Vid. Stannum	♃
Leo, Signum Cœleſte	♌
Libra Signum Cœleſte	♎
Limatura Calybis	○→
Lithargyrum	⊣
Luna, Vid. Argentum	☽
Lutare	N
Magnes	○○
Marcaſita	[symbols] M
Menſis	⊠
Mercurius Sublimatus	☿ ☿
Mercurius Præcipitatus	☿ ☿
Nitrum	⦶
Nix	♀ ♀
Oleum	○○ ♁ ⊕
Piſces, Signum Cœleſt.	♓
Plumbum, Saturnus	♄ ♄ ♄ P
Præcipitare	[symbol]
Pulvis	♁ ♇
Purificare	∞
Quinta Eſſentia	Q. E.
Realgar	X ♂♂
Retorta	ϭ ϭ
Sagittarius Sig. Cœleſte	♐
Sal Al Kali	[symbol] 8:
Sal Ammoniacum	✳
Sal Commune	⊖ ⊖ ♁
Sal Gemmeum	8 ◇→
Scorpio Sig. Cœleſte	♏
Spiritus	∿ Sp. Sp
Spiritus Vini	∿ ‡ 🜄
Stannum, Jupiter	♃
Sublimare	♎ ∞
Stratum Super ſtratum	SSS. ſſſ
Sulphur	🜍 🜍
Sulphur Vivum	🜍
Sulphur Nigrum	♁
Sulphur Philoſophorum	🜍
Talcum	X
Tartarum	⊏ ♅ ✱
Taurus Sig. Cœleſte	♉
Terra	🜃
Tutia	⊕
Calybs ferrum, mars	♂
Camphora	○○○○
Urina	⊡
Venus, aës, vid. Cuprum	♀
Vinum	V
Viride æris	⊕
Lutum	[symbol]
Sapo	◊
Vitrum	○–<
Vitriolum	⊕
Vitriolum album	⊏⊐
Vitriolum Cœruleum	⊕+

IVD.5